






2
3
128











PETRI
ARCUDII
CORCYRÆI
PRESBYTERI,

PHILOSOPHIÆ AC SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS,

LIBRI VII.

DE CONCORDIA ECCLESIÆ OCCIDENTALIS ET ORIENTALIS

in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione.

Brevem totius Operis Relationem in nona abhinc pagina reperies.






LUTETIÆ PARISIORUM,
Sumptibus JOANNIS DU PUIS, viâ Jacobæâ,
ſub ſigno Coronæ Aureæ.

M. DC. LXXII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



S

exp
à
ve
for
tu
lon
N
vi
ru
tis
dif
ne



SERENISSIMO AC POTENTISS.

SIGISMUNDO III.

POLONIÆ,

ET SUECIÆ REGI, &c.

PETRUS ARCUDIUS S. P. D.

MOS est, Serenissime Rex, receptus inter mortales, ut potentissima Regna, & Imperia, immo & privatæ familiæ, quæ à præclarissimis, & fortissimis viris originem ducunt, ejusmodi insignia sibi eligant, quæ & majorum suorum res præclare gestas, si minus ad vivum exprimant, saltem adumbrent, suaque originem ductumque prosapiæ à ceterorum genere facile discernant. Nimirum una est virtus, cui vera debetur, & jure tribuitur laus. Si qua verò in familia virtus forte floruerit, hanc fere qui sunt eius generis cupidissime persequuntur, ejusdemque signa quam aptissima pervestigant. Verum in Jagellonia, & Gustava inclyta gente (unde paternum maternumque genus Maxime Rex trahis) non una aliqua, sed plurimæ, eæque maximæ virtutes radicem fixerunt, ex quibus deinde uberrimæ laudes floruerunt, maximique Heroës ad amplissimos honores, ac summos dignitatis gradus pervenerunt. Hinc animantia regia clarissimum stemma distinguunt, Aquila candida, equus, spicarum manipulus, quæ hominem fovent, juvant, delectant; ceteraque id genus merito effulgent,

quibus ad communem civitatum ac regnorum ſalutem ſe natos oſtendunt, qui tanta è ſtirpe procreantur.

Cæterum quod à mortalibus ad ſplendorem familiæ uſurpatum eſt, hoc ab univerſi mundi Opifice Deo longe antea factum eſſe animadvertimus. Quippe olim ſupremus omnium parens ſelectum à ſe populum Hebræorum certis quibuſdam ritibus ſacris, initiis, ac cerimoniis ab ſenſu minime remotis divino plane conſilio ſepoſuit. Idemque poſtea cœleſtis Imperator ſigna quædam & notas inſtituit, quibus qui ſibi dant nomina, militari tanquam teſſera inter ſe coniuncti, ab aliis quam longiſſime disjungerentur. Ea ſunt ſeptem Eccleſiæ divina Sacramenta, re, nomine, numero prorſus admiranda. Quæ ſane Architecti & duces novarum opinionum hęretici noſtri temporis (apud quos nihil integri moris, nihil priſci) dum quaſi firmiſſima propugnacula demoliri, ac veluti cœleſtes rivulos, & canales, quibus ad nos Chriſti gratia defluit, per ſummam impietatem evertere nituntur, optarent quidem ſe nihil commune habere cum Apoſtolica Romana Eccleſia, neque ad ſacram gentem, Chriſtique familiam pertinere: ſed charactere lavacri ſacri, veluti nota regia inſigniti, produnt ſe facile à fide perfugas, Religionis deſertores, & hoſtes.

Mihi vero has cœleſtes notas ſanctas atque incorruptas, ante annum fere milleſimum ſexcenteſimum à Chriſto Domino inſtitutas, aliis patefacere cupienti, communi conſenſu concordiaque univerſali, veluti ſigno certo, & argumento minime fallaci, quod totum Orientem, & Occidentem complecteretur, utendum fuit. Quod enim antiquiſſimæ Eccleſiæ, Græca ſimul & Latina, ipſorum Apoſtolorum inexhauſtis laboribus fundatæ, alioquin lingua, cœlo, moribuſque disjunctiſſimæ, ἀλληλοδιαδόχως *conſtanti conſenſu, perpetuoque tenore per tot ſæcula conſervarunt, hodieque conſervant, retinent, docent, prędicant, verbo ſcriptiſque confirmant: hoc ut minus caſtum atque ſincerum, hęreticorum more rejiciendum cenſere, hominis eſt impudenter inſanientis: Cum falli & errare plures aliquando poſſint, nunquam omnes.*

Quæ cauſa fuit, cur de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione hoc opus inſcripſerim. Cui, cum Patronum idoneum paro, non diu quærendus fuit: ita ſtatim, quamvis è longinquis adeo terrarum oris affulſit aura illa Majeſtatis Tuæ, cujus preſidium, & tutelam ut mihi ſemper, ita & ingenij mei

fœtibus pluribus de causis enixe ac vehementer exopto.

At prima quidem, quod quæ ad Græcos, & Ruthenos pertinent, cui magis convenire debeant, non video, quam tibi, Serenissime Rex, qui tuos Ruthenos ut ad Romanam, hoc est veram Dei Ecclesiam se adjungerent, excitasti, ac pene dixerim impulisti. Quocirca tibi uni maxime ex omnibus secundùm Deum hoc acceptum referri beneficium debet.

Huc spectat, quod me à Maximis Pontificibus missum in Septentrionis oras perhumaniter excepisti, plurimis atque eximiis beneficiis exornasti, assignatisque prædiis, quæ ad cultum, & victum forent necessaria, abunde suppeditasti. Ubi ego auctoritate tua regia fultus, Polonia, Lituania, Russia, immo & Moschovia cum tuis Legatis lustrata, totos viginti annos in propaganda Religione orthodoxa, quâ reducendis ad Apostolicæ sedis obsequium Ruthenis, quâ retinendis in officio, ac conservandis magno cum labore consumpsi.

Altera causa est, cur tibi liber ipse supplicaret. Non destiterunt unquam illi ipsi hæretici vexare infœlices Græcos, Ruthenosque, ac viro probo nec à Romano Pontifice dissentiente, Patriarcha Timotheo Constantinopolitano vi veneni nuper extincto, alium quendam Cyrillum Pseudopatriarcham Alexandrinum, Calvinianæ furiæ alumnum, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, soluta Turcarum Imperatori pecunia, Græcis Constantinopolitanis, quasi alterum Antipapam obtruserunt. Is quamvis genere, nomine, habituque sit Græcus, alterius tamen gentis nefaria, & execranda, quæ dixi, dogmata toto pectore hausit, quæ deinde Græcis in ipsorum provinciis, simplicioribus autem Ruthenis in tua ditione, adjecta simulatione palam propinavit.

Rogandus igitur fueras, & monendus, Serenissime Rex, immo vero non rogandus, neque monendus, ut quos semel in tuum patrocinium susceperas, eos deinceps defenderes, & ab injuriis improborum vindicares. Ita enim, supra quam dici potest, eos tutatus es, & illorum hostium nefarios conatus compresisti, machinationes evertisti, vim pene victorum extinxisti; ut cum reliqui nobilissimi Regni senatores, tam Ecclesiastici quam seculares, alioquin egregij proceres, & Catholicæ fidei amantes, schismaticorum Cosaccorum importunis precibus victi, timoreque amittendæ dulcissimæ patriæ perculsi, cuncta Ruthenorum Antistitum

bona Pseudepiscopis Cosaccorum concedenda esse contenderent, consulerentve: Unus ex omnibus Sigismundus tanto Rege dignißimam vocem emisit: Malle se potius mori, quam aliquid concedere, quod divinæ gloriæ contrarium, & à recta religione videretur alienum. O vocem invictissimi pectoris indicem! Vocem, quæ aërem illum maxime frigidum hyperboreum quodammodo calefecit, & perfracta illorum animorum duritie, mollem reddidit, atque tractabilem! Vocem omnino dignam, quam cœlestes illæ mentes supra sidera collocatæ in libro vitæ aureo stylo confestim exararent, & ἀνεξαλείπτως exculperent.

Sed quid ego ista de te commemoro? nec id prædico, quod nuperrime præstitisti, ut summam tuam erga Ruthenorum Ecclesiam pietatem, & justissimam erga schismaticorum perfidiam, indignationem, severitatemque declarares. Calet adhuc Archiepiscopi Polociensis, hominis religiosissimi ac sanctissimi cruor à desertoribus istis per incredibilem quandam inauditamque barbariem, cum immani trucidatione castißimi cadaveris effusus. Quem tu flagellis, vinculis, crucibus, infamiæ nota, Sicariorum capite, proscriptionibus ita vindicasti, ut non solum ubique publicas promerueris prædicationes & laudes, verum etiam ab Urbano Sanctißimo Pontifice per litteras & gratiis actis, & honorificentißima commendatione fueris honestatus.

Postremo quæ me omnium maxime causa movit, ut hunc laborum meorum fructum tibi offerrem, tua est incomparabilis de Turcis parta victoria. Quis enim in hac totius orbis ob debellatum communem hostem lætitia tanto Regi non ex animo gratuletur? & si musarum alumnus sit, non pangat, & canat ἐπινίκια carmina? si orator, non instar Periclis, fulgurando, tonando panegyricum insonet? si novus aliquis Salustius, Tacitus, Thucydides, Xenophon, res immortalitate dignißimas celebrare non gestiat? si sacrarum paginarum studiosus, aliquod opus animi sui exultantis testimonium, ingeniique monumentum tibi victori non offerat?

Mirum profecto fuit, quod per fraudem non indicto bello Livoniam ab hoste occupatam valido cum exercitu statim ingressus, nobilißimam provinciam arcibus, ac munitionibus obseptam recuperâris. Nec minus præclarum, quod Michaëlem Macedonem occupata jam Transylvania elatum, Poloniam ipsam adoriri cogitantem, tuus exercitus ex delecta nobilitate conflatus profligavit, dominatu, ac provincia disjecit.

Utrumque tamen vincit, quod Moschovitas, qui nobiles Polonos sponsam ad nuptias Demetrij Principis summa celebritate comitatos, suas in domos publica fide receperant, eosque nil tale suspicantes oppresserant; nec deinde missum abs te Legatum, qui de injuria quereretur, & ab infidis gentibus justa repeteret, audierant: ita continuato aliquot annorum bello contrivisti, ut infinita pene hominum milla consumpta desiderarentur. Arx Smolecensis capta, & viriliter expugnata. At quænam arx? Natura loci, fluvio, mœnibus, milite, annona, bellico apparatu munita, quo instar Asyli mercatores opulentissimi & præcipui Moschovitarum opes suas, gazamque maximam contulerant: Regia urbs Mosqua primo in potestatem redacta, tum exusta. Dux ipse ob amplitudinem Imperij vere Magnus triplici conflictu profligatus, & cum duobus germanis captus minimum se præ te Maximo confestim agnovit.

Sed omnium longe gloriosissimum est, quod Imperatorem Turcarum universæ Christianæ Reipublicæ inhiantem, post Polonos scilicet, ut animo præsagiebat, subactos, totius Orientis viribus, & Tartarorum ingentibus copiis stipatum, quæ supra ter centum millia hominum conficiebant: ipse nullis externis auxiliis fultus, pluribus præliis profligasti, & formidabilem illum exercitum fudisti, & dissipasti, quo didicit Barbarus vinci se posse, si cum Rege Sigismundo dimicet. Quem tu quidem non magis militum robore, quam singulari in Deum pietate, ac religione superasti: qua vel ipsos sacri Præsules ordinis aut superas, aut adæquas, aut etiam æmularis. Hanc nimirum comitantur cæteræ virtutes regiæ, paterna populorum charitas, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, clementia, ob quas omnes humano fastigio major videris, & augustior.

Accedit ex copiosa sobole, tuique simillima inusitata felicitas. Ubi Serenissimus Vuladislaus solis instar spectandum se præter cæteros præbet. Qui pace belloque tibi non impar futurus, nuper Turcico bello confertos hostium cuneos fortissime fudit. D. Vuladislai, olim clarissimi Regis, mortem magno & excelso animo pro Republica Christiana obitam multorum millium cæde compensavit.

Hæc aliaque quam plurima effecerunt, ut coram Principe noluerim vacuus apparere. Cum enim honoris tui gratia montes, agri, sylvæ, fluvij quasi sensu prædita tibi faveant, terraque prope ipsa lætari videatur,

& urbes suis quodammodo avulsæ sedibus tibi triumphanti cum suis quæque muneribus, & coronis occurrant: Principes, Reges, Resp. missa legatione gratulentur: summus Pontifex, ceterique populorum Antistites decretis tuo nomine supplicationibus gratias Deo immortales agant: ubique Sigismundus III. fortissimus habeatur, & Maximus: Cum denique alij alia debitarum tibi laudum munera offerre contendant: Ego etiam potentissimo ac piissimo Regi, patrono munificentissimo, Ruthenorum amantissimo, Religionis & bonarum artium propagatori, debellatori Tyrannorum, publicæ salutis restitutori, instauratori Christianæ dignitatis, defensori nominis & fidei, pacis ac belli arbitro; Tibi, inquam, hoc qualecunque opus dico, & consecro. Ejus obscuritas à te splendorem desiderat; incompta exilisque jejunitas ornatum præstolatur & copiam. Neque dubito quin pro tua singulari humanitate exiguum per se munusculum hilari vultu accepturus sis; qui in tanto honoris glorięque fastigio, mira omnes benevolentia complecteris. Tanto gloriosior, quanto majus est, non solum cęteros homines virtute ac felicitate vincere, sed etiam Reges benignitate, & clementia superare.





BREVIS RELATIO
TOTIUS OPERIS.

AUCTOR, cujus titulus eſt, (De concordia Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione) conatur probare has primarias & antiquiſsimas Eccleſias in re Sacramentaria concordes eſſe. Quod ſi alicubi nonnulli abuſus, vel falſæ interpretationes in Eccleſiam Græcorum, poſteriorum ſchiſmaticorum opera irrepſerint, eos auctor detegit, & auctoritate Sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum rejicit. Si quid etiam eſt, quod, cum antiquitatem redoleat, difficultatem tamen aliquam patitur, excuſat auctor, ac in bonam partem accipit, & interpretatur, hoc ipſo quod vetuſtum ſit, & propterea tolerandum.

Opus autem univerſe : plurimum valet ad redarguendos hæreticos noſtri temporis, qui ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, nupera eſſe, à Romana Eccleſia excogitata, impudenter affirmant, quod falſiſſimum eſt; quando & Eccleſia Orientalis, nimirum perantiqua, & ſummo ſtudio amplectitur, & ſuis religioſe adminiſtrat. Valet etiam ad inſtruendos Præſules Catholicos, in quorum Diœceſibus Græci, vel Albanenſes, vel Rutheni ritu Græco viventes degunt; ut ſciant quomodo cum Preſbyteris Græcorum ſe gerere, quidve admittere, quid rejicere, quid tolerare debeant. Poſtremo idem præſtandum erit cum ſacri cleri hominibus Græcis, qui ad Romanam Eccleſiam accedunt, & ei ſe conſociant.



APPROBATIONES DOCTORUM QUI ROMÆ HOS LIBROS MANDATO PAULI V. PONTIFICIS EXAMINARUNT.

Reverendissimi Episcopi Burgi S. Sepulcri.

PErlegi Librum de Baptismo, à D. Petro Arcudio compositum, doctrinæ, & eruditionis abunde plenum, nihilque in eo deprehendi fidei orthodoxæ, aut Christianis moribus adversum.

Ego ALEXANDER BURGI *S. Sepulchri Episcopus.*

Reverendiss. Episc. Zacynthi & Cephaleniæ.

EGo Raphaël Invitiatus Episcopus Zacynthi & Cephaleniæ, perlegi Librum de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento D. Petri Arcudij, nihilque animadverti S. fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium in eo contineri, sed esse opus præclarum, & eruditum, dignumque existimo ut Typis mandari permittatur.

Ego RAPHAEL *Episcopus manu propria.*

R. P. Andreæ Eudæmon Ioannis Societatis JESV.

EGo Andræas Eudæmon Joannes Sacerdos Societatis JESU, de mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. Cardinalis de la Rochefoucault, vidi tractatum D. Petri Arcudij de sacris Ordinibus, vidi etiam tractatum de Confirmatione, ac diligenter consideravi ea, quæ magis difficilia magisque dubia videbantur, neque quicquam reperi quod alienum à regula Catholicæ fidei visum sit, omnia quinimo pie atque erudite tractata.

Ego idem ANDREAS EUDÆMON JOANNES.

R. D. Silverij Metij S. T. Doctoris.

EGo Silverius Metius Galatinus, S. T. D. jussu Illustrissimi & Reverendissimi D. Cardinalis de la Rochefoucault, perlegi Libros Doctissimi D. Petri Arcudij, nimirum de Pœnitentia, Matrimonio, & de Extrema-Unctione, doctrinæ & eruditionis abunde plenos, nihilque in eis deprehendi fidei orthodoxæ, aut Christianis moribus adversum. Imo eos non solum ad facilius Græcos cum Romana Ecclesia consociandos, verum etiam ad confutandos hæreticos aptissimos esse censeo.

Ego idem SILVERIUS METIUS *manu proprio.*



APPROBATIO DOCTORUM.

NOs subsignati Doctores Facultatis Theologiæ Parisiensis, lecto diligenter libro, cujus titulus est, PETRI ARCUDII *Corcyræi, Presbyteri, libri septem, de Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, in septem Sacramentorum administratione*, testamur hujus Operis texturam conducere ad ornatum Ecclesiæ non mediocriter, nec ullum illius filum differre à stylo & doctrina sanctæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, quinimo revincendis à fide & unione Sedis Apostolicæ alienis hostibus plurimùm inservire posse, ac prodesse omnibus & singulis Christi fidelibus. In quorum fidem hìc subscripsimus, die decima Novembris, anni millesimi sexcentesimi vigesimi-quinti.

J. CHASTELAIN.

CHAPELAS.

⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂⁂

JOANNIS MATTHÆI CARYOPHILI CORCYRÆI, S. T. D. IN LIBROS PETRI ARCUDII, De Concordia Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ in administratione Sacramentorum.

I.

Dissimiles quærit concors symphonia voces,
At similes quærunt symbola sacra notas.
Mystica tu Graiûm, Romanáque symbola nectis,
Et facis immensi Petre laboris opus.
Esse animos nullo cogis discrimine junctos,
Vt sit Romanæ consona Graia fides.

II. Ejusdem in eosdem.

Sacramentum, inquit, Regis non pandere præstat.
An-ne hoc mandatum præterit Arcudius?
Sacramenta Dei dicit, docet, utraque nectit,
Nectit quæ Grajus, quæque Latinus habet.
Et pius est; quînam? dubiorum turbine pulso,
Arcana ut nulli sint agitanda facit.

III. Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτό.


Αἰσχύλος ἐκφήνας Δημήτερος ὄργια δήμῳ
Δυσσεβίης ἔργον πρῆξεν ἀπευχθέστατον.
Επτὰ δὲ νῦν δήμῳ μυστήρια κρυπτὰ φαείνων
Ἀρκούδης ἔργον δείκνυται Εὐσεβίης.
Εὐσεβίης τόσσης, ὅσσον φάος ἔπλετο Φοίβου
Χρήσιμον ὀρφναίῃ νυκτὶ καλυπτομένοις.

IV. Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτό.

Επτὰ παρ' ἀλλήλοις γράμμασι μυστήρια Πέτρος
Ἶσα πέλειν Γραικοῖς Αὐσονίοις τε γράφει.
Εἴθε παρ' ἀλλήλοις δεῖξαι καὶ δόγμασιν εἶχεν,
Ὀλλυμένης κενεᾶς πάγχυ διχοστασίης·
Τοῦτο τεῶν καμάτων Ἀρκούδιε φαίδιμον ἔργον
(Μάντις ἐγὼ) θείοις νεύμασιν ὀψόμεθα.

V. Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτό.

Επτὰ παρ' ἀλλήλοισι γράφεις μυστήρια μέτροις
Πέτρε, φέρων Γραικοῖς ἶσα καὶ Αὐσονίοις.
Ἄνθεσι δὲ χρείοις ἱερὸν πόνον οὐκ ἐπιπλάστοις,
Ἀλλ' ὅσα νοῦς δῶκεν πατροδότου σοφίης.
Οὔ σε παρ' ἀλλήλοισι πόνοις μιμήσεται ἄλλος
Πέτρε. φέρεις Γραικῶν πρῶτα καὶ Αὐσονίων.



CARYOPHILI EJUSDEM IN SINGULOS LIBROS.

De singulis Sacramentis.

I.
De Baptismo.

UT jam natus homo vivat sine semine natus,
Ipse Deus genitor, lympha fit apta parens.
His velut obstetrix dextra infundente minister
Additur, infundens qui pia verba sonat.
Perbenè Romanus, benè Græcus mystica profert
Verba; unus meriti Conditor, una fides.

II.
De Confirmatione.

CVm dat mixta oleo fronti sacra Balsama Græcus,
Pneumatis hoc signum munera dantis, ait:
Imprimit hæc dicens nunquam delebile signum,
Et Romane tuis quod facis, ille facit.
Dux hoc militiæ debet conferre sacerdos.
Hic tibi Romanus Græce sequendus erit.

III.
De SS. Eucharistia.

PAnis uterque Deum panem sub tegmine condit;
Hoc facit omnipotens Omnipotentis amor.
Se dedit Agnum Agnus post agni fercula tosti,
Expers fermenti cùm cibus omnis erat.
Attamen ad panem post omnipotentia verba,
Christum seu Græcus, sive Latinus habet.

IV.
De Pœnitentia.

VIncula quæ solùm divina potentia solvit,
Vis Christe hæc eadem solvere possit homo.
Hic sua Romano, sua ritè est formula Græco,
Implet uterque pij judicis officium.
Sic pia Romano, pia Græco formula servit;
Et scelerum nodos solvit uterque suis.

V.
De Extrema-Unctione.

UNgitur ægrotus, cum spes est nulla salutis;
Et desperatis fit geminata salus.
Nunquam non animos, nonnunquam id corpora curat;
Dæmonis ad pugnam Victor ut unctus eat.
Vnctio Romanis hæc ultima ritè vocatur,
At Græcis oleum cum prece nomen habet.

VI.
De Ordinis Sacramento.

EST gradibus distincta suis hierarchia Cœli,
At nostræ est etiam pars hierarcha Deus.
Hostia qui factus, summus fuit ipse sacerdos;
Qui nos ipse suo sanguine pastor alit.
Imponis tu Græce manum, tu vascula tradis
Romane; est eadem vis utriusque notæ.

VII.
De Sacramento Matrimonij.

UNa caro fuerat, duo mox in corpora crevit;
Rursus homo socia carne fit una caro.
Et Paulus clamat; Magna hæc mysteria dico.
Vna sit uni, unam Christus ut unus habet.
Nulla sua patitur sponsæ divortia Christus,
Et sponsos dirimat sectio nulla duos.



PROOEMIUM OPERIS.

DIVINA, & admiranda Sacramenta novæ legis, esse instar illarum frugiferarum, & fructuosissimarum arborum, quæ in amœnissimo, & omnium deliciarum refertissimo Paradiso voluptatis cœlesti manu superni agricolæ satæ, & institutæ fuerant, haud meritò quispiam inficiabitur; si horum variam, & multiplicem vim, potestatem, naturam, efficacitatem, fœcunditatem, effectumque nobilissimum diligenter considerabit. Illæ siquidem vestitæ frondibus, venustæ floribus, onustæ fructibus, jucundæ non gustatu solum, sed odoratu etiam, & aspectu, recenter hominem eximia pulchritudine formatum, & procreatum mirifice oblectabant. Hæc novum alterum hominem, & novam in Christo creaturam, eoque augustiorem, quo animus corpore præstantior, dignitate nobilitant, decore ornant, munere ditant, tactu sacrosanctum reddunt, virtute divinæ naturæ consortem efficiunt. Ibi inter tot æquales una excellens vitalis arbor perennem quidem, sed infra lunam corpoream vitam gustantibus impertiebat.: Hîc præ cæteris omnibus ille ζωηφόρος, cœlestis, salutaris, atque omnium epularum exquisitissimus panis conviventibus in terris mortalibus, immortalitatem in cœlis largitur. Ibi fluvius è venis terræ scaturiens totum hortum irrigabat: Hîc è visceribus vitalis lateris instar uberrimi fontis purpureus sanguis cum aqua una largiter effluens, atque omnia obruens, divino humore cœlestis benedictionis Sacramenta replet. Inde enim mirificum illum

influxum, quantumvis licet occultum, Sacramenta recipiunt. Inde virtutem conferendi hominibus tantam gratiam sortiuntur: ibi suavissimi fructus, varia salutarium herbarum, fruticum, & radicum genera defectum naturæ, & humidum radicale perditum restaurabant, venenis resistebant, morborum insultus omnes arcebant. Hîc post lapsum per Sacramenta homo se redintegrat, eorumque beneficio tanquam potentissimæ, & pretiosissimæ medecinæ, sanatis vulneribus, animi maculis, vires colligit, incorruptam sanitatem recuperat, pristinam habitus dignitatem consequitur. Sed longum foret ceteras similitudines persequi. Quoniam verò (quandoquidem etiam hoc in eandem cadit similitudinem) ad propulsandas ægritudines medicæ artis alumni, professoresque illud in primis à pharmacopolis poscunt, & expetunt; Ut pharmaca vera sint, germana sint, non antiqua, & exoleta; quæque naturaliter sibi insitam virtutem minime amiserint: nobis quoque more medicorum ἀναλογικῶς, ut idem præstemus in hac mystica officina desudandum, atque elaborandum. Perquiramus igitur, & investigemus, necesse est: Utrum Sacramenta ex omnibus suis partibus, & causis integrè constent; an aliquid ex iis, quæ naturam illorum necessario constituunt, atque perficiunt, desideretur.

Sed profecto in officina Regia, & primaria, Romana, inquam, Ecclesia, quippe aliarum Ecclesiarum Principe, ac Magistra, vigere Sacramenta omnibus numeris absoluta, luce meridiana clarius est. Tot enim extant clarissimorum Virorum præclara monumenta, quibus minutissima quæque Sacramentorum commendantur, & consignantur; ut velle rem ita se habere demonstrare, superstitio sit, vel ostentatio. An verò & in Orientali Ecclesia idem sentiendum sit, eaque sacrosancta, & incorrupta permaneant, Viri gravissimi, sacrique Theologi non usque adeo cognitum, atque compertum habent. Quamvis enim in iis, quæ de natura, numero, vi, & efficacitate illorum, quæ est justificatio nostra, Græcos inter, & Latinos disseruntur, æqua pietas sit, mira consentio, idem animus, eademque sententia; tamen cùm de ministro, de suscipiente, de materia, & forma verba fiunt,

tum

tum liberius aliquid {enunciatur, ac non ſine juſta cauſa & ratione ambigitur. Miniſter in Confirmatione, quod ſit Preſbyter, à nonnullis rejicitur. Confirmationem quippe quæ ἀνεξάλειπτον χαρακτῆρα in animis fidelium imprimat, nefas eſſe iterare, merito Theologi docent. Græcorum recentiores antiſtites, deſertores fidei, cæteroquin confirmatos, ſi ad ſanam mentem, & Eccleſiam redierint, ſacro ſigillo denuo ſignare haud recuſant. Forma in expiandis maculis, & ſceleribus, quod deprecatoria videri poſſit, ferme à nemine Latinorum unquam æquo animo ad ejuſmodi Sacramentum admittitur. Materia in ſuſcipiendis ſacris Ordinibus, quod ſit impoſitio manuum, ac non potius porrectio inſtrumentorum. Hæc ut nec neceſſaria, & ad rem conficiendam magis faciens à quibuſdam Latinorum requiritur; illa, quippe minime talis, non quidem deſpicitur, ſed etiam non magni æſtimatur. Suſcipiens in adminiſtratione olei infirmorum, quod ſanus, & incolumis quandoque ſit, & non ſemper ægrotus removetur à Latinis, à Græcis ungitur.

Hoc igitur illud eſt, quod tentare aggredimur, ſi forte Latina cum Græcis, ſive Græca cum Latinis conciliare, conjungere, & conſociare poterimus. Cum enim multi Græcorum, & qui eorum Religionem, profitentur, inter alios ſacris initiati, ritibus illius Eccleſiæ cærimoniiſque purè, & caſtè ſervatis ad unitatem Romanæ Eccleſiæ quotidie redeant: (quemadmodum & ſuperioribus annis Ruſſorum gens maxima ſanè ſuorum laude, totius Poloniæ, cunctæque Italiæ gratulatione ad Romanam Eccleſiam ſe applicavit, atque adjunxit.) non pauci verò Græcorum nobiles adoleſcentes ex variis Græciæ partibus accerſiti, maxima liberalitate ſummorum Pontificum in Urbe nutriantur, & in utramque vitæ partem perquam diligenter inſtruantur, qui ad avitæ Religionis ſplendorem comparandum ſeſe excitent, & ad priſtinam Majorum dignitatem revocandam totis viribus incumbant; ac divinum cultum D. Opt. Max. & ſuperis more patrio exhibeant; immò verò in eo laudabiliter perfungendo etiam à Romana Eccleſia deſtinentur: diligentius videndum eſt, quomodo in re Sacramentaria, hoc eſt, tam gravi, & neceſſaria, Græci cum

Latinis conveniant. Ut si planè inter se respondeant, tutiore conscientia in Græciam reversi talia munera obeant; sin aliqua reperitur dissensio, ea nimirum tollatur, & divina mysteria suum, propter quem instituta sunt, finem feliciter sortiantur. Neque enim æquale periculum est errare in Sacramentis, atque in multis aliis fidei nostræ dogmatibus; nempe reliquorum major pars ferè in contemplatione posita est, & eorum ignoratio plerosque mortalium excusat: At Sacramentorum cognitio cùm ad praxim redigenda sit, singulornm hominum respicit utilitates, & commoda. En habes, pie Lector, consilij mei rationem, cur de septem Ecclesiæ sacris mysteriis, seu Sacramentis juxta ritum Orientalium, qua ratione videlicet in rebus ad essentiam spectantibus cum Latinis summo consensu conveniant, quave ratione discrepare videantur, agere instituerim. Neque inutilem fore laborem existimo: ostensa enim, ut spero, antiquissimarum Ecclesiarum in præcipuis hujus materiæ Capitibus summa concordia; plerisque quidem Catholicis ex animo scrupulum evellam, ut in posterum multa nolint in controversiam revocare, paucissima in contrarium statuere: hæreticis autem, si sapiunt, rem peroptatam, perque jucundam; sin insaniunt, non admodum gratam me facturum arbitror.

Dum enim se & à semetipsis dissidere, & cum nulla vetere Ecclesia concordare animadverterint; vel pudore suffusi, abjectis erroribus, spretaque novitate, & relicta noverca, ad saniorem mentem redibunt, & ad veram matrem, quæ illos genuit, Romanam Ecclesiam festinabunt; vel more illorum infelicium ad æterna supplicia damnatorum, quorum superbia Deum odientium ascendit semper, impudentes, desperati, ac rabiosi ad maledicta, & convicia, contra veram Dei Ecclesiam, ejusque pios cultores se convertent. Sed jam satis: reliquum est, ut rem ipsam aggrediamur.



INDEX CAPITUM LIBRORUM HUJUS OPERIS.

CAPITA LIBRI PRIMI, De Baptismo.

CAPITA LIBRI SECUNDI,

De Confirmatione.

CAPITA LIBRI TERTII,

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPITA LIBRI QUARTI,

De Pœnitentia.

CAPITA LIBRI QUINTI,

De Extrema-Unctione.

CAPITA LIBRI SEXTI,

De Sacramento Ordinis.

CAPITA LIBRI SEPTIMI,

De Matrimonio.

DE PRESBYTERORUM Græcorum Matrimonio.

Finis Indicis Capitum Librorum hujus operis.





DE CONCORDIA ECCLESIÆ ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS, in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione, LIBRI SEPTEM.

DE BAPTISMO, LIBER PRIMVS.

De ſignificatione Myſterij.

CAPUT I.

MYSTERIA Græcis ſcriptoribus generatim ſumpta, Ciceroni de legibus ſunt initia, à verbo μυέομαι, hoc eſt, initior, & ſacris imbuor. Unde μεμυημένοι, & μύσται dicuntur, qui ſacris ſunt initiati. Sed, & arcanum & ſecretum ſignificant. Hinc Cicero 3. de Oratore,
» Hoc,inquit,tacitum tanquam myſterium
» teneas. Et Plutarchus de Garrulitate: ὅθεν οἶμαι τοῦ μὲν λέγειν ἀνθρώπους, τοῦ δὲ σιωπᾶν θεοὺς διδασκάλους ἔχομεν, ἐν τελεταῖς καὶ μυστηρίοις σιωπὴν παραλαμβάνοντες. Unde, ut ar-
» bitror, dicendi homines, tacendi Deos
» habemus magiſtros, in eorum ſacris & myſteriis una nobiſcum accepto ſilentio. «
Et in lib. de Educandis liberis: σοφὸν γὰρ εὔκαιρος σιγὴ, καὶ παντὸς λόγου κρείττων. καὶ διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ τὰς μυστηριώδεις τελετὰς οἱ παλαιοὶ καταδεῖξαι, ἵνα ἐν ταύταις σιωπᾷν ἐθισθέντες, ἐπὶ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν, τὸν ἀπὸ τῶν θεῶν μεταφέρωμεν φόβον. Sapien- «
tis, inquit, munus eſt tempeſtivum ſilen- «
tium, & omni ſermone præſtantius. Id- «
circo reor, veteres, myſticas ſacrorum «
ceremonias inſtituiſſe, ut ex illis capta ſi- «
lendi conſuetudine, deorum metum ad «
humanorum fidem arcanorum transfe- «
ramus. Et Paulus ad Epheſ. cap. 1. γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ. *Patefacto*

nobis mysterio, seu arcano, sua voluntatis. Et 1. Corinth. cap. 2. λαλοῦμεν θεοῦ σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, *Loquimur Dei sapientiam in mysterio*, hoc est, arcano. Ubi Chrysostomus hom. 7. in eandem Epistolam: ποίῳ μυστηρίῳ; καὶ μὴν φησὶν ὁ Χριστὸς, ὃ ἠκούσατε εἰς τὸ οὖς, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. πῶς οὖν μυστήριον αὐτὴν καλεῖ; Quonam mysterio? Atqui ait Christus, quod in aure audistis, prædicate in tectis. Cur nam igitur mysterium ipsam appellat? Deinde solvens dubitationem ait: ἐπειδὴ οὔτε ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος, οὔτε ἄλλη τις αὐτὸ κτιστὴ δύναμις ᾔδει πρὶν γενέσθαι. διό φησιν, ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. Quoniam neque Angelus, neque Archangelus, neque ulla alia creata potestas illud sciebat antequam fieret. Quapropter, ait, ut nota fieret nunc principatibus, & potestatibus in cœlis per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Addit Chrysost. cur id fecerit Deus, videlicet, ut nos tanquam amicos honore afficeret. καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς, οὓς ἂν ποιησώμεθα φίλους, τοῦτο τεκμήριον πρὸς αὐτοὺς εἶναι φαμὲν τῆς φιλίας, τὸ μηδενὶ πρὸ αὐτῶν εἰπεῖν τὰ ἀπόρρητα. Quoniam nos quoque ad eos, quos amicos acquirimus, hoc argumentum, atque indicium esse amicitiæ dicimus, quòd cum nemine priùs, quàm cum ipsis arcana communicaverimus. Estque ista vis nominis valdè trita apud auctores tum sacros, tum profanos, ut mysterium significet, τὸ ἀπόρρητον, καὶ ἄγνωστον. Et secundùm hanc significationem etymologia nominis deducitur, vel ἀπὸ τοῦ μύειν, hoc est, κλείειν τὸ στόμα, quòd auditores claudant os, & ea vulgò efferre non audeant. Vel ἀπὸ τοῦ δεῖν μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, quòd ea intus occultare oporteat; & profanis explicare minimè deceat. Item sub quo aliquid sacri & arcani latet, mysterium denotat. Nazianzenus in sacrum lavacrum: φῶς δὲ τυπικὸν καὶ σύμμετρον τοῖς ὑποδεχομένοις ὁ γραπτὸς νόμος, σκιαγραφῶν τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὸ μεγάλου φωτὸς μυστήριον. Lex, inquit, scripta lumen quoddam est, quod figuratè innuat, & proportione recipientibus (Iudæis) respondeat: cùm videlicet ea lex adumbret verum, & magni luminis mysterium, hoc est, legem Evangelicam. Ubi Theologus opponit typo, & umbræ verum, & mysterium: hoc est, verum, occultum tamen sub aliquo signo, & sacro velamine. Chrysostomus longè clariùs, & prolixiùs hoc idem tradit loco commemorato. Cujus verba, quòd verè aurea sint, & huic argumento apprimè accommodata, transcribere non gravabor. μυστήριον καλεῖται, ὅτι οὐχ ἅπερ ὁρῶμεν βλέπομεν, ἀλλ᾽ ἕτερα ὁρῶμεν, καὶ ἕτερα πιστεύομεν. τοιαύτη γὰρ καὶ ἡ τῶν μυστηρίων ἡμῶν φύσις. ἑτέρως γοῦν ἐγὼ, καὶ ἑτέρως ὁ ἄπιστος περὶ τούτων διακείμεθα. ἀκούω ἐγὼ ὅτι ἐσταυρώθη ὁ Χριστὸς, καὶ τὴν φιλανθρωπίαν εὐθέως θαυμάζω. ἀκούει ἐκεῖνος, καὶ ἀσθένειαν νομίζει. ἀκούω ὅτι δοῦλος γέγονε, καὶ τὴν κηδεμονίαν θαυμάζω. ἀκούει ἐκεῖνος, καὶ ἀσθένειαν λογίζεται. ἀκούω ὅτι ἀπέθανε, καὶ τὴν δύναμιν ἐκπλήττομαι, ὅτι ἐν θανάτῳ γενόμενος οὐκ ἐκρατήθη, ἀλλὰ καὶ ἔλυσε θάνατον. ἀκούει ἐκεῖνος, καὶ ἀδυναμίαν ὑποπτεύει. ἀκούων ἀνάστασιν ἐκεῖνος, μῦθον τὸ πρᾶγμά φησιν. ἐγὼ δὲ τὰς διὰ τῶν πραγμάτων δεξάμενος ἀποδείξεις, προσκυνῶ τὴν τοῦ θεοῦ οἰκονομίαν. ἀκούων λουτρὸν ἐκεῖνος, ἁπλῶς ὕδωρ νομίζει. ἐγὼ δὲ οὐ τὸ ὁρώμενον ἁπλῶς βλέπω, ἀλλὰ τὸν τῆς ψυχῆς καθαρμὸν τὸν διὰ τοῦ πνεύματος. ἐκεῖνος λελοῦσθαί μοι τὸ σῶμα νομίζει μόνον. ἐγὼ δὲ πεπίστευκα, ὅτι καὶ ἡ ψυχὴ γέγονε καθαρά τε καὶ ἁγία. καὶ λογίζομαι τὸν τάφον, τὴν ἀνάστασιν, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν δικαιοσύνην, τὴν ἀπολύτρωσιν, τὴν υἱοθεσίαν, τὴν κληρονομίαν, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, τοῦ πνεύματος τὴν χορηγίαν. οὐ γὰρ τῇ ὄψει κρίνω τὰ φαινόμενα, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας. ἀκούω σῶμα Χριστοῦ, ἑτέρως ἐγὼ νοῶ τὸ εἰρημένον, ἑτέρως ὁ ἄπιστος. καὶ καθάπερ τὰ παιδία τὰ βιβλία ὁρῶντα οὐκ οἶδε τῶν γραμμάτων τὴν δύναμιν, οὐδὲ οἶδεν ἅπερ ὁρᾷ. μᾶλλον δὲ κἂν ἀνὴρ ἄπειρος ᾖ γραμμάτων, ταῦτα πείσεται. ὁ δὲ ἔμπειρος πολλὴν εὑρήσει τοῖς γράμμασιν ἐναποκειμένην τὴν δύναμιν, καὶ βίους ὁλοκλήρους, καὶ ἱστορίας. Καὶ ἐπιστολὴν ὁ μὲν ἄπειρος λαβὼν, χάρτην ἡγήσεται, καὶ μέλαν εἶναι. ὁ δὲ ἔμπειρος καὶ φωνῆς ἀκούσεται, καὶ διαλέξεται τῷ ἀπόντι, καὶ ὅσαπερ ἂν βούληται διὰ τῶν γραμμάτων πάλιν ἐρεῖ. οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ μυστηρίου γίνεται. οἱ μὲν ἄπιστοι, καίτοι γε ἀκούοντες, οὐ δοκοῦσιν ἀκούειν. οἱ δὲ πιστοὶ τὴν διὰ τοῦ πνεύματος ἔχοντες ἐμπειρίαν, ὁρῶσι τῶν ἐναποκειμένων τὴν δύναμιν. Myste-

rium appellatur, quoniam non quæ videmus, intuemur, ſed alia inſpicimus, & alia credimus. Quippe hujuſmodi eſt natura noſtrorum myſteriorum. Aliter igitur ego atque infidelis animis afficimur. Audio ego crucifixum eſſe Chriſtum, & ipſius erga mortales amorem ſtatim admiror: audit ille, & imbecillitatem arbitratur. Audio ſervum factum, & illius erga nos curam ſuſpicio: audit ille, & ignominiam hoc reputat. Audio mortuum eſſe, & potentiam obſtupeſco, quòd mortem obiens vinci non potuerit, ſed & mortem diſſolverit: audit ille, & vi atque potentia deſtitutum ſuſpicatur. Reſurrectionem ille cùm audit, fabulam eſſe ait: ego verò factorum rationibus certis confirmatus, adoro Dei diſpenſationem. Ille lavacrum, ſimpliciter aquam eſſe opinatur: ego verò non ſimpliciter, quod videtur aſpicio, ſed animi purgationem per ſpiritum effectam, contemplor. Ille locum mihi corpus duntaxat exiſtimat: Ego & animam puram, & ſanctam factam eſſe credidi, atque mecum ipſe unâ reputo ſepulcrum, reſurrectionem, ſanctificationem, juſtitiam, redemptionem, filiorum adoptionem, hereditatem, regnum cœlorum, ſpiritus erogationem. Non enim aſpectu, quæ videntur, ſed mentis oculis judico. Audio corpus Chriſti: aliter ego atque infidelis dictum accipimus. Et quemadmodum pueri, cùm libros intuentur, vim literarum minimè intelligunt, neque norunt, quæ oculorum ſenſu percipiunt. Quin potius vel ipſi viro literarum ignaro eadem uſu veniunt; qui verò peritus eſt in literis, atque exercitatus, multam in eis conditam vim, & integras vitas & hiſtorias reperiet. Et Epiſtolâ quidam acceptâ, literarum expers chartam, & atramentum eſſe putabit; at expertus & vocem audiet, & alloquetur abſentem, & quodcunque voluerit per literas rurſum ſignificabit. Idem quoque in myſterio ſolet accidere. infideles quidem, tametſi audiunt, non tamen audire videntur: fideles verò per ſpiritum experientiam aſſequuti, reconditorum virtutem intuentur. Hactenus Chryſoſtomus. Iobius Monachus, teſte Photio, in ſua Bibliotheca in opere quod inſcripſit, οἰκονομικὴν πραγματείαν, eo quòd in eo multas quæſtiones tractet ad myſterium diſpenſationis, hoc eſt, redemptionis ſpectantes, libro 6. universè enunciat, Deum myſteria ſua, & res ſpirituales ὑλικῶς τοῖς ὑλικοῖς, hoc eſt nobis, qui ex materia conſtamus, per ſigna ſub ſenſum cadentia ſolitum eſſe tradere. Atque ad hoc aſtruendum præter alia exemplum ponit Eſaiæ de forcipe, & carbone candente. εἰς πίστιν δὲ παράγειν ἐπιχειρεῖ, ὅτι παρ' αἱ ἄϋλοι δυνάμεις ὑλικῶς τοῖς ὑλικοῖς τὰ ἄνωθεν διαπορθμεύουσι, τὴν λαβίδα, ἣν ἓν τῶν Σεραφὶμ πρὸς τὸν προφήτην ἀπεσταλμένον ἔφερε, τὸν ἄνθρακα φέρουσαν. δῆλον γὰρ ὡς ἐν σωματικοῖς συμβόλοις ἀσωμάτων τινῶν καὶ νοητῶν ἡ ἀσώματος δύναμις ὑπεδήλου τῷ προφήτῃ μυστήρια. διδασκούσης ἡμᾶς τῆς ἱερᾶς γραφῆς, ὅτι καθάπερ οὐκ ἔστιν ἄνευ μεσότητος, οὔτε ὕλης παχυτέρας τοῦ πυρὸς λαβέσθαι. οὕτω καὶ τῶν θείων οὐδὲν ἔστι λαβεῖν ἄνευ συμβόλων ὑλικῶν τε καὶ προσφόρων τοῖς δεχομένοις. ἔστι δὲ καὶ ἡ λαβὶς τυποῦσα τὴν ὕλην, ὥσπερ ὁ ἄνθραξ τὸ θεῖον. ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον. καὶ τὰ λόγια Κυρίου πεπυρωμένα. Καὶ αὐτὴ δὲ ἡ φωνὴ τῆς λαβίδος, τὴν ἁφὴν ἀπαγγέλλει, ἥτις δηλονότι ἐπὶ μόνων ὁρᾶται τῶν αἰσθητῶν. Ad probandum autem (inquit Photius) quòd potentiæ ab omni materia ſemotæ ad materiatos cœleſtia materiali modo deferunt; Jobius exemplum forcipis afferre aggreditur, quam videlicet carbonem geſtantem, unus ex Seraphim ad Prophetam miſſus ferebat. Manifeſtum enim eſt, quòd vis illa incorporea in ſymbolis corporeis quorundam incorporeorum, ac intelligibilium myſteria prophetiæ ſubindicabat, docente nos ſacra ſcriptura, quòd quemadmodum prehendere ignem non datur ſine medio, & craſſiore aliqua materia; ita etiam abſq; ſignis ex aliqua materia concretis, quæ recipientibus ſint accommodata, nihil divinorum percipi poteſt. Porro forceps materiam, ut candens carbo numen divinum repræſentat. Quippe Deus noſter ignis eſt conſumens. Eloquia item Domini ignita ſunt. Quin & ipſa vox λαβίδος, tactum ſignifi-

cat, qui videlicet in iis, quæ sensum movent, duntaxat, conspicitur. Sic ille. Qui & aliam congruentem rationem reddit, cur mysteria nobis instituta sunt, quæ symbolis corporeis essent velata, quòd videlicet Dei verbum carne humana indutum sit. ἴσως δὲ καὶ τὴν ὑπὲρ ἡμῶν οἰκονομίαν τοῦ λόγου αἰνιγματίζεσθαι διὰ τῶν εἰρημένων συμβόλων, φάναι, οὐδὲν ἀπεικός. τὸ γὰρ θεῖον πῦρ, παχύτητι τῆς καθ' ἡμᾶς σαρκὸς προσωμίλησεν ἡμῖν. Fortassè verò & Verbi dispensationem nostri causa factam ænigmaticè designari prædictis symbolis non absurdè dicatur. Ignis enim divinus carnis nostræ crassicie nobiscum conversatus est. Hieremias Patriarcha Constant. cap. 1. suæ censuræ: μυστήρια ταῦτα λέγεται, διὰ τὸ ἐν αἰσθητοῖς συμβόλοις νοητὸν ἔχειν τὸ ἀποτελούμενον, καὶ ἀπόρρητον. Mysteria hæc dicuntur, eo quòd in sub sensum cadentibus signis, effectum habeant intelligibilem, atque occultum. Per effectum arcanum, intelligit Hieremias gratiam justificantem, quam efficiunt, hoc est, producunt, & in se continent Sacramenta.

Hanc postremam notionem mysterij apud auctores profanos minimè reperire potui. Neque enim habebant Gentiles ejusmodi mysteria, qualia sunt nostra. Quocirca egregiè Chrysostomus loco proximè citato, τοιαύτη ἡ τῶν μυστηρίων ἡμῶν φύσις, talis est, inquit, nostrorum mysteriorum natura; ut videlicet aliud inspiciamus, aliud credamus. Verùm tam hæc, quàm priores duæ significationes speciatim in nostra mysteria, de quibus nunc agimus, mirificè quadrant. Quippe & homines mysteriis initiantur, & consecrantur Deo, hoc est, per gratiam justi evadunt, & ea profanis, & infidelibus prodere nefas est. Denique rem sacram, occultam, & reconditam continent, nimirum cœlestem gratiam, & divinam, nonnulla etiam characterem. Et ob eam causam à Dionysio de Eccles. Hierar. cap. 1. & 2. appellantur θεῖα καὶ ἱερὰ σύμβολα, signa sacra, & divina, quæ videlicet hominem justum, & sacrosanctum reddant, & efficiant.

Neque qualiacumque symbola, sed quæ cum occulto effectu divinæ gratiæ similitudinem quandam obtineant. Nempe lotio externa baptismatis, ut explicat Chrysostomus, sublimiorem quandam aliam internam animi lotionem exprimit, & repræsentat, immo verò, & efficit. Eo tamen nomine, quòd Sacramenta essent externa signa, & sub oculos caderent, rejiciebant ea, & aspernabantur Archondici, qui & Ascodruti appellantur hæretici, teste Epiphanio hæres. 40. & Theodoreto libro primo de hæreticorum fabulis, quòd dicerent, μὴ χρῆναι τὰ θεῖα μυστήρια ἀοράτων ὄντα σύμβολα, δι' ὁρωμένων ἐπιτελεῖσθαι πραγμάτων, καὶ τὰ ἀσώματα δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν. Divina Sacramenta, quæ sunt signa eorum, quæ omnem sensum effugiunt oculorum, per aspectabilia, & expertia corporis, per corporea, & per ea quæ sensui subjiciuntur, minimè peragi oportere; Unde apparet mysterium juxta Catholicos esse, σύμβολον ὁρατὸν καὶ σωματικὸν, ἀοράτων καὶ ἀσωμάτων. Signum concretum, quod cerni possit, atque corporeum incorporeorum, minimeque spectabilium. Et quemadmodum homo ex animo & corpore constat; ita quoque mysterium ex rebus partim sub sensum cadentibus, partim oculos fugientibus constat. Quæ est ratio Gregorij Nazianzeni in Oratione de Baptismate: Cur Christus Dominus dixerit, ex aqua, & spiritu renascendum esse; quia nimirum medicamentum partim corporale, partim spirituale aptissimè convenit in eos ægrotos, quorum natura corpore & spiritu continetur. διττῶν ὄντων ἡμῶν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, καὶ τῆς μὲν ὁρατῆς, τῆς δὲ ἀοράτου φύσεως, διττὴ καὶ ἡ κάθαρσις, δι' ὕδατός τε φημὶ καὶ πνεύματος, τοῦ μὲν θεωρητῶς τε καὶ σωματικῶς λαμβανομένου, τοῦ δὲ ἀσωμάτως καὶ ἀθεωρήτως συντρέχοντος. Gemina re (inquit) hoc est animo & corpore nobis constantibus, quarum altera sub aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: gemina quoque constat Baptismus, aqua scilicet, & spiritu, illa visibili, & corporeo modo accepta, hoc verò incorporeo, & invisibili concurrente. Et Chrysostomus Homil.

62. in Matthæum: οὐδὲν αἰσθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Χριστὸς, ἀλλ' αἰσθητὰ μὲν πράγματα, πάντα δὲ νοητά. οὕτω καὶ ἐν τῷ βαπτίσματι διὰ αἰσθητοῦ μὲν πράγματος γίνεται τοῦ ὕδατος τὸ δῶρον. νοητὸν δὲ τὸ ἀποτελούμενον ἡ γέννησις, καὶ ἡ ἀνακαίνησις. εἰ μὲν γὰρ ἀσώματος ἦς, γυμνὰ ἂν αὐτά σοι τὰ ἀσώματα παρέδωκε δῶρα· ἐπειδὴ δὲ σώματι συμπέπλεκται ἡ ψυχὴ, ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητά σοι παραδίδωσι. Nihil ſenſibile, inquit, nobis Chriſtus tradidit, ſed res quidem ſenſibiles, omnes autem intelligibiles. Itidem, & in baptiſmate per rem nempè ſenſibilem aquam, donum Baptiſmi efficitur: intelligibilis verò effectus eſt generatio & renovatio. Si enim incorporeus eſſes, incorporea dona tibi Deus nuda tradidiſſet. Sed quoniam anima corpori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet. Divinus ille Hierarcha Dionyſius de Eccleſiæ Hierarch. cap. 5. idcirco ait in concretis ſignis nobis exhiberi myſteria intelligibilia, quòd noſtra Eccleſiaſtica Hierarchia medium locum teneat inter veteris teſtamenti antiquam, atque cœleſtem, quo fit, ut participet aliquid ab utraque. ἐστὶ δὲ καὶ οὐρανία, καὶ νομικὴ κοινωνικῶς τῇ μεσότητι τῶν ἄκρων ἀντιλαμβανομένη, τῇ μὲν κοινωνοῦσα ταῖς θεωρίαις, τῇ δὲ ὅτι καὶ συμβόλοις αἰσθητοῖς ποικίλλεται, καὶ δι' αὐτῶν ἱερῶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀνάγεται. Eſt autem eadem noſtra & cœleſtis, & legalis: quippe cùm ſit media, ſocietate quadam, extrema ſibi vendicat, cum illa quidem communes habens ſpirituales contemplationes, cum hac verò ſigna, quæ ſenſum movent, quorum etiam varietate diſtinguitur, & per ea piè, præclaréque ad Deum deducitur. Hæc Dionyſius.

Illud verò mirandum, quî fieri poſſet, ut myſterium eſſet ſymbolum inviſibilis rei ſecundùm hæreticos, & tamen non eſſet ſignum aliquod ſenſibile. Si enim ſymbolum, hoc ipſo concretum, atque corporeum eſt.

Porro Sacramentum apud Latinos auctores universè acceptum, varias habet ſignificationes. Sigillatim verò antiquis Patribus, & Theologis Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Ambroſio, Auguſtino, & aliis, idem eſt, quod fere ſacris Doctoribus Græcis myſterium, & eædem ei ſubjiciuntur notiones. Nempè dicitur Sacramentum, vel à ſacro, tum quia ſignum conſpicuum rei ſacræ & occultæ exiſtat, tum etiam quia res ſacra ſit, & externa Dei ceremonia. Et quoniam ſacra, idcirco, & arcana, & non omnibus patefacienda. Unde Plutarchus de Garrulitate, ad evitandum illum animi morbum, quem Græci vocant ἀδολεσχίαν, monet nos, atque hortatur, ut habeamus in promptu, τὸ σεμνὸν, καὶ ἅγιον, καὶ μυστηριῶδες τῆς σιωπῆς. Hinc, & vulgatæ editionis antiquus interpres quandoque loco arcani, Sacramentum optimè vertit. Ut loco proximè citato Pauli, *cùm notum nobis feciſſet Sacramentum ſuæ voluntatis*, hoc eſt, arcanum. Qua de re vetuſtiſſimus Theologus à Neotericis (ſi ſuperis placet) hæreticorum grammaticis reprehenditur.

Vel dicitur Sacramentum à ſacrando, quòd non quamcumque rem ſacram, ſed divinam gratiam in ſe contineat, quæ hominem initiet & conſecret Deo; quod proprium eſt ſacramentorum novæ legis. Quocirca de Baptiſmo loquens Dominus non ex aqua ſolùm, ſed ex aqua & ſpiritu renaſcendum eſſe Nicodemo pronunciavit: nimirum, ut & ſignum externum corporale, & rem interiorem in eo contentam ſpiritualem, hoc eſt, cœleſtem gratiam hoc modo loquendi ſignificaret.

De numero Sacramentorum.

CAPUT II.

SACRA myſteria, ſeu ſacramenta, tot eſſe numero apud Græcos, quot apud Latinos, nimirum ſeptem, nemo unquam (quicquid dicant utriuſque gentis communes hoſtes hæretici noſtri temporis) in dubium revocavit. Horum enim ſunt paginæ plenæ ſanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum. Tametſi enim numerum ſacramentorum antiqui

auctores non expresserint, expressuri sane si suo ævo Sacramentarij extitissent: res tamen ipsas, ubi sese offert occasio tractant. Et usus Ecclesiæ Orientalis hoc idem clarè confirmat. Sed & posteriores Græci, ab hinc tamen multis annis ad nostra tempora, hunc numerum docent, atque testantur. Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis, qui librum integrum, eumque satis prolixum de septem Ecclesiæ sacramentis edidit, sic habet: ἑπτὰ τὰ χαρίσματα τοῦ πνεύματος, ὡς Ἡσαΐας φησὶ, καὶ ἑπτὰ τὰ μυστήρια τῆς ἐκκλησίας διὰ τοῦ πνεύματος ἐνεργούμενα. ταῦτα δέ εἰσι, βάπτισμα, χρίσμα, κοινωνία, χειροτονία, γάμος, μετάνοια, καὶ ἔλαιον ἅγιον. » Septem sunt dona Spiritus sancti, teste Esaïa, septem item Ecclesiæ sacramenta, quæ ab eodem Spiritu sancto vim operandi habent, quæ nimirum sunt Baptisma, Chrisma, Communio, manus impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sanctum Oleum. Hieremias quoque Patriarcha Constantinopolitanus, in sua Censura adversus Augustanam confessionem lib. 1. cap. 7. Simeonem imitatus, seu potius pleraque ab eo mutuatus, hujus numeri testis est: τὰ δὲ ἐν αὐτῇ τῇ καθολικῇ (ἐκκλησίᾳ) τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν μυστήρια καὶ αἱ τελεταὶ ἑπτὰ, ἤτοι βάπτισμα, χρίσμα θείου μύρου, θεία κοινωνία, χειροτονία, γάμος, μετάνοια, καὶ ἅγιον ἔλαιον. ἑπτὰ γὰρ τὰ τοῦ θείου πνεύματος χαρίσματα, ὡς Ἡσαΐας φησὶ, καὶ ἑπτὰ τὰ μυστήρια τῆς ἐκκλησίας πνεύματι ἐνεργούμενα. » Quæ in ea ipsa Catholica rectè sententium Christianorum Ecclesia tradita sunt nobis mysteria, ritusque septem sunt: videlicet, Baptisma, Chrisma divini unguenti, sacrosancta Communio, manus Impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sanctum Oleum. Septem enim sunt, ut Esaïas ait, sancti Spiritus dona, & Ecclesiæ sacramenta septem sunt, quæ per ipsum efficacitatem suam sortiuntur. Longè verò ante Hieremiam Gregorius Protosyncellus, qui fuit à confessionibus Imperatoris Joannis Palæologi, & in Concilio Florentino locum tenuit Patriarchæ Alexandrini, & tandem postea creatus fuit Constantinopolitanus Patriarcha, in Apologia adversus Marcum Ephesium Eugenicum, expressam numeri mentionem facit: ἀλλὰ καὶ τῷ μύρῳ τοὺς βαπτιζομένους οἱ Λατῖνοι χρίουσι, καὶ ὡς ἡμεῖς ἓν τῶν ἑπτὰ μυστηρίων τῆς ἐκκλησίας τὴν τελετὴν τοῦ μύρου λέγουσι. « Verùm, inquit, etiam Latini baptizatos ungunt unguento, atque ut nos unum ex septem sacramentis Ecclesiæ ritum unguenti asserunt. « Ad hæc, extat cujusdam Job antiqui Monachi spontaneo cognomento ἁμαρτωλοῦ peccatoris, τῶν ἑπτὰ μυστηρίων τῆς ἐκκλησίας ἐξηγηματικὴ θεωρία, καὶ διασάφησις πρὸς Φωκαεῖς « Septem Ecclesiæ mysteriorum explanatoria contemplatio, ac dilucidatio ad Phocaenses, « in qua statim enumerat septem sacramenta: τὰ ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας μυστήρια κατὰ τάξιν εἰσὶ ταῦτα. πρῶτόν ἐστι βάπτισμα, δεύτερον χρίσμα, τρίτον μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων τοῦ ζωοποιοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, ἱερωσύνη τέταρτον, πέμπτον τίμιος γάμος, ἕκτον ἅγιον σχῆμα, καὶ εὐχέλαιον ἕβδομον, ἤτοι μετάνοια: « Septem sacrosancta Christi Ecclesię mysteria, hæc ordine sunt. Primum, Baptismus; secundum, Chrisma; tertium, participatio vivifici corporis, & sanguinis Christi; quartum, Sacerdotium; quintum, honorabiles nuptiæ; sextum, sanctus habitus; septimum, oleum cum oratione, hoc est pœnitentia. « Primis verbis quærit auctor non quot sint mysteria Ecclesiæ, sed cùm illa septem sint, quænam illa ordine sint. Quid autem intelligebat Job sexto loco per ἅγιον σχῆμα, quod etiam in eodem tractatu appellat ἀγγελικὸν σχῆμα, explicat ipse inferius, τὸ τῶν μοναχῶν. Cur autem id appellat unum ex septem Ecclesiæ mysteriis? fortè deceptus auctoritate Dionysij malè accepta, qui ait de Eccles. Hier. μυστήριον μοναχικῆς τελειώσεως. Quocirca cùm Job Monachus & habitum Monachorum ex sententia Dionysij malè intellecta inter sacramenta enumerare cogeretur, & μετάνοιαν unum ex septem sacramentis esse optimè sciret, neque tamen fas esse septenarium numerum excedere duceret, sexto loco posuit τὸ ἅγιον σχῆμα, & septimo extremam unctionem, quam falsò interpretatur esse μετάνοιαν. Est quidem extrema unctio complementum sa-

cramenti pœnitentiæ, & quaſi pœnitentia quædam infirmorum, qui non poſſunt jam facere opera pœnitentiæ, ideoque indigent ſola divina miſericordia: non tamen eſt abſolutè pœnitentia, cùm ſacramentum pœnitentiæ, unâ cum miſericordia comprehendat etiam juſtitiam.

Potuiſſet autem meliùs Job, quandoquidem ipſi placuit habitum, & ſtatum monaſticum in numero ſacramentorum inſerere, eum pœnitentiæ adſcribere, quòd in eo habitu, & ſtatu opera pœnitentiæ magis exerceantur, ut meritò ad pœnitentiam referri poſſit. Unde Simeon Theſſalon. non longè à principio operis ait, ἡ μετάνοια δὲ τὴν ἐπανόρθωσιν ἡμῶν αὖθις ἀπὸ τοῦ πτώματος ἐνεργεῖ. καὶ ἐπειδή περ μετὰ τὸ βάπτισμα οὐκ ἔστιν ἐπανάκλησις ἄλλη κατά τε χάριν καὶ δωρεὰν, καὶ ἀγώνων καὶ πόνων χωρὶς, εἰ μὴ δι' ἐπιστροφῆς καὶ δακρύων, καὶ τοῦ ἐξαγορεύεσθαι τὰ πταίσματα, καὶ ἀποστῆναι τῶν κακῶν, τοῦτο τὸ μέγα δέδοται δῶρον. ἐν ᾧ δὴ καὶ τὸ τῶν μοναχῶν ὡς δεῖ διαγόντων εἰσάγεται σχῆμα, ὡς τῆς μετανοίας ὑπάρχον ἐνέχυρον. Pœnitentia verò rurſus nos à lapſu erigit. & quoniã poſt Baptiſmum nulla ratione gratuito, & ex dono, & ſine certaminibus & laboribus, ad priſtinum revocamur, niſi per converſionem, & lachrymas, & delictorum confeſſionem, malorumque fugam, hoc magnum donum datum eſt. Ad quod ſane Monachorum quoque ſtatus, ut decet viventium, tanquam pœnitentiæ pignus refertur. Quæ verba tranſtulit in ſuam cenſuram Hieremias cap. 7. dum agit de Sacramentis.

Idem Simeon alibi, τὸ σχῆμα λέγε τοῦ μοναχοῦ τῆς μετανοίας ἐστὶν ἴδιον· ὃ καὶ καθαίρει τὸν πταίσαντα, καὶ ἀνυψοῖ τὸν προκόπτοντα. Habitus, & cultus Monachi pœnitentiæ quoddam eſt proprium, quod & purgat errantem, & altè extollit proficientem.

Cæterùm ex commemorata falſa doctrina Job duo ſequuntur abſurda, quæ ipſemet expreſsè in ſuo tractatu admittit. Alterum, Extremam unctionem, cùm juxta ſententiam illius, ſit idem quod pœnitentia, eſſe de neceſſitate ſalutis poſt Baptiſmum peccantibus. Alterum, cùm peccatores pœnitẽtia juſtificentur, & ut plurimum bene valeant, bene valentes pœnitentes neceſſariò inungi debere per modum ſacramenti oleo Extremæ unctionis: quæ ambo abſurdiſſima, & falſiſſima ſunt.

Quamvis autem Job confundat hæc duo ſacramenta, extremæ unctionis, & pœnitentiæ, non tamen excludit à ſacramentis auricularem confeſſionem, quæ eſt potiſſima pars pœnitentiæ. Dum enim agit de extrema unctione, dicit ea non indigere infantes: ἧς (ἐλαίου χρίσεως) μετὰ τῆς ἐξομολογήσεως, καὶ τῆς ἐκ τῆς μετανοίας, καὶ τοῦ δακρύων καθαρμοῦ, ὁ ἐν τελείῳ φρονήματι, καὶ ταῖς λοιπαῖς ὥραις καὶ ἡλικίαις προβὰς ἄνθρωπος, πάσαις ἀνάγκαις ἀπαραιτήτως δεῖται: Cujus tamen (olei unctionis) inquit, neceſſariò, citraque ullam excuſationem, unâ cum exomologeſi, & lachrymarum purgatione, indiget is, qui perfectum rationis uſum habet, aliiſque ætatibus provectus eſt. Et infra, τὸ ἅγιον ἔλαιον ἁγιάζεται μὲν διὰ εὐχῆς ἱερέων τῇ ἄνωθεν χάριτι, καὶ ὁ τελούμενος χρίεται. δεῖται δὲ ἀπαραιτήτως, καὶ τῆς ἐκ ψυχῆς αὐτοῦ μετανοίας, καὶ κατανύξεως, καὶ θερμῶν δακρύων, καὶ τῆς παντελοῦς ἐκκοπῆς, καὶ μίσους, καὶ μεταμελείας τῶν προτέρων σφαλμάτων. προηγουμένης ἤδη πάντως, ἢ ἅμα τότε συμπαρακολουθησάσης καὶ τῆς καθαρᾶς ἐξαγορεύσεως τῶν ἁμαρτημάτων. Sanctum oleum ſanctificatur quidem à ſuperna gratia per preces ſacerdotum, quo ſacramentum ſuſcipiens ungitur. Indiget verò citra ullam excuſationem, & pœnitentiæ, quæ ex corde ipſius proficiſcatur, & compunctionis, & ferventium lachrymarum, perfectæque vitiorum extirpationis, & odij priorum erratorum, & mutationis conſilij, jam omnino priùs facta ſincera peccatorum confeſſione, vel quæ tunc temporis continenter ſequatur. Sic ille.

Sed qui, & breviter & eruditè ſeptem myſteria inter poſteriores Græcos explanaverit, neminem habeo præſtantiorem Emanuele Kaleca, viro ſanè antiqua Græcia digno, & Catholico, in libro quem inſcripſit, περὶ πίστεως, καὶ τῶν ἀρχῶν τῆς καθολικῆς πίστεως κατὰ τὴν παράδοσιν τῆς θείας γραφῆς, καὶ τῶν καθολικῶν διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας.

Quem librum dividit in decem capita, atque in 6. capite agit de ſeptem Eccleſię myſteriis. Nuperrimè vero omnium Gabriel antiſtes Philadelphiæ, qui Venetiis commoratur, eſtque alienus ab unitate & fide Romanæ Eccleſiæ, tractatum de Sacris myſteriis edidit, ubi ſeptem enumerat ſacramenta: in quo tamen, ut plurima veterum, & aliorum lucubrata commendatione, ita non pauca ipſiuſmet propria reperias caſtigatione digna. Ecquid ego ſingulos ſacramentorum auctores recenſeo, quum idem ſit numerum ſacramentorum Græcis inculcare, atque γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, quod eſt in proverbio? An verius hæreticis hoc propoſuimus? Martinus enim Kemnitius in 2. parte examinis dicit, ſeptenarium numerum ſacramentorum apud Græcos tentatum, Armenis verò obtruſum fuiſſe. At non iſtud unum illuſtre mendacium ex ore & calamo Kemnitij excidit. Quando enim, vel aliàs antea, vel poſtea in Concilio Florentino Latini perſuadere Græcis conati ſunt, miniméque potuerunt, ut ſeptenarium numerum ſacramentorum acceptarent, cùm nunquã ejuſmodi controverſia inter Græcos, & Latinos extiterit, ſeu agitata fuerit? neque ſanè, Græcis in hoc rectè ſentientibus agitari potuerit. Extat εὐχολόγιον, qui liber ritus Gręcorum Eccleſiaſticos complectitur, atq; inter cætera, qua ratione adminiſtranda ſint à Parochis Eccleſiæ ſacramenta ſigillatim tradit. Imo ſeptem eſſe myſteria, cenſerive ab Eccleſia Orientali, adeo certum eſt, ut etiam οἱ νεήλυδες, Theologi Vitembergenſes confeſſionis Auguſtanæ in primo reſponſo ad reſponſum Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, hoc teſtentur his verbis, μυστήρια, καὶ τελεταὶ αἱ μὲν Ἑλληνικῇ ἐκκλησίᾳ ἑπτὰ ἀριθμοῦσι. Sacramenta ſeptem numerant Græcorum Eccleſiæ. Addant & Latinorum, ut ipſi omni ex parte ab omnium ſocietate, proprium hæreticorum, ſe intelligant excluſos.

Sed & res ipſa loquitur, & clamat, idque in progreſſu diſputationis clariſſimè indicabitur. De his enim omnibus favente divino numine, agemus.

Græcos non ignorare terminos loquendi Scholaſticorum in hac materia.

Caput III.

CÆterum antequam longiùs progrediamur, illud fixum in primis, & ratum ſit, Græcos præſertim doctiores, non ignorare in materia de ſacramentis terminos loquendi Scholaſticorum. Etenim Gennadius Conſtantinopolitanus Patriarcha, ſeu quiſquis auctor eſt, in ſecundo cap. propugnationis, & defenſionis Concilij Florentini, de materia Sacramenti Euchariſtiæ agens, ſic ad verbum habet. πέντε ὀφείλει εἶναι ἐν τῇ θυσίᾳ. πρῶτον ἡ ὕλη, ἄρτος ἐκ σίτου, καὶ οἶνος δηλαδὴ ἐξ ἀμπέλου. δεύτερον οἱ τοῦ Χριστοῦ λόγοι, τὸ, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, καὶ, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. τρίτον ὁ ἱερεὺς, οὐ γὰρ ἀνίερος θυσίαν ποιήσει ποτὲ, τουτέστι μὴ ἔχων βαθμὸν ἱερωσύνης. τέταρτον εἴδησις. τουτέστι προηγουμένον ἔχειν τὸν σκοπὸν τὸν ἱερέα πρὸς τὰ προκείμενα δῶρα, καὶ μὴ ἀλλαχοῦ τὸν νοῦν ἀναφέρειν. πέμπτον τὸ θυσιαστήριον, τουτέστι καθιερωμένη τράπεζα παρὰ ἀρχιερέως. ταῦτα γάρ εἰσιν ἀναγκαῖα, καὶ μόνα. εἰ καὶ μὴ οὕτως ἀναγκαῖον τὸ ἔσχατον, ὡς τὰ ἄλλα. Quinque debent eſſe in ſacrificio. Primum materia, videlicet panis ex frumento, & vinum ex vite. Alterum Chriſti verba, quæ ſunt, *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus*. Tertium, Sacerdos, nõ enim profanus homo, & laïcus, hoc eſt gradum ſacerdotij minimè habens, ſacrificium unquam peraget. Quartum, intentio, ſiquidem oportet ſacerdotem antecedentem ſcopum dirigere ad propoſita dona, & non aliò mentem intendere. Quintum, altare, hoc eſt à Pontifice ara conſecrata. Hæc enim vel ſola neceſſariò requiruntur ad ſacrificium, quamvis poſtremum non adeo atque cætera ſit neceſſarium. Hîc Gennadius recenſet materiam, formam, cauſam inſtrumentalem, intentionem, & ſacrificij locum.

Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum alterum habemus prẹter Gennadium, qui verbis dilucidioribus eoſdem terminos

terminos referat primo libro, seu responso suæ censuræ cap. 7. ubi de industria septem enumerat Ecclesiæ Sacramenta. ἕκαστον δὲ τῶν μυστηρίων τεθεσμοθέτηται μὲν ὑπὸ τῆς γραφῆς, ὡρισμένην δὲ ὕλην, καὶ εἶδος ἔχει. ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ποιητικὸν, ἢ μᾶλλον ὀργανικὸν αἴτιον ἀφωρισμένον. οἷον ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος, ὕλη μὲν τὸ ὕδωρ, εἶδος δὲ οἱ λόγοι τοῦ ἱερέως, τὸ, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὀργανικὸν αἴτιον ὁ ἱερεύς. εἰ καὶ τὸ ἐπ' αὐτέρου δι' ἀνάγκην οὐκ ἀποβάλλεται. ὁμοίως καὶ ἐφ' ἑκάστου τῶν ἄλλων, καὶ ὕλην, καὶ εἶδός ἐστιν εὑρεῖν. Unumquodque horum sacramentorum sacris literis sancitum est. Definitam verò materiam, & formam habet: nec non efficientem, aut potius instrumentalem causam certam, atque præscriptam. Ut exempli gratia, in Baptismate, materia quidem, aqua est, forma verò verba Sacerdotis: hæc scilicet, Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Instrumentalis causa, sacerdos est: quamquam Baptismus necessitate postulante à laïco collatus minimè rejiciatur. Eodem modo in cæteris quoque singulis materiam, & formam invenire licet. Sic ille. Et in fine ejusdem capitis. οὐ δεῖ δὲ ἀγνοεῖν, ὅτι πάντων τῶν μυστηρίων τούτων, οἷόν τι ποιητικὸν, καὶ ἀρχικὸν αἴτιον, τὸ τίμιόν ἐστι καὶ ἁγιώτατον πάθος τοῦ κυρίου ἡμῶν. ἐξ οὗ, ἢ δι' οὗ τοῖς μετέχουσιν ἡ χάρις πηγάζεται. Sciendum autem est, omnium horum sacramentorum quandam quasi efficientem, primariamque causam, pretiosam, & sanctissimam Domini nostri passionem esse. Ex qua, seu per quam in eos, qui participes fiunt, gratia emanat. Hic quoque similiter Hieremias percenset materiam, formam, efficiens primarium, morale scilicet, & causam instrumentalem.

Quæ congruunt cum his, quæ docet Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 7. ubi causam efficientem nostræ justificationis constituit misericordem Deum, qui gratuitò abluit, & sanctificat: Quam Hieremias omisit, quia de ea dubium esse non poterat. Meritoriam autem, Jesum Christum Dominum nostrum, qui sua sanctissima Passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. Quod etiam ejusdem sessionis cap. 3. sic explicat. Nisi in Christo renascerentur (homines) nunquam justificarentur; cùm eâ renascentiâ per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Ubi advertendum tamen est Concilium loqui de causis justificationis nostræ per sacramenta; Hieremiam verò loqui de causis ipsorum sacramentorum. Sed eodem tandem recidunt, quia sacramenta sunt instrumenta nostræ justificationis, causæ autem sacramentorum per sacramenta justificationem nostram causant. Quare passio Christi, quæ nobis justificationem meruit, vim etiam atque efficaciam tribuit sacramentis.

De ineptiis Neogræcorum circa Sacramenta.

Caput IV.

Præterea illud auditorem præmonere volo: Mihi non esse cordi Neogræcorum ineptias tueri, atque defendere: multa enim ipsi, qui alios novitatis accusant, ὑπὸ τῆς ἄγαν σοφίας διέφθειραν, & nova introduxerunt, quæ in progressu disputationis indicabimus. Non pauca, immo pleraque omnia, ex antiquis accepta, illæsa quidem, atque invulnerata, quod spectat ad praxim, remanserunt: sed ea quoque cæteroquin optima, & egregia, falsa adhibita interpretatione, vel hæretica, vel superstitionis plena ut videantur, effecerunt. Exemplum sit. Orientalis Ecclesia præbet populo sacratissimam Eucharistiam sub utraque specie: hoc apud majores nostros inter ἀδιάφορα censebatur. Egregij nostri recentiores Græcorum, quamvis non omnes, ea in re præcepti necessitatem nobis imponunt. Unde rem per se bonam, mala interpretatione explicatam verterunt in hæresim. Idem dicendum de communione infantium. Sacramentum Confirmationis æquè atque Baptismum semel exhibitum veteres iterare nefas esse ducebant: recentes, si non iterarint, Canones Conciliorum violasse existimant. In præparatione liturgiæ offerunt particulas, quas vocant μερίδας, in honorem

Deiparæ Virginis, Joannis præcursoris, reliquorum Sanctorum, immò in utilitatem vivorum, & mortuorum: eæque particulæ juxta mentem sanctorum Patrum, & rei veritatem, simul & semel Dominicis verbis à presbytero consecrantur. Sed Deus bone, Simeon Thessalonicensis titubans, hærens, æstuans, laborans quonam pacto explicet, neque habens quò se vertat, sua expositione efficit rem planè prodigiosam, superstitiosam, supervacaneam, explicatuque perdifficilem. Omitto reliqua commemorare, quæ commodiùs in ipsa disputatione referam, atque refellam. Itaque non quid senserit schismaticorum, & hæreticorum turba, gestio scire, laudare, aut defendere; sed ex veterum Patrum monumentis veritatem eruere, aliisque proponere animus est. Hæreticos ex Græcis illos intelligo, qui male sana mente œcumenicum Concilium Florentinum rejiciunt. Ut olim Ariani Nicænum aspernabantur, Macedoniani Constantinopolitanum, Nestoriani Ephesinum, Eutychiani, & Dioscoriani Chalcedonense, &c. ita tandem Ephesiani Florentinum aversantur.

De iis, quæ universè tradunt de Sacramentis recentiores Græcorum.

Caput V.

Præterea, quæ universè de Sacramentis à Neogræcis traduntur, quæque in errorem incautos inducere possunt, priùs referamus, & confutemus.

Simeon Thess. ut ostendat Christum Dominum esse auctorem Sacramentorum, multis verbis satis prolixè, incomptè, frigidè, κακοπλάστως καὶ ἀπιθάνως, conatur probare Christum Dominum suscepisse omnia Sacramenta: quo vitio ex parte laborat Gabriel Philadelphiensis eadem à Simeone mutuatus.

Probat autem Simeon Christum suscepisse Baptismum, quia ipse baptizatus est à Joanne in Jordane, atque suscepit, ut ipse loquitur, τὸ βάπτισμα τὸ πρῶτον αὐτοῦ τῶν πνευματικῶν δωρημάτων, Baptismum primum donum inter spiritualia sua dona, hoc est, mysteria, quæ Ecclesiæ tradidit. Ubi Simeon nullum videtur ponere discrimen inter baptismum Joannis & Christi.

Dices, Damascenus eodem modo loquitur. Nam in libro 4. de Fide cap. de Baptismate, enumerat aliquot baptismata. Primum diluvij in interitum peccati. Secundum per mare, quod transierunt Israëlitæ, & nebulam. Tertium legale, quippe omnis immundus aqua abluebatur. Quartum Joannis, quod præparabat homines ad suscipiendum Christi baptismum. Quintum Christi, quod ipse Dominus suscepit, cum à Joanne baptizatus est, & quod nos etiam suscipimus. Sextum pœnitentiæ, & lacrymarum. Septimum sanguinis, & Martyrij. Octavum, & postremum gehennæ.

Respondeo, Christum re vera suscepisse Baptismum Joannis, idque materialiter, cùm ab omni labe peccati alienus existens, nullius indigeret purgationis. Cur ergo Damasc. Christum asserit suum Baptismum suscepisse? Quia eodem tempore, (quod maximè intendebat, & ei præcipuum erat,) etiam suum Baptismum instituit, & eum ad præbendum nobis exemplum similiter non more nostro, sed materialiter suscepit. Dicunt enim sancti Patres Christum, cùm à Joanne in Jordane baptizatus est, tribuisse vim aquis sanctificandi, & eas consecrasse, & per hoc materiam hujus Sacramenti etiam designasse, ut etiam ex voce Patris, & apparitione columbæ super Filium, designata est forma, quod postea Christus declaravit. Unde communis sententia Theologorum est, Baptismum institutum fuisse, quando Christus baptizatus est. Quod totum à Nazianzeno acceptum expressit loco citato etiam Damascenus. Et fortassis hoc modo etiam Thessalonicensis intellexit.

Deinde probat Simeon Christum suscepisse Chrisma in ipso baptismate, κατελθόντος τοῦ πνεύματος ἐπ' αὐτὸν ἐν εἴδει περιστερᾶς, cùm descendisset Spiritus super eum in specie columbæ. Ad hoc autem applicat locum Esaiæ, Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me. Et illud Apostoli Petri, quod

eum unxerit Deus Spiritu sancto. Et illud Pauli, quòd in eo habitaverit corporaliter omnis plenitudo divinitatis. Item quòd Spiritus sanctus corpus ipsi formaverit. Et in summa Simeon, quia Spiritus sanctus datur per Sacramentum Confirmationis, quicquid accepit Christus, ut homo per Spiritum sanctum, ad hoc Sacramentum applicat.

Tertiò probat accepisse Christum sacros Ordines corporaliter à Patre, πρῶτον μὲν ἐν αὐτῷ τῷ βαπτίσματι. ἅμα γὰρ τότε βαπτιζόμενος καὶ χειραπτούμενος, ὡς χειροτονούμενος ἦν, Ἰοάννου τὴν χεῖρα αὐτῷ ἐπιτεθέντος καὶ τὸ πνεῦμα δεχόμενος. Primum quidem, inquit, in ipso baptismate. Simul enim tunc cùm baptizaretur, & manu tangeretur, Joanne manum ipsi imponente, tanquam sacros Ordines per manus impositionem accipiebat, & Spiritum recipiebat. Deinde potissimum sacris initiabatur à Patre, τοῦ πνεύματος μὲν κατερχομένου ἀντὶ χειρὸς, αὐτοῦ δὲ λέγοντος τοῦ πατρὸς, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς ἐν ᾧ ηὐδόκησα. Cùm veluti manus Spiritus sanctus descenderet in ipsum, ipse autem Pater diceret, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Secunda vice ait Simeon Christum, χειροτονίαν λαμπροτέραν εἰληφέναι, sacros Ordines illustrius accepisse in monte transfigurationis, ubi media nube, quæ Spiritum sanctum adumbrabat, eadem vox Patris intonuit: Hic est Filius meus dilectus.

In sacramento verò Ordinis comprehendit Simeon etiam Eucharistiam, idcirco nullam mentionem illius facit.

De Nuptiis autem loquens Simeon, non audet dicere Christum suscepisse hoc mysterium, nisi quia benedixit nuptias in Cana Galilææ, & est sponsus Ecclesiæ, sibique sponsat animam justi.

De Pœnitentia non dicit, quia Christus peccavit, sed quia eam prædicavit, & illius opera exercuit, & propter eam Pontificibus concessit gratiam ligandi, atque solvendi peccata.

Oleo Extremæ unctionis dicit Christum unctum fuisse, quando mulier illa in Civitate peccatrix pedes ejus unguento unxit, lacrymis rigavit, & capillis tersit. Addit autem baptizatum fuisse, unctum, & cætera Sacramenta suscepisse Christum, non propter seipsum, sed propter nos.

Verùm dicendum est, Christum Dominum instituisse quidem omnia Sacramenta novæ legis, sed eum nulla suscepisse, excepta sacratissima Eucharistia: & certè in primis maxima injuria, immo & blasphemia Christum afficeret, qui eum per lavacrum regeneratum, & in filium adoptatum affirmaret, cùm ipse sit Filius Dei naturalis, adeò plenus gratia & sanctitate ab ipsa conceptione, ut ea crescere in eo non potuerit.

Deinde per baptismum efficimur membra Ecclesiæ, ut per generationem naturalem nascimur filij Adæ. Christus est caput per gratiam unionis hypostaticæ: Sicut Adam omnium parens per creationem.

Adhæc, si suscepisset Sacramenta, suscepisset etiam characteres quorundam, ut Baptismi, Confirmationis, Ordinis; At signari charactere est ovium, servorum, militum. Christus est Pastor, Dux, Dominus. Fons item totius Sacerdotij, non participatione quadam, quod character indicat, cùm neminem habeat (quippe Deus) superiorem, ut ob characterem ex pacto cum eo ad obeundas functiones sacramentales concurrere debeat; sed ipse potius ut Deus, & primaria causa per Sacramenta impartiens aliis characterem, cum iisdem quoque concurrat. Et quamvis sit etiam homo, & proinde secundùm humanam naturam causa instrumentalis, est tamen adeo conjuncta propter unionem hypostaticam, præsertim cùm operationes sint suppositi, ut nullum pactum de concursu secum intercedere debeat. Nemo enim pactum facit secum, aut cum suo brachio de concursu, cùm operationes naturaliter ex eo profluant.

Denique dicere Christum suscepisse quædam Sacramenta, ut Pœnitentiam, Extremam unctionem, Matrimonium, non solùm indecorum, sed etiam fabulosum, & hæreticum esse videtur, nisi piè, & mysticè explanaveris; ut etiam Simeon explicare conatur. Quocirca minus verè, & propriè loquitur.

De Nomine Baptiſmi.

CAPUT VI.

His ita prius illuſtratis, atque notatis, à Baptiſmo, qui caput eſt, & quaſi janua cæterorum ſacramentorum ſumamus exordium.

Baptiſmus nomen Græcum eſt, & idem in uſu remanſit apud Latinos, immerſionem illam in aquam aptiſſimè exprimens.

Quamvis enim nonnulli ad confutandos hæreticos, qui reliquas cerimonias, ut exſufflationem, ſal, ſpiritum, oleum, atque Chriſma in baptiſmate damnant, argutè potiùs, quàm verè dixerint, βαπτίζειν, nomen eſſe generale omnium humidorum, perinde ac ſi eo nomine Chriſtus Dominus ea omnia comprehendi voluerit; tamen re vera non niſi mergere in aquam propriè ſignificat. Neque enim ſi quis oleo aliquem inunxerit βαπτίζειν dicitur. Niſi fortè in oleo eum totū merſerit, quod cùm non fiat in hoc Sacramento, non eſt cauſa, cur βαπτίζειν, tam amplè, latéque accipi debeat, ut etiam linire ſputo ſignificet. Denominatio autem aliquando fit ab eſſentialibus, ut in re præſenti, paſſim verò ab accidentalibus. Neque nobis opus eſt nomine, ad eſſentialia ſimul, & accidentalia rei exprimenda; cùm vix, immo ne vix quidem illud inveniri queat.

Porro Baptiſmus, ut Gregorius Nazianzenus oratione in ſanctum lavacrum docet, varia nomina ſortitur. Καλεῖται ὥσπερ Χριστὸς ὁ τούτου δοτὴρ, πολλοῖς καὶ διαφόροις ὀνόμασι. δῶρον μὲν, ὡς μηδὲν προεισενεγκοῦσι διδόμενον. χάρισμα δὲ, ὡς καὶ ὀφείλουσι. βάπτισμα δὲ, ὡς συνθαπτομένης τῷ ὕδατι τῆς ἁμαρτίας. χρίσμα δὲ, ὡς ἱερὸν καὶ βασιλικόν. ταῦτα γὰρ ἦν τὰ χριόμενα. φώτισμα δὲ, ὡς λαμπρότης. ἔνδυμα δὲ, ὡς αἰσχύνης κάλυμμα. λουτρὸν δὲ, ὡς ἔκπλυσις. σφραγὶς δὲ, ὡς συντήρησις, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσις. Quemadmodum Chriſtus etiam hujus dator, multis ac diuerſis appellatur nominibus. Donum dicitur, quia iis, qui nihil priùs contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptiſmus, quia peccatum in aqua ſepelitur. Unctio, quia ſacer, & regius. Hujuſmodi enim ea erant, quæ ungebantur. Illuminatio porro, quia ſplendor, & claritas. Indumentum, quia ignominiæ noſtræ velamen eſt. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conſervatio eſt, ac dominationis ſignificatio. Sic ille.

Verùm inter cætera nomina principem locum obtinet φώτισμα, illuminatio, ut enim inquit idem Nazianzenus, ἅγια ἁγίων καλεῖταί τινα, καὶ ᾄσματα ᾀσμάτων. ἐμπεριεκτικώτερα γάρ ἐστι, καὶ κυριώτερα· οὕτω καὶ αὐτὸ παντὸς ἄλλου τῶν παρ' ἡμῖν φωτισμῶν ἁγιώτερον. Quædam ſancta ſanctorum vocantur, & cantica canticorum, quòd ſcilicet latius pateant, ac plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant: eodem modo baptiſmus quoque illuminatio dicitur, quòd omnes alias illuminationes ſanctitate ſuperet.

Quod deſumpſit Theologus à præſtantiore Theologo Dionyſio Areopagita de Eccleſ. Hier. cap. 3. ubi docet ſanctiſſimam Euchariſtiam per excellentiam appellari σύναξιν, & κοινωνίαν, ut baptiſmum φώτισμα. Οὕτω δὴ καὶ τὴν ἱερὰν τῆς θεογενεσίας τελετὴν, ἐπειδὴ πρώτου φωτὸς μεταδίδωσι, καὶ πασῶν ἐστιν ἀρχὴ τῶν θείων φωταγωγιῶν, ἐκ τοῦ τελουμένου τὴν ἀληθῆ τοῦ φωτίσματος ἐπωνυμίαν ὑμνοῦμεν. εἰ γὰρ καὶ πᾶσι τοῖς ἱεραρχικοῖς τὸ φωτὸς ἱεροῦ μεταδιδόναι τοῖς τελουμένοις, ἀλλ' αὐτή τὸ πρώτως ἰδεῖν ἐδωρήσατό μοι, καὶ διὰ τῆς ταύτης ἀρχικωτάτου φωτὸς, ἐπὶ τὴν τῶν ἄλλων ἱερῶν ἐποψίαν φωταγωγοῦμαι. Sic etiam, inquit, ſacroſanctum divinæ generationis Sacramentum, quoniam homines primi luminis participes facit, principiumque eſt omnium divinarum illuſtrationum, ex eo quod efficitur, vero illuſtrationis nomine celebramus. Etſi enim commune eſt omnium etiam cæterorum, (myſteriorum) quæ Pontificem attingunt, eos, qui initiantur, ſacri luminis facere participes; Attamen hoc mihi primum videndi munus conceſſit, ejuſque lumine, quod principatum tenet, ad alia ſacramenta videnda illuſtror. Unde ſunt apud eundem Dionyſium illa divinæ generationis Epitheta ἀρχίφωτος, & φωτοδότις θεογενεσία.

Ut autem hi Doctores ita differerent,

& alij veteres eo nomine uterentur, præbuit illis ansam divinus Apostolus, qui ad Hebr. 6. per φωτισθέντας baptizatos intelligit. Quia nimirum Baptismus sit sacramentum fidei; juxta illud Esaiæ, *Nisi crediderітis, non intelligetis.* Et quia vita spiritualis animæ, quam præbet baptismus, sit Dei cognitio. Unde egregiè, ut solet, Basilius in oratione, qua adhortatur ad Baptismum. Οὔτε σώματι ζῆν, μὴ ἀναπνέοντι δυνατὸν, οὔτε ψυχῇ συνεστάναι μὴ γνωριζούσῃ τὸν κτίσαντα. Θεοῦ γὰρ ἄγνοια, θάνατός ἐστι ψυχῆς. ὁ δὲ μὴ βαπτισθεὶς, οὐ πεφώτισται. ἄνευ δὲ φωτὸς οὔτε ὀφθαλμὸς τὰ ἑαυτοῦ καθορᾷ, οὔτε ψυχὴ δύναται δέξασθαι θεωρίαν. Neque corpus non respirans, neque anima conditorem non cognoscens fieri potest, ut illud vivat, hæc consistat. Quippe Dei ignoratio mors est animæ; qui verò non baptizatus est, non illuminatus est: absque luce autem neque oculus quæ sua sunt videre potest, neque anima speculationem assumere valet. Hæc Basilius.

Vas electionis Paulus Baptismum appellat λουτρὸν cum additione παλιγγενεσίας, lavacrum regenerationis, alludens ad verba Salvatoris, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, qua de re sic philosophatur Chrysostomus Hom. ad baptizandos. Καὶ τίνος ἕνεκεν, φησὶν, εἰ τὰ ἁμαρτήματα ἡμῶν ἅπαντα ἀφίησι τὸ λουτρὸν, οὐχὶ λουτρὸν ἀφέσεως ἁμαρτημάτων καλεῖται, οὔτε λουτρὸν καθάρσεως, ἀλλὰ λουτρὸν παλιγγενεσίας. ὅτι οὐχ ἁπλῶς ἡμᾶς καθαίρει τῶν πλημμελημάτων, ἀλλ' οὕτως, ὡς ἂν εἰ ἄνωθεν ἐγεννήθημεν. καὶ γὰρ ἄνωθεν ἡμᾶς δημιουργεῖ, καὶ κατασκευάζει. οὐκ ἀπὸ γῆς διαπλάττων πάλιν, ἀλλ' ἐξ ἑτέρου στοιχείου τῆς τῶν ὑδάτων φύσεως δημιουργῶν. οὐ γὰρ ἁπλῶς ἀποσμήχει τὸ σκεῦος, ἀλλ' ὁλόκληρον αὐτὸ ἀναχωνεύει πάλιν. Et ob quam, inquis, causam, si lavacrum nobis omnia peccata dimittit, non lavacrum remissionis peccatorum dicitur, nec lavacrum purificationis, sed lavacrum regenerationis? Quia non nobis simpliciter peccata dimittit, nec simpliciter nos puros à delictis ostendit; sed tanquam denuo generatos efficit. Nam denuo nos condit, & conficit, non de terra componens iterum, sed ex alio elemento aquarum naturæ nos procreans. Non enim vas simpliciter purgat, sed integrum iterum conflat.

Nicolaus Cabasilas in opere, nondum typis edito, quod inscripsit, περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς, de vita in Christo, in secunda oratione, cùm alioquin de hoc argumento sex orationes composuerit, sic habet: οὐδὲν ἄλλο, ἢ τοῦτο δοκεῖ σημαίνειν καὶ ἡ ἀναγέννησις καὶ ἀνάπλασις. (scilicet τοῖς κατὰ θεὸν οὖσι καὶ ζῶσιν ἀρχὴν εἶναι τοῦ εἶναι τὴν τελετὴν) ἐκεῖνο προσσημαίνουσαι μόνον. τοὺς νῦν γεννωμένους, καὶ πλαττομένους, καὶ ἄλλοτε γεννηθῆναι, καὶ ἀπολέσαντας τὴν μορφὴν, νῦν δευτέρᾳ γεννήσει πρὸς τὸ πρῶτον εἶδος αὖθις ἐπανιέναι. καθάπερ ἀνδριάντος ὕλη τὸ εἶδος ἀπολωλεκότος, ἀποδιδοὺς ὁ τεχνίτης, ἀναγεννᾷ τὴν εἰκόνα, καὶ ἀναπλάττει. Regeneratio, ac reformatio nihil aliud significare videntur (quàm videlicet Baptismi mysterium secundùm Deum viventibus consistendi esse principium) illud insuper indicant, eos, qui modo generantur, atque formantur, antea quoque fuisse genitos, amissaque forma, nunc denuo per secundam generationem ad pristinam speciem redire. Quemadmodum artifex, qui materiæ alicujus statuæ perditam formam restituit, regenerare, ac reformare imaginem dicitur. Sic ille.

Nec desunt alia nomina in sacra Scriptura, & apud sanctos Patres, quæ ab effectu in baptismum optimè conveniant. Baptismo enim renasci, ablui, purgari, sanctificari, renovari, denique salvari fideles dicuntur.

De Materia Baptismi.

CAPUT VII.

Materia hujus Sacramenti est aqua naturalis, quam Græci calefaciunt. Unde Concilium Florentinum in Decreto Armeniorum, nec refert frigida sit, an calida. Est ergo vera, & naturalis, non tamen simplex, sed benedicta, quam Sacerdos Græcus cùm vult baptizare unum, aut plures eodem tempore benedicit, & deinde in locum honestum abjicit. Cùm enim Græci soleant infantes totos in aquam mergere (quæ etiam causa potissima est, cur aquam calefaciant) non videtur ho-

nestum, moraliter loquendo, ut eadem aqua, quippe quodammodo polluta, diù servetur, & aliis baptizandis inservire debeat. Solùm inservit præsentibus, si qui sunt, qui lustrari baptismate velint. Ea est praxis Orientalis Ecclesiæ, ita quoque refert Job Monachus: ἔτι ἐπὶ τῶν ἱερῶν μυστηρίων πολλοῖς ἐν ταυτῷ συνάμα βαπτισθῆναι ἑνὶ ἁγιασθέντι ὕδατι, καὶ μύρῳ ἑνὶ περιχρισθῆναι, καὶ ποτηρίῳ ἑνὶ ἁγιασθῆναι, καὶ ὑφ' ἑνὸς ἱερέως ἐνδέχεται. Præterea (inquit) in sacris mysteriis uni presbytero licet una consecrata aqua multos simul baptizare, & uno unguento ungere, & uno poculo sanctificare.

Hanc verò benedictionem aquæ Dionysius Areop. cap. 2. de Eccles. Hier. commemorat his verbis, αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται, καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτὸ, &c. Ipse (Pontifex) ad matrem adoptionis accedit (quam nimirum Græci vocant κολυμβήθραν, lavacrum, seu natatoriam, hoc est fontem Baptismatis) ejusque aquam sacris invocationibus consecrans, & eam trina unguenti vim maximam habentis purificandi per modum crucis effusione perficiens, & quæ sequuntur.

Non haberi autem benedictionem de essentia Sacramenti, clarum est, cùm constet eos in necessitate aqua simplici uti, ratumque habere Baptismum. Laïcum item baptisare posse, qui benedicere nequeat. Id quod etiam exemplo sancti Athanasij probatur, qui puer pueros baptizaverat, & refertur in Ecclesiastica historia. Sed, & Philippus Eunuchum simplici aqua, caque frigida, quæ illis in via occurrerat, baptizavit, Actorum 8. Est ergo benedictio aquæ ex præscripto, & ritu Ecclesiæ, & de ratione quadam congrua, quæ tum ad ornatum Sacramenti, tum etiam ad imitationem Christi Domini spectat: qui præsentia sua & vivifico contactu consecravit fluenta Jordanis. Ipsi quoque Græcorum Presbyteri petunt gratiam Jordanis in illa, quam pro baptizandis benedicunt, aqua. Esse autem id ex consuetudine Ecclesiæ, patet ex magno Basilio in iis, quæ de Spiritu sancto tradit cap. 27. εὐλογοῦμεν δὲ τό τε ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης, καὶ μυστικῆς παραδόσεως; Benedicimus, inquit, aquam baptismatis, & oleum unctionis, adhuc etiam ipsum baptizatum, ex quibus scripturis? nonne à tacita, & mystica traditione? quasi dicat, non ex divinis literis edocti hoc facimus, sed ex traditione Apostolica. Hoc idem extat de benedictione aquæ, apud Clementem lib. 8. Constit. cap. 35. εὐλογείτω ὁ ἐπίσκοπος τὸ ὕδωρ, ἢ τὸ ἔλαιον. Benedicat Episcopus aquam, & oleum; particula enim (ἢ) hoc loco copulandi vim habet.

Cur igitur Basilius ait, hoc nos habere per traditionem ἀγράφως, cùm hoc literis Clementis sit consignatum? Verùm Basilius per ἄγραφα ea, quæ in sacris literis non extant, intelligit; Alioquin non negaret vir sanctus Doctores non paucas scripsisse traditiones Ecclesiæ.

De forma Baptismi Græcorum.

Caput VIII.

Baptismi forma hæc est, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ ὁ δεῖνα, seu ἡ δούλη τοῦ θεοῦ ἡ δεῖνα, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Baptizatur, (ὑπ' ἐμοῦ δηλονότι, vel δι' ἐμοῦ, à me scilicet vel per me. Hoc enim deest, sed necessariò, & facilè intelligitur) servus Dei N. seu serva Dei talis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Non autem dicunt Græci baptizetur, ut plerique Latinorum existimant. Quæ quidem verba nonnulli accipiebant deprecatoriè, ideóque dubitabant de hac forma Baptismi. Alij verò melius imperativè, ut Angelicus ille Doctor. Sed utcumque sit, in Græco est, βαπτίζεται, enunciativè baptizatur, non autem βαπτιζέσθω, quod esset, baptizetur. Quocirca Concilium Florentinum in Bulla Armeniorum sub distinctione loquitur, & utramque commemorat, & approbat formam.

Si quis verò hisce nostris dictis de hac forma minùs fidem habeat, interroget vel indoctum quemvis, & imperitum ex Græ-

cis Presbyterum, immo & laïcos homines, à quibus rem ita se habere certò sciet. Ita quoque legitur in Euchologio, & in cap. 7. censuræ Hieremiæ Patriarchæ, & ut summatim dicam, in opusculis aliorum Græcorum, qui de Sacramentis scripsere. Neque aliter Rutheni, qui Græcorum sacras ceremonias observant, in Sclavorum lingua enunciant.

Immo verò hunc modum loquendi in quibusdam aliis cerimoniis Græci observant, in oleo Catechumenorum, χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, ungitur servus Dei: dum vestes induunt albas, ἐνδύεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, induitur servus Dei. In tonsura, κείρεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ tondetur servus Dei.

Et quidem quod spectat ad modum loquendi, divina scriptura utroque modo dicendi utitur. Unde Latini ex verbis Salvatoris, baptizantes eos, propriissimè dicunt, Ego te baptizo. Siquidem præstant, & exequuntur, quod jussi sunt facere. Græci verò, cùm sacræ paginæ aliquando etiam passivè loquantur, (ego, inquit Joannes ad Christum, debeo à te baptizari) non minus propriè enunciant, baptizatur servus Dei, quod idem valet, & sonat: quamvis non hæc sit præcipua causa, cur Græci hunc modum loquendi in forma baptismi adhibeant.

Gabriel Philadelphiæ antistes in libello de Sacramentis, ubi agit de forma Baptismi, duplicem reddit hujus rei causam. Alteram, modò à nobis commemoratam, quòd divina Scriptura etiam verbo passivo utatur. Alteram, quòd Græci modestè de seipsis sentiant. Et ad hoc probandum testem affert Joannem Chrysostomum, qui Homilia 1. in Acta Apostolorum ponderat illud verbum, baptizabimini, οὐκ εἶπεν, ὑμᾶς δὲ ἐγὼ βαπτίζω ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ἀλλὰ βαπτισθήσεσθε. διδάσκων ἡμᾶς ταπεινοφρονεῖν. Non dixit Christus (inquit Chrysostomus) vos verò ego baptizo in Spiritu sancto, sed baptizamini, nos docens, ut modestè de nobis sentiamus.

Quod testimonium, vel quia Gabriel adduxit, superbiæ Latinos tacitè insimulans, vel quia Græculus aliquis posset ex eo colligere, Latinos, in prolatione hujus formæ non modestè de se sapere; idcirco aperienda est mens Chrysostomi, & simul causa magis propria reddenda, cur Græci passivo verbo actum Baptismi promant.

Non defuerunt in Oriente, ut etiam postea in Africa, qui pro ministri meritis baptismum meliorem, aut deteriorem fieri crederent, hoc est eum sua virtute baptizare, cæteraque administrare Sacramenta arbitrarentur. Per consequens seipsos primarios quodammodo auctores constituebant. Quos reprehendit sanctus Augustinus in libro quinquaginta Homiliarum sermone 23. ubi rationem reddit, cur Christus loquendo de Magdalena dixerit, dimittuntur ei; & dum Pharisæi interrogarent, quis est iste, qui peccata dimittit, non responderit, Filius Dei, Verbum Dei. Medicus, inquit, bonus ægros non solùm præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat: Futuri erant homines, qui dicerent, ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcunque baptizo. Sic Augustinus.

Nota B. Augustinum non reprehendere illos hæreticos in eo quod dicerent, ego baptizo, sed in eo quod dicerent, ego sano quemcunque baptizo.

Sic apud Paulum 1. Corinth. cap. 1. gloriantur nonnulli se baptizatos à Paulo, alij ab Apollo, alij à Petro, alij à Christo. *Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.* Hi postremi prudentiores Baptismum suum non ad Petrum, & Paulum, sed ad principalem auctorem Christum referebant, à quo Baptismus sumit unitatem, & omni ex parte æqualitatem. Christus enim est, qui baptizat per ministerium famulorum suorum. Eos verò, qui baptismum suum ad alios, quàm ad Christum referebant, ibidem redarguens Apostolus infert, *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis*? Unde sunt illa Nazianzeni in oratione de Baptismo: quamvis aliquis conditione excellat, æqualem tamen baptismatis esse vim. Et non minus rectè imprimere imaginem Regis sigillum ferreum, quàm sigillum aureum. Et illa sancti Augustini tractatu 6. in Joannem. Quid ergo per columbam didicit, ne mendax po-

stea inveniretur (quod avertat à nobis Deus opinari) nisi quandam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi, sive injusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi, super quem descendit columba, de quo dictum est: Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto? Petrus baptizet, hic est qui baptizat. Paulus baptizet, hic est qui baptizat. Nam si pro diversitate meritorum, baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata. Et tantò quisque aliud melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse. Quod tanquam absurdum infert S. Augustinus. Non enim sunt plura baptismata, sed ut est unus Dominus, una fides, ita etiam unum baptisma. Et paulò post. Quare ergo si unus ab illo, verbi gratia justo, sancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti, apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentię, inferioris vitę; unum tamen, & par, & æquale est quod acceperunt, nisi quia hic est qui baptizat?

Ad hanc rem declarandam illæ quoque extant pulcherrimæ similitudines in variis locis ejusdem Augustini. Nihil referre ad efficaciam sementis, & plantationis an lotis manibus, an sordidis id fiat, modò bonum sit semen, & terra fertilis; nec desit calor Solis, & pluvia de cœlo. Item parum referre, utrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat. Lumen præterea Solis, vel etiam lampadum non inquinari, etiamsi per lutum transeat, & loca cœnosa.

Quin & ipse Chrysostomus Homilia quinquagesima in Matthæum contra eundem errorem, sic scribit: ὑπηρέτης ἐστὶν ὁ ἱερεύς. ὥσπερ γὰρ ὅταν βαπτίζῃ, οὐκ αὐτός σε βαπτίζει, ἀλλ' ὁ θεός ἐστιν ὁ κατέχων σου τὴν κεφαλὴν ἀοράτῳ δυνάμει. καὶ οὔτε ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος, οὔτε ἄλλος τις δύναται προσελθεῖν, καὶ ἅψασθαι, οὕτω καὶ νῦν. ὅταν γὰρ ὁ θεὸς ἀναγεννᾷ, αὐτοῦ μόνου ἐστὶν ἡ δωρεά. Minister est Sacerdos. Ut enim quando baptizat, non ipse te baptizat, sed Deus est, qui tuum caput continet invisibili potentia. Et neque Angelus, neque Archangelus, neque ullus quispiam accedere potest, ac tangere. Similiter & nunc, quando enim Deus regenerat, ipsius solius est munus. Sic solius Dei esse munus contra illos clamat Chrysostomus. Et Homilia 36. in Joan. οὐκ ἄγγελός ἐστιν ὁ ταράττων τὸ ὕδωρ, ἀλλ' ὁ τῶν ἀγγέλων δεσπότης ὁ τὸ πᾶν ἐργαζόμενος. Non Angelus est, qui commovet aquam, sed Angelorum Dominus, qui totum efficit.

Igitur Gręci Patres ad tollendum eorum errorem, qui tunc vigebat in Oriente, hunc modum loquendi passivum usurparũt, & personam ministri baptizantis substituerunt. Quod enim modus loquendi passivus non significet primarium esse auctorem eum, qui sic loquitur, probat exemplo Christi Jobius Monachus teste Photio in sua Bibliotheca folio 321. exponens dictum illud Evangelicũ, quid est faciliùs dicere, Remittuntur tibi peccata tua, an surge & ambula? εὐκοπώτερον δέ φησιν εἶναι τὸ πρῶτον. ὅτι τὸ μὲν ἀφέωνται, οὐκ ἔχει τὴν τῶν ῥημάτων προφορὰν, ὡς ἐξ ἰδίας ἐξουσίας προσφερομένην καὶ προστάγματος. οὐδὲν γὰρ κωλύει καὶ τὸν μὴ ὄντα τῆς ἀφέσεως κύριον, εὐαγγελίζεσθαι ταύτην. τὸ δὲ ἔγειρε καὶ περιπάτει, δεσποτικῆς ὅλον προστάξεως ἤρτηται. Facilius autem (inquit Jobius) est primum. Nam illud *remittuntur*, considerata nimirum vi verborum, non profertur tanquam ab eo, qui propriam potestatem & imperium habeat. Nihil enim obstat, quo minus is etiam qui non sit Dominus remissionis, eam annunciet. At illud, *Surge & ambula*, totum à Dominico imperio pendet. Huc spectat sententia Chrysostomi, qui modum loquendi passivum in hac materia quasi modestum ex verbis Christi laudare videtur. Quapropter etiam idem Doctor Homilia 38. in Joan. notat modestiam Christi Domini ex modo loquendi, cùm ita scribit, ὅρα τὸ ἀκόμπαστον. οὐ γὰρ εἶπεν, ἰδὲ ὑγιῆ σε ἐποίησα, ἀλλ' ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε. καὶ πάλιν, οὐκ εἶπεν, ἵνα μή σε κολάσω, ἀλλ' ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται. ἀπροσώπως ἀμφότερα τιθεὶς, καὶ δεικνὺς χάριτος μᾶλλον οὖσαν τὴν ὑγίειαν, ἢ τῆς ἀξίας. Intuere modum loquendi Christi ab omni jactatione & ostentatione alienum. Non enim dixit, sanum te feci, sed sanus factus es. Jam noli peccare. Neque dixit, ne te puniam, sed ne deterius tibi aliquid contingat. In neutro personam ponens, & ostendens sanitatem potius tribuendam esse

gratiæ,

gratiæ, quàm meritis. Sic Chryſoſtomus. Non igitur mirum, ſi antiqui Patres Græcorum in nonnullis formis Sacramentorum vitarunt modum loquendi προστακτικόν; ut clarè conſtat in Baptiſmate, ac multò magis in Confirmatione, & ſacris Ordinibus, ubi non propriam perſonam, ſed divinam gratiam exprimunt.

Ex quo notare poſſumus, præſentem formam Græcorum eſſe antiquiſſimam in Eccleſia Orientali, & tempore Chryſoſtomi fuiſſe in uſu; alioqui non ita ſcripſiſſet.

Neque tamen inferat aliquis, ergo Latinos, dicentes: Ego te baptizo, reprehendit Paulus, vel Chryſoſtomus, vel quiſpiam alius. Nam illa quæſtio non apud Latinos, ſed apud Græcos orta eſt, & ibi à Græcis extincta hoc modo loquendi paſſivo. Latini verò tam de principali auctore Chriſto Domino, quàm de ejus legitimo miniſtro, quæ conſona ſunt rectæ & orthodoxæ fidei ſemper ſenſerunt, & docuerunt, ut propterea, neque hac lege locutionis unquam fuerint aſtricti. Alioqui ſi hoc valeret, multa alia ſequerentur à ſimili non minus abſurda.

S. Ignatius Martyr in ſua quadam Epiſtola ſcribit, eos qui jejunant die Sabbati, excepto Sabbato ſanctioris hebdomadis, iterum crucifigere Chriſtum. Neque tamen aliquis, niſi ineptiſſimè, intulerit, ergo Latini crucifigunt Chriſtum. Nam ille Martyr agit contra Manichæos, & quoſdam hæreticos judaïzantes, idq; in Oriente, qui die Sabbati jejunabant in honorem Dei conditoris, qui eo die ab opere ceſſaverat, & eum unum intelligebant in eſſentia & perſona, quod non faciunt Latini. Similiter olim Manichæi non ſumebant in Sacramento ſpecies vini, quæ continent ſanguinem, ne confiteri cogerentur veritatem mortis Chriſti, quos reprehendit Leo Magnus ſerm. 4. de Quadrageſima; dumque monet Catholicos, quibus indiciis Manichæos agnoſcere debeant, ut eos Eccleſię denuncient, videtur ipſe Catholicis utramque ſpeciem præcipere, unicam prohibere, quæ ſuo tempore indifferens erat; alioqui ſi non indifferens fuiſſet, Manichæi ſub ſola ſpecie panis Euchariſtiam ſumentes, non diu latere potuiſſent; cùm tamen diu latuerint. Et ſimiliter ſi Leo Magnus ad detegendos hæreticos non ambas ſpecies ſumendas Catholicis præcepiſſet, Manichæi unicam ſpeciem panis ſumentes, in poſterum diu latere potuiſſent. Quod ſi quis modò Latinos, qui unam tantùm ſpeciem ſumunt, diceret Manichæis favere, planè ridiculus eſſet. Et infinita reperies, quæ impiè concludas, quamvis apparenter, & ſophiſticè, niſi tempus, perſonas, locum diſtinxeris. Hæc de modo loquendi, quod attinet ad formam Baptiſmi Græcorum.

Quamvis autem Latini Doctores arbitrentur Græcos modo imperandi paſſivo ſolitos eſſe baptizare, nemo tamen ob illius antiquiſſimæ Eccleſiæ juſtam venerationem auſus eſt damnare formam Græcorum; ſed eam Latini Doctores validam cenſent. Mea quidem ſententia, fortè damnaturi, ſi aliâ formâ baptizare Græcos animadvertiſſent. Quid igitur Gabrieli Philadelphiæ antiſtiti in mentem venit, ut inſtar Epiphonematos ſcriberet: εἰσέλθατε τοίνυν ἀδελφικῶς, εἰσέλθατε: (barbarizat, corrige εἰσέλθετε) καὶ πῶς τὸ μυστήριον τοῦ βαπτίσματος ἐκτελεῖ ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία κατασκέψασθε, καὶ ἀκριβῶς πάντα τὰ ἐκεῖ τελούμενα ἐρευνήσατε, ὀρθῶς τε καὶ ὀρθοδόξως γίνεσθαι, καθὼς καὶ ὁ τῶν θεολόγων ἄρχων Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ περὶ τούτου ἐφιλοσόφησεν. αἱ γὰρ δι' αἰσθήσεως πεῖραι πάντων τῶν ἀποδείξεων βεβαιότεραι εἰσιν. Accedite igitur ad nos fraternè, accedite. Et quanam ratione myſterium baptiſmatis abſolvat Orientalis Eccleſia conſiderate, & diligenter omnia, quæ ibi fiunt, inveſtigate. Invenietis enim rectè, & orthodoxè fieri, quemadmodum & Theologorum princeps Dionyſius Areopagita in libro de Eccleſ. Hierar. de hoc philoſophatus eſt. Per ſenſum enim facta experientia, omni demonſtratione certior eſt. Et in fine illius capitis, τοίνυν παύσατε ἀδελφοί, παύσατε. μὴ οὕτω ἐχθρωδῶς κατὰ τῶν Γραικῶν τὴν γλῶτταν, καὶ τὴν χεῖρα κινεῖτε. ἵνα μὴ παρὰ θεοῦ δίκας ὑπόσχητε ὡς μισάδελφοι, καὶ τοῖς ἐκεῖσε παραπεμφθῆτε δικαστηρίοις. Igitur deſinite fratres, deſinite, neque ita hoſtili animo adverſus Græcos linguam, & manum movete. Ne videlicet pœnas à Deo reportetis, tanquam qui odium in fra-

C

tres habeatis, & ad alterius vitæ tribunalia vos Deus transmittat. Sic ille.

Insulsa profectò querimonia, & malè compacta. Quid enim opus fuit citare Dionysium, qui de forma ne verbum quidem explicitè, nisi ἀπατῶ: loquitur? Neque enim ait dicendum esse βαπτίζω σε, baptizo te, aut βαπτίζεται, baptizatur. Quid item reprehendere Latinos, qui de baptismate Græcorum optimè sentiunt? Si enim defendunt formam imperativam, multò magis laudabunt, quamprimum noverint enunciativam. Ut propterea Concilium Florentinum in Bulla Armeniorum de forma Baptismi dixerit, Non tamen negamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; vel, Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma; Sed ea est doctrina novæ Græciæ, hi mores, ut reprehendat, quod ignorat.

At neque hoc malè habet Philadelphiensem, sed duntaxat notat, Latinos de forma Græcorum dicere, servus Christi, non servus Dei. Res scilicet magnæ sapientiæ, quasi verò Christus non sit Deus, & illud Latini Græcis objecerint, vel rei cardo in eo consistat, ut servus Dei, non autem servus Christi enuncietur; idque Dionysius, quem falsò citat, nos monuerit. Quasi verò tanto Pontifici similes ineptiæ cordi fuerint. Sed ea est impudentia Philadelphiensis, ut augustissimis sanctorum Patrum nominibus, imperitos auditores terreat. Et tamen eo nomine gravissimos Theologos Durandum, auctorem Candelabri, & illustrissimum Bellarminum his verbis insimulat. ἀλλ' εἰσί τινες, καθάπερ ὁ μπελαρμίνιος (dixisset Βελλαρμῖνος. Sed Græci jam diu barbarizant) ἐν τῷ περὶ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ὁ τὴν καντελάμπραν (λυχνίαν poterat dicere) ποιήσας ἐν τῷ περὶ τοῦ βαπτίσματος ἄρθρῳ ὀγδόῳ, οἱ οὐ καλῶς τὰ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας μυηθέντες, ἔτι καὶ ὁ διδάσκαλος ὁ Δουράνδος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ἀποφάσεων, ζητήματι δευτέρῳ, λέγουσιν ἡμᾶς τοὺς Γραικοὺς, ὅτι οὐ λέγομεν, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ ὁ δοῦλος τοῦ Χριστοῦ. τοῦτο οὐκ ἄν τις ποτὲ τὴν ἀλήθειαν ἀσπαζόμενος ἀποδεῖξαι δυνήσεται. Sed sunt nonnulli, ut Bellarminus in libro de Baptismate, auctor item Candelabri in eadem materia, art. 8. Præterea magister Durandus in 4. Sententiarum quæst. 2. qui cum non rectè calleant res sanctæ Ecclesiæ Orientalis, aiunt nos Græcos, non dicere, baptizatur servus Dei, sed servus Christi. Hoc nemo unquam, qui verum amplectatur, probare poterit. Sic ille.

Itaque arguit eos ipse mendacissimus tanquam mendaces, qui verum non amplectantur, & imperitissimus tanquam imperitos, qui ignorent, quid scripserint Patres Græci: qui tamen à Concilio Florentino modum illum loquendi acceperunt; qui modus nullo modo baptismi violat formam. Demus enim Græcos aliquando pronunciasse, vel in posterum pronunciaturos, servus Christi, an propterea baptismus inanis? cùm sine ejusmodi verbis Baptismi forma optimè consistere queat; satisque sit dicere, baptizatur N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; ut etiam desunt illa verba in vetustissimis, & manuscriptis Euchologiis.

Quin & ipse Gabriel agens de forma Baptismi, minimè in ea includit ea verba (servus Dei) τὸ εἶδος τοῦ ἁγίου βαπτίσματός ἐστιν ἡ τῆς ἁγίας τριάδος ἐπίκλησις, κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐντολὴν, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. τοῦτο ἐστι τὸ εἶδος, τὸ εἰδοποιοῦν, καὶ τὸ τὸ εἶναι παρέχον τῷ ὀρθοδόξῳ χριστιανῷ. Forma, inquit, sancti Baptismi sanctissimæ Trinitatis est invocatio, juxta mandatum Salvatoris, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hæc est forma, quæ informat, & præbet esse rectè sentienti Christiano. Sic ille.

Et tamen hac parva mutatione adeo excandescit, ut scribat, τοῦτο οὐκ ἄν τις ποτὲ τὴν ἀλήθειαν ἀσπαζόμενος ἀποδεῖξαι δυνήσεται. καὶ γὰρ τὰ τῆς ἐκκλησίας βιβλία, εὐχολόγια τὲ φημὶ, καὶ ἡ τοῦ βαπτίσματος τελετὴ, μάρτυρες τούτου ἀψευδεῖς, δεικνύουσιν ἡμᾶς ἀνωτέρους εἶναι παντὸς ψόγου. Hoc nemo unquam, qui veritatem amplectatur, probare poterit. Etenim Ecclesiæ libri, Euchologia, inquam, & baptismatis ritus, testes hujus minimè fallaces, ostendunt nos omni reprehensione superiores. At quantò melius eas querimonias Gabriel

verum astruendo in suos Græcos retorsisset? Audiamus, quæso, Simeonem Thessalonicensem ita de forma Baptismi differentem. βαπτίζεται δέ φησι, καὶ οὐ βαπτίζω ἐγὼ, ὡς οἱ Λατῖνοι καὶ τοῦτο καινοτομοῦντες. τὸ ἑκούσιον τοῦ βαπτιζομένου μαρτυρῶν ὁ ἀρχιερεύς. τὸ γὰρ βαπτίζω ἐγὼ, οὐκ ἐμφαίνει τὸ ἑκουσίως βαπτίζεσθαι τὸν φωτιζόμενον. ἐνδεχόμενον γὰρ καὶ κατὰ δυναστείαν τινὰ, καὶ παρὰ γνώμην αὐτὸν βαπτίζειν. τὸ δὲ βαπτίζεται καὶ ἑκουσίως σημαίνει, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ ἀρχιερέως, ἢ ἱερέως, καὶ τὸ ἔργον ἤδη ποιοῦντος. Baptizatur verò, ait Pontifex, arbitrium illius, qui baptizatur testificans, non ego baptizo, ut Latini aiunt, in hoc quoque res novas molientes. Illud enim ego baptizo, non indicat eum, qui illuminatur, suaptè sponte baptizari. Fieri enim potest, ut secundùm quandam vim, & præter opinionem eum quis baptizet. At verò illud baptizatur, & voluntarium, & à me Pontifice, seu Sacerdote, & jam opus faciente significat. Sic ille.

Qui si propterea Latinos arguit, quod verbo activo utantur, insimulet quoque Christum Dominum καινοτομίας, qui ita jussit esse faciendum, baptizantes eos inquiens. At non fuit novum, & inusitatum Nazianzeno in oratione de Baptismo circa finem ita loqui, βαπτίσω σε μαθητεύων εἰς ὄνομα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. Sed βαπτίζεσθαι, ait, τὸ ἑκουσίως σημαίνει. Ita fortè diceret Simeon, τύπτεται Σιμεὼν, ἢ μαστίζεται ὑπό τινος, τὸ ἑκουσίως σημαίνει.

Igitur qui sint, μισάδελφοι, καὶ ἐχθεσδῶς, οὐ κατὰ καινῶν, ἀλλὰ κατὰ τῆς ἀληθείας τὴν γλῶτταν, καὶ τὴν χεῖρα κινοῦσι, Latini an Græci, vel ipsemet Gabriel judicet ὁ φιλάδελφος, egregius scilicet fratrum amator, qui nescit de quibus affirmat.

Aut quis unquam Latinorum Græcum hominem rebaptizavit? At Græcorum quidam audacissimi non defuerunt, qui Latinos usu temerario rebaptizarint. Ut habetur in Concilio Later. cap. 4. cui ipsimet Græci interfuerunt. Postquam enim Græcorum Ecclesia ab obedientia sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum (ait Concilium) Græci cœperunt abominari Latinos, ut à Latinis baptizatos rebaptizarint. Bellarminus libro 1. de Baptismo cap. 5. ubi agit de forma Baptismi, ex eodem Concilio colligit, propterea Græcos hoc fecisse, quòd, cùm nimium adhęrerent suæ formę, Latinorum formam ut minus veram & legitimam despicerent, atque damnarent.

Mihi olim non videbatur verisimile Græcos iterasse baptismum, quòd formam Latinam invalidam opinarentur. Neque enim existimabam tam stupidos fuisse, ut non adverterent activum verbum par esse passivo, & idem valens.

Verùm postquam incidi in nugas Simeonis de forma baptismatis, minimè mihi absurdum visum est, sensisse ita Bellarminum. Fieri enim potest, ut ob eam causam rebaptizarint.

Si ea non est causa, fortè propter trinam immersionem, quam Gręci falsò putabant, Latinos solitos esse negligere. Sic enim Hieremias Patriarcha scribit cap. 2. suæ censuræ: ἡμεῖς μὲν ἐν τρισὶ καταδύσεσι βαπτίζομεν, οἱ δὲ Λατῖνοι οὐ καλῶς ποιοῦντες ἐν μιᾷ καταδύσει βαπτίζουσι. Nos quidem sub trina mersione baptizamus, Latini verò non rectè sub una baptizant.

Porrò Concilium secundum generale cap. 7. inter alias causas, cur Eunomiani à Catholicis rebaptizari deberent, eam ponit, quòd in unam demersionem baptizarentur. Εὐνομιανοὺς μέντοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν. Eunomianos tamen, qui in unam demersionem baptizantur, ut Gentiles acceptamus, & tum demum eos baptizamus. Matthæus quoque Blastarius in suo Nomocanone cap. 2. litera α΄. ubi agit de diversis sectis hæreticorum referens prædictum Canonem, sic tandem concludit. ἐν κεφαλαίῳ δὲ εἰπεῖν, ἅπαντας τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν πρὸς τῶν ἑτεροδόξων βαπτισαμένους, καὶ τῇ καθολικῇ προσιόντας ἐκκλησίᾳ αὖθις βαπτίζεσθαι οἱ θεῖοι κανόνες θεσπίζουσιν. Atque ut summatim dicam, omnes, qui in unam demersionem ab alterius sectæ ministris sunt baptizati, & ad Catholicam Ecclesiam accedunt, iterum baptizandos esse sacri Canones sanciunt.

Et in litera β΄. agens de Baptismo citat Canonem 50. Apostolorum. ὁ δὲ ν΄. τῶν ἁγίων

ἀποστόλων κανὼν τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελεῖν παρεγγυᾶται. τρεῖς δηλαδὴ καταδύσεις ἐν ἑνὶ βαπτίσματι, ἀλλὰ μὴ ἓν βάπτισμα, ἤτοι ἅπαξ καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, καὶ εἰς μίαν κατάδυσιν τὸν τοῦ κυρίου ἐπιφημίζειν θάνατον, ὡς ἡ παραπληξίας
» γέμουσα τῶν Εὐνομιανῶν αἵρεσις ὑποτίθεται. Quin-
» quagesimus sanctorum Apostolorum Ca-
» non, ut tria baptismata unius initiationis
» fiant, præcipit, tres videlicet mersiones in
» uno baptismate. Non autem unum Baptis-
» ma, scilicet, ut semel immergatur ille, qui
» baptizatur, & in unam demersionem Do-
» mini mors celebretur: sicut Eunomiano-
» rum hæresis insaniæ plena supponit.

Hæc itaque fuit causa, dicet aliquis, secundùm principia Græcorum, cur à Latinis baptizatos Græcè rebaptizarint.

Mihi hoc, ut non improbabile, ita neque certum videtur. Nam in primis Romana Ecclesia antiquum usum trinę immersionis semper in hanc usque diem tenuit, & modò diligenter observat. Ut patet ex ipso Romanę Ecclesię rituali, ex cujus norma Parochi sic informantur: Tunc Sacerdos accipiat puerum diligenter, & baptizet eum sub trina immersione, sanctissimam Trinitatem semel invocans, vel effundendo aquam super caput pueri secundùm consuetudinem loci illius, dicendo: Petre ego te baptizo in nomine Patris, † & semel immergat, & Filij, † & secundò immergat, & Spiritus sancti, Amen, † & tertiò immergat. Unde non est mirum si etiam Matthęus Blastarius, qui ubicunque occasio sese offert, Latinos carpere solet, in hac re minimè eos reprehenderit: quòd optimè sciret eos non omittere trinam immersionẽ.

Quare ergo Heremias de Latinis hoc affirmat? quòd fortè aliquem Latinorum disputantem audierit, baptismum sub unica mersione valere, & secundùm varietatem locorum, & regionum ita fieri.

Ego pręter allatas causas, cur Gręci rebaptizarint Latinos, potiùs dicerem, odio in Latinos istud fecisse, hoc enim etiam innuit Concilium Lateranense, cùm dicit: in tantum Latinos abominati sunt. Et quòd eos nonnulli Gręcorum hęreticos arbitrarentur; & quoniam ex 7. Canone secundi Concilij generalis quosdam hęreticos rebaptizabant. Basilius quoque magnus ex Pepuzianorum hęresi ad fidem venientes, denuo baptismate perlustrabat. Propterea Gręci decepti, & malè affecti, Latinos, vel à Latinis baptizatos, quasi hęreticos, cum Cypriano rebaptizandos censebant.

Atqui Basilius quadam ex parte, Concilium verò simpliciter, ideo iterabant baptismum, ut paulò pòst dicam, quod illi hęretici veram formam Baptismi negligerent.

Utcunque sit, sive propter formam Latinorum rebaptizarint, sive quòd opinarentur Latinos in baptismate omittere trinam mersionem, sive quòd eos ob alia dogmata hęreticos esse censerent, sive διά τινα ἄλογον ὁρμήν, certum est, hoc passim à Gręcis non esse factum, sed à quibusdam per inscitiam, valde tamen audacibus, & malitiosis. Modò tamen Gręci neminem Latinorum rebaptizant. Nam & post illa tempora in dies magis ac magis vigente schismate, in jure orientali præscribunt modum, quo debeant recipi Latini, si ad eos accesserint; de baptismate verò nullam prorsus faciunt mentionem, quòd nimirum sint rebaptizandi. Et tamen sine dubio fecissent, si invalidum esse Baptismum Latinorum arbitrati fuissent: immo verò etiam ipse Marcus Ephesius, qui alioquin in Epistola sua Encyclica ad omnes Christianos, Latinos hęreticos esse probare frustra conatur, si quando ad Gręcos accessissent, Chrismate inunctos fuisse affirmat, de Baptismo nihil prorsus, quamvis prius ut hæreticus inconstans in eadem epistola baptismum Latinorum, quòd per infusionem, non immersionem fiat, redarguat. At qua ratione fieret, ut Latinos Gręci, & Gręcos Latini confirmarent, dicam postea cùm de illo Sacramento agam.

Neque tamen arbitror Hieremiam Latinos in eum sensum reprehendere, quòd de necessitate Sacramenti trinam mersionem sentiat; sed quòd antiquum morem potius eos neglexisse existimet. Et si quis ab eo quęreret, sit ne verus Latinorum Baptismus, sanè quidem meâ sententiâ haud inficiaretur. Sin aliter ex doctrina Blastarij sentiat, utique rejiciendus.

De trina, & unica mersione Baptismi.

CAPUT IX.

IGitur superest, si est antiquus mos trina immersio ad significandas tres personas divinas, & triduum sepulturę Christi, ut patet ex 50. Canone Apostolorum, Dionysio Areopagita de Eccles. Hierar. cap. 4. & 5. Tertulliano lib. de Corona militis, & libro cont. Praxeam, Cyrillo Cathechesi 2. Basilio de Spiritu sancto cap. 27. Chrysostomo Hom. 24. in Joannem, Ambrosio lib. 2. de Sacramentis cap. 7. Augustino sermone 91. & 201. & aliis Patribus. Superest, inquam, explicandum, quare Eunomiani rebaptizandi essent, non item Hispani, vel alij Italorum, si qui sunt, qui unica utantur mersione. Et an de jure divino sit trina immersio, ut mutari nullo modo queat.

Respondeo. Propterea Eunomium unicam mersionem exhibuisse, quòd in divinis, quemadmodum unam naturam, & essentiam; ita etiam unicam esse personam more Judaïco crederet, ut ex ipsamet forma sui baptismi clarissimè constat. Baptizabat enim Eunomius, ut refert sanctus Epiphanius libro 3. hęres. 56. κτ̃ ἀνομοίων circa finem. εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος. » In nomine Dei » increati, & in nomine Filij creati, & in no» mine Spiritus vim sanctificandi habentis, » atque à creato Filio creati. Quocirca & ἀνόμοιοι sequaces Eunomij appellabantur, quòd dicerent Filium & Spiritum sanctum, μηδεμίαν ὁμοιότητα κατ᾽ οὐσίαν ἔχειν πρὸς τὸν πα» τέρα, nullam similitudinem secundùm essen» tiam habere ad Patrem.

Quoniam igitur Eunomius recusabat adhibere trinam immersionem, ne hac cerimonia æqualitatem personarum in essentia ostenderet, & peccabat in forma Baptismi; ideo Concilium Eunomianos meritò rebaptizandos sancivit; cùm non essent antea verè baptizati. Neque hos tantùm rebaptizandos decernit, sed multos alios, qui quantumvis adhiberent trinam mersionem, nihilominus tamen errabant in forma Baptismi. Ut etiam Concilium Nicænum c. 19. statuit rebaptizandos esse Paulianistas. Et de Pepuzianis refert Basilius in primo cap. Epistolæ ad Amphilochium, eos baptizasse εἰς πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ Μοντανόν, καὶ Πρισκίλλαν, quibus Paracleti nomen acclamabant. Atque hęc erat causa, cur unam mersionem Eunomius adhiberet: contra verò Ariani (ut testatur Gregorius Magnus lib. 1. epist. 41. ad Leandrum) ad significandas tres naturas trium personarum, trina mersione abuti cœperant. Unde Gregorius ad tollendum ejusmodi errorem, mandavit ut in Hispania una mersio fieret. Quod etiam postea confirmavit Concilium Toletanum 4. cap. 5. Sed audiamus verba tùm Gregorij Magni, tùm Concilij.

De trina verò mersione (inquit Gregorius) baptismatis, nihil responderi verius « potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in « una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ con« suetudo diversa. Nos autem, quòd tertiò « mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramen« ta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis « educitur, resurrectio triduani temporis « exprimatur. Quòd si quis fortè etiam pro « summæ Trinitatis veneratione, existimet « fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, bapti« zandum semel in aquas mergere, qui dum « in tribus subsistentiis una substantia est, « reprehensibile esse nullatenus potest, in« fantem in Baptismate in aquam, vel ter, « vel semel mergere, quando & in tribus « mersionibus personarum Trinitas, & in « una potest divinitatis singularitas designa« ri. Sed si nunc usque ab hæreticis infans in « baptismate tertiò mergebatur, facien« dum apud vos esse non censeo, ne dum « mersiones numerant, divinitatem dividant; « dumque quod faciebant, faciunt, morem « vestrum se vicisse glorientur. Hactenus « Gregorius. Concilium sic habet.

De Baptismi autem Sacramento, pro« pter quod in Hispaniis quidam Sacerdotes « trinam, quidam simplam mersionem fa« ciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, « & unitas fidei scindi videtur. Nam dum « partes diversæ in baptizandis quasi contra« rio modo agunt, alij alios non baptizatos « esse contendunt. Proinde quid à nobis in «

»Sacramenti diverſitate faciendum ſit, Apoſtolicæ ſedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtructionem ſequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui non ſolùm partes Italiæ illuſtravit, ſed & longè exiſtentes Eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante ſummo Leandro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diverſitate, quid potius eſſet ſequendum, inter cætera ſcribens ei, ſic ait. De trina verò merſione, &c. refert Concilium verba Gregorij, quæ retulimus, deinde ſubjungit. Quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in ſancto Baptiſmo, à tanto viro reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia habeatur; propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus Baptiſmi merſionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergant, hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem.«

Addit tandem Concilium rationes congruas, cur una merſio fieri poſſit. »Quia nimirum unica merſio, & emerſio ſignificant unicam ad infernum Chriſti deſcenſionem, & reſurrectionem, item unitatem divinitatis; dum tamen additur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Trinitas perſonarum exprimitur. Figuræ quoque Baptiſmi hanc unitatem patefaciunt. Nam populus Dei per mare rubrum, quod baptiſmum ſignificat, ſemel tranſiit, præcedente ſanctiſſima Trinitate in igne, columna, & nube. Idem populus Dei cum Arca ad terram promiſſionis properans, fluenta Jordanis ſemel trajecit.«

Igitur Latini pro varietate locorum, & regionum modò trinam, modò unicam merſionem non ſine ratione adhibent.

Hanc recentiores Græcorum ignorantes cauſam, & hujus mutationis auctorem, ſeu potius approbatorem, videlicet Gregorium Magnum Dialogum, quem ipſi quoque meritò venerantur, & colunt; ut ego propterea teſtimonium illius integrum huic argumento adſcripſerim, immerito Latinos redarguunt. Non enim peccant in forma Baptiſmi, ſicut Eunomiani peccabant.

Cæterùm Gregorius, qui Hiſpanos inter ſe de hac re diſſidentes prudenter reconciliavit, idem quoque Latinos, ſeu homines ritus Romani, ſi qui ſunt, qui unica merſione utantur, cum Græcis in gratiam reſtituat: præſertim cùm ante ſchiſma floruerit, & apud ipſoſmet Græcos tantus Eccleſiæ Doctor maximam obtineat auctoritatem.

Neque eſt quòd aliquis nobis objiciat Canonem Apoſtolicum, quem Clemens Romanus refert, cæteri quoque ſuprà nominati Patres ſequuntur: quaſi de jure divino ſit trina merſio, eo quòd conſtitutiones, atque traditiones Apoſtolorum divinæ cenſeantur.

Nam ut gloſſa refert de conſecratione d. 4. cap. 79. aliud eſt ſemel immergi ſub illorum verborum forma, Baptizo te in mortem Domini, quod interdicitur; aliud in nomine Trinitatis: hoc eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, unica merſione, quod in Eccleſia quibuſdam permittitur.

Quæ expoſitio ex verbis ejuſdem Canonis probari poteſt. Nam ſequitur: »Non enim dixit Dominus, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε, in mortem meam baptizate.« Quare potius formam Baptiſmi Canon ſpectat, quàm trinam merſionem, quòd ea eſſet in uſu eo tempore, ut modò etiam eſt.

Deinde, ut egregiè juxta communem Theologorum ſententiam reſpondet religioſiſſimus ſimul, & eruditiſſimus Pater Azorius libro 5. Inſtitutionum moralium cap. 15. quæſtiuncula 4. »Apoſtoli aliquid tradiderunt, vel conſtituerunt, primò quidem, ut miniſtri Chriſti Domini, & viva Spiritus ſancti inſtrumenta: & quicquid hac ratione tradiderunt, conſtitueruntve, traditio eſt, vel conſtitutio divina, ſic enim ſcripturas Canonicas ediderunt; ſic baptiſma parvulorum, cultum, & venerationem ſacrarum imaginum, vivorum pro mortuis ſuffragia, invocationem Sanctorum, perpetuam Deiparæ Virginitatem, ſymbolum fidei, & alia pleraque docuerunt, & ab his Romanus Pontifex aliquem ſolvere nequit. Quoniam ſunt juris divini, cujus auctor, & conditor eſt Deus, Apoſtoli verò tantùm promulgatores. Secundò, aliquid

constituerunt Apostoli ut Pastores, Præsides, & Præfecti Ecclesiarum à Christo Domino delecti, & creati. Et hoc modo ediderunt Canones, quos Clemens Romanus collegit, & literis consignatos posteritati mandavit, qui Apostolorum esse dicuntur. Quorum rigorem jure potest Romanus Pontifex mitigare, & relaxare, si justa, & debita causa intercesserit. Talia etiam sunt multa præcepta, quæ apud Paulum commemorātur de homicida, vel ebrioso minimè ad ordines promovendo, de bigamo non ordinando, de non eligendo Neophyto. Ejusmodi etiam sunt quædam aliæ Apostolorum traditiones, ut quadragenarium ante Pascha jejunium, inter Pascha & Pentecosten in precationibus genu non flectere, eodem tempore jejunium non colere, Deum versus Orientem vultu converso precari, continentia Sacerdotum, quorundam Festorum dierum observatio, Dominicæ diei cultus, in quarta & sexta quaque feria jejunium, & præceptum ibidem de abstinendo à sanguine, vel suffocato. Ex quibus nonnulla Græci quoque negligunt. Neque enim Græcorum Sacerdotes agunt cœlibem vitam, & suffocata animalia gustare multi non recusant. Inter alia verò ejusmodi præcepta est etiam trina in aquam mersio, quam Latini pro regionum varietate, cùm non sit de essentia Sacramenti, meritò abrogarunt, in detestationem erroris Arianorum. Unde malè Blastarius concludit omnes esse rebaptizandos, qui sub unica mersione sunt baptizati. Si enim adsint circunstantiæ Eunomianorum, & eorum quos reprehendit Canon Apostolicus, jure optimo rebaptizandi. Cæterùm si non adsint eædem circunstantiæ, sed potiùs oppositæ, tantùm abest, ut sub trina mersione sint rebaptizandi, ut hoc peccatum sit & illicitum, unica mersio laudabilis, & amplectenda. Atque hæc dicimus, si illos Canones ut legitimos tueri velimus.

Basilius Magnus negat hanc ceremoniam esse nobis scripto traditam: Unde, dicet aliquis, forsan etiam negaret trinam mersionem esse Canonem Apostolicum, & multò minùs præceptum Evangelicum. Nam in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 27. ubi multa nobis ἀγράφως esse tradita testatur, inter alia, recenset etiam trinam mersionem, τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον πόθεν; ter mergi hominem, unde est traditum? Quamobrem, & Zonaras in expositione illius Canonis, miratur quomodo Basilius inter ἄγραφα illud enumerat. τὰ μὲν οὖν ἄλλα ἀγράφως ὡς ἀληθῶς παραδέδονται. τὸ δὲ τρισσάκις τὸν βαπτιζόμενον καταδύεσθαι ἐκ τοῦ πεντηκοστοῦ κανόνος ἔχομεν τῶν ἁγίων ἀποστόλων. θαυμάζω οὖν πῶς καὶ τοῦτο ὁ ἅγιος ἀγράφως εἶπε παραδεδόσθαι. οὐ γὰρ ἀγνοεῖσθαι τὸν κανόνα ἐκείνῳ ὑποληπτέον. Igitur (inquit Zonaras) reliqua re vera sine scripto sunt nobis tradita. At verò eum, qui baptizatur, ter immergi, habemus ex quinquagesimo Canone sanctorum Apostolorum. Miror itaque quomodo vir sanctus hoc etiam dixerit sine scripto traditum esse: neque enim existimandum est, ignotum illi fuisse Canonem.

Sed mirari desiisset Zonaras, si & B. Hieronymum hoc affirmantem legisset. Is enim agens adversus Luciferianos de Sacramento Confirmationis ita loquitur. Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi scripturæ auctoritas non subesset; totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt; veluti in lavacro ter caput mergitare. Sic Hieronymus.

Et non unum istud, ut fert opinio Zonaræ, περὶ τῶν ἀγράφων, in Canonibus Apostolorum, sed & illud, die Dominico non jejunare Canone 64. & de jejunio ferię quartę, & sextę extat Canon Apostolicus 69. Quæ tamen Petrus Alexandrinus, qui ante Basilium floruit, per traditionem nos habere affirmat oratione in Pascha, ex qua unus Canon hac de re decerptus est. οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα, καὶ παρασκευήν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστέτακται. τὴν μὲν τετράδα διὰ τὸ γινόμενον συμβούλιον ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ κυρίου ὑπὸ Ἰουδαίων· τὴν δὲ παρασκευὴν διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. τὴν γὰρ κυριακὴν χαρμόσυνον ἡμέραν ἄγομεν, διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ, ἐν ᾗ οὐδὲ τὰ γόνατα κλίνειν παρειλήφαμεν. Nemo nobis crimini dabit, si

feriam quartam, & sextam obſervamus; quibus feriis, & jejunium nobis per traditionem optima ratione imperatum eſt. Et quidem feriam quartam obſervamus propter initum à Judæis conſilium de proditione Domini. Sextam verò feriam, eò quòd pro nobis paſſus ſit. At verò Dominicum diem lætum agimus (hoc eſt non jejunamus) quòd in eo reſurrexit, in quo haud genua flectere fas eſſe accepimus. Sic ille.

Ubi idem Zonaras interpres Canonum. σημειωτέον τὸ, παρειλήφαμεν, καὶ τὸ, κατὰ παράδοσιν ἡμῖν προσέτακτο. κἀντεῦθεν γὰρ φαίνεται, ὅτι τὸ ἐπὶ μακρὸν κρατῆσαν ἔθος ἀντὶ νόμου λελόγισται. Notandum eſt illud, accepimus, & illud, per traditionem nobis mandatum eſt. Hinc enim apparet inſtar legis illud cenſeri, quod per longam conſuetudinem vires acceperit.

Quod etiam dicemus de volumine, τῶν διαταγῶν τῶν ἀποστόλων, in quo prædictus Canon Petri Alexandrini ferè ad verbum reperitur libro 7. cap. 24. & illud, τὸ πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστράφεσθαι κατὰ τὴν προσευχὴν, verſus Orientem orare lib. 7. cap. 44. & illud alterum, τὸ εὐλογεῖν τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, libro 8. cap. 35. item olei inunctio libro 3. cap. 16. & 17. & renuntiatio Satanæ lib. 7. cap. 41. quæ omnia Baſilius Magnus clamat non eſſe ſcripta, ſed tacita traditione recepta. Nota præterea, Dionyſium Areopagitam de his cerimoniis ſcripſiſſe longè ante Baſilium, & tamen Baſilius negat nos eas habere per aliquam ſcripturam. Unde conſtat, vel Baſilium per ſcripturam intelligere, non quamcunque ſcripturam, ſed ſacram, vel ſcripta Dionyſij, non eſſe Dionyſij. Sed hoc poſterius hoc tantùm nomine non poteſt conſiſtere, cùm & alij Doctores & ſancti Patres ante Baſilium cerimoniarum meminerint; quos omnes rejicere, haud ſanè prudentis fuerit, ut eſt Origenes, Clemens, Tertullianus, Cyprianus, qui ante Baſilium ſcripſere.

Ad hæc igitur, & ſimilia (quicquid ſit de veritate Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum) dicendum eſt, quod & antea monuimus, Baſilium, Hieronymum, Petrum Alexandrinum, & alios dicere has traditiones eſſe minimè ſcriptas, quia re vera non ſunt ſcriptæ in divinis literis, non quia non ſunt ſcriptæ in aliis libris. Nam Apoſtoli, qui Canonicam ſcripturam condere poterant, nihil de iis ſcripſerunt, ſed ore tenus tradiderunt. Patres verò tantùm τὴν θεόπνευστον γραφὴν per excellentiam ἔγγραφον nominant, quam in primo genere, & ut ita dicam, primo gradu certitudinis collocant; cætera, quæ non ſunt ex numero τῶν κανονιζομένων βιβλίων, in Canonem ſacrorum librorum acceptorum, ad rationem ſcripturæ ἄγραφα eſſe teſtantur.

Cæterùm ad propoſitum redeo, ſive ſit ſcripta in Canonibus Apoſtolorum trina merſio, ſive alibi, ut certum eſt eam ab Apoſtolis eſſe myſticè traditam, ita etiam certum eſt, eam non eſſe de jure divino, neque ſpectare ad eſſentiam Sacramenti.

Dicet tamen aliquis, cùm ea quæ ſunt ſcripta, & ſine ſcripto tradita, partim ſint de jure divino, partim de jure Eccleſiaſtico; unde agnoſcemus, quænam ſint juris divini, quæ item poſitivi? Quod enim nonnulla juris divini non ſint literis mandata, ſed quaſi per manus nobis tradita, & commendata, patet ex magno Baſilio loco ſuprà citato, qui ait, τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ φυλαττομένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. Ex iis, quæ in Eccleſia diligenter obſervantur dogmatibus, inquam, & iis, quę ſacri pręcones concionantur; quędam habemus à doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Baſilius in eodem capite diſtinguit inter δόγμα, & κήρυγμα, quòd dogma ſilentio occultetur, κήρυγμα verò aperiatur, & publicetur.

Cæterùm Eulogius Patriarcha Alexandrinus, hæc eadem fermè mutuatus à Baſilio in 2. Oratione, clariùs explicat, ut videre eſt in Bibliotheca Photij, ait enim: τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παραδιδομένων ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν τοῦ λόγου διδαγμάτων, τὰ μέν ἐστι δόγματα, τὰ δὲ κηρύγματα, καὶ ἡ διαφορά. τὰ μὲν δόγματα μεθ'

ἐπικρύψεως καὶ σοφίας ἀπαγγέλλεται, καὶ τὴν ἀσάφειαν πολλάκις ἐξεπίτηδες περιβάλλεται, ὡς ἂν μὴ βεβήλοις εἶεν τὰ ἅγια ἔκθετα. καὶ οἱ μαργαρῖται τοῖς χοίροις προκείμενοι. τὰ δὲ κηρύγματα χωρίς τινος ἐπικρύψεως ἀπαγγέλλεται. καὶ μάλιστα ὅσα εἰς λόγον ἐντολῶν, καὶ θείου φόβου συντήρησιν ἀναφέρεται. εἶναι δὲ καὶ τῶν δογμάτων ἔστι τινὰ μυστικώτερα, ἃ παντελῶς, ὡς τὸ ἔπος φάναι, σεσίγηται. ἐκεῖνος δὲ μόνοις μυστικῶς παραδέδοται, οἷς διὰ λόγου ζῶντος ἔχουσι πνευματικὴν σοφίαν πρὸς ταῦτα παρατίθεται. Ex documentis à ministris Verbi in Ecclesia traditis, quædam sunt dogmata, quædam verò κηρύγματα (hoc est, quæ publicè per sacrum præconem enunciantur) atque hæc differentia est, quòd dogmata quidem cum occultatione, & sapientia proferuntur, & sæpè obscuritate data opera involuntur, ne sacra profanis sint exposita, & margaritæ porcis projectæ jaceant. At verò κηρύγματα sine ulla occultatione edicuntur: potissimum verò, quæ ad servanda divina mandata, & Dei timorem conservandum spectant. Porro ex dogmatibus sunt præterea nonnulla occultiora, quæ omnino, ut uno verbo dicam, silentur: illis tantùm fidelibus mysticè traduntur, qui, cùm spiritualem sapientiam vivæ vocis oraculo habeant, hæc servanda suscipiunt. Hactenus Eulogius.

Itaque, ut ad difficultatem redeam, cùm dogmata fidei (quæ omnia juris esse divini existimo) & ea quæ publicè prædicantur, partim ex scripturis habeamus, partim ex arcana traditione, quamvis trina mersio non sit dogma, neque extet in divinis literis, forsan tamen, dicet aliquis, est juris divini. Alioquin si non est, quæ signa observanda, & unde indicium sumendum est ad hoc probandum?

Respondeo primum à posteriori. Nam Ecclesia per traditionem habet etiam posse quædam relaxare, ea profectò non erunt iuris diuini; quædam verò minimè. Idque constat ex interpretatione Patrum. Neque fieri potest, vt Ecclesia ob assistentiam Spiritus sancti errare possit.

Deinde, ex circumstantiis; Cur enim in Baptismate adhibenda sit trina mersio, huius rei rationes afferunt patres congruentes, non necessarias. Nec item desunt alteræ parti probabiles rationes ad stabiliendam, & confirmandam unicam mersionem. Vnde apparet Christum Dominum trinam mersionem minimè imperasse.

Hęc de trina, & unica mersione.

De mersione, infusione, & aspersione

Caput X.

Sed videre mihi videor aliquem Græculum, qui hoc ipsum Latinis objiciat. Non etiam passim Romana Ecclesia baptizatos immergit, sed aquam super caput illorum utplurimùm effundit: fortè ad evitandum periculum immersionis. Immo Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in 2. responso suæ censuræ cap. περὶ μυστηρίων, clarissimis verbis hoc urget. τρισὶ καταδύσεσιν, ἀλλὰ μὴ ἐπιχύσει τρισσῇ χρώμενοι. ἐβάπτιζον γὰρ οἱ πάλαι οὐ χερσὶν οἰκείαις τὸ ὕδωρ ἐπιρραντίζοντες τοῖς βαπτιζομένοις, ἀλλὰ διὰ τριῶν καταδύσεων, τοῖς θείοις εὐαγγελίοις ἑπόμενοι. ἀνέβη γὰρ, φασὶν, ἀπὸ τοῦ ὕδατος. δῆλον δὲ ὅτι κατέβη. ἰδοὺ οὖν κατάδυσις, καὶ οὐ ῥαντισμός. ἀλλὰ καὶ ὁ σοφὸς Ἰωάννης ὁ Ζωναρᾶς ἐξηγούμενος τὸν ἀποστολικὸν ν΄. κανόνα, φάσκοντα, εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, λέγει, τρία βαπτίσματα τὰς τρεῖς καταδύσεις φησὶν ὁ κανών. Tribus immersionibus, non trina infusione utentes. Baptizabant enim veteres non manibus suis aquam baptizandis aspergentes, sed trina immersione Evangelica dicta sequentes. Ascendit enim, aiunt, ex aqua. Ergo antè descenderat. Ecce immersio, non aspersio. Sed & sapiens Joannes Zonaras in expositione Apostolici quinquagesimi Canonis, qui est, Si quis Episcopus, aut Presbyter non tria baptismata unius initiationis peregerit; tria, inquit, baptismata, tres immersiones vocat Canon. Itaque Hieremias tum ἐπίχυσιν infusionem, tum ῥαντισμὸν aspersionem rejicit à Baptismo.

Marcus quoque Ephesiorum antistes, infamis hæresiarcha, infusionem non approbans, non unum, sed duo baptismata videtur agnoscere. Sic enim scribit in illa epistola Encyclica. δύο δὲ βαπτίσματα (π-

λοῦται) τὸ μὲν διὰ τριτῆς καταδύσεως τελειοῦν. τὸ δὲ δι' ἐπιχύσεως ὕδατος ἐκ κορυφῆς ἄνωθεν.
» Bina quoque baptiſmata peraguntur, al-
» terum, quod trina immerſione perficit ba-
» ptizatum, alterum, quod aquæ infuſione
» à ſummo vertice confertur. Reprehendit iſte λῃποτάκτης antiſtites Græcos, quòd conjuncti fuerint cum Latinis, & tamen inter cætera, quæ ipſe recenſet abſurda, duo etiam baptiſmata fieri patiantur, unũ Græcorum per trinam immerſionem, alterum Latinorum per infuſionem.

Ergo ut objectioni occurramus, ſanctus Cyprianus in medium adducendus eſt, qui
» lib. 4. epiſt. 7. ita ſcribit. Exiſtimamus in
» nullo mutilari, & debilitari poſſe beneficia
» divina: nec minus aliquid illic poſſe con-
» tingere, ubi plena, & tota fide dantis, & ſu-
» mentis accipitur, quod divinis muneribus
» hauritur. Neque enim ſic in Sacramento
» ſalutari, delictorum contagia, ut in lava-
» cro carnali & ſæculari ſordes cutis & cor-
» poris abluuntur, ut & ſapone, & nitris, &
» cæteris quoque adjumentis, & dolio, &
» piſcina opus ſit: quibus ablui, & mundari
» corpuſculum poſſit: aliter pectus credentis
» abluitur, aliter mens hominis per fidei me-
» rita mundatur. Et paulò pòſt. Nec quem-
» quam movere debet, quòd aſpergi, vel
» perfundi videntur ægri, cùm gratiam Do-
» minicam conſequuntur, quando Scriptura
» ſancta per Ezechielem Prophetam loqua-
» tur, & dicat: Et aſpergam ſuper vos aquam
» mundam, & mundabimini ab omnibus
» immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimu-
» lacris veſtris, & mundabo vos, & dabo vo-
» bis cor novum, & ſpiritum novum dabo in
» vobis. Item in Numeris (cap. 8.) & ho-
» mo, qui fuerit immundus uſque ad veſpe-
» ram, hic purificabitur die tertio, & die ſe-
» ptimo, & mundus erit. Si autem non fue-
» rit purificatus die tertio, & die ſeptimo,
» non erit mundus, & exterminabitur anima
» illa de Iſraël, quoniam aqua aſperginis non
» eſt ſuper eum adſperſa: & iterum. Loquu-
» tus eſt Dominus ad Moyſen dicens: accipe
» Levitas de medio filiorum Iſraël & purifi-
» cabis eos, & ita facies purificationem eo-
» rum, circumſperges eos aqua purificatio-
» nis: & iterum, aqua aſperſionis, purifica-
tio eſt. Unde apparet aſperſionem quo- «
que vim lavacri ſalutis obtinere; & quan- «
do hæc in Eccleſia fiunt, ubi ſit & dantis, «
& accipientis fides integra, ſtare omnia, & «
conſummari, ac perfici eos ſalutari aqua, «
& fide legitima, Chriſti gratiam conſe- «
quutos. Sic Cyprianus ſanctiſſimus, & ſapientiſſimus Doctor, & Martyr, quem totus Chriſtianus orbis pluris facit, quàm decem millia Schiſmaticorum. Neque argumenta Hieremiæ quicquam concludunt. In primis, Canon Apoſtolicus, quem interpretatur Zonaras, modò ſit Apoſtolicus, non tam immerſionem, nec ternarium numerum, quàm formam baptiſmi, ut alibi diximus, poſtulare videtur; recenſet tamen immerſionem, & trinam immerſionem, quòd is eſſet eo tempore mos in Eccleſia Dei conferendi Baptiſmum, quamvis ἀδιάφορος. Concilium verò primum Conſtantinopolitanum (ſi quis nobis illud pariter objiciat) non quidem immerſionem, ſed ternarium numerum immerſionis lege poſitiva, & Eccleſiaſtica potius exigit, & urget. Idque propter Eunomianos, qui & peccabant in forma baptiſmi, & unica merſione utebantur ad declarandam, ſecundùm ſuum errorem, unicam perſonam Deitatis. Deinde, ex illis verbis, cùm Jeſus baptizatus eſt, aſcendit de aqua, colligitur quidem quamvis non certò, ſed probabiliter, Chriſtum Dominum fuiſſe baptizatum per immerſionem, & ſi fiat hoc modo Baptiſmus, eum valere, quis negat? Non tamen exemplum Chriſti ſemper Eccleſia in omnibus eodem modo eſt imitata. Alioquin doceat nos Hieremias, & probet, qua ratione Apoſtoli per immerſionem, & trinam immerſionem uno die tria millia, Actor. 2. & altero die quinque millia virorum, Actor. cap. 4. potuerint baptizare? Ut interim omittam integra regna, & populos, quos deinde ad Chriſti fidem converſos baptizarunt. Miror autem cur Hieremias non etiam flumen requirat, quandoquidem omnia fieri ad Chriſti Domini exigit normam. Præterquam quòd baptiſmus, quo baptizatus eſt Chriſtus à Joanne, non fuit baptiſmus Chriſti, ſed baptiſmus Joannis, qui totos

ne homines in flumen immergeret, non adeo certum est, & certum est, eum non trinam exhibuisse immersionem, seu infusionem; neque enim baptizabat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quod proprium fuit Apostolorum, nondum eo tempore, mysterio divinissimæ Trinitatis communiter omnibus patefacto; sed more Judæorum, qui variis abundabant baptismatis, audita confessione peccatorum, pœnitentes abluebat; adeò ut non sit semper tutum, relicta traditione, & consuetudine Ecclesiæ, in omnibus regulam sumere à factis Christi, qui tametsi per immersionem baptizatus est, tamen ob aliam significationem, quæ minimè nobis convenit. Ut enim Nazianzenus ait oratione in sancta lumina, ascendit Jesus de aqua, secum quodammodo demersum educens, & elevans mundum.

Itaque Baptismus Christi trifariam potest absolvi, vel immersione, idque denotat nomen Baptismi. Quæ quidem immersio & emersio consepelitionem, & resurrectionem cum Christo significat. Et si trina sit, mysterium indicat sanctissimæ Trinitatis: si una, unitatem Deitatis, præsertim apud Catholicos. Et hoc modo probabile est, ut diximus, fuisse baptizatum Christum. Vel effusione juxta illud Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Qua ratione longè probabilius esse duco, Christum fuisse baptizatum. Quamvis enim secundùm majorem partem corporis, Christus se in fluvium immerserit, secundùm quam etiam dicitur ascendisse de aqua, tamen Joannes super caput Christi supereminens aquæ, effudit aquam, & eum baptizavit. Quæ est opinio communis, picturis quoque expressa, & consentanea. Atque in Græcia non paucos memini me vidisse, præsertim adultos æquè Judæos, atque Turcas ad fidem Christi conversos hoc modo baptizatos. Vel denique aspersione, de qua illud Regium Davidicum intelligi potest, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Unde Cyrillus Hierosolym. 3. Catechesim sic exorsus est, εὐφραίνεσθε οὐρανοὶ, καὶ ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ διὰ τοὺς μέλλοντας ὑσσώπῳ ῥαντίζεσθαι, καὶ καθαρίζεσθαι ὑσσώπῳ τῷ νοητῷ. Lætentur cœli, & exultet terra, propter eos, qui aspergendi sunt hyssopo, & mundandi hyssopo spirituali. Qua videlicet aspersione facile fuit Apostolis, multa millia hominum baptizare, idque sine aliis ceremoniis, quas iidem Apostoli, eorumve suppares, aut alij Pontifices postea instituerunt, simplici quoque usurpata forma, ut si Apostoli, eorumque discipuli seorsim pronunciaverint, Ego vos baptizo, vel, baptizantur servi Dei, & plures aqua simul asperserint. Præsertim cùm & sanctus Cyprianus loco citato; aspersione posse fieri baptismum, probet ex aqua purificationis, quæ etiam aspersionis dicebatur, eratque typus Baptismi.

Apostolos itaque tot millia hominum, & regna integra, & amplissima imperia eodem modo aspersione baptizasse, nedum verisimile, sed etiam certum esse videtur. Immo Græci hac sua nimia copia aquæ Baptismi ægros infantes suffocant, & illis mortem accelerant. Unde & irregularitas oriri potest.

De Ministro Baptismi.

Caput XI.

Postquam de materia, & forma Baptismi egimus, superest, ut de legitimo hujus Sacramenti Ministro aliquid dicamus: quod eo alacriùs aggredior, quo totam ferme Græciam, Russiam, Moscoviam, & alias provincias, quæ in fide Christi ritu Græco perseverant, ex imperitia in eo versari errore, scrupulo, & religione animadverto; ut absente Presbytero, malint permittere, ut infantes sine baptismo è vita decedant, quàm eos salutari lavacro abluere; quòd existiment sibi laïcis ne in necessitate quidem licere hoc munere fungi.

Porro hac in re nullo utor argumentandi genere, sed Græcorum sententias in medium proferam, qui ne minimum

quidem à Latinis diſſentiunt.

Omiſſis itaque Epiſcopis, & Preſbyteris, quos ordinarios eſſe Baptiſmi Miniſtros omnes concedunt,

De Diaconis, quod in abſentia Epiſcoporum, ac Preſbyterorum, proinde extraordinariè baptizare poſſint, extat Canon 13. Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ in hæc verba. κατ' ἀνάγκην πείσασιν καὶ μοναχὸς λιτὸς, ὡσαύτως καὶ διάκονος βαπτίζει. Pro neceſſitate etiam ſimplex Monachus, ſimiliter & Diaconus baptizat. Et patet ex ſacra Scriptura. Philippus enim, qui in itinere baptizaverat Eunuchum, unus ex ſeptem erat Diaconis.

De laïcis, & ſæcularibus ejuſdem Nicephori circumfertur Canon 16. χρὴ τὰ ἀβάπτιστα νήπια, ἐὰν εὑρεθῇ τις εἰς τόπον μὴ ὄντος ἱερέως βαπτισθῆναι. εἰ βαπτίσει δὲ καὶ ὁ ἴδιος πατὴρ, ἢ οἷος δή ποτε ἄνθρωπος, μόνον εἰ ἔστι χριστιανὸς, οὐκ ἔστιν ἁμαρτία. Infantes non baptizatos oportet, (ſi quo loco reperiatur quis, ubi non ſit Sacerdos) baptizari. Quod ſi vel pater, aut quilibet alius, modò ſit Chriſtianus, eos baptizaverit, peccatum non committit. Idem docet Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in cap. 7. ſuæ cenſuræ. τὸ βάπτισμα τὸ παρὰ ἀνιέρου διὰ ἀνάγκην οὐκ ἀποβάλλεται. Baptiſmus in neceſſitate à non conſecrato collatus, minimè rejicitur. Et patet ex Canone citato Nicephori, juxta quem ſimplex Monachus baptizare poteſt. Idem concedit Philadelphienſis. Et clariſſimè conſtat ex hiſtoria ſancti Athanaſij, qui puer exiſtens, pueros baptizaverat. Et præterea colligitur ex eo, quòd Patres in ſuis ſcriptis, & Conciliis æquè Græci, atque Latini, Canonem ſancti Cypriani de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati eſſent, abrogaverint. At non poterant ignorare inter hæreticos, qui baptiſmum contuliſſent, aliquos fuiſſe, qui non haberent veros ſacros Ordines, ſed eſſent merè laïci, ut ſunt hodie hac noſtra ætate hæretici Septentrionales: immo S. Cyprianus, & Firmilianus Archiepiſcopus Neocæſarienſis propterea rebaptizabant hæreticos & ſchiſmaticos, quòd eorum Antiſtites, ab Eccleſia ſeparatos, judicarent in laïcorum ſortem redactos fuiſſe, & amiſiſſe donum conferendi ſacros Ordines, & ſanctum Baptiſmum. Quam rationem refert Baſilius in Epiſtola Canonica ad Amphilochium cap. 1. Et quamvis ratio revera non ſit ſolida, ea tamen non rejecta, Baſilius de hujuſmodi Baptiſmo hæreticorum (quos alioquin Baſilius vocat ſchiſmaticos) enunciat ἔστω δεκτὸν, recipiatur. Quare cenſebat Baſilius baptiſmum laïci tenere. Unde quod ait Simeon Theſſal. οὐδεὶς βαπτίζει, εἰ μὴ χειροτονίαν ἔχει. Nemo baptizat, niſi per manus impoſitionem ſacrum Ordinem habeat; vel ordinariè, & extra neceſſitatem intelligendum eſt, vel ut falſiſſimum rejiciendum.

Sed hîc poſſet aliquis Gregorium Nazianzenum nobis opponere, qui oratione in ſacrum lavacrum loquens de miniſtro Baptiſmi, videtur ſentire, non poſſe hæreticum baptizare. Sic enim habet: σοὶ δὲ πᾶς ἀξιόπιστος εἰς τὴν κάθαρσιν, μόνον ἔστω τις τῶν ἐγκρίτων, καὶ τῶν μὴ περιφανῶς κατεγνωσμένων, μηδὲ τῆς ἀληθείας ἀλλότριος. Tibi verò ſit quilibet dignus, & idoneus ad purgationem, modò inter probatos cenſeatur, ac non apertè condemnatus, neque alienus à veritate. Et paulò poſt: οὕτως ἔστω σοι πᾶς βαπτιστής· κἂν τῇ πολιτείᾳ προέχῃ, ἀλλ' ἥ γε τοῦ βαπτίσματος δύναμις ἴση. καὶ τελεσιουργὸς σοι πᾶς ὁμοίως ὁ τῇ αὐτῇ πίστει μεμορφωμένος. Sic tibi quoque ſit omnis baptizator: quòd ſi conditione excellit, ęqualis tamen Baptiſmatis vis eſt. Et initiator ſimiliter ſit tibi quilibet, qui eadem ſide ſit informatus. Et circa finem Orationis ad eum qui non eſt imbutus fide Catholica: ζήτει τὸν βαπτιστὴν, ἢ καταβαπτιστήν. Quęre, inquit, qui te tingat, vel potius extinguat: ut ingenioſè in verſione alluſit Billius.

Reſpondeo, Nazianzenum reprehendere eos, qui nimis ambitioſè eligebant ſibi miniſtros baptiſmatis. Quocirca hortatur eos, ne dicant talem, & talem baptizantem poſco: μὴ εἴπῃς, ἐπίσκοπος βαπτισάτω με· καὶ οὗτος μητροπολίτης, ἢ ἱεροσολυμίτης. οὐ γὰρ τόπων ἡ χάρις, ἀλλὰ τοῦ πνεύματος. καὶ οὗτος τῶν εὖ γεγονότων. δεινὸν γὰρ εἰ τῷ βαπτιστῇ τὸ εὐγενές μου καθυβρισθήσεται. ἢ πρεσβύτερος μὲν, ἀλλὰ καὶ οὗτος τῶν ἀγάμων, καὶ οὗτος τῶν ἐγκρατῶν, καὶ ἀγγελικῶν τὴν πολιτείαν. Ne dicas, Epiſcopus me baptizet,

& is quidem Metropolita, vel Hierosolymita. Non enim locorum, sed Spiritus est gratia. Atque is claro genere ortus: grave enim fuerit, si baptizatore nobilitas mea injuria afficietur. Vel Presbyter quidem sit, sed minimè matrimonio junctus, & is quidem continens, & eorum, qui angelicum vitæ institutum imitentur. Ad hæc respondet Nazianzenus, sit tibi quilibet baptizator. Addit autem universè, modò inter probatos censeatur, ac non apertè condemnatus, neque alienus ab Ecclesia, & eadem fide informatus: tum quia inter hæreticos erant qui ex defectu formæ Baptismi verè non baptizarent: tum quia vir sanctus optabat, & volebat, ut Catholici à Catholicis baptizarentur, & effectum Baptismatis assequerentur. Non autem enunciat, baptismum hæreticorum esse invalidum. Quin ipse cum cæteris Patribus, qui Concilio Constantinopolitano interfuerunt cap. 7. statuit, quinam hæreticorum rebaptizandi forent, qui solùm unguento ungendi. Unde quorundam hæreticorum in forma Baptismi non peccantium ratum habuit baptismum. Ex verbis tamen Theologi, tam amplè, & universè prolatis, possumus colligere laïcum posse baptizare.

Basilius Magnus in Epistola Canonica ad Amphilochium cap. I. recenset duo genera baptismatum. Ut autem indicet, quænam sint rata & valida, quæ nulla, & irrita, distinguit, secundùm sententiam antiquorum, quam approbat, inter hæresim, schisma, & παρασυναγωγὴν, hoc est, adulterinam congregationem. Qua distinctione posita, enunciat, hæreticorum nullum esse baptismum; sed omnino iterandum. Et miratur Dionysium Martyrem Archiepiscopum Alexandrinum, cæteroquin Canonistam, hoc ignorasse, neque rebaptizasse hæreticos Pepuzenos. De Baptismate verò schismaticorum dicit, servandum esse morem Provinciæ: alicubi enim rebaptizabantur, alicubi verò minimè. De postremis nihil dicit, quod attinet ad Baptismum: quòd hi, qui conventicula agere solebant, reciperentur, ab Ecclesia restituta eis pristina dignitate, atque imposita illis salutari pœnitentia.

De secundo genere hominum, hoc est schismaticorum, alterum etiam Canonem idem Basilius edidit, qui est ordine 47. in quo recenset, quinam hujusmodi homines rebaptizarent, qui verò minimè. Ipse verò in eam propendet sententiam, ut censeat rebaptizandos esse; réque ipsa se solitum esse rebaptizare fatetur. Et cuperet quidem, ut cæteri quoque idem præstarent, atque ut Concilium aliquot Episcoporum hoc statueret; sed Synodus Constantinopolitana planè oppositum postea definivit.

Notandum Basilium, quantum ex verbis ipsius colligere licet, per hæreticos in primo Canone κατ' ἐξοχὴν intelligere eos, qui errant in mysterio sanctissimæ Trinitatis, seu aliqua divina persona, & per consequens explicitè in forma Baptismi. Ait enim de hujusmodi hæresi: εὐθὺς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς Θεὸν πίστεώς ἐστιν ἡ διαφορά. Statim enim (& quasi dicat immediatè, ac directè) circa ipsammet in Deum fidem est differentia. Unde ait antiquos judicasse recipiendum esse illud Baptisma: τὸ μηδὲν τῆς πίστεως παρεκβαῖνον, videlicet immediatè, τῆς εἰς Θεὸν πίστεως. At quodnam illud est, quod non deflectit ab ea, quæ in Deum est, fide? Ex verbis Basilij colligitur illud esse quod fit κατὰ τὰ παραδεδομένα ἡμῖν. Et cōtrarium, quod nō fit secundùm ea quæ nobis sunt tradita: hoc est, non fit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quocirca rejiciens baptismum Pepuzenorum ait: τίνα οὖν λόγον ἔχει τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι, τῶν βαπτιζόντων εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ Μοντανὸν, ἢ Πρίσκιλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ μὴ εἰς τὰ παραδεδομένα ἡμῖν βαπτισθέντες. Quæ ratio est, ut approbetur horum Baptismus, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, seu Priscillam baptizant? Nec enim sunt baptizati, qui secundùm ea, quæ nobis sunt tradita, non sunt baptizati. Et hac ratione Basilius unà cum antiquis Patribus meritò explodit sententiam Dionysij, & universè docet, omnes hæreticos baptizandos. Hæreticos inquam strictè acceptos. Per schismaticos intelligit Basilius eos, qui non errant immediatè in commemorata fide, ut errabant Ariani, neque

etiam in forma baptiſmi, ut Eunomiani, Pepuzeni, Valentiniani, Manichæi, Marcioniſtæ, &c. Sed in aliis dogmatibus fidei, quales ſunt Novatiani, Encratitæ, Sarcophori, Apotactitæ, & id genus. Quos alioquin ſanctus Epiphanius clarè appellat hæreticos, utque tales ſuis ſcriptis confutat. Quin & ipſe Baſilius eorum κακοδοξίαν, in capite 47. hæreſim appellat, καὶ ἀποβλάστημα Μαρκιωνιστῶν, & germen Marcioniſtarum. Eccleſia quoque modò idem judicium fert de illis, atque ut hæreticos damnat.

Præterea, obſervandum eſt, Baſilium duplicem aſſignare cauſam anabaptiſmi. Alteram in primo Canone, defectum fidei, annexum defectui formæ Baptiſmi. Ob quem antiqui Patres meritò rebaptizabant hæreticos primi generis, qui etiam explicitè errabant in forma baptiſmi. Alteram, ſimpliciter errorem non formæ, ſed fidei. Propter quem ipſemet Baſilius rebaptizabat ſchiſmaticos, hoc eſt hæreticos ſecundi generis. Quæ fuit ſententia peculiaris Cypriani, Firmiliani, & Baſilij: μὴ γὰρ λεγέτωσαν ὅτι εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα βαπτίζονται, οἵγε κακῶν ποιητὴν ὑποτιθέμενοι τὸν θεὸν ἐφαμίλλως τῷ Μαρκίωνι, καὶ ταῖς λοιπαῖς αἱρέσεσι. Ne dicant, inquit Baſilius, ſe baptizari in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, qui Deum malorum effectorem eſſe ſupponunt, non ſecus atque Marcion ipſe, cæteræque hæreſes. Quaſi dicat, non ſatis eſt dicere, ſe uti vera forma Baptiſmi, ſi de Deo creatore malè ſentiunt.

Hujuſmodi hæreticos, veram adhibentes formam Baptiſmi, cur Baſilius rebaptizarit, cauſam ſufficientem non video. Idque contra ſententiam antiquorum. Sic enim habet in primo Canone: ἔδοξε τοῖς ἐξ ἀρχῆς τὸ μὲν τῶν αἱρετικῶν (βάπτισμα) παντελῶς ἀθετῆσαι, τὸ δὲ τῶν ἀποσχισάντων, ὡς ἔτι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ὄντων, παραδέξασθαι. Viſum eſt majoribus noſtris baptiſmum hæreticorum penitus improbare, ſchiſmaticorum verò, ut qui adhuc ſint Eccleſiæ, Baptiſmum admittere.

Fortè Baſilius exiſtimavit hos poſtremos degeneraſſe in hæreſim primi generis, cujus germina ſunt poſtremæ hæreſes. At hoc non ſatis eſt ad improbandum eorum baptiſmum, modò explicitè non errent ipſi in forma, ut peccant priores. Item Baſilius in eo primo Canone neſcio qua de cauſa eſt indifferens, ut doceat, & rebaptizandos eſſe, & non rebaptizandos οἰκονομίας ἕνεκα, œconomiæ, & moderationis gratia. Hoc eſt, ut interpretatur Zonaras, ἵνα μὴ διὰ τὴν ἀκρίβειαν ὀκνηροτέρους αὐτοὺς ποιήσωμεν, εἰς τὸ προσέρχεσθαι τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. Ne propter nimiam, & accuratam diligentiam ſegniores eos reddamus ad accedendum in Catholicam Eccleſiam. Ut Matthæus Blaſterius in ſuo Nomocanone ait, προνοίᾳ τοῦ πλείονας οὕτω τῇ καθολικῇ προστίθεσθαι πίστει. Providentia quadam, ut hac ratione multò plures ad Catholicam accedant fidem. Quas expoſitiones ex verbis Baſilij nominati auctores eruunt. Neſcio, inquam, qua de cauſa ita judicet Baſilius. Non enim in noſtra eſt poſitum poteſtate immutare naturam Baptiſmi, qui illud ſibi peculiare, & de jure divino habet, ut ſi adſint cauſæ conſtituentes, & validus ſit, & nefas ſit eum amplius iterare; & ſi deſint cauſæ, & circumſtantiæ neceſſariæ, nulla hominum voluntate, nullo arbitrio validus effici poſſit. Quę igitur iſta eſt œconomia, ut propterea modò validus, modò nullus cenſeri debeat?

Animadvertant itaque Græci noſtri temporis, quantum ſuis, immo noſtris ſanctis, & Doctoribus tribuant. Ergo, inquiet aliquis, cum hæreticis, Doctores Eccleſiæ, quippe homines, confutandos, atque rejiciendos cenſes? Non hoc, apage, ſed extrema fugienda moneo. Non enim quandoque ſatis eſt dicere, hoc Baſilius ait, illud Chryſoſtomus docet. Non quòd auctoritatem tantorum virorum, & Eccleſiæ Catholicæ Doctorum non magnifaciamus, & ęſtimemus, eorumque ſententias ut plurimùm, & fere ſemper avidè ſequamur, quod non faciunt hęretici: ſed quòd optimè noverimus, quid inter θεόπνευστον γραφὴν, & illorum ſcripta interſit. In eam ſiquidem, quippe à Deo

conditam, & divinitùs inſpiratam, nullum mendum, ne veſtigium quidem mendi, nulla ſuſpicio mendacij cadere poteſt. In ſanctorum Commentarios, quantumvis licet eruditiſſimos, humani errores aliquando irrepſerunt. Ut igitur Baſilius meritò rejicit Dionyſium Martyrem in illo priori, ita nos Baſilium in hoc poſteriori. Idque cum Concilio ſecundo Oecumenico Conſtantinopolitano capite 7. ubi ſtatuitur, commemoratos hæreticos, quos Baſilius appellat Schiſmaticos, non eſſe rebaptizandos.

Quamobrem Zonaras in expoſitione hujus Canonis Baſiliani, ſic habet ad verbum, περὶ τοῦ εἰ χρὴ βαπτίζεσθαι τοὺς Ναυατιανοὺς ἡ ἐρώτησις ἦν. οὗτοι γὰρ ὠνόμαζον ἑαυτοὺς καθαρούς. περὶ τούτου φησὶν ὁ ἅγιος, ὅτι καὶ πρότερον εἴρηται. τὸ δὲ προειρημένον φαίνεται εἶναι, ἐκ τοῦ εἰπεῖν, καλῶς ἀπεμνημόνευσας, τὸ ἕπεσθαι τῷ ἔθει τῆς καθ' ἑκάστην χώραν. διὰ τὸ διαφόρως ἐνεχθῆναι περὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτῶν. ἄλλοι γάρ φησιν ἄλλως εἶπον, πῶς δεῖ αὐτοὺς προσερχομένους δέχεσθαι, καὶ διηνέχθησαν ταῖς γνώμαις. ταῦτα μὲν ὁ μέγας Βασίλειος. ὁ δὲ τελευταῖος κανὼν τῆς δευτέρας συνόδου, μὴ ἀναβαπτίζεσθαι λέγει αὐτούς, ἀλλὰ μόνον χρίεσθαι τῷ ἁγίῳ μύρῳ. τοῦτον οὖν πάντως δέοι κρατεῖν, ὅτι τε μεταγενέστερός ἐστι κανὼν, καὶ ὅτι συνοδικὸς, καὶ συνόδου οἰκουμενικῆς. Utrum oporteat baptizare Novatianos, interrogatio erat. Hi enim ſeipſos nominabant puros. Hujus ſolutionem etiam priùs datam eſſe affirmat Sanctus. Qualis verò fuerit ſolutio apparet ex eo, quòd dixerit, rectè commemoraſti, ſequendam eſſe conſuetudinem cujuſque provinciȩ. Quod de Baptiſmate horum varias ſententias tulerint. Alij enim aliter dixerunt, & ſententiis inter ſe diſſidentes fuerunt. Hȩc quidem magnus Baſilius; poſtremus verò Canon ſecundȩ Synodi, non eſſe rebaptizandos enunciat, ſed ſolummodo ſacro unguento ungendos. Hunc igitur omnino opus eſt cæteris antecellere, tum quia poſterior ſit Canon, tum quia Synodicus & Synodi Oecumenicæ. Hucuſque Zonaras.

Ut ob eam cauſam neque magnus Baſilius, ſi aliter ſenſerit, in reprehenſionem incurrerit, quòd ȩtate Decreta Concilij anteceſſerit, paratus ſine dubio mutare ſententiam, ſi Concilio interfuiſſet, vel ſuperfuiſſet, qui Concilium, ut eam rem definiret optavit. Unde rectè Zonaras in expoſitione 47. Canonis, οὐδὲ ὁ μέγας Βασίλειος ὡς κανόνα τοῦτον ἐξεφώνησεν, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν γνώμην ἐδήλωσε πρὸς ἐρώτησιν. εἶτα ἐπήγαγεν, ὥσπερ καὶ αὐτὸς μὴ βεβαίως πρὸς τὸ ἐρωτηθὲν διακείμενος, τὸ, ὥστε ἐὰν ἀρέσῃ, δεῖ πλείονας ἐπισκόπους ἐν ταυτῷ γενέσθαι, καὶ οὕτως ἐκθέσθαι τὸν κανόνα. Neque magnus Baſilius, ut Canonem hunc edidit, ſed propriam ſententiam interrogatus declaravit. Deinde, quaſi & ipſe non aſſeveranter ad interrogata reſpondeat, illud ſubjunxit: Quocirca ſi placuerit, oportet plures Epiſcopos ſimul conuenire, atque ita edere Canonem. Balſamon quoque in expoſitione ejuſdem Canonis. Præſens, ait, Canon non eget interpretatione, quia nec ut decretum à Sancto ſcriptum eſt, ſed ut ſententiȩ ſuȩ explicatio. Legitimam enim conſtitutionem ad Synodalem definitionem remiſit. Sic interpretes Baſilij jure optimo in gratiam tanti Doctoris.

Sed ſi de ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris ita ſentiendum quandoque eſt, quid de aliis Grȩcorum Doctoribus dicemus, qui in ipſo ardore ſchiſmatis vixerunt? quales nimirum extitere Photius, Coryphȩus ſchiſmatis, lingua, & calamo ad laceſſendum homo promptiſſimus. Joannes Phariſaïcus jejunator, quem Innocentius tertius ſcribens ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum aſſerit, obiiſſe excommunicatum. Michaël ὁ ἐν ζυμίτης, item Zonaras, Nicolaus Cabaſilas, Gregorius Palamas, Camaterus, Phurna, Pſellus, Moſchambares, Burgarias, Nicolaus Methonenſis, Matthȩus Blaſtarius, Panaretus, Marcus Eugenicus Epheſius, & ſi qui ſunt alij τοῦ πονηροῦ κόμματος, à quorum venenatis, ac peſtiferis ſcriptis, ſimplicioribus hominibus valdè cavendum eſt.

Sed his omiſſis prȩſtat commemoratos Canones Baſilianos integros hîc tranſcri-

bere, ut quilibet dijudicare valeat, veráne sint, quæ de illo diximus, atque ut nulla res studium lectoris retardare possit.

Canon primus Basilianus.

Τὸ μὲν οὖν περὶ τοὺς καθαροὺς ζήτημα καὶ εἴρηται πρότερον, καὶ καλῶς ἀπεμνημόνευσας, ὅτι δεῖ τῷ ἔθει τῷ καθ' ἑκάστην χώραν ἕπεσθαι. διὰ τὸ διαφόρως ἐνεχθῆναι περὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτῶν τοὺς τότε περὶ τούτων διαλαμβάνοντας. τὸ δὲ τῶν Πεπουζηνῶν οὐδένα μοι λόγον ἔχειν δοκεῖ. καὶ ἐθαύμασα, πῶς κανονικὸν ὄντα τὸν Διονύσιον παρῆλθεν. ἐκεῖνο γὰρ οἱ παλαιοὶ ἔκριναν δέχεσθαι βάπτισμα, τὸ μηδὲν τῆς πίστεως παρεκβαῖνον. ὅθεν τὰς μὲν αἱρέσεις ὠνόμασαν, τὰ δὲ σχίσματα, τὰς δὲ παρασυναγωγάς. αἱρέσεις μὲν, τοὺς παντελῶς ἀπερρηγμένους, καὶ κατ' αὐτὴν τὴν πίστιν ἀπηλλοτριωμένους. σχίσματα δὲ, τοὺς δι' αἰτίας τινὰς ἐκκλησιαστικὰς, καὶ ζητήματα ἰάσιμα πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντας. παρασυναγωγὰς δὲ, τὰς συνάξεις, τὰς παρὰ τῶν ἀνυποτάκτων πρεσβυτέρων, ἢ ἐπισκόπων, καὶ παρὰ τῶν ἀπαιδεύτων λαῶν γινομένας. οἷον εἴ τις ἐν πταίσματι ἐξετασθεὶς, ἐπεσχέθη τῆς λειτουργίας, καὶ μὴ ὑπέκυψε τοῖς κανόσιν, ἀλλ' ἑαυτῷ ἐξεδίκησε τὴν προεδρείαν καὶ λειτουργίαν. καὶ συναπῆλθον τούτῳ τινὲς, καταλιπόντες τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν. παρασυναγωγὴ τὸ τοιοῦτον. σχίσμα δὲ, τὸ περὶ μετανοίας διαφόρως ἔχειν πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. αἵρεσις δὲ, οἷον τῶν Μανιχαίων, τῶν Οὐαλεντίνων, καὶ Μαρκιωνιστῶν, καὶ αὐτῶν τούτων τῶν Πεπουζηνῶν. εὐθὺς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς θεὸν πίστεώς ἐστιν ἡ διαφορά. ἔδοξε τοίνυν τοῖς ἐξ ἀρχῆς, τὸ μὲν τῶν αἱρετικῶν παντελῶς ἀθετῆσαι. τὸ δὲ τῶν ἀποσχισάντων, ὡς ἔτι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ὄντων, παραδέξασθαι. τοὺς δὲ ἐν ταῖς παρασυναγωγαῖς μετανοίᾳ ἀξιολόγῳ, καὶ ἐπιστροφῇ βελτιωθέντας, συνάπτεσθαι πάλιν τῇ ἐκκλησίᾳ. ὥστε πολλάκις καὶ τοὺς ἐν βαθμῷ συναπελθόντας τοῖς ἀνυποτάκτοις, ἐπειδὰν μεταμεληθῶσιν, εἰς τὴν αὐτὴν παραδέχεσθαι τάξιν. οἱ τοίνυν Πεπουζηνοὶ προδήλως εἰσὶν αἱρετικοί. εἰς γὰρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐβλασφήμησαν, Μοντανῷ καὶ Πρισκίλλῃ τὴν τοῦ παρακλήτου προσηγορίαν ἀθεμίτως καὶ ἀναισχύντως ἐπιφημίσαντες. εἴτε οὖν ὡς ἀνθρώπους θεοποιοῦντες, κατάκριτοι. εἴτε ὡς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῇ πρὸς ἀνθρώπους συγκρίσει καθυβρίζοντες, καὶ οὕτως τῇ αἰωνίᾳ καταδίκῃ ὑπεύθυνοι. διὰ τὸ ἀσυγχώρητον εἶναι τὴν εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον βλασφημίαν. τίνα οὖν λόγον ἔχει τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι, τῶν βαπτιζόντων, εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ Μοντανὸν, ἢ Πρισκίλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ μὴ εἰς τὰ παραδεδομένα ἡμῖν βαπτισθέντες. ὥστε εἰ καὶ τὸν μέγαν Διονύσιον τοῦτο παρῆλθεν, ἀλλ' ἡμῖν οὐ φυλακτέον τὴν μίμησιν τοῦ σφάλματος. τὸ γὰρ ἄτοπον αὐτόθι πρόδηλον καὶ πᾶσιν ἐναργὲς, οἷς τι καὶ μικρὸν τοῦ λογίζεσθαι μέτεστιν. οἱ καθαροὶ καὶ αὐτοὶ τῶν ἀπεσχισμάτων εἰσίν, πλὴν ἀλλ' ἔδοξε τοῖς ἀρχαίοις τοῖς περὶ Κυπριανὸν λέγω, καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἡμέτερον τούτοις πάντας μιᾷ ψήφῳ ὑποβαλεῖν, Καθαροὺς καὶ Ἐγκρατίτας, καὶ Ὑδροπαραστάτας. διότι ἡ μὲν ἀρχὴ τοῦ χωρισμοῦ διὰ σχίσματος γέγονεν. οἱ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἀποστάντες οὐκέτι ἔσχον τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ἑαυτούς. ἀπέλιπε γὰρ ἡ μετάδοσις τῷ διακοπῆναι τὴν ἀκολουθίαν. οἱ μὲν γὰρ πρῶτοι ἀναχωρήσαντες παρὰ τῶν πατέρων ἔσχον τὰς χειροτονίας, καὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτῶν εἶχον τὸ χάρισμα τὸ πνευματικόν. οἱ δὲ ἀπορραγέντες, λαϊκοὶ γενόμενοι, οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον ἐξουσίαν. οὔτε ἠδύναντο χάριν πνεύματος ἁγίου ἑτέροις παρέχειν, ἧς αὐτοὶ ἐκπεπτώκασι. διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους, τοὺς παρ' αὐτῶν, ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι. ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν. τὸ δὲ τῶν Ἐγκρατιτῶν κακούργημα νοῆσαι ἡμᾶς δεῖ. ὅτι ἵνα ἀπροσδέκτους αὐτοὺς ποιήσωσι τῆς ἐκκλησίας, ἐπεχείρησαν λοιπὸν ἰδίῳ προκαταλαμβάνειν βαπτίσματι. ὅθεν καὶ τὴν συνήθειαν τὴν ἑαυτῶν παρεχάραξας. νομίζω τοίνυν ὅτι ἐπειδὴ οὐδέν ἐστι περὶ αὐτῶν φανερῶς ἀπηγορευμένον, ἡμᾶς προσῆκεν ἀθετεῖν αὐτῶν τὸ βάπτισμα. κἂν τις ᾖ παρ' αὐτῶν εἰληφὼς, προσιόντα τῇ ἐκκλησίᾳ βαπτίζειν. ἐὰν μέντοι μέλλοι τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἡ οἰκονομία ἐμπόδιον ἔσεσθαι, τούτῳ πάλιν χρηστέον τῷ ἔθει, καὶ τοῖς οἰκονομήσασι τὰ καθ' ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον. ὑφορῶμαι γὰρ μή ποτε ὡς βουλόμεθα ὀκνηρούς αὐτοὺς περὶ τὸ βαπτίζειν ποιῆσαι, ἐμποδίσωμεν τοῖς σωζομένοις διὰ τὸ τῆς προτάσεως αὐστηρόν. εἰ δ' ἐκεῖνοι φυλάσσουσι τὸ ἡμέτερον, τοῦτο ἡμᾶς μὴ δυσωπείτω. οὐ γὰρ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς ὑπεύθυνοι χάριν ἐσμὲν, ἀλλὰ δουλεύειν ἀκριβείᾳ κανόνων. παντὶ δὲ λόγῳ τυπωθήτω, τοὺς ἐπὶ τῷ βαπτισμῷ ἐκείνων προσερχομένους, χρίεσθαι ἐπὶ τῶν πιστῶν δηλονότι, καὶ οὕτω προσιέναι τοῖς μυστηρίοις. οἶδα δὲ ὅτι τοὺς ἀδελφοὺς, τοὺς περὶ Ζώϊον, καὶ Σατορνῖνον ἀπ' ἐκείνης ὄντας τῆς τάξεως, προσεδεξάμεθα εἰς τὴν καθέδραν τῶν ἐπισκόπων, ὥστε τοὺς τῷ τάγματι ἐκείνων συνημμένους, οὐκέτι δυνάμεθα διακρίνειν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, οἷον κανόνα τινὰ τῆς πρὸς αὐτοὺς κοινωνίας ἐκθέμενοι, διὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων παραδοχῆς. De quæsito igitur, quod ad

puros

puros pertinet, & dictum est antea, & rectè modò commemorasti, uniuscuiusque regionis oportere morem sequi: quòd variè senserint de baptismate ipsorum, qui tum de iis disseruerunt. Quęstio autem Pepuzenorum nulla ratione fulciri videtur. Et miratus sum quomodo Dionysium, cęteroquin Canonistam, hoc pręterierit. Veteres enim illum Baptismum suscipiendum iudicarunt, qui nihil à fide deflectit. Unde errores, partim hęreses, partim schismata, partim parasynagogas, hoc est adulterina conciliabula nominarunt. Hęreses quidem eorum, qui omnino abrupti forent, & ab ipsa fide abalienati. Schismata verò eorum, qui ob aliquas Ecclesiasticas causas, quibus mederi poterant, inter se dissidebant. Parasynagogas autem, nefarios cœtus, quos Presbyteri non obedientes, seu Episcopi, & imperitus populus ineunt: ut si quempiam, habita priùs de eo quæstione, à sacro ministerio liturgiæ cohibuerunt, & is Canonibus se non submisit, sed sibi ipse præsidendi dignitatē, & liturgiam vindicavit, & quidam cum eo, relictâ Ecclesiâ Catholicâ, recesserunt, id parasynagoga dicitur. Schisma verò est ab Ecclesia de pœnitentia dissentire. Hæresis autem est, ut Manichæorum, Valentinorum, Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum: statim enim de ipsa in Deum fide est dissensio. Visum est ergo majoribus nostris baptismum hæreticorum penitus improbare, schismaticorum, ut qui ad huc sintEcclesiæ, baptismum admittere. Porro eos qui sunt in Parasynagogis, convenienti pœnitentia, & conversione correctos, rursus cum Ecclesia conjungere, adeo ut sæpe, qui in aliquo gradu dignitatis existentes cum non obsequentibus abierant, postquam eos pœnituerat, in eundem ordinem recepti fuerint. Pepuzeni ergo sunt apertè hæretici, in sanctum enim Spiritum blasphemant, Montano, & Priscillæ Paracleti appellationem nefariè, & impudenter attribuentes. Sive ergo, ut qui homines in divinarum personarum numero collocent, sunt condemnandi: sive ut qui Spiritui sancto cum hominibus collato labem & dedecus inferant, sic quoque sunt æternæ condemnationi obnoxij, eò quòd inexpiabile scelus sit in Spiritum sanctum blasphemia. Quæ igitur ratio, ut horum baptismus approbetur, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, seu Priscillam baptizant? Non enim baptizati sunt qui secundùm normam nobis traditam non sunt baptizati. Quare tametsi magnum Dionysium hoc præteriit, tamen nobis non est servanda erroris imitatio. Ipsa quippe absurditas est omnibus aperta, & evidens, qui modò rationis, vel parva exparte sint participes. Verumenim verò antiquis visum est, Cypriano, inquā, & nostro Firmiliano hos omnes uni calculo subjicere puros, Encratitas, & Hydroparastatas. Quoniam principium quidem separationis per schisma factum est: qui verò ab Ecclesia recesserunt, non amplius habuerunt in se Spiritus sancti gratiam; defecit enim communicatio, successionis serie interrupta: qui enim primi recesserunt, sacris ordinibus initiati erant, & per impositionem manus Patrum, spiritalem gratiam habebant; qui autem abrupti sunt, laïci effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem, neque poterant Spiritus sancti gratiam aliis impertire, à qua ipsi exciderant. Quare eos, qui ab ipsis baptizati erant, tanquam à laïcis baptizatos, jusserunt ad Ecclesiam venientes, vero Ecclesiæ baptismo expurgari. Quoniam verò nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam, & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur. Encratitarum autem facinus oportet nos intelligere: ut enim se reddant non suscipiendos ab Ecclesia, conati sunt deinceps proprio baptismate nostrum antevertere. Unde morem ipsorum antea innuisti. Itaque existimo, quoniam nihil de his apertè dictum est, oportere nos eorum baptismum rejicere, & si quis ab eis baptismum acceperit, eum ad Ecclesiam accedentem baptizare. Quòd si hoc institutum Catholicæ Ecclesiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui, quæ ad nos pertinent, providerunt. Vereor enim ne dum volumus

eos tardiores efficere ad baptizandum, impediamus eos, qui salvantur, quòd ab eis austera exigamus. Sin autem illi nostrum servant Baptismum, hoc ne nos flectat: neque enim illis gratiam reddere, sed canonibus exquisitè servire tenemur. Omni autem ratione statuatur, ut qui cum baptismate illorum ad Ecclesiam se adjungunt, ungantur scilicet à fidelibus, & sic ad mysteria Eucharistiæ accedant. Scio autem fratres Zoïum, & Satorninum, qui erant ex illorum ordine, in Episcoporum Cathedram à nobis susceptos fuisse. Quare eos, qui illorum ordini conjuncti sunt, non amplius possumus ab Ecclesia separare; utpote tanquam Canone aliquo communionis cum ipsis edito per Episcoporum susceptionem.

Canon ejusdem 47.

Ἐγκρατῖται, καὶ Σακκοφόροι, καὶ Ἀποτακτῖται τῷ αὐτῷ ὑπόκεινται λόγῳ, ᾧ καὶ Ναυατιανοί, ὅτι περὶ μὲν ἐκείνων κανὼν ἐξεφωνήθη, εἰ καὶ διάφορος. τὰ δὲ κατὰ τούτοις ἀποσεσιώπηται· ἡμεῖς μέν τοι ἑνὶ λόγῳ ἀναβαπτίζομεν τοὺς τοιούτους. εἰ δὲ παρ' ὑμῖν ἀπηγόρευται τοῦτο, τὸ τοῦ ἀναβαπτισμοῦ, ὥσπερ οὖν καὶ παρὰ Ῥωμαίοις οἰκονομίας τινὸς ἕνεκα ἀθετεῖται, διὰ τὸ βάπτισμα αὐτῶν, ὁ ἡμέτερος λόγος ἰσχὺν ἐχέτω. ὅτι ἐπειδὴ ὥσπερ Μαρκιωνιστῶν ἐστιν ἀπόβλαστημα ἡ καὶ αὐτοῖς αἵρεσις βδελυσσομένων τὸν γάμον, καὶ ἀποστρεφομένων τὸν οἶνον, καὶ τὴν κτίσιν τοῦ Θεοῦ μεμιασμένην εἶναι λεγόντων, οὐ δεχόμεθα αὐτοὺς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐὰν μὴ βαπτισθῶσι τὸ ἡμέτερον βάπτισμα. μὴ γὰρ λεγέτωσαν, ὅτι εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα βαπτίζονται, οἵγε κακῶν ποιητὴν ὑποτιθέμενοι] τὸν Θεὸν, ἐφαμίλλως τῷ Μαρκίωνι, καὶ ταῖς λοιπαῖς αἱρέσεσιν. ὥστε ἐὰν ἀρέσῃ τοῦτο, δεῖ πλείονας ἐπισκόπους ἐν ταυτῷ γενέσθαι; καὶ οὕτως ἐκθέσθαι τὸν κανόνα, ἵνα καὶ τῷ ποιήσαντι τὸ ἀκίνδυνον ᾖ, καὶ ὁ ἀποκρινόμενος τὸ ἀξιόπιστον ἔχῃ ἐν τῇ περὶ τούτων ἀποκρίσει. Encratitę, & Saccophori, & Apotactitæ eidem subjiciuntur rationi, cui & Novatiani: quia de illis Canon editus est, etsi diversus. Quæ autem ad hos pertinent, silentio prætermissa sunt. Nos autem una ratione eos rebaptizamus. Quòd si apud vos rebaptizare vetitum est, sicut & apud Romanos, alicujus œconomiæ gratia, propter ipsorum baptismum hoc improbatur; nostra tamen ratio vires obtineat. Quandoquidem enim est veluti Marcionistarum germen eorum hæresis, nuptias abhorrentium, & vinum aversantium, & creaturam Dei pollutam esse asserentium, eos in Ecclesiam non admittimus, nisi nostrum baptismum susceperint. Ne dicant enim in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum se baptizari, qui sanè Deum malorum effectorem esse supponunt, instar Marcionis, & reliquarum hęresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures simul esse Episcopos, & Canonem condere; ut & is, qui facit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur. Sic Basilius.

Cui posset aliquis objicere Canonem 19. Conc. Nicæni, quo jubentur Paulianistæ tantùm rebaptizari. Ex quo apertè deducitur, cæterorum hæreticorum baptisma approbatum à Concilio fuisse.

Sed hoc ipsum respondendum est: quod cùm Concilium de aliis hæreticis nihil clarè, & expressè statuat, Basilius anceps erat. Quod tamen Concilium Constantinopolitanum postea præstitit. Noluit autem Basilius ex deductionibus, & Patrum silentio suos Canones condere.

Redeo ad ea, quæ de ministro Baptismi disserere cœperam: cùm dico laïcum posse in necessitate baptizare, æquè intelligo sive sit vir, sive fœmina, ita tamen, ut absente viro, possit fœmina. Ita Philadelphiensis in suo tract. de Sacramentis cap. de Baptismo. μὴ παρόντος ἱερέως δύναται βαπτίζειν καὶ λαϊκὸς χριστιανὸς, αὔτε γυνὴ ᾖ, αὔτε ἄρρεν. Absente Sacerdote baptizare potest etiam Christianus laïcus, sive sit fœmina sive mas. Atque ut de viro nullum est dubium, ita de fœmina ambigere possumus propter Conc. 4. Carthag. cap. 100. ubi vetantur mulieres baptizare, & auctoritatem Epiphanij hæres. 79. qui dicit neque baptismum dare, mulieribus concreditum est. Verùm dicendum est, illa loca intelligenda esse extra necessitatem, & cum solemni pompa, & cerimonia, quod tamen illæ mulieres hæreticæ facere non verebantur, quin & sacrificabant.

Unum superest quærendum, quid Græci

sentiant de Judæo, & Ethnico, si baptizent servatis omnibus, quæ, ut illud munus ritè fiat, requiruntur?

Nihil certi habeo ex illorum scriptis, sed cùm Baptismus hæreticorum secundùm Græcos validus consistat, facilè concedere possunt, valere quoque Gentilium, idque exemplo Genesij Martyris. Et præterea rationes, quæ suadent laïcum Christianum posse in necessitate baptizare, probant etiam posse Gentilem, Judæum, & Ethnicum, modò servet ritum, & intentionem Ecclesiæ. Cùm enim baptismus sit omnibus necessarius, potest ab omnibus accipi, & ab omnibus item dari. Neque requiritur fides, seu probitas in ministro, cùm hæreticorum baptismus valeat, & impius Minister per Sacramenta possit alios justificare.

Tandem fuit determinata hæc veritas in Conciliis, quibus Græci interfuerunt, Lateranensi sub Innocentio tertio can. 1. ubi dicitur: Sacramentum Baptismi à quocunquo ritè collatum, proficit ad salutem.

Et Florentino, ut constat ex Decreto Eugenij pro Armeniis, quod quidem Græci non rejecerunt: immo tacito consensu approbarunt. Græcis igitur Doctoribus rectè de ministro docentibus, optandum esset, ut etiam Græcorum plebs illorum placita in necessitate, sine mora, & scrupulo exequeretur. Hæc de ministro Baptismi.

De quibusdam dubitatiunculis circa Baptismum.

Caput XII.

Explicandæ sunt quædam dubitatiunculæ, quæ proponuntur à Blastario in suo Nomocanone litera β. ubi agitur de Baptismo.

Primus est, περὶ τῶν βαπτιζομένων νηπίων τῶν Ἀγαρηνῶν. De infantibus Agarenorum, hoc est Turcarum qui baptizantur. ἔστιν ἰδεῖν κἂν τῷ βαθεῖ σκότῳ τῆς τῶν Ἀγαρηνῶν δυσσεβείας τὸ φῶς ἐνδυναστεῦον τῆς χάριτος, καὶ ὑπὸ ταύτης μὴ καταλαμβανόμενον, ἢ σβεννύμενον. ἐπεὶ τῶν σημείων οὐδὲ τοῖς ἀπίστοις ἐφθόνησεν, ἐνάγουσα τούτοις πρὸς τὴν θείαν ἐπίγνωσιν. ἔθος γοῦν ἐστι τῶν Ἀγαρηνῶν τοῖς πλείστοις, μὴ πρότερον τὰ σφέτερα περιτέμνειν βρέφη, πρὶν ἂν οἱ ὑποτελεῖς ὄντες αὐτοῖς τῶν χριστιανῶν ἱερεῖς, καὶ ἄκοντες ἀναγκασθῶσι ταῦτα βαπτίσαι. ἐζητήθη οὖν περὶ τούτου ἐν τῇ κατὰ τὴν βασιλεύουσαν συνόδῳ, Λουκᾶ τοῦ ἱεροῦ τὸν πατριαρχικὸν ἰθύνοντος θρόνον, εἰ δεῖ τοὺς τοιούτους τῇ ἀληθινῇ τῶν χριστιανῶν πίστει προσερχομένους, ἀναβαπτίζειν, ἢ μόνον χρίειν τῷ μύρῳ. καὶ ἐψηφίσθη τούτους ἀναντιρρήτως αὖθις βαπτίζειν. ὅπερ γὰρ ἐλούσαντο βάπτισμα, οὐ κατὰ σκοπὸν εὐσεβῆ, ἀλλ' ὡς φαρμακείᾳ, ἢ ἐπαοιδίᾳ τινὶ τούτῳ ἐχρήσαντο. ἐφ' ᾧ μὴ νοσώδης, ἢ δυσώδης ἡ κρᾶσις τῶν σωμάτων τοῖς περιτμηθησομένοις γενήσεται. Videre licet, vel in ipsis densissimis tenebris Agarenorum impietati lumen gratiæ prædominari, & superius esse, ab eaque minimè deprehendi, vel extingui posse. Quandoquidem divina gratia signa ne infidelibus quidem invidit, adducens eos ad Dei cognitionem. Igitur mos est apud plerosque Agarenorum, ut non priùs suos infantes circumcidant, quàm qui eis subsunt Christiani Sacerdotes, vel inviti eos baptizarint. Itaque de hoc quæsitum est in Synodo, quæ in ipsa imperiali Vrbe celebrata est, Patriarchalem Thronum Luca regente, An oporteat hujusmodi ad veram fidem Christianorum accedentes rebaptizare, vel solùm eos unguento ungere, Atque sancitum est, hos citra ullam controversiam iterum baptizandos esse. Quo enim abluti sunt baptismate, eo non pia mente, sed veluti veneficio, & cantione usi sunt. Ne videlicet temperatio corporum morbis obnoxia, vel malè olens circumcidendis fieret.

Quæstiuncula hæc in primis malè proponitur, dum sub distinctione dicitur, si oporteat baptizare, vel tantùm unguento ungere. Quemadmodum enim non licet iterare baptismum validum, ita neque Sacramentum Confirmationis. Quare cùm Græci passim in baptismate etiam confirment, malè quærunt, utrum liceat rebaptizare, vel solùm unguento ungere. Si enim non licet baptizare, neque licet unguento per modum Sacramenti oblinire.

Idem Blastarius in litera ϛ. agens de Baptismo, & explicans 47. Canonem Apo-

ſtolorum, ubi definitur, eum, qui ab impiis potius eſt pollutus, quàm baptizatus, debere iterum baptizari, εἰ δὲ τὸ μὲν ἀληθινὸν βάπτισμα ἔτυχε, παρὰ δὲ τῶν ἀσεβῶν μεμόλυνται, μύρῳ χρίεσθαι μόνῳ. Sin, inquit, verum Baptiſma ſuſcepit, ab impiis verò pollutus eſt, ſolo unguento ungi oportet. Sed re vera nihil de unguento in eo Canone ſtatuitur. At neoterici Græcorum in hoc errore perſtant, decepti ex ſeptimo Canone ſecundi Concilij generalis, & auctoritatibus ſanctorum Patrum Baſilij, & aliorum, qui Novatianos, ſiniſtros, & nonnullos alios hæreticos confirmabant. Atqui Concilium, & ſancti Patres ideò baptizatos ab hæreticis ſolùm ungebant, quòd illi hæretici non eſſent ſoliti ungere ſuos baptizatos unguento Confirmationis. Ut teſtatur Theodoretus libro 3. de fabulis hæreticorum, his verbis: τοὺς δὲ τῆς οἰκείας συμμορίας οὐ Ναυατιανοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ καθαροὺς προσηγόρευσε, καὶ τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα. διά τοι τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς δε τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους, χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν. Homines ſuę claſſis (Novatus) non ſolùm Novatianos, ſed etiam puros appellavit, iiſque, qui ab ipſis baptizantur, ſacratiſſimum Chriſma non prębent: quocirca eos etiam, qui ex hac hęreſi cum corpore Eccleſię ſe conjungunt, ungendos eſſe celeberrimi Patres mandarunt. Sic Theodoretus. Sed de hac re commodiùs alibi.

Itaque malè propoſita fuit quęſtio, deinde ęquè malè ſoluunt propoſitam dubitationem. Aiunt enim rebaptizandos eſſe propter malam intentionem parentum. At non parentum, ſed miniſtrorum mens eſt ſpectanda. Hi enim ſi bona & recta mente voluerunt exequi, quod Eccleſia poſtulat, omnino baptiſmum validè contulerunt.

S. Auguſtinus in Epiſtola 23. ad Bonifacium ſimilem caſum ſibi propoſitum diſſolvit. Non, inquit, te moveat, quòd quidam non ea fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpiritali ad vitam regenerentur ęternam, ſed quòd eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur. Sic Auguſtinus.

Quęritur tamen, utrum deceat in eo caſu vetare Preſbyteros adminiſtrare Turcarum infantibus Baptiſmum? Sunt qui exiſtiment, ſinendos eſſe: tum quia Turcę hac ratione erunt bene affecti erga hoc Sacramentum, & faciliùs ipſi quoque Baptiſmum amplectentur. Tum etiam quia ſi contingat eos naturę lumine ratiocinari, dum ſuos infantes beneficio Baptiſmi à fœtore, & inſultu morborum evadere immunes, ac liberos aſpiciunt, divinam ibi poteſtatem agnoſcant, neceſſe eſt. Cur enim potius aqua luſtrali baptiſmatis, ac non aliqua alia ſimplici aqua eos abluunt? Adde quòd, cùm intercedat non parvum tempus inter baptiſmum & uſum rationis, interim ſi obierint infantes aſſequentur ſalutem. Alij contrarium ſentiunt. Quia non debet dari baptiſmus iis, quos conſtat educandos eſſe in hęreſi, vel gentiliſmo. Hoc enim eſt profanare Baptiſmum. Quę cùm ita ſint, pręſtat omnino hac de re conſulere ſedem Apoſtolicam.

Altera dubitatio.

Ἐζητήθη καὶ τοῦτο τοῦ Ἡρακλείας ἐρομένου Μανουὴλ, εἰ χρὴ δέχεσθαι ὡς πιστὸν, ὃ ἀνίερος ἐβάπτισε, τὸ ἱερᾶσθαι πλασάμενος. τοῦτο γὰρ ἐπὶ τῆς ἐνορίας αὐτοῦ τηνικαῦτα συνέβη. καὶ ἐψηφίσατο ἡ σύνοδος καὶ τούτους ἀναβαπτίζεσθαι. Hoc etiam Manuel Heraclee antiſtes in dubium revocavit. Utrum opus ſit ſuſcipere ut fidelem, quem vir non ſacris ordinibus pręditus baptizavit, cùm ſe ſacris initiatum finxiſſet. Hoc enim in ſua Diœceſi tunc accidit. Atque decrevit Synodus hos quoque rebaptizandos eſſe.

Cęterum hìc quoque dicendum eſt, Non rectè eos ſtatuiſſe. Si enim baptizator habuit intentionem non jocoſam, ſed veram baptizandi, tenet baptiſmus. Ut ex facto ſancti Athanaſij probari poteſt, quod quamvis ſit exemplum unius particularis Alexandrinę Eccleſię, nunquam tamen ab aliis Eccleſiis fuit improbatum.

Sed quid ad hoc Blaſtarius? εἰ δέ τις αὐ-

ἀντιπροφέρει τὸ τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου ἔτι παιδὸς ὄντος γεγονὸς, ἐνθυμηθήτω τὸν ἀπαιτίζοντα πολιτικὸν νόμον, ὅτι τὸ παρὰ κανόνας, οὐχ ἕλκεται εἰς ὑπόδειγμα, καὶ οὐ νόμος ἐκκλησίας τὸ σπάνιον. » Si quis verò objecerit magni Athanasij adhuc pueri existentis factum, meminerit politicam legem decernere, quòd præter Canones fit, non esse trahendum ad exemplum. Neque legem Ecclesiasticam esse, quod raro fit. Sic ille.

At non in legem, & consuetudinem trahendum dicimus, ut passim profani homines baptizent; Sed tamen quotiescunque ea mente baptizaverint, validum esse Baptismum contendimus. Si quidem Athanasij quoque Baptismus non fuit irritus: propterea quod illi scopus fuit, facere quod facit Ecclesia. Baptismus igitur in casu simili semper valebit. Neque ulla lex extat divina vel Ecclesiastica, quæ statuat ejusmodi Baptismum irritum esse, proinde neque lex politica facit ad rem. Ex legibus autem Ecclesiasticis, quædam sunt ordinariæ & frequentes, quædam extraordinariæ eorum, quæ raro fiant, & in necessitate. Nonnullæ complectuntur ea, quæ nunquam deberent fieri extra necessitatem, facta tamen teneant. Quale est hoc in præsenti casu, ubi & peccatum potest esse, si malitia intercesserit, & nullus error, si imperitia excusaverit. Neque enim peccavit S. Athanasius, cùm ignoraret fore peccatum.

Neque quicquam probat in contrarium Blastarius, quòd fundamentis Theologicis sit destitutus. Quod idem solet accidere omnibus Grammaticis, & Rhetorculis, qui falcem mittunt in messem alienam.

Quod enim dicit Blastarius, non licere laïcis baptizare propter 46. & 47. Canonem Apostolorum, qui solis Episcopis, & Presbyteris concedunt administrationem Baptismi. Hoc de ministris ordinariis intelligitur, non urgente necessitate, atque ut sine peccato fiat. Peccat nempe quilibet profanus, nisi eum ignorantia excuset, qui citra necessitatem confert Baptismum, Baptismus nihilominus tenet.

Hìc tamen posset aliquis objicere Canonem 47. Apost. ubi dicitur, Discernendos esse veros Sacerdotes à falsis. Atque Canon mandat rebaptizandos, quos falsi Sacerdotes baptizarunt.

Respondeo, (modò Canon sit Apostolicus) Apostolos per falsos Sacerdotes intelligere quoscunque ministros, qui irridebant sacra mysteria Christianorum, & instar fabulæ repræsentabant. Propterea dicunt pollutum ab impiis, quòd nimirum irridendi causa hoc facerent. Et fortè sine vera forma Baptismi, saltem sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Denique pollutum esse ab impiis opponitur ei, quod est esse verè baptizatum: ergo non verè baptizabant impij, tum ob defectum formæ, tum propter intentionem.

Et hæc quidem dicimus, si admittamus Canonem esse Apostolicum. Alioquin mihi valdè est suspectus. Ratio enim, ob quam rejicit Baptismum impiorum, est quòd non sint veri Sacerdotes: ergo ad peragendum Baptismum necessariò Sacerdotem requirit.

In Constitutionibus Apostolicis libro 5. cap. 10. prohibetur absolutè, ne laïci baptizent. Et libro 6. cap. 15 jubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de causa, quia hæretici non sunt Sacerdotes. Ac ne fortè objiceretur, quòd Philippus Diaconus baptizabat, ut dicitur Act. 8. in iisdem Constitutionibus libro 6. cap. 7. dicitur Philippus, qui baptizavit Simonem Magum, fuisse Apostolus, quod manifestè falsum est. Totum hoc egregiè observat Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, dum agit de Clemente Romano.

Quocirca valdè suspicor, eundem esse auctorem, qui & illas Constitutiones corruperit, ac depravaverit, & hunc Canonem in Apostolicos inseruerit. Quia tamen Latini Doctores recipiunt primos quinquaginta Canones, idcirco eum sano modo exposuimus, & hujus rei aliorum sit judicium.

Neque valet altera instantia Blastarij desumpta ex 26. & 46. Canone Synodi Laodicenæ. Altero decernente, ne, qui non sunt provecti ab Episcopis, exorcista-

rum munere fungantur. Altero jubente, ut illuminati coram Episcopis, vel Presbyteris fidem profiteantur. Hæc enim similiter ordinariè intelliguntur. Præterquam quod Exorcistarum exemplum non habet eandem paritatem, vel similitudinem. Cùm enim sit ille ordo ex minoribus in Ecclesia, meritò, necessarióque certæ alicui personæ præfigitur. Quod non est dicendum de Baptismo ob ejus maximam necessitatem. Unde postrema quoque objectio Blastarij corruit, quam ita proponit. εἰ δέ τις ἐνίστατο λέγων, διὰ τὰς γινομένας τοῦ λαϊκοῦ εὐχὰς, καὶ τὴν χρίσιν τοῦ ἁγίου μύρου, ἀληθὲς εἶναι τὸ παρὰ τοῦ ἀνιέρου διδόμενον λογίζεσθαι βάπτισμα, οὗτος ἂν φήσαι καὶ τοὺς χειροτονηθέντας παρά τινος ἀνιέρου, καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὑποκεινομένου, δεῖν εἶναι κληρικοὺς καὶ μετὰ τὸ φωραθῆναι· ὅπερ ἄτοπον, καὶ ὑπεναντίον τῷ δευτέρῳ κανόνι τῆς β΄. συνόδου, τῷ περὶ Μαξίμου τοῦ Κυνικοῦ διαταττομένῳ, μήτε αὐτὸν γενέσθαι, ἢ εἶναι ἐπίσκοπον. καὶ τοὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ χειροτονηθέντας μηδὲν πλέον ἐντεῦθεν ἀπόνασθαι, πάντων ἀκυρωθέντων, ὧν ἀθέσμως ἐκεῖνος ἔδρασεν. ἔτι μὴν καὶ τὸ ιη΄. τῆς ἐν Σαρδικῇ, τοὺς παρὰ Μουσαίου, καὶ Εὐτυχιανοῦ ἀνιέρων ὄντων χειροτονηθέντας, τοῦ κλήρου τελέως ἐκβάλλοντι, καὶ εἰς τὴν τῶν λαϊκῶν καθάγοντι χώραν. ὥσπερ οὖν ἐκεῖνοι ἀχειροτόνητοι, οὕτω καὶ οὗτοι ἀβάπτιστοι λογισθήσονται. Si quis autem instaret, ob recitatas à laïco preces, & unctionem sacri unguenti debere verum existimari, quod à profano datur baptisma: is etiam diceret, eos, qui ab aliquo profano & Episcopum simulante sunt sacris initiati, censendos esse clericos, etiam postquam deprehensus fuerit initiator. Quod est absurdum; atque contrarium quarto Canoni secundæ Synodi, de Maximo Cynico decernenti, neque ipsum factum fuisse, vel esse Episcopum, neque eos, qui ab eo susceperunt sacros Ordines, ullam inde utilitatem cœpisse, irritis omnibus factis, quæ ipse contra leges egisset. Et 18. Canoni Synodi Sardicensis, qui è Clero prorsus ejicit, & in laïcorum sortem redigit à Musæo, & Eutychiano profanis hominibus ad sacros Ordines provectos. Itaque ut illi sacris Ordinibus minimè initiati; ita isti minimè baptizati censentur. Sic ille.

Existimamus nos valere laïci Baptismum, ob recitatas preces, si in iis contineatur vera forma Baptismi. Immo simpliciter propter formam, non alias orationes, quæ possunt deinde, ac debent suppleri à Presbytero solemniter baptizante. Malè autem addit Blastarius, & unctionem unguenti. Laïcus enim nullo modo potest administrare Sacramenum Confirmationis. Si enim Presbyter nonnisi extraordinariè illud confert, & ex mandato Pontificis, quî fieri potest ut laïcus validè conferat?

Unde quoque hac ratione constat, Sacramentum Confirmationis non esse de necessitate salutis. (Ut neque Sacramentum Eucharistiæ, nisi sano modo intelligatur.) Quòd non æquè omnes administrare illud possunt, utique administraturi, si necessitatem absolutam includeret, ut in baptismate fieri posse contendimus, & ipsimet Græci concedunt.

At enim si valet Baptismus laïci, cur non collatio sacrorum Ordinum? instat Blastarius.

Propter rationes allatas, & disparitatem similitudinis, & quòd diversa conditio sit diversorum Sacramentorum. Baptismus enim propter absolutam sui necessitatem ab unoquoque administrari potest. Ut enim est omnibus necessarius, ità ab omnibus potest accipi, & ab omnibus item dari. At sacris ordinibus neque omnes imbuere necesse est, neque cujuslibet est alios consecrare, sed illi tantùm convenit, cui ex officio impositum est. Et prioris quidem extant exempla, posterioris nullum reperitur.

Neque tamen scio, cur illa verba in sua ratione Matthæus temerè addiderit, καὶ μετὰ τὸ φωραθῆναι, etiam postquam deprehensus fuerit. Quasi verò antea, vel postea veri fuerint, vel sint Sacerdotes, si non constiterit, quinam ad sacros Ordines eos promoverint.

Altera dubitatio.

Basilius Magnus in Epistola Canonica ad Amphilochium inter alios Canones, hunc etiam edidit, qui est vigesimus. ὅσαι

γυναῖκες ἐν αἱρέσει οὖσαι, παρθενίαν ὡμολόγησαν, εἶτα μετὰ ταῦτα γάμον αἱρείλοντο, οὐχ ἡγοῦμαι χρῆναι καταδικάζεσθαι ταύτας. ὅσα γὰρ ὁ νόμος λαλεῖ, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ· αἱ δὲ μήπω ὑπελθοῦσαι τὸν ζυγὸν τοῦ Χριστοῦ οὐδὲ τὴν νομοθεσίαν ἐπιγινώσκουσι τοῦ δεσπότου. ὥστε δεκταί εἰσι τῇ ἐκκλησίᾳ μετὰ πάντων καὶ τὴν ἐπὶ τούτοις ἄφεσιν ἔχουσαι, ἐκ τῆς πίστεως τῆς εἰς Χριστόν, καὶ καθόλου τὰ ἐν τῷ κατηχουμένῳ βίῳ γινόμενα, εἰς εὐθύνην οὐκ ἄγεται. ταύτας ἔδει εἰπεῖν. ὁ δὲ ἅγιος ἐνήλλαξε τὴν σύνταξιν, οὐ μόνον περὶ γυναικῶν, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν καθόλου τὸν κανόνα ἐξενεγκών. τούτους δὲ δηλονότι ἄνευ βαπτίσματος ἡ ἐκκλησία οὐ παραδέχεται. ὥστε ἀναγκαιότατον ἐπὶ τούτοις τὰ πρεσβεῖα τῆς γεννήσεως. Quæcunque mulieres hæreseos labe infectæ, virginitatem sunt professæ, deinde nuptias elegerunt, haud existimo eas debere condemnari. Quæcunque enim lex loquitur, cum iis, qui in lege sunt, loquitur. Hæ verò nondum sub Christi jugum missæ, neque legem Domini agnoscunt. Itaque recipiendæ sunt ab Ecclesia, quippe quæ cum omnibus aliis erratis etiam horum ex fide in Christum remissionem sint adeptæ. Et omnino ea, quæ homines patrarunt, dum vitam Catechumenorum degerent, minimè plectuntur. Hos videlicet Ecclesia non sine Baptismate recipit, adeo ut necessariò eos sequantur primigenia generationis.

Per primigenia generationis intelligit Zonaras, τὸ ἐξαίρετον τῆς ἐν τῷ βαπτίσματι γεννήσεως, ἤτοι ἀναγεννήσεως. ὅ ἐστιν ἡ συγχώρησις τῶν προημαρτημένων. Præcipuum his regenerationis in baptismate, quod est condonatio priorum delictorum. Nec aliter interpretatur Matthæus Blastarius, οὐδ' ἡντινοῦν ὑπέχουσι δίκην, ἀνθ' ὧν πρὸ τοῦ βαπτίσματος ἥμαρτον. ταῦτα γὰρ πρεσβεῖα, καὶ ἐξαίρετα τῆς πνευματικῆς ἀναγεννήσεως. Ne minimam quidem, inquit, subeunt pœnam erratorum, quæ ante baptismum patrarunt. Hæc enim sunt præcipua jura & peculiaria spiritalis regenerationis.

Cur autem hunc Canonem hîc produxerim, ratio est, quia cùm Basilius dicit, illas hæreticas mulieres (nempè vel quæ non erant baptizatæ, vel quarum Baptismus erat invalidus, & idcirco iterandus, ut optimè quoque notat Zonaras) non oportere condemnari, si professæ virginitatem postea viris se tradiderint, illa verba, non oportere condemnari, duplicem habent sensum. Vel non esse illis imponendam pœnitentiam propter illud peccatum, quia Baptismus delet culpas & pœnas culparum; Vel non esse reprehendendas, quòd videlicet, vota sint hujusmodi conditionis ante baptismum facta, ut non aliter censeantur, quàm si non essent facta. Primum sensum videntur admittere postrema verba Basilij, ex eo quod reddat causam, cur sint recipiendæ ab Ecclesia illæ mulieres: Quòd nimirum per fidem in Christum, mediante Baptismo, adeptę sint remissionem peccatorum, etiam illius quod commiserant frangendo votum. Ergo non condemnantur, hoc est non puniuntur. Sic Zonaras, οὐκ εὐθύνονται, vice οὐ κολάζονται. Siquidem pœnam abstulit Baptismus. Estque hic sensus verus, & catholicus. Alterum quoque sensum videntur exprimere illa alia Canonis verba. Lex loquitur cum iis, qui in lege sunt. Quasi dicat Basilius, lex Christi non obligat illas mulieres ad servanda vota, cùm illæ non sint sub lege Christi: si ergo nulla est obligatio, nulla erit violatio. Unde aiunt Basilij interpretes: μὴ χρῆναι καταδικάζεσθαι, ὡς ψευσαμένας τὴν ὁμολογίαν. Non oportere condemnari, tanquam mentitas professionem. Quasi velint dicere, οὐκ ἐψεύσαντο τὴν ὁμολογίαν. non sunt mentitæ professionem: quia neque Christo fecerunt professionem, cùm nondum essent sub jugo legis Christi.

Sed hæc sententia postrema Basilij, si tamen est Basilij, & videtur posse colligi ex ipsius verbis, videtur esse priori contraria. Si enim illæ mulieres non obligantur servare votum virginitatis, quale peccatum commiserunt, quod Baptismus postea deleat? & tamen agnoscit Basilius, peccatum in voto fracto per baptismum delendum.

Utrum autem conjugia illa post votum contracta teneant, necne, Basilius expressè de his nihil docet. Sequitur tamen necessariò, ex commemorata doctrina Basilij, ea matrimonia esse valida. Si enim illæ

mulieres non astringuntur lege Christi servare vota, quia nondum legi Christi subjiciuntur, & lex loquitur cum iis, qui intra septa legis continentur; profectò nullum admittunt scelus, si se viris postea tradiderint.

Sed secundùm communem Theologorum sententiam dicendum est, Si vota fuerint solemnia, nulla ratione Baptismum obligationem tollere, ita ut matrimonium ritè consistere queat. Cæterùm in hoc casu non possunt mulieres edere solemnia vota, eo quòd similia vota postulent acceptationem Dei: ea fit per ministros suos, qui cùm nullam potestatem habeant in tales mulieres, quippe nondum sacro fonte lustratas, earum acceptare vota minimè possunt. Ergo sunt vota simplicia, & tunc non propter legem, cui non subjiciuntur mulieres, sed hoc ipso, quòd fecerint vota simplicia, tenent matrimonia; quamvis cum peccato mulierum: quia nimirum ex parte illarum remanet obligatio voti. Baptismus enim liberat quidem baptizatos ab omni tum peccato, tum pœna peccati, proinde nulla pœnitentia est imponenda mulieribus pro hujusmodi contracta copula: non tamen facit eas liberas à voto, quod utique non est peccatum; immo juvat nos ad evitanda peccata, & cum Deo magis consociat, & conjungit. Unde non possunt mulieres petere debitum, nisi priùs dispensatione ab Episcopo impetrata, quæ alioquin in ipso baptismate facili negotio concedi potest.

Ad rationem autem, quòd lex loquatur cum iis, qui legi subsunt: Respondeo, vota esse de jure naturæ, ut patet ex voto Patriarchæ Jacob Genes. 28. Quocirca quandocumque, & à quocumq; facta fuerint, tenent. Neque baptismus ea soluit: sed peccatum præteritum ob violationem illorum tollit, non futurum, si postea non serventur. Atque quod ait Nazianzenus, oratione in sacrum lavacrum, de iis, qui alienas res surripiunt: δύο σοι κακῶν ὄντων τοῦ τε κτήσασθαι μὴ δικαίως, καὶ τοῦ τὰ κτηθέντα κατέχεσθαι, τὴν μὲν ἄφεσιν ἔλαβες, τὸ δὲ σήμερον ἀδικεῖς. σήμερον γάρ ἐστι παρά σοι τὸ ἀλλότριον, καὶ οὐκ ἀνῃρέθη τὸ ἁμάρτημα, τῷ χρόνῳ δὲ διεκόπη. τὸ μὲν πρὸ τοῦ βαπτίσματος τολμηθέν, τὸ δὲ μένει μετὰ τὸ βάπτισμα. τῶν γὰρ ἡμαρτημένων, οὐ τῶν ἁμαρτανομένων τὸ λουτρὸν ἔχει τὴν συγχώρησιν. Ex duobus, quæ commisisti malis, altero, quod est injustè aliquid acquirere, altero, parta possidere, illud tibi quidem condonatum est, in hoc verò hodie injustè agis. Hodie enim est apud te res aliena, & non est sublatum, sed tempore interruptum peccatum: cùm illud quidem ante Baptismum commissum sit facinus, hoc verò post baptismum maneat. Quippe lavacrum peccata commissa, non quæ committuntur, remittit, & condonat. Sic Nazianzenus.

Idem possumus nos dicere de voto. Siquidem baptismus aufert scelus admissum circa votum, non admittendum, quod tamen admittitur, non servato post Baptismum voto ante Baptismum facto, sed denuò per copulam fracto: hoc est, si non obtenta dispensatione mulier sponte debitum petat.

At fortassis hoc vult sanctissimus Doctor, dum ait, eas non subjici legi Christi, quia non possunt solemniter vovere: proinde non condemnari, eo quòd ejusmodi matrimonia valida sint. Agnoscit tamen Basilius peccatum, quia nimirum fregerunt vota simplicia. Et illud peccatum deletur per Baptismum, quod verissimum est. Nam remittitur peccatum commissum in fracto voto, & facilè conceditur dispensatio, ut in posterum mulier sine peccato debitum petere possit.

Quocirca illud, non oportere condemnari, refertur ad indissolubilitatem matrimonij. Quasi dicat, non quia fecerunt votum, propterea solvendæ sunt nuptiæ.

De trium Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, continuata administratione.

CAPUT XIII.

Solent Latini simul & Græci, eodem tempore, non interrupta celebratione, tria Sacramenta conferre adultis, videlicet Baptismum, Confirmationem, & sa-

cratissimam Eucharistiam. Eo tamen ordine, ut primò baptizent, deinde confirment, tandem Sacramentum Eucharistiæ administrent. Rectè sanè, & convenienter etiam moralitati hominum Christianus primùm abluitur, deinde ungitur, tum demum mundum & bene olentem Dominica mensa excipit.

Hujus rei præcesserunt etiam figuræ in veteri Testamento. Nam Israëlitæ priùs transierunt per mare rubrum, quod Baptismum præfigurabat: deinde comederunt Manna, & biberunt aquam de petra, quæ typus fuerant sacratissimæ Eucharistiæ. Quod etiam indicat Basilius in adhortatione ad Baptismum, cùm ita scribit: οὐκ ἂν ἔπιεν ἐκεῖνος (ὁ Ἰσραὴλ) ἐκ τῆς πνευματικῆς πέτρας, εἰ μὴ τυπικῶς ἐβαπτίσθη. οὐδὲ σοί τις δώσει τὴν ἀληθινὴν πόσιν, ἐὰν μὴ ἀληθῶς βαπτισθῇς. ἔφαγεν ἄρτον ἀγγέλων ἐκεῖνος. σὺ δὲ πῶς βρώσῃ τὸν ζῶντα ἄρτον, ἂν μὴ πρότερον ὑποδέξῃ τὸ βάπτισμα. Non bibisset utiq; ille (Israël) ex spirituali petra, si non figuratè baptizatus fuisset. Neque tibi quis dabit verum potum, nisi verè baptizatus fueris. Comedit panem Angelorum ille, tu verò quomodo comedes panem viventem, si non priùs baptisma susceperis?

Idem argumentum luculenta oratione prosequitur Chrysostomus explanans dictum Apostolicum: Patres nostri omnes, sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, &c. primæ ad Corinth. cap. 10.

Jobius etiam Monachus (ut refert Photius in sua Bibliotheca) in libro, quem inscripsit οἰκονομικὴν πραγματείαν, hoc est, de dispensationis seu incarnationis mysterio cap. 17. docet, antiquam legem adumbrasse hunc morem conferendi hæc tria Sacramenta. καὶ οὐ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν ἡ παλαιὰ μόνον προϋπέγραφεν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἄλλην ἀκολουθίαν. καὶ γὰρ ἐνταῦθα πρῶτον μὲν βαπτιζόμεθα, εἶτα τῷ μύρῳ χριόμεθα, ἐκεῖθεν τοῦ τιμίου ἀξιούμεθα αἵματος· οὕτω δὴ καὶ Μωσῆς σκιαγραφῶν ταῦτα, λούει πρῶτον τοὺς τελειουμένους τῷ ὕδατι, εἶτα ἐνδιδύσκει καὶ περιζωννύει, εἶθ' οὕτως ἐπιφέρει τὴν τοῦ ἐλαίου χρῖσιν, καὶ οὕτω ῥαίνει τῷ αἵματι, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἄρτων ἄγει μετάληψιν. Neque solum septenarium numerum dierum, quibus gestare candidas vestes baptizatis licet, lex vetus adumbrat; sed etiam reliquum morem, & ordinem. Siquidem in lege gratiæ primò baptizamur, deinde unguento ungimur, inde pretioso sanguine dignamur: ita profectò & Moses hæc eadem adumbrans, eos, qui initiantur, aquâ prius abluit, deinde induit, atque præcingit: postea infert olei unctionem, tum demum aspergit sanguine, atque eos ad participandos panes ducit. Sic Jobius.

Sed quid dicemus de infantibus? nam Græci hos etiam chrismate consignant, & Eucharistiam illis impertiunt.

Respondeo, variam fuisse in Ecclesia consuetudinem administrandi hæc Sacramenta. Nam tempore Dionysij Areopagitæ, ut videre est ex ultimo capite de Ecclesiastica Hierarchia, baptizabant pueros, & iisdem communionem præbebant.

Deinde paulatim cessante consuetudine, tempore Basilij, Nazianzeni, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini, homines in numerum Catechumenorum adscripti per speciem timoris, ac reverentiæ, ne postea peccatis Baptismi donum polluerent, diù cum periculo expectabant suscepturi Baptismum. Erant qui ad finem vitæ procrastinarent, de quibus Chrysostomus Homilia prima in Acta Apostolorum ita conqueritur: πῶς οἴεσθε ὀδυνῶμαι, ὅταν ἀμύητός τις ἀπενεχθῇ ἐντεῦθεν, τὰς ἀφορήτους ἐννοῶν κολάσεις ἐκείνας, τὴν ἀπαραίτητον τιμωρίαν; πῶς δάκνομαι πάλιν, ὅταν ἑτέρους ἴδω πρὸς τὰς ἐσχάτας φθάνοντας ἀναπνοάς, καὶ μηδὲ ἐντεῦθεν σωφρονιζομένους; διά τοι τοῦτο πολλὰ τῆς δωρεᾶς ταύτης ἀνάξια γίνεται. δέον γὰρ εὐφραίνεσθαι, καὶ χορεύειν, καὶ χαίρειν, καὶ στεφανοῦσθαι, ἑτέρου μυσταγωγουμένου, ὅταν ἀκούσῃ τοῦ κάμνοντος ἡ γυνή, ὅτι τοῦτο ἐπέσκηψεν ὁ ἰατρός, ὡς ἐπὶ κακῷ τινι κατακόπτεται καὶ θρηνεῖ, καὶ κωκυτοὶ καὶ οἰμωγαὶ πανταχοῦ τῆς οἰκίας. ὡς ἐπὶ καταδίκων τὴν ἐσχάτην ἐπαγομένων ὁδόν. καὶ ἐκεῖνος δὲ πάλιν ὀδυνᾶται πλέον. κἂν ἀνενέγκῃ ἀπὸ τῆς ἀρρωστίας, χαλεπώτερον ἀλγεῖ, ὡς ἐπηρεασθείς. Quomodo creditis me dolore angi, quoties aliquis nondum initiatus ex hac vita sublatus fuerit, mecum reputantem intolerabilia illa tormenta, & supplicium inevitabile? Rursus, quas acerbitates, cruciatusque sentio, quoties alios video ad

extremum halitum pervenire, nec tamen hinc fieri prudentiores? Eoque ſanè multa fiunt indigna tanto Dei dono. Cùm enim oporteat epulari, choros ducere, gaudere, & coronari quoties alius initiatur; hic contra, ubi uxor ægrotantis audierit hoc ordinatum eſſe à medico, veluti magnum aliquod malum acciderit, ita conſternatur, ac plorat. Singultus, & ejulatus totam undique domum implent, non aliter quàm complorantur judicum ſententia condemnati, cùm ad capitis ſupplicium adducuntur. Ille verò multò magis etiam plorat, & ſi contingat à morbo convaleſcere, graviùs etiam dolet, velut per fraudem illuſus. Sic Chryſoſtomus.

Verùm ſancti Patres nominati, qui & ipſi multo tempore catechumeni fuerunt, graviſſimis, & elegantiſſimis orationibus habitis hanc malam conſuetudinem radicitus extirparunt. Atque prout accidere in ſimilibus ſolet, dum deſtruere unum extremum penitus conantur, in alterum facilè cõſuetudo deflexit; ita ut pueris etiam & infantibus hæc Sacramenta præbuerint. Quamobrem de Confirmatione Innocentius primus in epiſtola 29. ad Decentium Eugubinum, ſic tradit: De conſignandis infantibus, manifeſtum eſt non ab alio, quàm ab Epiſcopo fieri licere. Et S. Auguſtinus tractatu ſexto in Joannis primam Canonicam: Quando, inquit, impoſuimus manus iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrûm, utrum linguis loquerentur, & cùm videret eos non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrûm fuit, ut diceret, non acceperunt iſti Spiritum ſanctum. Nam ſi accepiſſent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum eſt.

Univerſè autem de tribus Sacramentis, quæ in infantes collata fuerint, manifeſtè probatur auctoritate non contemnenda ordinis Romani, ex quo Alcuinus Bedæ diſcipulus, præceptor item Caroli Magni, cujus tempore floruit, in libro de Divinis officiis cap. de Sabbato ſancto Paſchatis, quando ſcilicet baptizantur, hæc poſt baptiſmum commemorat, & recenſet: Pontifex ergo egreditur à fonte in ſacrarium habens ibi compoſitam ſedem, vel in Eccleſia, ubi voluerit, & ſedeat in ea; ut cùm veſtiti fuerint infantes, (quia nimirum immergebantur in aquam, ut eos modò immergunt Græci,) confirmet eos. De Euchariſtia verò infra in eodem cap. notat Alcuinus cavendum eſſe, ne infantes lactentur, aut ullum cibum capiant, antequam communicent. Hæc enim ſunt illius verba: De parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur ſine multa neceſſitate, antequam communicent Sacramento corporis Chriſti. Gennadius quoque Maſſilienſis de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 52. idem teſtatur his verbis: Si parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi, & ſic manus impoſitione, & Chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.

In prç ſentia Græci quoties aliquem baptizant, reliquis duobus Sacramentis etiã communiunt. Baptizant autem paſſim infantes, ſæpe etiam pueros duorum, trium, vel etiam quatuor annorum. Et ego quando ſacro fonte luſtratus fui, ejuſmodi ætatis eram, ut planè meminerim. Aliquando enim parentes puerorum affinitate ſpirituali amicos ſibi devincire cupiunt, & eos abſentes, & peregrinantes libenter expectant.

Inter Latinos nimis auſtera, & rigida eſt opinio gloſſæ in Canone, ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis de conſecr. diſt. 5. quç aſſerit Confirmationem non eſſe conferendam ante duodecimum, vel decimum-quintum annum. Nam per ætatem perfectam hos annos intelligit. Gloſſam ſequitur Marſilius in 4. q. 5. art. 4. qui duodecimum annum huic Sacramento aſſignat.

Reliqui omnes Doctores Scholaſtici hanc meritò rejiciunt; ſed hi quoque bifariam dividuntur Alij ante uſum rationis, hoc eſt, ante ſeptennium tenent non expedire, ut parvuli confirmentur. Ita Paludanus in 4. d. 7. q. 4. ar. 2. concluſione 2. & Soto in 4. d. 7. q. unica ar. 8. concluſione 2. & 3. quamvis Soto non rejiciat uſum nationum, ſi quæ ſunt, quæ confirment infantes.

Cæteri omnes Scholastici, sunt autem major pars & præcipui, convenientius esse ducunt, si ante usum rationis Confirmatio conferatur. Quorum ratio est, quòd adveniente ætate adulta confirmatio suam efficaciam habeat, quemadmodum fides, quæ in Baptismo infunditur. Item quòd infantilis ætas non patiatur fictionem, qua effectus Sacramenti in traditione impediatur. Sic Alex. p. 4. q. 9. de Sacramento Confirmationis ar. 2. in resolutione. Ricardus in 4. d. 2. q. 2. Bonaventura in 4. d. 7. ar. 3. q. 1. S. Thom. in 4. d. 7. q. 3. ar. 2. ad secundam quæstionem, quos etiam sequitur Gabriel in 4. d. 7. ar. 3.

Atque hanc sententiam hoc nostro sæculo antistites Ecclesiarum passim sequuntur. Confirmationem tamen, quamvis ante usum rationis, vario modo differunt. Alij expectant triennium, alij quadriennium, alij quinquennium. Nimirum unusquisque abundat in suo sensu. Et in periculo mortis, quamvis sine necessitate, si adsit Episcopus potest parvulos confirmare, ut patet ex B. Thoma 3. p. q. 72. ar. 9. in solutione ad ultimum. In Hispaniis autem audio solitos esse Pontifices transacto triennio Diœcesim lustrare, & quoscumque repererint baptizatos etiam infantes, omnes confirmare.

Eucharistiam verò Latini jure optimo eò usque protendunt, donec ad plenum liberi arbitrij usum pueri pervenerint.

Cæterùm hac in re Gregorius Nazianzenus tantus Theologus tanquam pacificator prodeat in medium, qui Græcos cũ Latinis consociet, & conjungat. Is in illa celeberrima oratione de Baptismate, an infantes sint baptizandi, sibi objicit his verbis: ἔστω ταῦτα φησὶ περὶ τῶν ἐπιζητούντων τὸ βάπτισμα· τί δ' ἂν εἴποις περὶ τῶν ἔτι νηπίων, καὶ
» μήτε τῆς ζημίας ἐπαισθανομένων, μήτε τῆς χάριτος. ἢ καὶ ταῦτα βαπτίσομεν; Sint sanè vera,
» quæ loqueris, dixerit aliquis, quantum ad
» eos attinet, qui Baptismum requirunt.
» Quid autem de iis dices, qui adhuc tenera
» ætate sunt, nec aut damnum, aut gratiam
» sentiunt, an eos quoque baptizabimus? Et respondet: πάνυ γε, εἴπερ τις ἐπείγοι κίνδυνος. κρεῖσσον γὰρ ἀναισθήτως ἁγιασθῆναι, ἢ ἀπελθεῖν ἀσφράγιστα καὶ ἀτέλεστα. καὶ τούτου λόγος ἡμῖν ἡ ὀκταήμερος περιτομὴ, τυπική τις οὖσα σφραγὶς, καὶ ἀλογίστοις ἔτι προσαγομένη. ὡς δὲ καὶ ἡ τῶν φλιῶν χρίσις διὰ τῶν ἀναισθήτων φυλάττουσα τὰ πρωτότοκα. περὶ δὲ τῶν ἄλλων δίδωμι γνώμην, τὴν τριετίαν ἀναμείναντας, ἢ μικρὸν ἐντὸς τούτου, ἢ ὑπὲρ τοῦτο, ἡνίκα καὶ ἀκοῦσαί τι μυστικὸν, καὶ ἀποκρίνασθαι δυνατὸν, εἰ καὶ μὴ συνιέντα τελέως, ἀλλ' οὖν τυπούμενα, οὕτως ἁγιάζειν καὶ ψυχὰς καὶ σώματα τῷ μεγάλῳ μυστηρίῳ τῆς τελειώσεως. καὶ γὰρ οὕτως ἔχει. τὸ μὲν γὰρ τὰς εὐθύνας τηνικαῦτα ὑπέχειν ἄρχονται, ἡνίκα ἂν ὅ, τε λόγος συμπληρωθῇ, καὶ τὸ μυστήριον μάθωσι. τῶν γὰρ ἐξ ἀγνοίας ἁμαρτημάτων παρὰ τῆς ἡλικίας αὐτοῖς τὸ ἀνεύθυνον. τετειχίσθαι δὲ τῷ λουτρῷ, παντὶ λόγῳ λυσιτελέστερον διὰ τὰς ἐξαίφνης συμπιπτούσας ἡμῖν προσβολὰς τῶν κινδύνων, καὶ βοηθείας ἰσχυροτέρας. Ita prorsus si quod periculum «
urgeat. Præstat enim sine sensu sanctifi- «
cari, quàm citra Baptismum, atque ini- «
tiationem è vita decedere. Atque hujus «
rei nobis argumentum circumcisio præbet, «
octavo die peragi solita, quæ Baptismi fi- «
guram quodammodo gerebat, atque iis, «
qui nondum ratione valebant, offereba- «
tur. Eodem quoque modo postium unctio, «
quæ rebus sensu carentibus adhibita pri- «
mogenitos servabat. De reliquis ita sen- «
tio, ut triennio expectato, aut aliquanto «
breviori, vel longiori temporis spatio, «
quando & mystici quiddam audire, & res- «
pondere possunt, ac si minus plenè, & exa- «
ctè intelligunt, crassiori tamen modo in- «
formantur; ita demum per magnum per- «
fectionis Sacramentum, & animas, & cor- «
pora sanctificent. Quippe ita se res habet, «
referendis quidem vitæ rationibus, non «
antè obnoxij esse incipiunt, quàm & ratio «
ad plenum accreverit, & vim Sacramenti «
intelligant: ætatis enim beneficio hoc ha- «
bent, ut peccatorum, quæ per ignorantiam «
admiserint, rationem reddere minimè co- «
gantur. At verò propter repentinos, nec «
ullo auxilio propulsabiles periculorum im- «
petus, qui nobis accidere solent, lavacri «
præsidio præmunitum esse, omnino con- «
ducibilius est. «

Nota Nazianzenum duo tempora parvulis assignare, in quibus debeant baptizari, ob similem rationem. Si adsit periculum mortis ob aliquam infirmitatem, vel

casum aliquem, nulla expectata ætate statim esse baptizandos. Rursus si non urgeat tanta necessitas, triennium expectandum. Cur autem triennium, non etiam usum rationis? propter inopinatos, ac subitos eventus.

Si ergo Gregorius Nazianzenus verba faciens de Baptismo, si non sit præsens, ac imminens periculum, triennium expectandum censet: Quid is diceret, ac sentiret de Confirmatione, & multò magis de sacratissima Eucharistia? Igitur Græci si suum Doctorem Græcum & Oecumenicum sequi voluerint, sanè quidem ea mysteria, ut dignè, & cum majori fructu, & uberiori emolumento tractare valeant, in aliud commodius, & aptius tempus differre, utiq; non gravabuntur. Id enim postulat tantorum mysteriorum dignitas, potissimum Eucharistiæ, quæ Regem gloriæ in se continet, Id exigit infirmitas, & imbecillitas infantium, & puerorum, qui sine sensu illa perciperent. Id efflagitat periculum, cui exposita est Eucharistia, præsertim sub utraque specie, ne ab infantibus sumpta non retineatur. Id requirunt conditiones, quas assignat Apostolus comedentibus. Tandem etiam, quòd nulla necessitas appareat, cur illa Sacramenta in ea ætate conferri debeant.

Non enim esse necessaria, præter ea quæ dicturi sumus in sequenti capite, inde quoque probari potest, quòd ea non quilibet ad modum Baptismi administrare queat, qui cùm sit omnibus simpliciter necessarius, ab omnibus accipi, & in necessitate ab omnibus dari potest.

Deinde si necessaria forent, necessariò quoque semper unà cum Baptismo administrata fuissent; at in Actibus Apostolorum cap. 2. tria millia hominum baptizantur, neque tamen illo eodem die communionis participes fiunt. Et cap. 8. Philippus Diaconus baptizat Samaritanos sine administratione horum Sacramentorum: neque enim poterat administrare Sacramentum Confirmationis, cùm esset Diaconus: & Paulus ipse cap. 19. baptizat quosdam, & eos confirmat, sed eis Eucharistiam minimè impertit.

Postremò rationes etiam sanctorum Pattum, quas pro Sacramento Confirmationis, & Eucharistiæ assignant, ea Sacramenta non esse necessaria haud obscurè ostendunt. Cùm solus Baptismus ad consequendam salutem sit medium simpliciter necessarium, & plenè ac perfectè ad hoc sufficiat.

Quamobrem Simeon Thessalonicensis imprudenter scripsit: οὐκ ἔσαι τελείως τις βαπτισθεὶς, ὁ μὴ τὸ μύρον δεξάμενος. Non erit perfectè quispiam baptizatus, qui non susceperit unguentum. Eoque nomine arguit Latinos, qui non adhibent Confirmationem in infantium baptismate. Nam ante omnia alia Sacramenta per Baptismum fidelis, & Christus, hoc est, unctus, hinc & Christianus efficitur, quamvis non externo unguento delibutus, at internâ gratiâ Spiritus illustratus, & perfectè Christianus fit. Verè enim per illum, & integrè homo iustus, & sanctus evadit, & filius Dei est: hinc & heres, & cœlestis regni particeps, atque beneficio gratiæ Baptismatis cum Christo capite veluti membrum coniungitur. Quocirca est perfectè, & plusquam perfectè baptizatus.

Si itaque Græci hanc suam consuetudinem more Latinorum in melius, ac tutius voluerint commutare, certè erunt laude dignissimi. Sin minùs, tolerandi erunt.

De duobus Sacramentis, Chrismate & Eucharistia, non necessariò percipiendis ab infantibus.

Caput XIV.

Modò in gratiam Latinorum, atque adeò ipsiusmet veritatis, quorundam recentiorum Græcorum circa hanc administrationem falsa & hæretica mihi superest refellenda opinio. Nam cùm Orientalis Ecclesiæ ille sit mos, quem recensuimus, ut illa Sacramenta simul coniungat. Egregij isti novi Theologi Græciæ, dum Ecclesiam Græcam cæteris

præstare contendunt, rem utcunque congruentem, & aptam ex imperitia, sua falsa interpretatione, in necessariam vertерunt. Unde nonnulli eorum sacratissimam Eucharistiam re ipsa percipiendam, quidam etiam Confirmationem æquè necessariam esse infantibus ad consequendam salutem, atque baptismum pro certo statuere audent. Sed eorum verba in medium afferamus, & refellamus.

Simeon Archiepiscopus Thessal. in libro, quem composuit de septem Sacramentis, sic tradit: χρήζομεν οὖν καὶ ἡμεῖς κατ' ἀνάγκην τοῦ πνευματικοῦ μύρου τούτου, καὶ μᾶλλον ἐν τῷ βαπτίσματι. καὶ οὐκ ἔσται τελείως τις βαπτισθεὶς ὁ μὴ τὸ μύρον δεξάμενος. τῷ μὲν γὰρ βαπτίσματι ἀναγεννᾶται, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἀπολούεται πνεύματι. οὔπω δὲ καὶ τοὺς ἀῤῥαβῶνας ἔχει τῆς χάριτος, οὐδὲ τὴν ὀσμὴν τῆς ζωῆς, οὐδὲ τὴν σφραγῖδα τοῦ πνεύματος. διὸ ὡς βαπτισθῆναι ἀναγκαῖον, καὶ τῷ μύρῳ χρισθῆναί ἐστιν ἀνάγκη. Igitur necessariò indigemus nos quoque hujus spiritualis unguenti, ac magis in ipso baptismate. Neque erit quispiam perfectè baptizatus, qui unguentum non susceperit. Siquidem baptismo regeneratur, & à peccatis abluitur spiritu. Cęterùm pignora gratiæ, ut etiam habitum vitæ, & signaculum Spiritus nondum habet. Quocirca ut baptizari, ita etiam unguento ungi necesse est. Et paulò pòst: οἱ βαπτιζόμενοι πιστοὶ τούτῳ ὀφείλουσι κεχρῖσθαι τῷ μύρῳ ἐν τῷ βαπτίσματι, καὶ μὴ ὡς τὰ τῶν Λατίνων, ἢ τινῶν ἄλλων βρέφη, ἀτελεῖς μένωσι, καὶ ἀσφράγιστοι, τὴν χάριν τοῦ πνεύματος μὴ λαμβάνοντες. Qui baptizantur fideles, hoc unguento inungi debent, ne videlicet ut Latinorum, seu quorumdam aliorum infantes, imperfecti maneant, nulloque signaculo insigniti, dum Spiritus sancti gratiam non accipiunt. Tandem concludit: ἀχάριτος ἄρα, καὶ ἀσφράγιστος τῷ Χριστῷ, ὁ μὴ τὸ μύρον δεξάμενος. Igitur nulla gratia præditus, nulloq; signaculo apud Christum est insignitus, qui unguentũ non susceperit. Ita sentit Simeon, hoc in loco de his duobus Sacramentis, Baptismo, & Confirmatione. Quibus addit alibi Eucharistiam, sic enim quodam in loco scribit: καὶ ἀνεξάρνητον μένειν τὸ ὄνομα τῆς τριάδος ἐν τῷ βαπτιζομένῳ ἡ εὐχὴ δυσωπεῖ, τελειωθῆναι τοῦτον τῷ θείῳ βαπτίσματι, καὶ χρίσματι, καὶ τῇ ἱερᾷ κοινωνίᾳ. Precatio Deum exorat, ut baptizatus constans maneat, nomenque Trinitatis non inficietur, sed divino baptismate, atque Chrismate, sacrave Communione perficiatur. Et hæc quidem in bonam partem possent accipi, (verissimum enim est Confirmatione, & Eucharistiâ baptizatum absolvi, & perfici) nisi alibi aliter scripsisset. De sacratissima namque Eucharistia, & Confirmatione ita disserit: καὶ συνεχῶς εἰς τὴν κοινωνίαν ἄγειν δεῖ τὸ βρέφος. οὕτω γὰρ μᾶλλον ἔσται συντηρούμενόν τε καὶ αὐξανόμενον ὑπὸ Χριστοῦ, καὶ κατά τινας ἀμελεῖν, καὶ τούτῳ καινοτομοῦντας ἀλόγως καὶ ἀφιστᾶν τὰ βρέφη τῆς κοινωνίας. ὅτι οὐκ ἴσασι τὰ βρέφη, φασὶ, τίνος κοινωνοῦσι. βαβαὶ τῆς ἀλογίας ἅμα καὶ ἀτοπίας. καὶ διατί βαπτίζεις λοιπόν; ἢ διατί χρίεις τῷ μύρῳ; μᾶλλον δὲ Λατῖνοι οὐδὲ χρίουσιν, ὡς μανθάνομεν, ἐν τῷ βαπτίσματι. καὶ πάντα αὐτοῖς ἐναντία τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. ὁ δέγε ὀρθῶς φρονῶν, ὥσπερ αὐτὸς ἐν πίστει προσάγει τὸ βρέφος τῷ θεῷ, καὶ διὰ πιστοῦ ἀναδόχου τὴν ὁμολογίαν ποιεῖται, καὶ ἀναγεννᾶται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν τὸ βαπτιζόμενον βρέφος, καὶ χρίεται τῷ μύρῳ, καὶ τελειοῦται, καὶ ἀποθνήσκον τῆς βασιλείας ἐστὶ τοῦ θεοῦ. οὕτω καὶ διὰ πιστοῦ προσαγέτω τῇ κοινωνίᾳ, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος. καὶ ὥσπερ ὁ μὴ ἀναγεννηθεὶς δι' ὕδατος, καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὕτω καὶ ὁ μὴ φαγὼν τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς εἶπεν αὐτὸς ὁ κύριος, μηδὲ πιὼν αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Frequenter ad Communionem infantem adducere oportet, ita enim à Christo magis conservabitur, & augebitur, & non secundùm quosdam istud negligere, atque à communione infantes arcere. In hoc similiter sine ulla ratione innovantes. Non enim, aiunt, infantes sciunt, cujus participes fiunt. O dementiam simul & absurditatem! Cur igitur baptizas? vel qua de causa unguento ungis? immo verò Latini neque ungunt in baptismate, ut audivimus, atque omnia sunt apud ipsos contraria Catholicæ Ecclesiæ. Certè qui rectè sentit quemadmodum ipse in fide offert infantem Deo, & per fidelem susceptorem fidem profitetur, & infans, qui baptizatur, in regnum cœlorum regeneratur, ungitur que unguento, atque perficitur. Et si con-

tingat mori, est regni Dei; ita etiam per fidelem adducat infantem ad Communionem, quoniam ipsa est vita æterna. Et sicut qui non fuerit regeneratus per aquam & Spiritum, non intrabit regnum cœlorum; ita etiam qui non comederit carnem filij hominis, ut ipsemet Dominus dixit, & biberit ejus sanguinem, non habet vitam æternam. Sic ille.

Observandum est, Baptismum ex sententia Simeonis abluere quidem peccata, sed non conferre gratiam: Neque imprimere characterem: qui sunt duo reliqui, & veri effectus baptismi. Quandoquidem qui non est Chrismate consignatus, secundùm Simeonem, non habet pignora gratiæ, & ἀχάριτος ἐστι τῷ Χριστῷ., hoc est dicere, non esse gratum Christo, per consequens esse inimicum. Immo neq; habere halitum vitæ, hoc est, neq; vivere: ergo esse mortuum. Quæquidem quomodo cum sententiis Patrum conveniant, qui Baptismum definiunt esse, ζωῆς ἄμειψιν, ἑτέρου βίου ἀρχὴν, ὁμοίωμα τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, χάρισμα υἱοθεσίας, ἀρχὴν λήψεως τοῦ ἁγίου πνεύματος. Permutationem vitæ, alterius vitæ principium, similitudinem resurrectionis ex mortuis, donum filiorum adoptionis, principium acceptionis Spiritus sancti, nedum donorũ ejus: explicet ipse Simeon, tantus novæ Græciæ novus Theologus. Falsò enim diceretur Baptismus regeneratio, si per ipsũ non vivimus. Falsò Baptismi mersio, & emersio sepulturam & resurrectionem Christi significaret, si suscepto baptismate adhuc vita caremus. Falsò item Nazianzenus, Basilius, Damascenus, & alij baptismum appellarent σφραγῖδα, signaculum, si baptizatus ἀσφράγιστος est Christo, & nullo sigillo insignitus. Falsò item Basilius ex sententia Davidis, baptismum ob nimiam abundantiam gratiæ diluvium appellaret in Psal. 28. versiculo, ***Dominus diluvium inhabitare facit***, si baptizatus ἀχάριτος est Christo, nullaque gratia præditus.

Præterquam quòd omnia Sacramenta novæ legis ex opere operato conferunt gratiam.

At non ita Chrysostomus, qui Homiliâ ad Neophytos decem enumerat privilegia, & dona baptismi. Sic enim habet.

Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi. Et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore. Et justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim sunt tantùm liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & justi. Non solùm iusti, sed & filij. Nec solùm filij, sed & heredes. Nec solùm heredes, sed & fratres Christi. Nec tantùm fratres Christi, sed & coheredes. Non solùm coheredes, sed & membra. Non membra tantùm, sed & templum. Nec tantùm templum, sed organa Spiritus. Vides quot sint baptizatis largitates? sed multis quidem videtur (ut postea etiam Simeoni Thessalonicensi) cœlestem gratiam (hoc est baptismum) in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, & Spiritus habitatio fiant.

Et Homilia 6. in 2. ad Corinthios super illis verbis, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. maximam agnoscit vim, & gratiam Baptismi: τί γὰρ τοῦτό ἐστιν; ἐν τῷ νόμῳ ὁ ἁμάρτημα ἔχων κολάζεται. ἐνταῦθα ὁ ἁμάρτημα ἔχων, προσελθὼν βαπτίζεται, καὶ γίνεται δίκαιος. δίκαιος δὲ γινόμενος ζῇ, τοῦ θανάτου τῆς ἁμαρτίας ἀπαλλαγείς. ὁ νόμος ἐὰν λάβῃ φονέα, ἀναιρεῖ. ἡ χάρις ἐὰν λάβῃ φονέα, φωτίζει καὶ ζωοποιεῖ. καὶ τί λέγω φονέα; ξύλα ἔλαβεν ἐν σαββάτῳ, συλλέξαντα ὁ νόμος ἐλίθασε. τοῦτό ἐστι, τὸ γράμμα ἀποκτείνει. μυρίους ἀνδροφόνους καὶ λῃστὰς λαμβάνει ἡ χάρις, καὶ βαπτίζουσα ἀπαλλάττει τῶν προτέρων κακῶν. τοῦτό ἐστι τὸ πνεῦμα ζωοποιεῖ. ἐκεῖνος ἀπὸ ζῶντος νεκρὸν ἐργάζεται τὸν ἁλόντα. αὕτη ἀπὸ νεκροῦ ζῶντα κατασκευάζει τὸν ὑπεύθυνον. δεῦτε γὰρ πρός με οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, καὶ οὐκ εἶπε, κολάσω ὑμᾶς, ἀλλ᾽ ἀναπαύσω ὑμᾶς. ἐν γὰρ τῷ βαπτίσματι θάπτεται τὰ ἁμαρτήματα, ἐξαλείφεται τὰ πρότερα. ζωοποιεῖται ὁ ἄνθρωπος. ὥσπερ εἰς πλάκα αὐτοῦ τὴν καρδίαν ἐγγράφεται πᾶσα ἡ χάρις. Quidnam autem hoc est? in lege qui peccatum habet, pœnas dat, hîc verò qui

» peccatum habet, accedens baptizatur,
» ac justus efficitur. Justus autem effectus
» vivit, utpote peccati morte liberatus. Lex
» si homicidam arripuerit, morte eum affi-
» cit: gratia, si homicidam ceperit illumi-
» nat, ac vivificat. Quid autem homicidam
» dico; Lex eum qui Sabbati die ligna col-
» legerat, arreptum lapidibus obruit. Hoc
» est, quod ait, litera occidit. Gratia sexcen-
» tos homicidas & latrones accipit, ac Ba-
» ptismi aquâ tinctos prioribus malis libe-
» rat. Hoc est, spiritus vivificat. Illa eum,
» qui deprehensus est, ex vivo mortuū red-
» dit: hæc reum ex mortuo vivum efficit.
» Venite enimad me omnes, qui laboratis,
» & onerati estis, & non dixit, puniam vos,
» sed, reficiam vos. Siquidem in baptismate
» sepeliuntur peccata, delentur priora, vivi-
» ficatur homo. In ejus corde velut in tabula
» inscribitur tota gratia.

Item Homiliâ 36. in Joannem explicans probaticam illam piscinam affirmat non dissimilia: τί οὖν ἐστιν ὃ ὑπογράφει; ἔμελλε βάπτισμα δίδοσθαι πολλὴν δύναμιν ἔχον, καὶ δωρεὰν μεγίστην. βάπτισμα πάσας ἁμαρτίας καθαῖρον,
» καὶ ἀντὶ νεκρῶν ζῶντας ἐμποιοῦν. Quid igi-
» tur probatica illa Natatoria adumbrat,
» & quasi lineamentis effingit? Futurum
» erat Baptisma plenum maximæ potestatis,
» & gratiæ. Baptisma purgaturum omnia
» peccata, & pro mortuo vivum effecturum.
Sic Chrysostomus.

Neque potest Simeon dicere, Baptismum producere hos effectus, quatenus complectitur Confirmationem. Nam primò probatica illa Natatoria solummodo Baptismum figurabat. Deinde, præceptum fuit Abrahamo, ut omnem infantem masculum octavo die circuncideret, ut ei deputaretur ad justitiam. Itaque majoris virtutis, & efficaciæ fuisset circumcisio, quàm Baptismus, si solus infantibus non sufficeret ad salutem, & typus excederet veritatem.

Quin Basilius Magnus merum Baptismum appellat, σφραγῖδα πνεύματος, in oratione qua adhortatur ad Baptismum, dum loquitur de Eunucho Reginæ Candacis:
» οὐκ ἀνεβάλλετο τὴν σφραγῖδα τοῦ πνεύματος. Non
» distulit, inquit, signaculum Spiritus. Ubi notandum Philippum Diaconum non administrasse Confirmationem Eunucho, sed merum Baptismum hoc ipso quòd Diaconus esset.

Præterea, docet Simeon, infantem per Baptismum regenerari in regnum Dei. Hoc est dicere, habere jus ad regnum cœleste, & Chrismate perfici, ut si moriatur assequatur regnum cœleste: quasi verò si absque confirmatione obierit, οὐκ ἔσται τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. At infantes si sine Baptismo è vita decesserint, nulla afficiuntur pœna sensus, sed tantùm pœna damni. Quid ergo Baptismus illis confert, si per illum, ex sententia Simeonis, non assequuntur regnum gloriæ? ut prorsus otiosus videatur.

Tandem infert, Communionem, reipsa videlicet percipiendam, esse necessariam ad salutem: quæ similiter quomodo inter se cohæreant, ut quisquam sit perfectus, & absolutus, sitque particeps regni cœlestis per Confirmationem, & deinde ad obtinendam beatitudinem de necessitate opus habeat Eucharistiâ, præsertim si loquamur de infantibus, ego certò non video. Sed videlicet egregius Simeon, ὀξύτερον βλέπει τοῦ λυγκέως, quod est in proverbio. At enim Christus Dominus ipsemet ita de Communione pronunciat. Ita quidem; sed Simeon debuisset sanam interpretationem verbis Domini adhibere. Si nescivisset, potius silere, quàm in hæc absurda præceps ruere. Cæterùm incautè ista inculco, quæ cuilibet vel indocto, & imperito nota sunt. Hinc tamen, pie lector, licet advertere, quàm magnas tenebras menti hominum fœdum, atque execrandum schisma, & perniciosissima hæresis offundant.

Verùm pergamus, & aliorum Græcorum sententias de necessitate trium Sacramentorum in medium producamus.

Job fermè à principio opusculi: τούτων τὰ μὲν πρῶτα τρία, ἤγουν τὸ ἅγιον βάπτισμα, καὶ τὸ ἱερὸν χρῖσμα, καὶ ἡ τῶν μυστηρίων μετάληψις, κοινότατα πᾶσιν ἡμῖν ἐστι, καὶ παντὶ χριστιανῷ πάντως ἀναγκαῖα ὀφειλόμενα. Horum, inquit, Sa- «
cramentorum prima quidem tria, vide- «
licet sanctum Baptisma, sacrum Chrisma, «

& Euchariſtiæ participatio communia ſunt nobis omnibus, ac omni Chriſtiano prorſus neceſſariò debentur.

Hieremias Patriarcha Conſtantinopol. cap. 9. ſuæ cenſuræ, ſic ait: τὸ ἔνατον λέγει, ὅτι δεῖ βαπτίζεσθαι τὰ βρέφη, καὶ μὴ καιρὸν περιμένειν. ὃ δὴ καὶ ἡμεῖς οὕτω ποιοῦμεν. ἵνα μή τι συμβῇ τῇ ἀναβολῇ. πλὴν καθὼς μερικῶς ἐσαφηνίσθη ἐν τῇ τοῦ δευτέρου κεφαλαίου ἀπολογίᾳ. ἐὰν γὰρ μή τις ἀναγεννηθῇ δι' ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. μεταδιδόαμεν δὲ αὐτοῖς ὕστερον, ὡς εἴρηται, τῆς θείας κοινωνίας. κατὰ γὰρ τὸν μέγαν Βασίλειον, ὁ ἀναγεννηθεὶς, καὶ πνευματικῆς τροφῆς δεῖται. καὶ ὁ κύριος, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα, καὶ πίνετε τὸ αἷμα, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. δεῖ οὖν καὶ ἀμφοτέρων, καὶ βαπτίσματος, καὶ μεταλήψεως. Nonum caput Confeſſionis veſtræ docet, infantes baptizandos eſſe. Neque tempus maturioris ætatis expectandum, quod & nos ſanè facimus, ne quid accidat re dilata: ita tamen ut in ſecundi capitis apologia particulatim declaratum eſt, *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit regnum cœlorum.* Poſteriùs autem, ut dictum eſt, impertimus eis divinam Communionem: nam ex ſententia Baſilij Magni, qui regeneratus eſt, ſpirituali quoque nutrimento indiget. Et ipſe Dominus ait, *Niſi manducaveritis carnem, & biberitis ſanguinem, non intrabitis regnum Dei.* Utroque igitur opus eſt, & Baptiſmate & Communione.

Hîc quidem docet Hieremias duo Sacramenta, Baptiſmum, & Euchariſtiam eſſe neceſſaria omnibus ad ſalutem, ibi verò in ſecundo quod citat cap. ponit tertium Sacramentum Confirmationis.

Notandum autem ſimiliter eſt, Hieremiam illis verbis (poſteriùs impertimus) intelligere non longè poſt, ſed ſtatim à baptiſmate. Quare illud (poſteriùs) ad ipſum Baptiſmum refertur. Quaſi dicat, priùs baptizamus, deinde Communionem diſtribuimus, ſic enim docet in ſecundo cap. παρευθὺς δὲ δεῖ χρίειν τὸν βαπτισθέντα καὶ τῷ μύρῳ. τὸ γὰρ χρῖσμα τοῦτο, σφραγίς ἐστι Χριστοῦ καὶ σημεῖον. καὶ ἡμεῖς δὲ ἐξ αὐτοῦ τὴν χάριν λαμβάνοντες ἐν τῷ μύρῳ χριστιανοὶ καλούμενοι, καὶ Χριστοὶ κυρίου ἐσμέν. οὐ γὰρ ἀπαξιοῖ καθ' αὐτὸν καλεῖσθαι ἡμᾶς. ὅτι καὶ υἱοὺς θεοῦ θέσει καλεῖ, καὶ θεοὺς κατὰ χάριν. χρίων δὲ τὸν βαπτισθέντα ὁ ἱερεύς φησι, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. ἀμήν. ὅθεν εὐλόγως ἔχει μετὰ τὸ βάπτισμα, καὶ τὸ χρίσμα ἀκολουθεῖν, καὶ μὴ εἰς καιρὸν ταμιεύεσθαι. ἀλλὰ καὶ μεταδοῦναι τῷ βαπτισθέντι τῆς φρικτῆς κοινωνίας ἑπόμενον. τοῦτο γὰρ τὸ τέλος τοῦ μυστηρίου παντός. ἵνα τῆς πλάνης ἀπαλλαγῶμεν, καὶ τοῦ ῥύπου τῆς ἁμαρτίας, καθαροί τε γενόμενοι, καὶ τῷ θείῳ μύρῳ ἐσφραγισμένοι, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος κοινωνήσωμεν, καὶ ἄκρως ἑνωθῶμεν αὐτῷ, καὶ ἐνοικήσῃ ἐν ἡμῖν, ἐμπεριπατήσῃ Χριστὸς, καὶ μεθ' ἡμῶν πάσας τὰς ἡμέρας. Mox, inquit, is, qui baptizatus eſt, ſacro unguento debet inungi. Chriſma enim hoc, ſigillum, & ſignum Chriſti eſt, noſque ex ipſo, in unguento gratiam adepti, Chriſtiani nominamur, & Chriſti, hoc eſt uncti Domini ſumus. Non enim dedignatur nomine ſuo nos appellari, quia, & filios Dei adoptivos vocat, & Deos ex gratia. Ungens autem baptizatum Sacerdos ait, Signaculum doni Spiritus ſancti. Amen. Unde rationi conſentaneum eſt, Baptiſmati etiam Chriſma ſubjungi, & non in aliud tempus differri. Sed & illud conſequens eſt, baptizatum tremendæ Communionis participem fieri. Hic enim omnis Sacramenti finis eſt; ut errore, & peccati ſordibus liberati, mundatique, & ſacro unguento obſignati, carnem, & ſanguinem ejus participemus, conjunctiſſimique cum ipſo ſimus, & inhabitet nobis, in nobiſque ambulet Chriſtus, & nobiſcum ſit in omne tempus. Sic ille.

Verùm Hieremias parum ſibi conſtat, atque cohæret: Nam ipſe in cap. 7. primi libri, ſeu reſponſi cenſuræ loquens de baptiſmate ait, καὶ τὸ βάπτισμα δι' ἀνιέρου δι' ἀνάγκην οὐκ ἀποβάλλεται. Baptiſmus, qui per minimè conſecratam perſonam propter neceſſitatem adminiſtratur, non reiicitur. Quid ergo de illo cenſendum, qui ſic baptizatus ſtatim mortem obit? rectè nimirum. At unguentum ibi nullum collatum, Euchariſtia nulla exhibita: non igitur neceſſaria. Quod item ſentiret Hieremias de infante baptizato à Preſbytero, ſi ſtatim poſt Baptiſmum, nondum recepto Chriſmate, & multo minùs Chriſti

corpore,

corpore, repentina morte deficiat?

Quæ ratio universè militat adversus omnes, qui tenent illa duo reliqua Sacramenta, Confirmationem, & Eucharistiam re ipsa percipiendam de necessitate requiri salutis.

Idem Hieremias docet sacrificium conducere mortuis duplici ex capite, tum ex oblatione dum offertur pro illis, tum ex perceptione vivorum. Quamvis re ipsa defuncti illud non percipiant, participant tamen illud, inquit Hieremias, mutuatus credo istud à Nicolao Cabasila, ineffabili quodam modo, qui Christo Domino soli est notus. Sic igitur habet in primo responso suæ censuræ c. 13. ubi agit de sacrificio, & Communione: διττῶς δὲ ἁγιάζουσα φαίνεται ἡ θεία αὕτη, καὶ ἱερὰ τελετή. ἕνα μὲν τρόπον τῇ μεσιτείᾳ. προσφερόμενα γὰρ τὰ δῶρα, αὐτῷ τῷ προσφέρεσθαι, ἁγιάζει τοὺς προσφέροντας, καὶ ὑπὲρ ὧν προσφέρουσι, καὶ ἵλεων αὐτοῖς ἐργάζονται τὸν θεόν. ἕτερον δὲ τῇ μεταλήψει. ὅτι βρῶσις ἡμῖν καὶ πόσις κατὰ τὸν τοῦ κυρίου λόγον ἀληθινή. τούτων τῶν τρόπων ὁ μὲν πρῶτος κοινὸς γίνεται ζῶσι καὶ τεθνηκόσι, καὶ γὰρ ὑπὲρ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ἡ θυσία προσφέρεται. ὁ δὲ δεύτερος μόνοις ἔξεστι τοῖς ζῶσιν. οὐ γὰρ ἐσθίειν καὶ πίνειν οἱ νεκροὶ δύνανται. (hæc ratio valet etiam pro infantibus, qui non possunt comedere.) τί οὖν; διὰ τοῦτο οὐδὲ ἁγιάζονται τοῦτον τὸν ἁγιασμὸν, τὸν ἀπὸ τῆς μεταλήψεως, καὶ ἔλαττον ἔχουσι ἐνταῦθα τῶν ζώντων οἱ τεθνηκότες; οὐδαμῶς. καὶ γὰρ καὶ αὐτοῖς ὁ Χριστὸς ἑαυτοῦ μεταδίδωσι, τρόπον ὃν οἶδεν αὐτός. Bifariam porro sanctificare conspicitur divinum hoc, & sacrosanctum mysterium, uno modo mediatione: dum enim offeruntur dona, eo ipso quòd offeruntur, sanctificant, tum eos qui offerunt, tum alios, pro quibus offeruntur, propitiumque eis Deum faciunt. Altero modo ipsa perceptione, quia cibus nobis est, & potus verus, ut Christus dixit. Horum duorum modorum prior communis fit vivis, & mortuis; quia pro utrisque sacrificium hoc offertur. Alter solis viventibus convenit; quia non possunt edere, & bibere defuncti. Quid igitur? Ideóne nec illa sanctificatio, quæ à perceptione est, eos attingit, & deterior hoc modo defunctorum conditio est, quàm vivorum? Absit: nam ipsis etiam se Christus impertit eo modo, quem ipse novit. Sic ille.

Hoc responsum valeat quoque pro infantibus actum comestionis exercere non valentibus contra Græcos. Quamvis non sit opus recurrere ad modos incognitos, neque sit nobis difficile cum Beato Augustino explicare, qua ratione infantes illud assequantur, licet actu ipso comestionis non percipiant. De qua re agam infrà in materia de Eucharistia.

Gabriel Philadelphiensis censet quidem Confirmationem statim adhibendam esse post Baptismum. Sic enim scribit in materia de baptismate: ὅθεν καὶ τῷ θείῳ μύρῳ χρίονται μετὰ τὴν τοῦ θείου βαπτίσματος τελετὴν, ἔν τε τῷ μετώπῳ καὶ τοῖς λοιποῖς μέρεσιν, ὡς ἡ ἁγία τῆς ἐκκλησίας παράδοσις ἐπικρατεῖ. Unde Ecclesiastica traditione hoc obtinente, post sacram baptismatis cerimoniam divino unguento inunguntur cùm in fronte, tum in reliquis partibus corporis. Item dum agit de Sacramento Chrismatis, sic habet: ἡ δὲ ἀνατολικὴ ἐκκλησία τοῖς ἱερεῦσι συγκατανεύει χρίειν ἀπροσκριματίστως μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος εὐθὺς τελετήν. Orientalis Ecclesia Sacerdotibus permittit citra ullum peccatum posse ungere statim post sacri baptismatis ritum. Non tamen in eum sensum hoc affirmat Gabriel, quod hoc Sacramentum necessitatem aut medij, aut præcepti includere sentiat. Siquidem cap. 6. Sacramenta in duo genera dividit, necessaria & utilia: τὰ μὲν εἰσὶν ἀναγκαῖα, τὰ δὲ χρήσιμα. Atque inter utilia enumerat Confirmationem. Item dum explicat finem Confirmationis ait: διὸ λυσιτελές ἐστι χρίεσθαι τῷ θείῳ μύρῳ τοῖς παλαίουσι καὶ ἀγωνιζομένοις κατὰ τῶν δαιμόνων. Quocirca divino unguento inungi utile est luctantibus, & contra dæmones decertantibus.

At verò quòd spectat ad Eucharistiam, in iisdem hæret ambagibus. Simpliciter esse necessariam omnibus contendit, ex illis verbis Evangelicis, *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis*: ἡ δὲ θεία κοινωνία ἐστὶν ἀναγκαία, ὅτι φησὶν ὁ κύριος, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. Divina Communio est necessaria, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis*,

» *& biberitis ejus ſanguinem, non habetis vi-*
» *tam in vobis.* Putat autem eſſe neceſſariam ἁπλῶς καὶ κυρίως, ſimpliciter, & propriè, hoc eſt, ut ego interpretor, actu ipſo percipiendam etiam infantibus. Priùs enim dixerat de baptiſmo: τὸ μὲν βάπτισμα ἐστὶν ἀναγκαῖον ἁπλῶς καὶ κυρίως, ὅτι φησὶν ὁ κύριος, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ
» εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Baptiſma qui-
» dem eſt neceſſarium ſimpliciter, & propriè,
» quoniam ait Dominus: *Niſi quis natus*
» *fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit re-*
» *gnum cœlorum.* Deinde infert, ἡ δὲ θεία κοινωνία, &c. Divina item Communio eſt neceſſaria, quoniam Dominus ait: *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis*, &c. Iiſdem prorſus utitur probationibus, ut idem judicium in ambobus Sacramentis faciendum nobis neceſſe ſit, ex ſententia Philadelphienſis.

Dicet aliquis, cur non potius ex ſententia Chriſti, qui & ipſe eodem modo loquitur de utroque Sacramento?

Hoc pleniùs explicabo in materia de Euchariſtia, ubi de induſtria quæſtionem hanc tractabo. Interea reſpondeo, non includere verba Chriſti medium, ſed præceptum, cujus non ſunt capaces infantes, eò quòd deſint ipſis conditiones, quas requirit Paulus ab iis, qui hoc Sacramentum participant. Immo & Chriſtus Dominus dum ait, *Niſi manducaveritis.* Et tamen infantes actum comeſtionis exercere non valent, adeo ut Chriſtus Dominus ἀδύνατα mandaſſet, ſi infantes in eo præcepto complexus fuiſſet. Quid dicam de uſu rationis, quo qui carent, quomodo probare ſeipſos poſſunt? Quocirca Baſilius, qui in libro de Baptiſmo ait: ὅτι δεῖ τὸν ἀναγεννηθέντα διὰ τοῦ βαπτίσματος, τρέφεσθαι λοιπὸν τῇ μεταλήψει τῶν θείων μυστηρίων. De adultis intelligitur. Quod liquidò conſtat ex rationibus, quas infert. Vult enim propterea nos edere corpus Chriſti, & ejus ſanguinem bibere, ut perpetuò memores ſimus ejus, qui pro nobis mortuus eſt, ac reſurrexit, atque ita inſtruamur neceſſariò cuſtodire in conſpectu Dei, & Chriſti ejus, traditum ab Apoſtolo degma qui actus ἀναμνήσεως, & τηρήσεως τῶν ἐντολῶν, non convenit infantibus. Quòd ſi non eſt præceptum infantibus impoſitum, ſed adultis; eò quòd infantes non ſint illius capaces. Ergo multo minus verba Chriſti ſignificant Euchariſtiam infantibus eſſe medium. Quippe omne medium eſt etiam præceptum, non contrà. Cùm igitur non ſit præceptum, neque erit medium: Non ſecus ac ſi diceremus, non eſt animal, ergo multò minus eſt homo.

Quod autem ea verba Salvatoris non includant medium, inde quoque quaſi à poſteriori manifeſtum eſt; quòd infantes ſine Euchariſtia re ipſa percepta ſalutem conſequantur. Signum igitur eſt, eam non eſſe medium. Quippe medium ejuſmodi naturæ eſt, ut ſine illo nulla ratione alicui æquè adulto atque infanti ſalus contingere poſſit, ut eſt Baptiſmus. Salvari autem infantes ſine Euchariſtia probatur. Primò, quia ſola peccata ſeparant nos à Deo, & illa obſtant, ne conſequamur gloriam: ſed illa delentur ſolo baptiſmo. Ergo per ſolum baptiſmum infantes ſi moriantur, beatitudinem obtinent. Deinde, cùm Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum ſit, non ad dandam vitam carentibus, ſed ad conſervandam habentibus; infantes autem non indigeant conſervatione, quippe qui amittere vitam in ea ætate minimè poſſunt; per conſequens non indigent Euchariſtiæ actu percipiendæ.

Gabriel quoque ſui oblitus immeritò cenſet Euchariſtiam re ipſa percipiendam de neceſſitate requiri ſalutis. Dum enim agit de miniſtro baptiſmi, poſſe laïcum in neceſſitate baptizare rectè pronunciat. Et tamen non eſt præſentis moris Eccleſiæ Orientalis homini profano baptizanti in neceſſitate, hujus ſacramenti adminiſtrationem permittere. Præterquam quod in neceſſitate neque ullam hujus Sacramenti haberet copiam.

Ad probandum autem Confirmationem non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem, nonne factum Chriſti nobis ſatis eſſe deberet? Siquidem Chriſtus Dominus baptizavit Apoſtolos, ſeu Petrum principem Apoſtolorum, qui deinde baptizavit cæteros, ut tradunt ſancti Patres, & Hiſtorici. Et tam Chriſtus, quàm Petrus non

ſtatim baptizatos chriſmate inunxerunt, ſed Chriſtus diſtulit, nec eodem tempore unà cum Baptiſmo Sacramentum Confirmationis inſtituit. Non ergo neceſſarium eſſe duxit. Namque Græci propterea non differunt, ſed ſtatim poſt baptiſmum inungunt, quòd neceſſariam Confirmationem eſſe velint, ut quidam illorum falsò exiſtimant.

Quòd autem Chriſtus Dominus ea Sacramenta non ſimul conjunxerit, & eodem tempore diſtribuerit, ſed diviſerit, patet: ſiquidem Apoſtoli unà cum multis aliis fidelibus ipſo die ſolemni Pentecoſtes Spiritum ſanctum cum ſuis donis acceperunt, quo deinde fulti, nomen Chriſti intrepidè confeſſi ſunt, & Evangelium ubique prædicarunt. Neque aliud exprimit, & efficit tota illa celeberrima, & admiranda operatio, quàm effectum Confirmationis, ut communiter teſtantur Patres, & res ipſa loquitur.

Confirmatur hoc totum. Nam Ananias baptizavit Paulum, qui erat laïcus: hoc enim accidit primo anno à Paſſione Domini, quo videlicet tempore nulli erant ordinati Epiſcopi, aut Preſbyteri præter Apoſtolos, & ſeptem Diaconos. Ananias autem quamvis baptizaverit, nulla tamen ratione potuit confirmare laïcus exiſtens. Immò verò neque Diaconi poſſunt. Hoc enim dumtaxat Preſbyteris conceſſum eſt, idque extraordinariè ex delegatione ſummi Pontificis.

Præterea Chriſtus Dominus de Baptiſmo dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu.* Nec mirum ſi ex hiſce verbis Patres rectè colligant, baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis. Immo Græci, cum quibus nunc agimus, ex ſimillima phraſi ratiocinantur, atque idem inferunt de Euchariſtia. Sed de Confirmatione nihil tale extat, neque in ſacris literis, neque apud ſanctos Patres: ergo non videtur eſſe neceſſaria.

Dicunt quidem ſancti Patres, ut & antea monuimus, eum, qui non ſit unctus hoc unguento, non eſſe plenè, & perfectè Chriſtianum: quòd videlicet majorem ex duplici Sacramento percipiat gratiam, & perfectior evadat. Atque ex hac hypotheſi neceſſarium eſſe, ut Chriſmate ungatur. Non tamen inde ſequitur Confirmationem eſſe medium, vel præceptum ſimpliciter neceſſarium ad conſequendam ſalutem.

Eſt autem obſervandum, ut hoc etiam obiter dicam, aliud eſſe perfectè Chriſtianum, & aliud perfectè baptizatum. Eſt enim quiſpiam perfectè baptizatus ſolummodo propter merum baptiſmum, & pluſquam perfectè. Neque enim per aliud Sacramentum poteſt baptizari, neque baptiſmus admittit in ſe magis, & minus. Non tamen perfectè Chriſtianus eo ſenſu, quo affirmant Patres, & nos ſuprà explicavimus. Quod propter Simeonem monendum voluimus: Quandoquidem hoc poſterius, eſſe perfectè Chriſtianum, quaſi ſpecies contrahit genus, adeout comprehendat illud primum, eſſe perfectè baptizatum, non tamen contrà.

His adde, cùm materia Sacramenti Confirmationis ſecundùm Græcos, & ſententiam Dionyſij Areop. ſit pretioſa: ex variis generibus odoramentorum collecta, & ex ipſomet balſamo conſtans, neque facilè haberi poſſit, non eſt credendum, Chriſtum Dominum voluiſſe inſtituere hoc Sacramentum, veluti neceſſarium ſimpliciter ad ſalutem. Nam ut ait Chryſoſtomus loquens de baptiſmo Homilia 25. in Joan. τὰ ἀναγκαῖα σφόδρα, καὶ εὔκολα ἐποίησεν ὁ Θεός. Quæ ſunt maximè neceſſaria, etiam facilia fecit Deus. Unde ſanctus Hieronymus cùm optimè ſciret gratiam baptiſmalem, non autem gratiam Confirmationis eſſe ſimpliciter omnibus neceſſariam, & tamen ſuo tempore, ut modò fit in Eccleſia Latina, Epiſcopi confirmarent, agens contra Lucifer. Ad honorem, inquit, potius Sacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem id factitatum fuiſſe. Quod eſt dicere, ſi hoc Sacramentum fuiſſet ſimpliciter neceſſarium, profectò Epiſcopis, qui non poſſunt ubique præſto eſſe, non fuiſſet commiſſum. Alioquin, infert, ſi ad Epiſcopi tantùm imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt, qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Preſbyteros, & Diaco-

nos baptizati, antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.

Præterea, hæc duo Sacramenta, Confirmatio & Eucharistia non sunt instituta ad delenda peccata, sed potius ad augendam gratiam, & conservandam vitam spiritualem. Ergo non sunt necessaria omnibus simpliciter ad salutem.

Postremò, Sacramentum Confirmationis eò spectat, ejusque finis is est, Christianus novâ gratiâ Spiritus sancti fultus, & corroboratus ne trepidet coram aliis strenuè nomen Christi profiteri, neve facilè succumbat suggestionibus dæmonis. At hæc non cadunt in infantem, utpote qui neque peccare, neque cum Christiani nominis hostibus pro fide Christi decertare queat.

Vtrum hi, qui differebant Baptismum usque ad mortem, & eum moribundi suscipiebant, assequerentur cœlestem beatitudinem.

Caput XV.

Cum Simeon Thessalonicensium antistes doceat, baptismum auferre quidem peccata, sed non conferre gratiam, per consequens non satis esse ad salutem, nisi addatur Confirmatio, immo, & sacratissima Eucharistia; extent autem nonnulla loca Doctorum Ecclesiæ, quæ, si quis detorqueat in illius κακοδοξίαν, quadrare posse videntur, idcirco præsentem quæstiunculam proponimus.

Antiquitus itaque, ut etiam dictum est in cap. 13. non pauci Christiano cultui addicti, ne post Baptismum peccatorum maculis se pollucrent, sed sacro lavacro purgati recta in cælum pergerent, baptismum procrastinabant, nonnisi in extrema senectute, vel proximi morti κλινήρεις, clinici, in lecto decumbentes, quando iam amplius peccare non poterant, eum suscepturi. Igitur sancti Patres, ut eos ab hac pessima, & periculosissima consuetudine quàm longissimè abducerent, hoc ipsum eis adimebant, interque alia dicebant, eos non assequuturos gloriam, ob quam assequendam in finem vitæ reiecissent lavacrum; sed tantùm evitaturos supplicia. Quippe qui talentum suscepissent, & gratiam, sed non abhibuissent negotiationem talenti, neque ob infirmitatem ulla bona opera exercuissent.

Unde non est hoc loco silentio prætereunda, & dissimulanda sententia quædam Gregorij Nazianzeni, quæ periculosa esse videtur, nisi sano modo accipiatur; siquidem discrimen quoddam constituit inter σωτηρίαν, salutem, & δόξαν gloriam, seu σώζεσθαι, καὶ δόξης τυχεῖν salvari, & gloriam consequi: vultque nonnullos esse adultos, alioquin baptizatos, qui salutem acquirant, non autem gloriam. Salutem autem interpretatur nullo cruciatu affici. Ejus verba in oratione 26, cujus initium, ἐπειδὴ προθύμως συνεληλύθατε, hæc sunt: σὺ τὶ μεῖζον σωτηρίας ζητεῖς, τὴν ἐκεῖθεν δόξαν τε καὶ λαμπρότητα. ἐμοὶ καὶ τὸ σωθῆναι μέγιστον, καὶ τὸ ἐκεῖθεν φυγεῖν βασάνους. Tu, inquit, majus aliquid salute quæris, nempe alterius vitæ gloriam, & splendorem. Mihi verò, vel salutem consequi maximum est, & futuras pœnas vitare. Et in oratione, qua ad Baptismum adhortatur, hæc habet: ἐργασθήτω τὸ τάλαντον, ἀλλὰ μὴ συγχωσθήτω. ψυχέσθω τι μέσον τῆς χάριτος καὶ τῆς ἀναλύσεως, ἵνα μὴ ἐξαλειφθῇ τὰ πονηρὰ γράμματα μόνον, ἀλλὰ καὶ μετεγγραφῇ τὰ βελτίονα, ἵνα μὴ τὸ χάρισμα μόνον ἔχῃς, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀντίδοσιν. ἵνα μὴ τὸ πῦρ φύγῃς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς δόξης κληρονομήσῃς, ἣν τὸ ἐργάσασθαι τῷ δώρῳ χαρίζεται. ἔστι γὰρ τοῖς μὲν μικροψύχοις, μέγα τὸ φυγεῖν βάσανον. τοῖς δὲ μεγαλοψύχοις, τὸ καὶ τυχεῖν ἀντιδόσεως. Negotiatione crescat talentum, non autem terra obruatur. Inter gratiam Baptismi, ac mortem, temporis aliquid intercedat, ut non solùm mala scriptura deleatur, sed etiam melior inscribatur, nec solùm gratiam habeas, sed etiam præmium consequaris. Nec ignis tantùm supplicium effugias; verumetiam gloriæ hereditatem percipias, quam negotiatio dono adjuncta conciliat. Nam parvis quidem, atque abjectis animis, amplum, ac præclarum videtur pœnam vitare; At qui magno, & excel-

ſo animo præditi ſunt, ad mercedem quoque aſpirant. Similia mihi videtur docere non minus amicitiâ, quàm doctrinâ cum Nazianzeno conjunctiſſimus Baſilius in adhortatione ad baptiſmum circa finem, illis verbis: ὅταν δὲ καὶ ἐπιστημόνως τὴν χάριν δέξῃ, τότε τὸ μὲν τάλαντον ἔχεις, τὴν δὲ ἐργασίαν οὐκ ἐπιφέρῃ. Cùm verò etiam ſcienter gratiam Baptiſmi ſuſceperis, tum talentum quidem habes, quæſtum autem non affers. Reprehendit eos, qui baptiſmum ſuſcipere differebant per totam ferme vitam, & tunc ſuſcipiebant, cùm extremum ſpiritum agentes, nullum eorum, quæ fiebant, ſenſum haberent. Etſi quidem haberent, nullum tamen lucrum eos ex talento concredito reportare ait. Et paulò pòſt: ἄνθρωπε ἢ τὴν γέενναν φοβήθητι, ἢ τῆς βασιλείας ἀντιποιήθητι. O homo, aut gehennam time, aut regnum tibi vendica. Quaſi verò diſpar ſit horum conditio, & contingere poſſit, ut qui gehennam effugerit, regnum tamen nõ aſſequatur. Sic duo inclyta Eccleſiæ ſidera.

Addamus tertium Gregorium Nyſſenum, qui clariùs, & prolixiùs eandem ſententiam docet in exhortatione πρὸς τοὺς βραδύνοντας εἰς τὸ βάπτισμα, ad eos qui tardant Baptiſmum: ὡς γὰρ ἐμοὶ φαίνεται, τριχῇ τὰ τῶν ἀνθρώπων διαιρεθήσεται ἐπὶ τῆς προσδοκωμένης ζωῆς. ὡς γενικώτερόν πως, χωρὶς τῶν ὑπομερισμῶν διελθεῖν. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἔσται τάγμα τῶν ἐπαινετῶν καὶ δικαίων. δεύτερον, τῶν οὔτε τιμωμένων, οὔτε κολαζομένων. τρίτον τὸ τῶν διδόντων δίκας ὑπὲρ ὧν ἐπλημμέλησαν. ποῦ τοίνυν τάξομεν τοὺς ἐντάφιον λαβόντας τοῦ λουτροῦ τὴν εὐεργεσίαν; ἢ πρόδηλον ὡς ἐν τοῖς δευτέροις; Ut enim, inquit, mihi videtur, in futura vita res humanæ in tres partes dividentur, (ut interim generaliùs diſſeramus, omiſſis ſubdiviſionibus.) Et primus quidem ordo erit dignorum, ac juſtorum. Secundus eorum, qui nec honore, nec ſupplicio afficiuntur. Tertius eorum, qui pœnas luunt propter delicta, quæ patrarunt. Quo igitur loco locabimus eos, qui beneficium lavacri funeri proximum ſuſcipiunt? An clarum eſt, quòd eos in ſecundi ordinis numero reponemus? Et quoniam nonnulli præclarè ſecum agi putabant, ſi vel pœnas effugere liceret; hæc ad eos poſt pauca ſubjicit Doctor. τί τοίνυν μέγα κερδανεῖς ἔξω πίπτων τῆς βασιλείας, καὶ τῶν ἐπαγγελιῶν ἐκείνων, ἃς ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν. οὐ κολάζομαι φησὶ, οὐδὲ φοβοῦμαι τὰς ἀπειλάς. ἀρκοῦμαι δὲ τῷ μὴ παθεῖν τι δεινόν. μηδὲ ὡς κατορθώσας τι γενναῖον ἀποδειχθῆναι. ἀνδραπόδου πονηροῦ ἡ προαίρεσις, μυλῶνος ἀξίου, καὶ δεσμοῦ, καὶ μαστίγων, ἐκδῦναι τὰς τιμωρίας σπουδάζοντος. ἐλευθερίου δὲ δόξης, καὶ τῶν ἐκ λαμπρότητος τιμῶν οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἀντιποιουμένου. Quid igitur magni lucri facies, ſi è regno, & promiſſionibus illis, quas oculus non vidit, nec auris andivit, excideris? Non inquit, crucior, neque minas timeo, ſed ſatis habeo ſi nihil mali patiar, & nihil etiam præclari geram. Improbi mancipij hæc mens, piſtrino digni, vinculis & verberibus, cruciatus ſolùm effugere laborantis, ſuos verò conatus ne tantillum quidem deſtinantis ad acquirendam gloriam homine ingenuo dignam, & honores, qui ex illo ſplendore proveniunt. Idem in eadem oratione: φεύγετε τοίνυν ἄνδρες χριστιανοὶ, κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι, πᾶσαν ἔννοιαν τοιαύτην, λῃστῶν καὶ κακούργων ἀξίαν. μηδὲ τοῦτο μακαριστὸν ἡγήσησθε τὸ φεύγειν τιμωρίαν. ἀλλ᾽ ἐρασθῆτε δωρεῶν, καὶ στεφάνων, οὓς ὁ θεὸς τοῖς ἀθληταῖς τῆς δικαιοσύνης εὐτρέπισε. λάβετε τὸ τάλαντον, καὶ προσθῆτε τὴν ἐργασίαν. Itaque viri Chriſtiani, cœleſtis conſortes vocationis, omnem hujuſmodi cogitationem ſicariis, ac maleficis dignam fugite. Neque id felicitatem exiſtimaveritis vitare ſupplicium, ſed donorum, & coronarum, quas Deus præparavit athletis juſtitiæ, præbete vos amatores. Accipite talentum, atque addite negotiationem. Et paulò pòſt: καλὸς ὁ νεοφώτιστος, ἂν τῇ πίστει συνάψῃ τὴν ἐντολήν. ἐπεὶ πλεῖον οὐδὲν ἔχει τοῦ ἀνεγκλήτου. δεσμώτης ἐτύγχανε, μυρίοις ἐγκλήμασιν ὑπεύθυνος. δεδοικὼς τὸ κριτήριον. τρέμων τῶν εὐθυνῶν τὸν καιρόν. ἦλθεν ἀθρόως βασιλέως φιλανθρωπία. ἤνοιξε τὸ δεσμωτήριον. ἀφῆκε τοὺς πονηρούς. ὁ μὲν διὰ τὴν χάριν, ὑμνείτω ὡς ἀγαθότητος περιουσίᾳ σώσας τοὺς τὸ ζῆν οὐκ ἐλπίζοντας. ὁ δὲ γνωριζέτω ἑαυτὸν, καὶ ἐν ταπεινότητι διαγέτω, μὴ ὡς κατορθώσας τι διακείσθω, ἐπειδὴ τῶν δεσμῶν ἐλύθη. ἄφεσις γὰρ ἐγκλημάτων τὸν ἔλεον προσμαρτυρεῖ τῷ συγχωρήσαντι, οὐ μὴν εὐδοκίμησιν τῷ ἀφεθέντι. Bonus eſt

» recenter illuminatus, si divinum manda-
» tum cum fide conjunxerit; Alioqui nihil
» habet amplius, quàm is, qui crimine vacat.
» Vinculis constrictus erat, sexcentorum
» criminum reus, metuens forum, horrens,
» ac tremens tempus rationem reddendi.
» Accessit regia liberalitas. Aperuit carce-
» rem, dimisit facinorosos. Is quidem qui
» pręstitit beneficium, celebretur hymnis,
» tanquam qui ob nimiam suam bonitatem
» eos servaverit, qui vivere minùs sperabant.
» Ille verò agnoscat seipsum, & humiliter
» se gerat, non tanquam aliquod facinus præ-
» clarum fecerit, quoniam à vinculis solu-
» tus est. Dimissio enim culparum, commi-
» serationem attestatur condonantis, non
» commendationem ejus cui dimittitur. Tan-
» dem ad hoc idem declarandum hujusmo-
» di addit similitudinem: ὁ λαβὼν τὸ τῆς παλιγγενεσίας λουτρὸν, ὅμοιος στρατιώτῃ νέῳ ὑπὸ τὸν ἐναριθμηθέντι τοῖς ὁπλιτικοῖς καταλόγοις, μηδέπω δὲ μηδὲν ἐπιδειξαμένῳ στρατιωτικὸν, ἢ γενναῖον. ὥσπερ οὖν ἐκεῖνος ἀνελόμενος τὴν ζώνην, καὶ τὴν χλανίδα ἐμπορπησάμενος, οὐκ εὐθὺς ἑαυτὸν ἀριστέα νομίζει, οὐδὲ προσιὼν μετὰ παῤῥησίας τῷ βασιλεῖ ὡς γνώριμος διαλέγεται. οὐδὲ χάριτας αἰτεῖ τὰς τῶν καμόντων, καὶ πονησάντων. οὕτως μηδὲ σὺ τυχὼν τῆς χάριτος, οἴου τοῖς δικαίοις συζήσεσθαι, καὶ πρὸς τὴν ἐκείνων ἀχθήσεσθαι κλῆρον, ἂν μὴ πολλοὺς ὑπομείνῃς ὑπὲρ εὐσεβείας κινδύνους. καὶ πολεμήσῃς τῇ σαρκὶ, καὶ μετ' ἐκείνης τῷ διαβόλῳ, καὶ γενναίως ἀντιστῇς πρὸς πάντα τὰ τῶν πονηρῶν πνευμάτων
» τοξεύματα. Qui lavacrum regenerationis
» suscepit, tyroni est similis, qui nuper in
» Catalogo militari sit adscriptus, nondum
» autem quicquam bellicosi, & generosi ex-
» hibuerit. Quemadmodum igitur ille su-
» mens balteum, vestemque militarem fi-
» bulis substrictam gestans, non statim se-
» ipsum strenuissimum esse in bello sibi per-
» suadet, neque ad Regem cum securitate
» accedens, ut familiaris differit, neque be-
» neficia petit, quæ petere solis veteranis, &
» emeritis fas est; Ita etiam tu gratiam Ba-
» ptismi assequutus, ne statim putes te unà
» cum justis consuetudine vitæ consocian-
» dum, neque ad eorum sortem adducen-
» dum, nisi priùs multa pro pietate pericula
» subieris, & adversus carnem, & unà cum
carne adversus diabolum bellum gesseris, «
atque omnibus malignorum spirituum te- «
lis fortiter restiteris. Hactenus Nyssenus. «

Billius interpres Nazianzeni, aliorum quoque Doctorum testimonia recenset, qui ità senserint, nimirum Origenis, Athanasij, Ambrosij, Salviani.

Hæc opinio sanctorum sano modo intellecta hoc sibi vult, ut per salutis vocem extremus beatitudinis gradus, hoc est, qui non acquiritur meritis etiam propriis, significetur. Per gloriam verò gradus ille beatitudinis, qui additis etiam propriis meritis acquiritur. Unde sæpius sancti hęc duo commemorant, & simul conjungunt præclara facinora, & splendorem alterius vitæ.

Quod etiam ex eo probari potest. Nam Gregorius Theologus in eadem oratione de Baptismo dicit, infantes non baptizatos, μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι
παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ. Nec cœlesti gloria, «
nec suppliciis à justo Iudice efficiendos. «
Et reddit rationem, ὡς ἀσφραγίστους μὲν, ἀπονήρους δὲ, ἀλλὰ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν,
ἢ δράσαντας. Utpotè qui licet signati non «
fuerint, improbitate tamen careant. At- «
que hanc jacturam passi potius fuerint, «
quàm fecerint. Si ergo addatur illis Baptismus, prorsus inanis erit, si per illum non consequentur gloriam. Immo verò consequentur, idque indicant verba Na-
zianzeni. Si enim non baptizati propter- «
ea οὐ δοξάζονται, ὅτι ἀσφράγιστοι, non afficiun- «
tur gloriâ, quòd non sint obsignati: Ergo si erunt baptismate obsignati δοξασθήσονται, gloriam consequentur; sed non tantum gloriæ, quantum consequuntur, qui cum mundo, carne, ac dæmone felicissimè decertarunt. Itaque infantes eò quòd sint obsignati beneficio Baptismi, beatitudinem obtinent, & tamen ibi nulla merita propria intercedunt.

Proinde ita est accipienda illorum sententia, alioqui nec esset orthodoxa, nec recipienda, sed prędicto argumento urgenda.

Objicies, Nyssenus trifariam dividit alterius vitæ statum. atque primo loco ponit justos, quorum meritis respondet præmium. Secundo eos, qui nec pœna, nec

præmio afficiuntur, quales ait esse baptizatos, qui nulla bona opera exercuerint, & mortem obierint. Tertio impios, quibus pro demeritis decernitur, & infligitur pœna. At Nazianzenus secundo loco ponit infantes sine baptismate morientes; quod igitur discrimen inter hos ponendum erit, & quem cuique locum assignabimus? Videntur enim hi Doctores inter se minùs convenire.

Respondeo, Nazianzenus considerata pœna sensus, dixit, infantes non baptizatos, neque honore, neque supplicio affici. At Nyssenus spectatâ non solùm pœnâ sensus, sed etiam pœnâ damni, idem affirmavit de baptizatis, qui moriuntur, & nulla merita propria secum afferunt.

Hi enim nec pœnâ sensus, nec pœnâ damni puniuntur. Hoc ipso, dices, quòd non afficiuntur pœnâ damni, beati sunt, & assequuntur gloriam. Rectè istud, sed non illum splendorem, & illam sanctorum gloriam, de qua commemorati sacri Doctores verba faciunt. Unde infantes, qui moriuntur sine baptismate, proculdubio Nyssenus in illa sua divisione tertio loco poneret. Quem locum videlicet rursus in duas partes subdivideret, alteram eorum, qui pœnâ damni, alteram eorum, qui pœnâ damni & sensus afficiuntur. Propterea addidit illa verba: ut interim generalius disseramus, omissis subdivisionibus.

Porrò hæc opinio Sanctorum etiam κατὰ τὸ φαινόμενον, nihil habet commune cum deliramentis Simeonis. Nam qui in extrema senectute moribundi suscipiebant baptismum, suscipiebant etiam Confirmationem, & sacratissimam Eucharistiam more antiquo; Et tamen quia ob infirmitatem non poterant exercere bona opera, Patres eos, dum bene valerent, & procrastinarent baptismum, perterrefaciebant, quasi non assequuturos gloriam, sed evitaturos supplicia: gloriam inquam, & splendorem, qui debetur strenuè certantibus: supplicia, & pœnas sensus, & damni.

At Simeon Thessalonicensis docet infantes, si sine Confirmatione decedant, non obtinere regnum cœleste. Quæ certè diversa sunt, & ex dictis sanctorum Simeon facilè confutari potest.

De oleo Catechumenorum.

Caput XVI.

IN baptismate non solùm aquam, sed etiam oleum benedicunt Græcorum Presbyteri, ut videre est in Euchologio. Quo deinde ungunt varias partes corporis, atque adeo totum corpus Catechumenorum, hac adhibita quasi forma unctionis: χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα ἔλαιον ἀγαλλιάσεως εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀμήν. Ungitur servus Dei " N. oleo lætitiæ in nomine Patris, & Filij, " & Spiritus sancti. Amen. "

Quòd sanè observandum est propter quosdam auctores Latinos, qui putant Græcos non adhibere oleum Catechumenorum in baptismate, atque hoc nomine immeritò eos damnant, quasi verò Græci hanc vetustissimam ceremoniam negligant. Cujus meminerunt Clemens Rom. in Epistola 3. Dionysius de Eccles. Hier. cap. 2. & ultimo. Cyrillus Hierosol. Catechesi 2. mystagogica. Et fortassis hoc oleum intellexit Basilius, quando dixit in lib. de Spiritu sancto cap. 27. εὐλογοῦμεν δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; Consecramus a- " quam baptismatis, & oleum unctionis, ex " quibus scripturis? quippe de hoc eodem " oleo, ibidem ait: τὴν δὲ ἐλαίου χρίσιν τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξεν; Olei unctionem " quis sermo scriptus docuit? quasi dicat, " nullus. Et tamen extremam olei unctionem Iacobus Apostolus in sua Canonica promulgat, & alteram unctionem scilicet Chrismatis Ioannes Evangelista non semel in suis Epistolis testatur. Non itaque hujusmodi generis unctiones intellexit Basilius.

Ex Neotericis Nicolaus Cabasilas in opusculo de vita in Christo, in secunda oratione, distinguit inter Chrisma, & oleum Catechumenorum, & hoc ait illius esse symbolum: καὶ γὰρ τοῦ χρίσματος ἀλείφει τοῦτο τὸ χρῖσμα σημεῖον. Hæc enim, inquit, unctio illius Chrismatis signum est.

Effectum hujus olei describunt Dionysius Areopagita, & Cyrillus Hierosolymitanus locis citatis.

Quidam, (cujus nomini parcendum est) nihil minus, quàm in rebus Græcorum versatus, præterquam quòd diceret Græcos carere oleo Catechumenorum, hunc etiam errorem illis adscribebat, nimirum eos priùs solitos esse conferre Sacramentum Confirmationis, deinde Baptismi: quod ipse colligebat ex verbis commemoratis, Ungitur servus Dei oleo exultationis. Cùm enim videret Græcos similem formam verborum usurpare in Baptismo, existimavit nonnisi in Sacramentis talem modum loquendi veluti formam ab eis adhiberi. Unde etiam verbum χρίεται, non ungitur, sed chrismatur, ipse vertebat. Quæ illius regula falsissima est. Nam in omnibus aliis formis cæterorum Sacramentorum iste modus loquendi non reperitur, in nonnullis sacramentalibus reperitur. Quippe, dum induunt candidas vestes baptizatum, simili modo loquuntur, ἐνδύεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, induitur servus Dei: dum illi conferunt primam tonsuram in eodem Baptismo, κείρεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, tondetur servus Dei: ubi tamen nulla sunt Sacramenta. Ita etiam in oleo Catechumenorum, χρίεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ungitur servus Dei, non chrismatur; siquidem variæ sunt unctiones, χρίσις ἐλαίου, quæ est unctio Catechumenorum, χρίσις εὐχελαίου, unctio olei cum oratione, quæ est infirmorum; & χρίσις μύρου, unctio unguenti, & hæc posset verti chrismatio, & verbum χρίεται chrismatur, ut etiam quandoque χρίσμα per excellentiam hoc unguentum appellatur. Nam materia Confirmationis non est simplex oleum, quale est illud Catechumenorum, sed unguentum. Unguentum autem ex variis rebus suave-olentibus componitur. Atque ut describit Dionysius in 4. cap. de Eccles. Hierarch. ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τίς ἐστιν εὐπνόων ὑλῶν, ἐν ἑαυτῇ πλουσίως ἔχουσα ποιότητας εὐόσμους. Compositio unguenti est collectio quædam suaviter spirantium materiarum, abundè in se continens qualitates gratum odorem efflantes. Adde quòd oleum Catechumenorum benedicitur à Græco Sacerdote, unguentum semper ab Episcopo.

Postremò, quia forma Confirmationis apud Græcos magis exprimit effectus hujus Sacramenti. Neque possunt esse duæ formæ unius Sacramenti. Neque bis administrant Græci Confirmationem, ante, & post Baptismum. Itaque tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, tum etiam ministri benedicentis & consecrantis, similiter temporis, neque oleum primum potest esse unguentum, neque unguentum, oleum Catechumenorum. Qui autem aliter sentiunt, suam ignorantiam produnt.

Sed quid dicemus ad locum Davidis, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis*, qui de Christo intelligitur quatenus unxit humanitatem divinitate? Quam actionem melius exprimit Confirmatio, quàm ulla alia unctio.

Respondeo, Ecclesiam Orientalem applicare illa verba huic oleo per accommodationem, quamvis aliter conveniant Christo & confirmatis, aliter Catechumenis; sunt enim varij effectus Spiritus sancti.

Quæret aliquis, utrum Presbyter hoc oleum Catechumenorum benedicere possit?

Respondeo breviter, eum posse extraordinariè, ut etiam oleum Extremæ Unctionis, de quo suo loco dicemus. Nam antiqui Canones vetant Presbyterum conficere Chrisma, hoc est unguentum benedicere, & consecrare, non autem cætera olea. Quamvis autem Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1. loquens de materia extremæ Unctionis dicat, esse oleum ab Episcopo benedictum; hoc tamen ideo asserit, quia minister ordinarius est Episcopus.

De aliis cærimoniis Baptismi.

Caput XVII.

Postremo loco reliquas cerimonias hujus Sacramenti, quæ ad essentiam minimè pertinent, quæque apud Græcos non

paucæ

paucæ sunt, subjiciemus. Facilè enim deinceps quilibet cernere poterit, quæ in his quoque antiquissimarum Ecclesiarum Concordia reperiatur. Hoc abundè præstabimus, si totum ritum Baptismi Græcorum non solùm ob cerimonias accidentales, sed etiam ob ea, quæ hactenus disputata sunt, ex Euchologio depromptum, latinitate donaverimus.

Ex Euchologio Orationes accommodatæ ad initiandum Catechumenum.

Sacerdos in primis dat operam, ut is, qui illuminandus est, cingulum solvat, exuatque vestimenta, & deponat calceos. Deinde sistit eum versus Orientem, 1 recto corpore stantem, amictum sola tunica interiori, soluto cingulo, nudo capite, discalceatum, atque demissis manibus, tum in faciem ejus ter insufflat. Itémque frontem ejus signat, & pectus trina vice, impositáque manu super caput ejus, hanc recitat Orationem.

In nomine tuo Domine Deus veritatis, & unigeniti Filij tui, sanctique tui Spiritus impono manum meam super hunc famulum tuum, quem dignum effecisti, qui confugeret ad sanctum nomen tuum, & sub umbra alarum tuarum conservaretur. Fac ab eo recedat ille antiquus error, & imple eum fide, spe, & charitate, quæ in te est. Ut cognoscat quoniam tu solus Deus verus, & unigenitus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, & Spiritus sanctus tuus. Da ei vim ambulandi in omnibus mandatis tuis, & quæ tibi placita sunt custodiendi. Quoniam si ea fecerit homo, vivet in ipsis. Scribe eum in libro vitæ tuæ, consocia eum cum grege hereditatis tuæ. Glorificetur in ipso nomen sanctum tuum, & dilecti Filij tui Domini nostri Jesu Christi, & vivifici tui Spiritus. Sint oculi tui perpetuò intenti in eum in misericordia, & aures tuæ ut audiant vocem deprecationis ejus: delecta eum in operibus manuum suarum, & in omni progenie sua ut confiteatur tibi, adorans & glorificans nomen tuum magnum, & excelsum, & perpetuò laudet te omnibus diebus vitę suæ. Te enim celebrat omnis virtus cœlorum, & tua est gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

2 EXORCISMUS PRIMUS.

Dominum precemur. Chorus, Kyrie eleison.

Increpat te Dominus diabole, qui venit in mundum, & habitavit in hominibus, ut tyrannidem tuam everteret, & homines liberaret. Qui in ligno de contrariis virtutibus triumphavit, dum obscuraretur Sol, agitaretur terra, reserarentur sepulcra, & sanctorum corpora resurgerent. Qui morte mortem dissolvit, & habentem mortis imperium, hoc est, te diabolum abrogavit. Adjuro te per Deum, qui ostendit lignum vitæ, & posuit Cherubim, atque igneam frameam flexibilem, ut custodiret ipsum increpare. Per illum enim te adjuro, qui superficiem maris, veluti aridam ambulavit, qui ventis, & turbinibus imperavit, cujus aspectu exiccantur abyssi, cujus terrore tabescunt montes, ipse enim modò etiam per nos tibi imperat. Extimesce, exi & recede ab hac creatura. Neque revertaris ad ipsam, neque te occultaveris, neque obvius huic procedas, neque obsessam tenueris, non nocte, non die, seu tempore meridiano, sed abi in proprium tartarum, usque ad præparatum magnum diem judicij. Pertimesce Deum, qui sedet super Cherubim, & intuetur abyssos. Quem tremunt Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, multos oculos habentes Cherubim, & sex alis præditi Seraphim. Quem contremiscunt cœlum, & terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, exi, & recede à signato, nuper delecto milite Christi Dei nostri. Per illum enim te adjuro, qui ambulat super pennas ventorum, qui facit Angelos suos ignem urentem. Exi, & recede ab hac creatura cum omni virtute tua, & Angelis tuis. Quoniam glorificatum est nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

EXORCISMUS SECUNDUS.

Dominum precemur. Kyrie eleison.

Deus, qui est sanctus, terribilis, & gloriosus, qui in omnibus operibus, ac potentia sua est incomprehensibilis, & ininvestigabilis. Ipse, qui tibi diabole prædefinivit pœnam æterni supplicij, per nos inutiles servos suos tibi imperat, totique virtuti te adjuvanti, ut discedas à nuper signato in nomine Domini nostri Jesu Christi, veri Dei nostri. Adjuro te igitur scelestissimum, immundum, impurum, execrandum, & alienum spiritum per virtutem Jesu Christi, qui omnem potestatem habet in cœlo & in terra. Qui dixit surdo, & muto dæmoni, exi ab homine, & amplius cave ingrediaris in ipsum. Recede, agnosce tuam inanem potentiam, quæ ne quidem adversus porcos potestatem habet: reminiscere illius, qui secundum tua postulata, jussit te porcorum gregem intrare. Pertimesce Deum, cujus imperio terra super aquas fundata est. Qui fabricatus est cœlum, & firmavit montes pondere, & libra convalles. Qui posuit arenam littoris mari terminum, & in aqua vehementi securam semitam. Qui tangit montes, & fumigant. Qui induit lumen, sicut vestimentum. Qui extendit cœlum, sicut pellem. Qui tegit aquis superiora ejus. Qui fundavit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Qui jubet adesse aquam maris, & effundit eam in superficiem universæ terræ. Exi, & recede ab eo, qui se præparat ad sanctam illuminationem. Adjuro te per salutarem Passionem Domini nostri Jesu Christi, & pretiosum ejus corpus, & sanguinem, & per adventum ipsius horribilem. Veniet enim, & non tardabit, judicare universam terram. Te quoque unà cum tua virtute, quæ tibi auxiliatur, supplicio afficiet, in gehennam ignis tradens, in tenebras exteriores, ubi vermis non quiescit, & ignis non extinguitur. Quoniam imperium est penes Christum Deum nostrum cum Patre, & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

EXORCISMUS TERTIUS.

Deum precemur. Kyrie eleison.

Domine Sabaoth, Deus Israël, qui omnibus morbis, & languoribus mederis, respice in servum tuum, diligenter inquire, perscrutare, & expelle ab eo quicquid molitur diabolus. Increpa immundos spiritus, & fuga eos. Opera manuum tuarum purga. Tuaque usus vehemnti, & efficacissima operatione, contere Satanam velociter sub pedibus ejus. Da ei ut victorias de ipso, & immundis spiritibus reportet. Ut à te impetrata misericordia, immortalibus, ac super cœlestibus tuis mysteriis dignus efficiatur; tibique gloriam offerat Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde introducitur in templum Catechumenus, Sacerdos verò postquam dixerit, Benedictus Deus noster, perpetuò, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, profert hymnum ter Sanctus, & reliqua, deinde recitat hanc precationem secretò.

Domine qui es, qui creasti hominem ad imaginem, & similitudinem tuam, & dedisti ei potestatem vitæ æternæ; deinde per peccatum eum lapsum non despexisti, sed per humanationem Christi tui, mundi salutem ordinasti. Tu etiam qui hanc creaturam tuam redemisti à servitute inimici, suscipe eam in regnum tuum supercœleste. Adaperi ei oculos mentis, ut illustretur illuminatione Evangelij tui. Consocia cum vita ipsius Angelum lucidum, qui eam eripiat ab omnibus insidiis adversarij, ab occursu malo, à dæmonio meridiano, à phantasmatibus pravis.

(Insufflat Sacerdos in os ejus, & frontem, & pectus, dicens:) Expelle ab eo omnem malum, & immundum spiritum delitescentem, & latitantem in corde ipsius. (Atque hoc ter repetit:) Spiritum erroris, spiritum malitiæ, spiritum idololatriæ, & totius avaritiæ, spiritum mendacij, &

omnis impuritatis, quæ fit secundum doctrinam diaboli. Et fac eum ovem rationabilem sacri gregis Christi tui, membrum pretiosum Ecclesiæ tuæ, filium, & heredem regni tui, ut juxta precepta tua, vitæ suæ ratione instituta, sigilloque integro custodito, atque impolluto indumento servato, Sanctorum beatitudinem in regno tuo consequatur. (Quod sequitur clarè pronunciat:) Gratia, & miserationibus, & benignitate unigeniti Filij tui, cum quo benedictus es unà cum sancto, bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos vertit baptizandum ad Occidentem,

[3] Sursum manus habentem, ac trina vice interrogat. [4] Renuncias Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus Angelis ejus, & omnibus obsequiis ejus, & omnibus pompis ejus? Et juxta interrogata respondet ad singula Catechumenus, vel susceptor ejus, si fortè qui baptismum suscipit, est barbarus, seu puer, ac nesciat respondere. Renuncio.

Rursus interrogat Sacerdos baptizandum ter.

Renunciasti Satanæ? Et respondet Catechumenus, vel susceptor, Renunciavi. Tum ait Sacerdos: Et insuffla, atque consputa eum. Hoc facto vertit eum Sacerdos ad Orientem [5] manus demittentem, hujusmodi facta interrogatione: Adjungeris ad Christum? Et respondet Catechumenus, vel susceptor, Adjungor. Quod trina vice fit. Rursus ad eum Sacerdos, Adjunctus es Christo? Et respondet, Adjunctus sum. Cui iterum Sacerdos, Et credis ei? Et respondet, Credo ipsi tanquam Regi, & Deo. Statimque recitat, *Credo in unum Deum*, &c.

Quæ item interrogatio, & responsio ter fit, absolutoque trina vice Symbolo, interrogat eum Sacerdos: Adjunctus es Christo? Et respondet, Adjunctus sum. Sacerdos ait, Et adora eum. Adoratque dicens: [6] Adoro Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, atque individuam. Quam item interrogationem adhibet Sacerdos trina vice, & responsio sequitur trina. Tum ait.

Benedictus Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Postea recitat sequentem Orationem.

Dominum precemur. Kyrie eleison.

Domine Deus noster, voca hunc famulum tuum ad sanctam illuminationem tuam, & fac eum dignum hac magna gratia Baptismi tui. Ejus ablue vetustatem. Et renova eum in vitam æternam. Imple eum virtute Spiritus sancti tui, ut conglutinetur cum Christo tuo, ut non amplius sit proles carnis, sed filius regni tui beneplacito, & gratia unigeniti Filij tui, cum quo es benedictus unà cum sancto, bono, ac vivifico Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Ordo, & ratio administrandi Baptismum, & Confirmationem.

In Euchologio Patriarchali, quod reperitur in Monasterio Cryptæ ferratæ, post exorcismos hæc habentur, quæ ideo hîc Græcè prius recenseo, quia nondum sunt typis excussa: μετὰ τὸ γενέσθαι τὴν εἴσοδον τοῦ λυχνικοῦ, καὶ τὴν πρώτην καθέδραν, ἀρξαμένου τοῦ δευτέρου ἀναγνώστου, φωτίζου, ἀπερχόμενος ὁ Πατριάρχης ἀπὸ τοῦ συνθρόνου εἰσέρχεται διὰ τοῦ σκευοφυλακίου ἐν τῷ ἀποδυτῷ τοῦ μεγάλου βαπτιστηρίου, καὶ ἀλλάσσων βάλλει λευκὴν στολὴν, καὶ ὑποδήματα λευκὰ, καὶ ἀπερχόμεθα εἰς τὴν κολυμβήθραν. Post factum introitum horis vespertinis, & primam sessionem, secundo lectore intonante, illuminare, recedit Patriarcha à sua sede, & ingreditur per Sacristiam in locum Baptisterij, in quo vestes deponuntur, & induitur vestibus albis, & calceamentis albis, & procedimus ad lavacrum.

In ordinariis Euchologiis habentur, quæ sequuntur.

* Sacerdos templum ingressus, induit se Sacerdotalibus vestibus albis, & manipulis, accensisque omnibus luminibus, & accepto thuribulo in natatoriam pergit. Ibi

postquam circumcirca thus adoleverit, reddito thuribulo, adorat. Deinde Diaconus incipit. Benedic Domine.

Sacerdos pronunciat clara, & elata voce.

Benedictum sit regnum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in secula sæculorum. Chorus. Amen.

Diaconus. In pace Dominum precemur. Chorus. Kyrie eleison.

Diaconus. Pro superna pace, ac salute animarum nostrarum Dominum precemur. Chorus. Kyrie eleison.

Pro pace totius orbis, firmitate sanctarum Dei Ecclesiarum, omniumque concordia, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Pro sancta domo ista, & pro introeuntibus cum fide, reverentia, & timore Dei in eam, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Pro Archiepiscopo nostro N. honorando Presbyterorum cœtu, in Christo ministerio, toto clero & populo, Dominum precemur. Chorus. Kyrie eleison.

Ut virtute, & operatione, adventuque Spiritus sancti aqua ista sanctificetur, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut in eam demittatur gratia redemptionis, benedictio Jordanis, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut in hanc aquam supersubstantialis Trinitatis operatio, quæ vim habeat purgandi, descendat, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut illustremur splendore scientiæ, ac pietatis per adventum Spiritus sancti, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut aqua hæc omnium insidiarum visibilium, & invisibilium hostium declaretur expultrix, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut dignus fiat immarcessibili regno, qui in ea baptizatur, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Pro eo qui modò accedit ad sanctam illuminationem, ejusque salute Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut filius lucis, & heres æternorum bonorum renuncietur, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut fiat complantatus, atque particeps mortis, & resurrectionis Christi Dei nostri Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut ei stola Baptismatis, & Arrhabon spiritus incontaminatus, atque inculpatus in die horrenda Christi Dei nostri custodiatur, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut aqua hæc fiat ei lavacrum regenerationis, remissio peccatorum, & indumentum immortalitatis, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut Dominus Deus exaudiat vocem deprecationis nostræ, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Ut eum ab omni afflictione, furore, ac necessitate, nos quoque eripiat, Dominum precemur. Kyrie eleison.

Succurre, salva, miserere, & custodi nos Deus gratia tua. Chorus. Kyrie eleison.

Sanctissimæ, intemeratæ, super cæteras omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, semperque Virginis Marię, cum omnibus sanctis commemoratione facta, nos ipsos, & alter alterum, atque omnem vitam nostram Christo Deo commendemus. Chorus. Tibi Domine.

Dum hæc Diaconus profert, Sacerdos secretò hanc recitat Orationem.

Misericors, & miserator Deus, qui solus scrutaris corda, & renes, & abscondita hominum tibi perspecta sunt, nihil enim est coram te occultum, sed omnia nuda sunt, & aperta oculis tuis. Qui mea nosti. Ne me detesteris, neque avertas faciem tuam à me, sed præteri offensiones meas in hac hora, qui dissimulas peccata hominum ad pœnitentiam. Et absterge sordes mei corporis, & animi maculas, ac totum me sanctifica tota virtute tua invisibili, & spirituali dextra. Ne libertatem aliis promittens, & eam dans, fretus tua ineffabili benignitate, ipse ut servus peccati reprobus efficiar. Obsecro Domine, qui solus bonus, & humanus es, obsecro, ne revertar humiliatus; sed mitte mihi virtutem ab alto, & corrobora me ad ministerium præsentis tui magni, & supercœlestis mysterij. Forma Christum tuum in eo, qui renascendus est, per me miserabilem. Et ædifica eum super fundamentum Apostolorum

tuorum, & Prophetarum. Neque evertas, sed planta eum plantationem veritatis in sancta tua Catholica, & Apostolica Ecclesia. Neque evellas, ut eo in pietate proficiente per ipsum etiam glorificetur sanctissimum nomen tuum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Hac absoluta secretò oratione, alteram, quæ sequitur clara, & elata voce pronunciat.

Magnus es Domine, & admiranda opera tua, nullaque oratio par esse poterit explicandis laudibus mirabilium tuorum. Ter hoc repetit.

Tu enim, cùm ex non entibus, ut essent, voluntate cuncta produxeris, tuo imperio contines res creatas, tuaque providentia regis orbem. Tu, cùm ex quatuor elementis hanc fabricam coagmentaveris, quatuor item temporibus anni circulum coronasti. Te contremiscunt omnes intelligentiæ: Te laudat Sol: Te glorificat Luna: ⁊ Te alloquuntur stellæ: Tibi obtemperat lumen: Te horrent abyssi: Tibi inserviunt fontes: Tu extendisti cœlum sicut pellem. Tu formasti terram super aquas: Tu circumvallasti arenâ mare. Tu ad respirationes aërem effudisti. Tibi Angelicæ virtutes famulantur. Te Archangelorum Chori adorant. Multos habentes oculos Cherubim, & sex alis præditi Seraphim ob timorem tuæ inaccessibilis gloriæ velati circumstant, atque circumvolant. Tu enim, cùm sis Deus incircumscriptus, principio carens, & ineffabilis, venisti in terram formam servi accipiens in similitudinem hominum factus. Non enim Domine per viscera misericordiæ tuæ genus hominum à tyrannide diaboli oppressum, cernere passus es; sed venisti, & salvasti nos. Fatemur gratiam, prædicamus misericordiam, beneficium non cælamus. Naturæ nostræ partus liberasti, virginalem uterum tua nativitate sanctificasti. Omnis creatura te laudat, qui apparuisti. Tu enim Deus noster in terris visus es, & cum hominibus conversatus es. Tu quoque sancto tuo Spiritu cœlitus misso fluenta Jordanis consecrasti, ibique latitantium Draconum capita contrivisti. Ergo tu humanus Rex modò etiam adesto per adventum Spiritus sancti tui, & sanctifica istam aquam (ter hoc repetit) & da ei gratiam redemptionis, benedictionem Jordanis. Fac eam incorruptionis fontem, sanctificationis donum, peccatorum expiationem, contra languores remedium, dæmonibus perniciosam, adversariis potestatibus inaccessam, Angelicæ fortitudinis plenam: fugiant ab ea, qui creaturæ tuæ insidiantur. Quoniam Domine nomen tuum admirabile, & gloriosum, atque hostibus formidolosum imploravi. Signat ter in aquam insufflans, & deprecatur dicens.

Conterantur signo figuræ Crucis tuæ omnes adversariæ virtutes (hoc ter iterat) cedant nobis omnia aërea, & occulta idola. Neque abscondatur sub aqua ista dæmonium tenebricosum. Neque descendat (quæsumus Domine) unà cum eo, qui baptizatur, spiritus malus, caliginem animi sensibus, & vertiginem menti offundens. Sed tu Domine universorum, ostende hanc aquam, aquam redemptionis, aquam sanctificationis, expiationem carnis, & spiritus, dissolutionem vinculorum, remissionem delictorum, illuminationem animorum, lavacrum regenerationis, renovationem spiritus, adoptionis donum, incorruptionis indumentum, fontem vitæ. Tu enim Domine dixisti, lavamini, mundi estote: Auferte malitias ab animis vestris. Tu largitus es nobis supernam regenerationem per aquam, & Spiritum. Ostende te huic aquæ, & da, ut qui in ea baptizatur, se convertat; itaut deposito antiquo homine, qui corrumpitur secundùm desideria deceptionis, induat novum hominem, qui renovatur secundùm imaginem ejus, qui creavit eum. Ut per baptismum factus complantatus similitudini tuæ mortis, fiat quoque particeps resurrectionis, ac servato sancti tui Spiritus dono, amplificatoque deposito gratiæ, præmium recipiat supernę vocationis atque in numero primogenitorum, qui descripti sunt in cœlo, reponatur, in te Deo, & Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria, & imperium unà cum Patre tuo principij experte, ac sanctissimo, bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc & semper, &

in sæcula sæculorum. Chorus. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus. Chorus. Et cum Spiritu tuo.

Diaconus. Capita vestra Domino inclinate.

Chorus. Tibi Domine. Et insufflat Sacerdos in vas olei ter, trina item vice signat oleum, quod gestat Diaconus. Diaconus. Dominum precemur. Kyrie eleison.

Sacerdos sequentem recitat orationem.

Domine Deus Patrum nostrorum, qui columbam ramum olivæ in ore gestantem, reconciliationis signum in Arca degentibus misisti, perque illa symbola salutem à diluvio & gratiæ mysterium denotasti, & olivæ fructum in complementum tuorum sacrorum mysteriorum præbuisti, per quem fructũ, tum eos, qui in lege fuerunt, Spiritu sancto replevisti, tum eos, qui in gratia sunt, perficis. Tu quoque hoc oleum benedic virtute, & operatione, adventuque Spiritus sancti. Ut ipsum fiat unctio incorruptionis, armatura justitiæ, renovatio animæ, & corporis, quod omnes diabolicas operationes avertat in liberationem cunctorum malorum iis, qui fide unguntur, & ipsum participant, in gloriam tuam, & unigeniti Filij tui, sanctissimique boni, & vivifici tui Spiritus, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus. Attendamus. Sacerdos ter canit cum populo alleluia, facitque tres cruces effundens [8] oleum in aquam, deinde quod sequitur pronunciat.

Benedictus Deus, qui illuminat, & sanctificat omnem hominem venientem in hunc mundum, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Chorus. Amen.

Porrò adducitur is, qui baptizandus est, Sacerdos verò accepto oleo facit signum Crucis in fronte, pectore, dorso, & reliquis partibus corporis, dicens: Ungitur servus Dei N. oleo exultationis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Dum ungit pectus, præter commemorata verba, dicit, in salutem animæ & corporis. Dum auditum, hæc alia, in auditum fidei fint gressus tui. Dum manus, manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me. Uncto toto corpore, baptizat eum Sacerdos rectum tenens, & versus Orientem aspicientem hac forma verborum.

Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, Amen, & Filij, Amen & Spiritus sancti, Amen. Singulis appellationibus deducens eum, & educens.

Absoluto baptismo manus lavat Sacerdos canens cum populo, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, & reliquum Psalmi, qui trina vice iteratur, & induens eum vestimentis ait: Induitur servus Dei N. indumento justitiæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Mox canitur Troparion octavo tono. [9] Indumentum mihi præbe splendidum, multum misericors Christe Deus noster, qui es amictus lumine, sicut vestimento.

Deinde orat Sacerdos hanc recitans orationem secretò.

Dominum precemur. Kyrie eleison.

Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons bonorum, sol justitiæ, qui illuxit his, qui in tenebris, lumen salutis per apparitionem unigeniti Filij tui, & Dei nostri. Quique nobis indignis largitus est hanc beatam purgationem in sancta aqua, & divinam sanctificationem in vivifico Chrismate. Qui modò quoque tibi complacuisti, ut iste servus tuus nuper illuminatus per aquam, & Spiritum renasceretur, eique remissionem peccatorum voluntariorum, & involuntariorum donasti. [10] Tu Domine omnium Rex misericors dona ei quoque sigillum doni sancti tui omnipoteutis, & adorandi Spiritus, & participationem sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi tui. Custodi eum in tua sanctificatione, confirma eum in orthodoxa fide, libera eum à perverso dæmone, & omnibus institutis ejus. Tuo denique salutari timori in castimonia, & justitia animum ejus conserva. Ut in omni opere, verboque tibi placens, regni tui super cœlestis filius, & heres evadat. clarè pronunciat.

Quoniam tu es Deus noster, Deus qui misereris & saluas, tibique gloriam offe-

rimus Patri, & Filio & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hac recitata oratione, ungit baptizatum ſancto unguento ſignum Crucis faciens in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore,[11] manibus, & pedibus, dicens. Signaculum doni Spiritus ſancti. Amen.

Deinde Sacerdos unà cum ſuſceptore, ac infante facit [12] figuram circuli, & ter canimus. Quo quot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, alleluia. Sequitur, προκείμενον τοῦ ἀποστόλου, hoc eſt, quod textum Apoſtolicum antecedit (Canuntur enim ante Epiſtolam Pauli aliquot verſiculi Davidis) *Dominus illuminatio mea* &c. Verſus, *Dominus protector vitæ meæ.*

APOSTOLVS.

Lectio Epiſtolæ Pauli ad Romanos.

Fratres, quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ejus baptizati ſumus, uſque ad illud, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Evangelium ſecundum Matthæum.

Illo tempore, undecim diſcipuli abierunt in Galilæam, (agitur in hoc Evangelio de Baptiſmo) uſque ad illud, ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi.

Tandem fit [13] prolixa oratio, & dimiſſio populi.

At verò poſt octo dies, iterum infantem ad Eccleſiam deferunt, ut abluatur. Quocirca Sacerdos in primis recitat orationes, quæ ſequuntur.

Dominum precemur. Kyrie eleiſon.

Qui redemprionem peccatorum per ſanctum Baptiſmum huic ſervo tuo donaſti, & vitam regenerationis ipſi largitus es. Tibi qnoque Domine complaceat, ut illuminatio vultus tui perpetuò luceat in corde ipſius. Scutum ipſius fidei tutum ab inſidiis hoſtium tuere, indumentum incorruptionis, quo amictus eſt, impollutum in eo, atque purum ab omni inquinamento conſerva. Integrum in eo ſpiritale ſignaculum cuſtodi, eique pariter, ac nobis propitius fias ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Quoniam celebratum, & glorificatum eſt ſuper omnia honorificum, ac magnificum nomen tuum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Dominum precemur. Kyrie eleiſon.

Domine Deus noſter, qui per lavacrum iis, qui baptizantur, cœleſtem illuminationem præbes, qui hunc famulum tuum nuper illuminatum per aquam, & Spiritum ſanctum regeneraſti, & peccatorum voluntariorum, & involuntariorum remiſſionem ei donaſti. Impone ei manum tuam fortem, & cuſtodi eum virtute tuæ bonitatis. Conſerva pignus, ne furto ſubducatur, & fac eum dignum vita æterna, tuaque placabilitate. Quoniam tu es ſanctificatio noſtra, & tibi gloriam offerimus Patri & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pax omnibus. Chorus. Et cum Spiritu tuo. Diaconus. Capita veſtra Domino inclinate. Chorus. Tibi Domine. Sacerdos.

Qui te induit Chriſtum, & Deum noſtrum, tibi unà nobiſcum ſuum caput inclinavit. Quem uſque eo cuſtodi, ut adverſus eos, qui fruſtra inimicitias cum ipſo, & nobiſcum gerunt, invictus athleta permaneat. Tua verò incorrupta corona uſque in finem, nos omnes victores renuncia.

Quoniam tuum eſt miſereri, & ſalvare, & tibi gloriam offerimus unà cum Patre tuo principij experte, ſanctiſſimoque, bono, ac vivifico tuo Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Solvit deinde Sacerdos cingulum pueri, & Sabanum, hoc eſt, lineum involucrum, horumque conjunctis extremitatibus, & aqua pura humefactis, aſpergit puerum, dicens: juſtificatus es, illuminatus, & reliqua. Acceptaque nova ſpongia unà cum aqua, faciem ejus abſtergit, caput, & pectus, cæteraque membra, dicens: [14] Bapti-

zatus es, illuminatus, unguento unctus, sanctificatus, ablutus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Hæc ex Euchologio.

ΣΧΟΛΙΑ.

1 Recto corpore stantem. [Hanc cerimoniam non obscurè innuit S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri sui patris. Cùm enim in more positum esset, ut Catechumeni genua non flecterent, ipsius parens præter Cathechesis legem, cùm Christianis sacris initiaretur, genu flexit, non secus atque faciunt, qui sacris ordinibus imbuuntur. Quod non sine divina inspiratione, non advertentibus initiatoribus, factum esse sanctus affirmat. Idcirco, & spiritualem errorem vocat. Ut eum deinde fore Sacerdotem ea conjectura quilibet vaticinaretur. Hæc sunt verba Nazianzeni: πλανῶνταί τινα πλάνην πνευματικὴν οἱ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλοι. καὶ προτυποῖ τὸ μέλλον ἡ χάρις. καὶ τύπος ἱερωσύνης τῇ κατηχήσει μίγνυται. ὢ τῆς ἀκουσίου μυήσεως. ἐπὶ γὰρ γόνυ κλιθεὶς οὕτως τοῖς λόγοις τῆς κατηχήσεως καταρτίζεται, ὥστε πολλοὺς τῶν παρόντων προφητεῦσαι τὸ μέλλον, οὐ τῶν ὑψηλοτέρων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ταπεινοτέρων εἰς σύνεσιν, οὐκ ἀμυδροῖς σημείοις πιστωθέντας πρὸς τὸ ἐπόμενον. Spirituale quoddam erratum divini cultus magistri admittunt, idque quod futurum erat, gratia præsignat, ac sacerdotij forma cum Catechesi miscetur. O initiationem minimè spontaneam. Etenim in genu inclinatus, ita demum Cathechesis sermonibus imbuitur, adeo ut multi, qui aderant, non sublimiorum tantùm, sed etiam ad sagacitatem humiliorum, haud obscuris signis confirmati, quod futurum erat, prædicerent.

2. De exorcismis idem Gregorius Nazianzenus in oratione in sacrum lavacrum ita loquitur: μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θεραπείαν, μηδὲ πρὸς τὸ μῆκος ταύτης ἀπαγορεύσῃς. βάσανός ἐστι καὶ αὕτη τῆς περὶ τὸ χάρισμα γνησιότητος. Ne exorcismi medicinam respuas, nec ob illius longitudinem animo concidas. Nam id quoque velut lapis quidam lydius est, ad quem exploratur quàm sincero quisque pectore ad Baptismum accedat. Concilium Constant. primum cap. 7. πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανούς. τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους, εἶτα τῇ τρίτῃ ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾶν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα. Primo die facimus eos Christianos (hoc est recipimus in numerum Christianorum) secundo Catechumenos, tandem tertio exorcizamus, ter in faciem, atque in aures insufflantes. Sanctus Augustinus de nuptiis, & concupiscentia libro primo cap. 20. In veritate, inquit, itaque, non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in parvulis.

3. Ἄνω τὰς χεῖρας ἔχοντα, sursum manus habentem, corrigendum. Atque horum verborum loco ponendum in Euchologio τὰς χεῖρας ἐκτείναντα. Sic enim restituendum est ex Dionysio, & aliis Patribus de Eccl. Hier. cap. 2. εἶτα στήσας ἐπὶ δυσμὰς προσέχοντα, καὶ τὰς χεῖρας ἀπωθοῦντα. Deinde sistens eum versus occidentem, & manus ad modum detrudentis extendentem.

Et in Theoria: γυμνὸν καὶ ἀνυπόδετον ἵστησι, πρὸς δυσμὰς ἀφορῶντα, καὶ τῇ τῶν χειρῶν ἀπώσει τὰς τῆς ἀλαμποῦς κακίας ἀπαναινόμενον κοινωνίας. Nudum eum, audisque pedibus collocat, occasum aspicientem, manuumque depulsione obscuri vitij commercium consuetudinemque respuentem. Et ex Cyrillo Hierosl. Catechesi prima mystagogica, qui de hac cerimonia ita scribit: εἰσῄειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἶκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούσατε, καὶ προσετάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀπετάττεσθε τῷ σατανᾷ. Primùm ingressi estis in porticum domus baptisterij, & stantes versus occidentem mandari vobis audistis, ut protensa manu tanquam præsenti Satanæ renunciaretis. Et paulò pòst, ἀλλ' ὅμως ἀκούεις τεταμένῃ τῇ χειρὶ, ὡς πρὸς παρόντα εἰπεῖν, ἀποτάσσομαί σοι σατανᾶ. Sed tamen audis, quod tibi injungitur, ut extensa manu tanquam ad præsentem dicas, renuntio tibi Satana. Vide totam Catechesim, ubi explicat non paucas alias Baptismi cerimonias Cyrillus. Quem imitatus Nicolaus Cabasilas in secunda Oratione de vita in Christo, easdem cerimonias sic interpretatur: χεῖράς τε ἐκτείνει, καὶ ὡς παρόντα

καὶ

καὶ ἐπικείμενον τὸ πονηρὸν ἀπωθεῖται. καὶ ὡς μιαροῦ καὶ βδελυροῦ καταπτύει. καὶ τὰς ἐχθίστας καὶ ἀπίστους καὶ ὀλέθρου παντὸς αἰτίας ἀρνεῖται σπονδάς. καὶ τὴν φιλίαν τὴν πικρὰν παντάπασι διαλύει. καὶ τὴν ἔχθραν ἐπαινεῖ. καὶ ἐπεὶ φύγοι τὸ σκότος ἐπὶ τὴν ἡμέραν τρέχει. καὶ πρὸς τὴν ἕω στραφεὶς ζητεῖ τὸν ἥλιον. καὶ λυθεὶς τῶν τοῦ τυράννου χειρῶν, τὸν βασιλέα προσκυνεῖ. καὶ τοῦ νόθου καταγνούς, τὸν γνήσιον ἐπιγινώσκει δεσπότην. καὶ εὔχεται ὑποταγήσεσθαι αὐτῷ, καὶ δουλεύσειν ὅλῃ ψυχῇ. καὶ πρό γε τούτων ὡς θεὸν εἰς αὐτὸν πιστεύειν, καὶ ἃ περὶ αὐτοῦ προσήκει γινώσκειν. Catechumenus extendit manus, ac veluti præſentem, & opprimentem Satanam à ſe detrudit, ac tanquam impurum, atque execrandum conſputat. Inimiciſſima item, ac infida fœdera, totius interitus cauſam reiicit, atque repellit, acerbam illam amicitiam omnino diſſoluit, inimicitiam laudat. Ac poſtquam fugerit tenebras ad diem currit, & ad Orientem converſus, ſolem requirit: à manibus tyranni ſolutus, regem adorat. Spretoque adulterino legitimum Dominum agnoſcit, eique optat ſubiici, ac toto animo inſervire, & ante omnia tanquam Deum in eum credere, & quæ de ipſo ſentire par eſt, profitetur. Sic ille.

4. Renuncias Satanæ. [Cerimonia renunciationis eſt valde celebris, adeo ut ferè omnes ſancti Patres in ſuis ſcriptis illius meminerint, & eam Chriſtianis ſedulò inculcaverint. Vide Dionyſium de Eccleſ. Hier. cap. 2. & 7. Origenem Hom. 12. in Numeros, Baſilium magnum lib. de Spiritu ſancto cap. 27. & libro de Baptiſmate, Chryſoſtomum Hom. 21. ad populum Antiochenum, Cyrillum Hieroſol. Catecheſi prima myſtagogica, Tertullianum de Corona militis, Ambroſium de his, qui initiantur myſt. cap. 2. & lib. primo de Sacramentis cap. 2. Auguſtinum de nuptiis, & concupiſcentia lib. 1. cap. 20. & lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 19. item lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. & alios.

5. Manus demittentem, corrigendum atque dicendum, ἄνω τὰς χεῖρας ἔχοντα, ſeu ἀνατείναντα: Surſum manus habentem, ſeu extollentem, ex Dionyſio de Eccl. Hierar. cap. 2. ubi loquens de hac cerimonia dicit, μετάγει πρὸς ἕω, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀναβλέψαντα, καὶ τὰς χεῖρας ἀνατείναντα κελεύει συντάξασθαι τῷ Χριστῷ. Ad quod etiam reſpexit Baſilius in oratione, qua hortatur ad Baptiſmum. Ita enim de hac, & ſimiliter de aliis cerimoniis diſſerit: τί ἀναμένεις πυρετοῦ σοι δῶρον γενέσθαι τὸ βάπτισμα; ὅτε οὐδὲ φθέγξασθαι δυνήσῃ τὰ σωτήρια ῥήματα. τάχα δὲ οὐδὲ ἀκοῦσαι καθαρῶς ἐπιτραπήσῃ, αὐτῇ τῇ κεφαλῇ ἐνοικούσης τῆς νόσου. οὐ χεῖρας ἆραι εἰς οὐρανόν, οὐκ ἐπὶ πόδας διαστῆναι, οὐ κλῖναι γόνυ εἰς τὴν προσκύνησιν, οὐ διδαχθῆναι χρησίμως, οὐχ ὁμολογῆσαι ἀσφαλῶς, οὐχὶ συνθέσθαι θεῷ, οὐκ ἀποτάξασθαι τῷ ἐχθρῷ. τάχα δὲ οὐδὲ συνετῶς ἐπακολουθῆσαι μυσταγωγούμενος. ἀμφίβολος ὢν τοῖς παροῦσιν, εἰ ἄρα ᾔσθου τῆς χάριτος, ἢ ἀναισθήτως ἔχεις τῶν γινομένων. Quid expectas, ut febris beneficio tibi Baptiſma contingat, quando neque loqui poteris ſalutaria verba? Fortaſſis autem, neque concedetur tibi, ut purè audire poſſis, in ipſo capite inhabitante morbo. Non manus ad cœlum tollere, non in pedes erigi, non genu flectere ad adorationem, non commodè doceri, non certò confiteri, non paciſci cum Deo, non renunciare inimico, & fortaſſis neque cum intelligentia ſacrorum aſſequi Ductorem: cùm ambiguum ſit apud præſentes, an perceperis beneficium, aut nullum eorum, quæ fiunt, ſenſum habeas. Nazianzenus de his breviter in oratione de Baptiſmo: γνώσῃ καὶ τοῖς σχήμασι καὶ τοῖς ῥήμασιν, ὡς ὅλην ἀποπέμπῃ τὴν ἀθεΐαν, οὕτως ὅλῃ θεότητι συνταχθῶμεν. Intelliges tum ex ipſa rerum ſpecie, tum ex verbis ipſis te omnem impietatem rejicere, & cum tota Deitate conjungi.

6. Hic genua baptizandus flectebat, ut manifeſtè conſtat ex verbis Baſilij: κλῖναι γόνυ εἰς τὴν προσκύνησιν. Unde nonnulla emendanda eſſent in Euchologio, addenda quædam alia.

7. Te alloquuntur ſtellæ.] In hac oratione illud, σοὶ ἐντυγχάνει τὰ ἄστρα, Sclavonicè eſt, tibi lætantur ſtellæ: hoc eſt hilares, & promptas ſe exhibent ad divinum imperium. Nobis tamen vim verborum retinentibus placuit vertere, te alloquuntur ſtellæ: hoc eſt vocantur, & ſtatim reſpondent, præſtoque ſunt ad exequenda

divina imperia. Commemorat quippe auctor orationis, timorem quendam, & reverentiam rerum creatarum erga Conditorem. Et est desumptum ex 3. cap. Baruch: οἱ δὲ ἀστέρες ἔλαμψαν ἐν ταῖς φυλακαῖς αὐτῶν, καὶ ηὐφράνθησαν. ἐκάλεσεν αὐτοὺς, καὶ εἶπον πάρεσμεν. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus. Custodiis, id est stationibus. Metaphora à militibus, dicuntur enim stellæ, militia cœli. Lætatæ sunt, pro lætificaverunt homines luce sua. Vel quod magis dicendum est, summa promptitudine, atque alacritate Dei nutus, & imperia exequutæ sunt. Estque hoc modo sensus creaturarum erga majestatem Conditoris, cum timore, ac hilaritate permixtus. Juxta illud, *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Unde interpres Sclavonæ linguæ potius ad sensum respexit, cùm vertit: Tibi exultant stellæ, vel fortè legerat loco ἐντυγχάνει, εὐφραίνεται, quod est etiam apud Baruch.

8. Effundens oleum in aquam.] Dionysius cap. 2. de Eccles. Hier. refert Pontificem perficere aquam Baptismi trina per modum Crucis infusione unguenti, hoc est Chrismatis, τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι. Modò Græci loco unguenti adhibent oleum Catechumenorum, fortassis ob penuriam balsami. Unde apparet aliqua mutatio. Quæ tamen non est ejusmodi, ut minus ratum efficiat Sacramentum. Latini priùs infundunt oleum Catechumenorum, deinde Chrisma, tum miscent utrumque atque infundunt, ut est videre in Missali Romano.

Alcuinus de divinis officiis cap. de Sabbato sancti Paschæ, hujus postremæ mixtionis tantùm facit mentionem. Fonte, inquit, benedicto, accipit Pontifex Chrisma cum oleo mixto in vase ab Archidiacono, & aspergit per medium fontis in modum crucis.

9. Indumentum mihi præbe splendidum.] Hujus rei meminit Dionysius de Eccles. Hierar. cap. 2. Sacerdotes baptizatum vestem illius munditiæ congruam, hoc est albam indutum ad Pontificem ducunt, & in theoria: φωτοειδεῖς ἐσθῆτας ἐπιβάλλουσι τῷ τελουμένῳ. τῇ γὰρ ἀνδρικῇ καὶ θεοειδεῖ τῶν ἐναντίων ἀπαθείᾳ, καὶ τῇ πρὸς τὸ ἓν ἐν συντόνῳ συννεύσει, τὸ ἀκόσμον κοσμεῖται, καὶ τὸ ἀνείδεον εἰδοποιεῖται τῇ φωτοειδεῖ καθόλου ζωῇ λαμπρυνόμενον. Eũ, qui initiatur, illustribus vestibus amiciunt. Virili etenim, divinaque à contrariis impassibilitate, animique contentione adhibita cum uno conjunctione, tum id, quod ornatu carebat, ornatur, tum id quod deforme erat pulcrum efficitur, dum illustri omnino vita splendescit. Cyrillus Catechesi 4. mystagogica: ἀποδυσάμενος δὲ τὰ παλαιὰ ἱμάτια, καὶ ἐνδυσάμενος τὰ πνευματικὰ λευκὰ, χρὴ λευχειμονεῖν διαπαντός. οὐ πάντως τοῦτο λέγομεν, ὅτι σε δεῖ λευκὰ ἱμάτια περιβεβλῆσθαι ἀεὶ, ἀλλὰ τὰ ὄντως λευκὰ καὶ λαμπρὰ καὶ πνευματικὰ ἀναγκαῖόν ἐστι περιβεβλῆσθαι. Exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundùm spiritum albæ, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet. Non hoc omnino dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere sit necesse; sed quòd his, quæ verè alba, splendida, & spiritualia sunt, vestiri te oporteat. Amphilochius in vita Magni Basilij. Maximinus indumentis cum vestivit resurrectionis. Ambrosius lib. de iis, qui mysteriis initiantur. Accepisti post hæc vestimenta candida, ut esset indicium, quòd exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina. Jobius Monachus teste Photio in sua bibliotheca: τὸ λαμπροφορεῖν τοὺς βαπτιζομένους, τῆς τῶν ἀγγέλων ἐστὶ σύμβολον λαμπρότητος, τὸ καθαρὸν ἐκείνοις τοῦ νοῦ καὶ ἀμιγὲς τῆς ὕλης καὶ τῶν παθῶν διατυπούσης. ὧν χρὴ καὶ τὸν φωτισθέντα ἐν μεθέξει τῆς χάριτος γεγονότα, ἐν τοῖς τῆς λαμπρότητος χαρίσμασι συντηρεῖν ἑαυτόν. Quòd baptizati candidas vestes gerant, splendoris Angelorum est signum. Qui sanè splendor illorum mentis purum, nullique materiæ, ac nullis passionibus mixtum exprimit. Quorum factus particeps is, qui dono baptismatis est illuminatus, in donis candoris, seipsum custodire oportet.

Idem auctor septenarium numerum dierum, quibus gestantur candidæ vestes, refert adumbratum fuisse in veteri lege: διὰ τοῦτο οἱ φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦσι, διότι καὶ ἡ παλαιὰ σκιὰς ἐπέχουσα πρὸς τὸ βάπτισμα τύπον, τοῦτο ἐφύλαττε. καὶ φαίνεσθε γάρ φησι τοῖς ἐν τῷ καιρῷ τῆς τελειώσεως. καὶ ἀπὸ τῆς θύρας τῆς σκηνῆς

» τ᾽ μαρτυρίου οὐκ ἐξελεύσεσθε ἑπτὰ ἡμέρας. Pro-
» pterea qui illuminantur ſpatio ſeptem die-
» rum candidas veſtes gerunt, quod etiam
» lex vetus, quæ umbræ typum Baptiſmi ge-
» rebat, id obſervabat. Quippe ait, & come-
» detis panes conſecrationis, qui poſiti ſunt
» in caniſtro. De oſtio quoque tabernacu-
» li teſtimonij, non exibitis ſeptem diebus.

Innuit autem Jobius hunc numerum perfectionem quandam ſignificare, quaſi poſt illa omnia baptizatus ſit perfectus.

10. Offendit vox (involuntariorum) nonnullos, quòd peccata propriè non ſint, ſi non acceſſerit voluntas. Verùm cùm & Jacobus Apoſtolus, & Baſilius Magnus, & Joannes Chryſoſtomus in ſuis liturgiis hoc modo loquendi utantur, non eſt dubium, quin ea verba Catholicum ſenſum admittant. Peccatum in primis originale non eſt voluntarium, cùm aliena voluntate fiat. Deinde in adultis præter illud multa alia peccata dicuntur involuntaria, quã do non tota voluntas cum alacritate in ea fertur, & nos ſolemus dicere quandoque coactè aliquid facere, vel feciſſe. Unde tribus modis mortale ex genere tranſit in veniale. Primò, ratione imperfectæ deliberationis. Secundò, ratione imperfecti conſenſus. Tertiò, ratione parvitatis materiæ. Quando eſt ratione imperfectæ deliberationis, vel conſenſus, tunc non eſt perfectè voluntarium. Sunt præterea nonnulla ſurreptitia, quæ non voluntaria dici poſſunt. Item quando quis timore perculſus committit aliquid, quod utique non committeret, ſi timor abeſſet, illud dici poteſt non voluntarium. Item peccatum, quod fit ex ignorantia vincibili, quodammodo dici poteſt involuntarium ſecundùm illud, *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Poſtremò quicquid ſit, non licuit mihi interpretis munere fungenti aliter vertere, quàm ſit in Græco, ne id inſcitiæ attribuatur.


11. Pectore, manibus, & pedibus.] In antiquis Euchologiis manuſcriptis deſunt hæc verba, dum chriſmant baptizatum, ut etiam deſunt in Canone 7. ſecundi Concilij generalis, ubi agitur de hoc Sacramento.

12. Facit figuram circuli, hoc eſt circumcirca movetur, quaſi choream duceret, quod eſt ſignum lætitiæ. Quid autem ſignificat hæc lætitia poſt exhibitum unguentum, & Chriſma? Quia nimirum hoc vocatur oleum exultationis, ut exponit S. Cyrillus 3. Catecheſi myſtagogica, διὰ τὸ αἴτιον αὐτὸ τ᾽ πνευματικῆς τυγχάνειν ἀγαλλιάσεως.
quod ſit cauſa ſpiritualis exultationis. Eſt «
autem cauſa, quia per illud exhibetur Spi- «
ritus ſanctus. Pulcrè autem ſecundùm Baſilium Pſal. 44. exultationis oleum ſpiritus appellatur, quia gaudium unus è Spiritus ſancti fructibus numeratur. Propterea Sacerdos unà cũ baptizato, & ſuſceptore, ipſo etiam geſtu hanc lætitiam exprimit.

13. Prolixa oratio.] Græcè ἐκτενὴ, ſubintelligitur προσευχὴ, ut videre eſt in 2. cap. Act. Apoſt. dicitur autem prolixa precatio, quòd Græci ſoleant iterare preces, ἔτι καὶ ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν Iterum atque iterum Dominum in pace precemur.

14. Baptizatus es.] Hæc poſtrema verba majori ex parte ex B. Pauli priori ad Corinthios cap. 6. deſumpta, exprimunt illa tria Sacramenta. Et quidem Baptiſmi, & Confirmationis clara ſunt. Illud verò, ſanctificatus, per excellentiam ad Euchariſtiam referri poteſt. Unde ἅγια μυστήρια, paſſim vocant Græci ſacratiſſimam Euchariſtiam, numero multitudinis propter binas ſpecies in ea contentas. Atque hactenus de Baptiſmo.





DE CONFIRMATIONE LIBER SECUNDUS.

DE NOMINE CONFIRMATIONIS.

CAPUT I.

SACRAMENTUM Confirmationis veteres, Tertullianus, inquam, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, cæterique Doctores ex verbis Lucæ in Actibus Apostolorum cap. 8. & 19. & Apostoli Pauli cap. 6. ad Hebræos impositionem manuum vocant. Ex eodem fonte occasione accepta, eodem nomine utuntur Theodoretus, Gennadius, Oecumenius, Simeon Archiepiscopus Thessalonices, & Nicolaus Cabasilas.

Observandum autem est triplicem esse in Scriptura, ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν, seu χειροθεσίαν. Quædam enim inservit ægrotis juxta illud, *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*. Et Christus Dominus tangendo manu multa miracula patrabat. Hæc non spectat ad Sacramentum, quippè sanitatem dumtaxat corporalem respicit, & curativa dici solet. Nonnulli salutarem vocant. Altera est Confirmationis, confirmativam nominant, qua Spiritum sanctum in majori plenitudine, quàm in Baptismo dabant Apostoli: *Tunc imponebant manus super eos* (baptizatos,) *& accipiebant Spiritum sanctum*. Ultima consecratrix est, seu initiatrix, qua sacris ordinibus consecrabant, & similiter conferebant Spiritum sanctum, de qua nonnulla dicemus suo loco. Præterea quartam adhibet Ecclesia in Sacramento Pœnitentiæ, videlicet reconciliatricem, cujus meminere Concilium sub Cypriano, item quartum & quintum Carthaginensia, S. Augustinus, & alij Patres. Sed ea divino testimonio minimè nititur, neque spectat ad essentiam Sacramenti, quamvis omitti non debeat.

Hincmarus Remensis Episcopus in libro de variis Capitulis Ecclesiasticis c. 16 multiplicem esse manus impositionem accuratè tradit. "Nam non uno modo, inquit, semper manus impositio intelligitur, sed pro diversitate locorum sub diversa significatione reperitur: aliquando enim pro confirmatione Neophytorum accipitur, ut in decretis Apostolicorum virorum Clementis, Urbani, Melchiadis expressum sæpenumerò reperitur: nunc pro ordinatione Sacerdotum, sive Diaconorum,

juxta illud Apostoli ad Timotheum, *Nemini citò manus imposueris.* Quod & Canones apertissimè præscribunt. Est & reconciliatoria manus impositio, per quam pœnitentes, hæretici, sive excommunicati sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliantur, de qua & Canones similiter multa dicunt. De qua Beatus Augustinus in libro 3. de Baptismo contra Donatistas testatur, quòd nihil sit, nisi oratio super hominem, quæ & iterari possit. Fit etiam manus impositio super infirmos juxta illud Evangelij, *Super ægros manus imponent.* Item super Catechumenos, & Energumenos pro expulsione diaboli, quæ specialiter Exorcistis in ordinatione conceditur, quippe ut habeant potestatem imponendi manus super Catechumenos, sive Energumenos. Item & cùm simpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim Jacob Patriarcha cùm filios Joseph benediceret, manus eis inposuit: & Dominus in Evangelio, oblatos sibi parvulos per impositionem manus benedixisse legitur. Sive autem manus impositio pro reconciliatione pœnitentium, sive pro depulsione infirmitatis, vel diaboli, sive simplici benedictione hominibus impendatur; satis congruè juxta Augustinum nihil aliud nisi oratio super hominem intelligitur, unde & iterari, quoties opus fuerit, non prohibetur. Cùm verò pro Confirmatione, sive ordinatione impenditur, non jam pro sola oratione, sed etiam pro Sacramento habenda est, quam sancti Patres iterari prohibuerunt. Hactenus Hincmarus, luculenter satis.

Porro Confirmationem æquè Latini Patres, atque Græci aliis quoque, ac variis nominibus appellare consueverunt. Vocatur à Clemente Romano hoc eodem nomine libro 3. Const. Apost. c. 17. τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας. Unguentum, inquit, est Confirmatio confessionis seu professionis, scilicet fidei, desumpto nomine ab Apostolo 2. Corinth. cap. 1. *Qui confirmat nos Deus.* Est enim proprium hujus Sacramenti confirmare baptizatos, ac robur illis præbere ad testificandam fidem Christi, atque hac ratione professio fidei in Baptismo facta, denuo iteratur, & rata fit Confirmatione. A Dionysio de Ecclesiastica Hier. cap. 4. dicitur, τελειωτικὴ τοῦ μύρου χρῖσις καὶ τελείωσις, perfectrix unctio, & consummatio, quòd Christianum consummatum efficiat, perficiat, & absolvat. τῷ τελεσθέντι τὴν θεοτάτην τῆς θεογενεσίας τελετὴν, τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρῖσις. Ei qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratur, adventum Spiritus sancti consummans, unguenti inunctio elargitur. Cùm enim Christianus dicatur à Chrismate, non meretur hoc nomen quodammodo, qui non est unctus. Immo (quod miretur aliquis) non tantùm baptizatum perficit, verùm etiam ipsummet Christum συμβολικῶς perficit, Quærit enim Dionysius de Eccles. Hierar. cap. 4. non longè à fine, cur ipsum unguentum, quod Christum significat, consecretur? Cur item divinissimum altare, quod est Christus, Chrismate inungatur, & sanctificetur?

Respondet, hoc nostri causâ fieri: quemadmodum enim Christus Dominus baptizatur pro nobis in Jordane, lavatque nostra crimina ipse penitus à sordibus vacuus, atque integer, passionem item subit, ac mortem, à delictis liber ipse, immo nos à peccatis liberans; ita etiam pro nobis ipse sese, videlicet unguentum, & per unguentum Altare sanctificat. Quæ sanè sanctificatio ad nos transit, qui veluti membra ipsi per Baptismum insiti sumus. Quocirca majores nostri, atque sacrorum Duces Apostoli hoc mysterium ab effectu rei τελετὴν μύρου vocarunt, quasi dixeris, Christi perfectionem, unguentum enim est Christus, juxta illud Canticorum, *Unguentum effusum nomen tuum.* Nempè de Baptismo dicimus, μυστήριον φωτίσματος, mystrium illuminationis. De Eucharistia, μυστήριον συνάξεως, mysterium collectionis. Si autem diceremus μυστήριον μύρου, idem esset dicere ac mysterium Christi. Sed quoniam hujus unguenti consecratione Christus Dominus ἀνθρωποπρεπῶς perficitur, & hoc eodem unguento alios θεουργικῶς perficit, meritò τελετὴ μύρου, perfectio unguenti, hoc est Christi, dictum est,

duplici sensu, activo videlicet ac passivo, eò quòd Christus Dominus in gratiam nostri, & seipsum, ut decet hominem inunxerit, & consecraverit, recipiendo Spiritum sanctum, & quæ initiantur deificè sanctificet, consecret dando Spiritum sanctum, sitque hac ratione ἁγιάζων ὁ ἁγιαζόμενος.

Hæc ἔνθεος ille παυλοδίδακτος Dionysius, & ipsius paraphrastes Georgius Pachymeres. Ubi notandum Dionysium non dicere Christum delibutum fuisse hoc materiali unguento, & per consequens charactere consignatum, sed in symbolis, & signis, quæ Christum significant, quale est unguentum, & ara sacra, Christum perfici, eò quòd & ipse per unionem hypostaticam sese inunxerit, & perfecerit; ut propterea etiam unguentum sanctificet, & per unguentum alios sanctificet. Hunc itaque in modum rei dilucidandæ magis causâ percunctari libet, quid est, quare unguentum significat Christum? quia hypostaticè Christus Dominus se inunxit secundùm illud: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Cur idem unguentum consecratur? quia & Christus per eandem unionem hypostaticam se sanctificavit. Ergo, dices, admittit in se Christus sanctificationem? immo verò, admittit, ut homo, qui alioquin ut Deus per Spiritum sanctum alios sanctificat.

Ex hujusmodi perfectione unguenti emanavit apud eundem Dionysium illud epithetum, quod præstantiam, & effectum hujus Sacramenti declarat, θεουργικὸν μύρον, unguentum sanctificum, seu potius deificum.

Eadem Confirmatio appellatur à Basilio Magno lib. de Spiritu sancto capite 17. ἔλαιον τῆς χρίσεως, oleum unctionis. Sed hoc testimonium oleo Catechumenorum potiùs inservit, quàm Chrismati, ut in cap. 16. primi libri annotavimus. Eodem nomine vocatur à Damasceno lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 10. τὸ ἔλαιον ἐν τῷ βαπτίσματι παραλαμβάνεται, oleum in Baptismate assumitur. Clemens verò Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. Histor. cap. 17. & Cornelius Papa apud eundem lib. 6. Histor. cap. 35. Nazianzenus in oratione in sacrum lavacrum, Theodoretus in primum caput Canticorum. Simeon Thessalon. Nicolaus Cabasilas, Job Monachus, & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, quin & ipse Dionysius Areopag. de Eccles. Hierar. cap. 2. σφραγῖδα, obsignationem, seu sigillum, seu signaculum eam nuncupant.

Id nominis ponitur in ipsa forma hujus Sacramenti. Passim verò ab aliis sanctis Patribus appellatur, χρίσμα, τὸ θεῖον, καὶ μέγα μύρον. Chrisma, & per excellentiam divinum, & magnum unguentum. Hæc de nomine.

Vtrum ex sacris Literis probari possit hoc Sacramentum.

CAPUT II.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in primo responso suæ censuræ ad Confessionem Augustanam cap. 17. universè loquendo de septem Sacramentis, sic enunciat: ἕκαστον δὲ τῶν μυστηρίων τούτων τεθεσμοθέτηται ὑπὸ τῆς γραφῆς. Unumquodque horum mysteriorum à sacra Scriptura sancitum est.

Cæterùm horum statim oblitus in eodem capite de hoc eodem Sacramento oppositum tradit, his verbis; τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, παραδέδοταί γε μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ λόγου, καθὼς ὑπὸ τοῦ θείου Παύλου διδαχθεὶς ὁ ἱερώτατος Διονύσιος ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ συγγράμμασι παραδέδωκε. Divini unguenti mysterium non quidem extat in sacris Literis, attamen traditum est à Discipulis verbi, quemadmodum & sacratissimus Dionysius à divo Paulo edoctus in divinis suis scriptis tradidit.

Et quoniam eo nomine rejiciebant hoc sacramentum Lutherani, quòd videlicet hujus paginæ sacræ nullam mentionem faciant, Hieremias non improbando illorum falsam sententiam, sic illud Augustanis in secundo responso suadere conatur:

μὴ θαυμάζετε δὲ ὅτι ἐν τοῖς βαπτίσμασιν, οἷς ἐγράψατε, μνείαν οὐ ποιεῖται χρίσματος. ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία τῇ χάριτι αὐτοῦ προκόπτουσα, ἐπὶ θείοις ῥητοῖς καὶ θεμελίοις πολλὰ ἐξεῦρε, καὶ κατεσολίσατο. οὐ γὰρ πάντα Παῦλος γράφει, ἀλλὰ καὶ ὁ μαθητὴς αὐτοῦ Διονύσιος, καὶ οἱ μετὰ τούτοις πολλοὶ φωστῆρες τῆς ἐκκλησίας Χριστοῦ, ἐν πνεύματι ἁγίῳ κινούμενοι, καὶ οὐ δίκαιον ἀπόβλητα νομίζειν. Quòd verò in Baptiſmis, quos recenſuiſtis, Chriſmatis mentio non fiat, nolite mirari. Eccleſia enim Chriſti, gratiâ ejus proficiens, divinis dictis, ac fundamentis innixa, multa adinvenit, iiſque ſeſe ornavit. Non enim omnia Paulus ſcribit, ſed quædam etiam diſcipulus ejus Dionyſius, & hos inſequuti multi Doctores Eccleſiæ Chriſti lumina, Spiritu ſancto afflante, quæ rejicienda cenſere æquum non eſt.

Quod Hieremiæ reſponſum adeò placuit Lutheranis, ut eo ad verbum iterato, auctorem illius quodammodo jugularint, & confoderint. Sic enim habent in Confutatione ſecundi reſponſi Patriarchæ: τὸ δὲ τοῦ ἐλαίου χρίσμα, μηδαμοῦ τῆς καινῆς διαθήκης μαρτυρεῖσθαι, οὐδ᾽ αὐτοὶ ἔξαρνοι ἐστέ. οὐ μόνον γε ὁμολογοῦντες οὐδὲν αὐτοῦ περὶ τὸν Παῦλον γράψαι, ἀλλὰ καὶ οὐδεμίαν μαρτυρίαν ἐκ Χριστοῦ ἢ ἀποστόλου τοῦ χρίσματος κατασκευὴν ἐπάγοντες. καὶ ἐν ἄλλοις οὕτω λέγετε. ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία τῇ χάριτι αὐτοῦ προκόπτουσα ἐπὶ θείοις ῥητοῖς καὶ θεμελίοις πολλὰ ἐξεῦρε καὶ κατεσολίσατο, καὶ τὰ ἑξῆς. οἷς ῥήμασι σαφὲς καθίστατε, τὸ χρίσμα εἶναι ἐπεξεύρεσιν τῆς ἐκκλησίας. Quòd autem Chriſma olei nullum habeat teſtimonium in novo teſtamento, vos ipſi non negatis. Non enim tantùm fatemini, quòd Paulus ea de re nihil ſcripſerit, ſed neque ullum Chriſti, aut alicujus Apoſtoli teſtimonium pro Chriſmate affertis, & inter alia dicitis, Eccleſia Chriſti gratiâ ejus proficiens, divinis dictis, & fundamentis innixa, multa adinvenit, iiſque ſeſe ornavit, & quæ ſequuntur. Quibus verbis ſignificatis, Chriſma eſſe adinventionem Eccleſiæ. Hactenus Auguſtani, & Hieremias.

Neque tantùm hoc Sacramentum Hieremias docet, haberi duntaxat ex traditione, ſed idem fert judicium ibidem in ſecundo reſponſo de cæteris quoque Sacramentis, exceptis Baptiſmo, & Euchariſtia, contra quam in ſeptimo capite primi reſponſi rectè docuerat: κἂν γὰρ τὰ κυριώτατα τῶν μυστηρίων τὸ βάπτισμα καὶ ἡ κοινωνία ἡ θεία ἐστι, καὶ ὧν δίχα σωθῆναι ἀδύνατον. Senſus eſt, quamvis cæteris Sacramentis potiora ſint Baptiſma, & divina Communio, & ſine eis ſalus nullo modo contingere poſſit, propterea que (quaſi dicat) ſola extent in Scriptura, ut hæretici contendunt: ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρέδωκεν ἡ ἐκκλησία, τὰ λοιπὰ φημὶ ἄχρι τῶν ἑπτὰ, ὡς λέξομεν. Attamen, inquit, & reliqua, quæ cum his ſeptenarium numerum explent, tradita ſunt ab Eccleſia, ut dicemus. Sic Hieremias. Non ſic Cyrillus Hieroſol. Catecheſi 4. δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν. Nam divinorum, inquit, ſanctorumque fidei Sacramentorum nihil ne minimum quidem abſque divinis Scripturis tradi debet.

Probatur hoc myſterium ex ſacris Literis.

CAPUT III.

HOc igitur mihi probandum erit adverſus hæreticos, & ipſummet Hieremiam, nimirum hoc Sacramentum luculentum habere teſtimonium ex Scriptura. Et quamvis actum agere videor; cùm hoc argumentum exquiſitè, ut & cætera non pauci præſtantiſſimi Theologorum antea tractaverint; ut tamen aliquid breviter in præſenti ea de re diſſeram, ratio inſtituti noſtri meritò poſtulare videtur. Itaque hunc in modum argumentari licet.

Quamvis Apoſtoli Baptiſmate fuerint illuminati, cœleſtique gratia imbuti; nihilominus Spiritu ſancto deinde, ac amplioribus ejus donis donantur, ut hac ratione robur, ac fortitudinem adepti fidem Chriſti teſtificari poſſent, & eam coram aliis profiterentur, ac non negarent. Hoc patet tum ex promiſſione Chriſti Joannis 14. 15. 16. Lucæ ultimo, & Act. primo, tum ex ipſamet exhibitione, & collatione Spiritus ſancti celeberrimo die Pentecoſtes Act. 2.

At hoc eodem auxilio indigent cæteri

baptizati, & promissio Christi non tantùm Apostolos respicit, sed etiam Ecclesiam, cum qua Christus Dominus pollicetur se fore usque ad consummationem sæculi. Unde Princeps Apostolorum Act. 3. ex testimonio Johelis probat eundem ipsum Spiritum, quem acceperant Apostoli, exhibendum fore omnibus fidelibus, & effundendum super omnem carnem: quæ sanè prophetia non adimpleretur sublato sacramento Confirmationis, ut non adimpleta est in Apostolis per solum Baptismum.

Neque refert quòd Princeps Apostolorum adhortatur Judæos ad suscipiendum Baptismum, si volunt consequi Spiritum sanctum, quem ipsi adepti fuerant. Nam simul & semel unà cum Baptismate Apostoli administrabant impositione manuum Confirmationem, quin & sacratissimam Eucharistiam. Et licet Apostoli sine sacramento sortiti fuerint effectum sacramenti, quippe immediatè à Christo Domino fuerunt Spiritu sancto repleti, qui plerumque sine sacramento conferre solitus erat effectum sacramenti, quemadmodum & in ultima cœna constituit Apostolos Sacerdotes sine impositione manuum, & signo externo sensibili: ipsi tamen reliquos, & ordinabant per sacramentum, & similiter confirmabant.

Media itaque, quibus Apostoli applicabant baptizatis hanc gratiam, quæ item extant in Scriptura, sunt oratio, hoc est verba, quæ continent hujus sacramenti formam, unà cum aliis precationibus, & impositio manuum. Act. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et c. 19. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Et ad Hebræos 6. Apostolus inter initia, & fundamenta fidei numerat Baptismum, & impositionem manuum, qua participatur Spiritus sanctus. Unde inter cætera ordinarium medium erat imponere manus ad accipiendũ Spiritum sanctum. Præterea consignabant Apostoli, ad Ephes. cap. 1. *In quo (scilicet Christo) & credentes signai estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.* Oecumenius: οἷον τινα σφραγῖδα τὴν τοῦ πνεύματος ἐκομίζεσθε δωρεάν. ἐπαγγελίαν δὲ, ὡς τοῦ κυρίου ἐπαγγειλαμένου πέμψειν τὸ ἅγιον πνεῦμα. Veluti quoddam signaculum Spiritus donum accepistis. Promissionem verò, ait, quia Dominus pollicitus est, se missurum Spiritum sanctum. Et cap. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Hæc enim loca de duobus Sacramentis intelliguntur, Baptismo scilicet, & Confirmatione, quippe Spiritus promissionis exhibitus est Apostolis post Baptismum. In die autem Redemptionis, hoc est Baptismi dicitur, quia simul etiam confirmabant Apostoli. Ubi Oecumenius: ὥσπερ γὰρ δήλοις (alij legunt δούλοις) ποιῶν ἡμᾶς, ὅτι ἐσμὲν θεοῦ λαὸς, ἐσφράγισεν ἡμᾶς ἐν τῷ βαπτίσματι. αὕτη γὰρ ἡ ἡμέρα τῆς ἀπολυτρώσεως. Velut enim manifestos (aliter servos) nos faciens, quòd sumus populus Dei, signavit nos in Baptismate, hæc enim est dies Redemptionis. Neque illa consignatio erat simplex, & vacua, sed cum aliqua materia putà olei, & balsami, ut describit Dionysius æqualis ætati Apostolorum, & eorum discipulus, quocirca ungebant: quæ duo exprimit idem Paulus 2. ad Corinth. cap. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quæ verba meritò exponit sanctus Ambrosius de hoc Sacramento lib. de iis, qui initiantur mysteriis cap. 7. cùm dicit: Repete, quia accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, atque virtutis, spiritum cognitionis, atque pietatis, spiritum sancti timoris, & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicisti. Et Theodoretus super illum locum Pauli, *Illud*, inquit, *signati estis*, simile est dicto prophetico, *signatum*

tum est super nos lumen vultus tui Domine, pro eo quod est, veluti quoddam signaculum Spiritus donum accepistis. Quæ verba planè eadem extant Græcè in forma hujus Sacramenti. Oecumenius explicans eundem locum cum Chrysostomo, & ex Chrysostomo. οἱ χριόμενοι ἐν τῇ παλαιᾷ ἢ ἱερεῖς ἢ προφῆται ἢ βασιλεῖς ἐγίνοντο. καὶ νῦν φησὶ χριόμεθα, ἵνα γενώμεθα βασιλεῖς μὲν κατάρχοντες τῶν παθῶν. ἱερεῖς δὲ, τὰ οἰκεῖα ἱερουργοῦντες σώματα, κατὰ τὸ, παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν. προφῆται δὲ, τὰ μεγάλα μυστήρια διδασκόμενοι. Qui in veteri testamento, inquit, ungebantur, aut Sacerdotes erant, aut Prophetæ, aut Reges. Et nunc, inquit, (Apostolus) ungimur, ut Reges quidem efficiamur, principatum super affectiones habentes, Sacerdotes autem propria sacrificantes corpora juxta illud, *exhibete membra vestra hostiam viventem*: Prophetæ verò tanquam magna edocti mysteria. Et de unctione dilectus Evangelista in Epist. 1. cap. 2. *Sed vos unctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia.* Ubi Oecumenius: ὡς περὶ ἔλεγχον, ἀλλὰ τί ταῦτα πρὸς ὑμᾶς διεξέρχομαι ὡς πρὸς ἀγνοοῦντας; οὐκ ἔστι παρ' ὑμῖν ἄγνοια τούτων. ἐλάβετε γὰρ διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τὸ χρίσμα τὸ ἱερὸν, καὶ διὰ τούτου, τὸ εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν ὁδηγοῦν πνεῦμα. Tanquam diceret: Sed quid ego hæc vobis narro tanquam ignorantibus? non est apud vos horum ignorantia. Sacram enim unctionem per sanctum Baptisma accepistis, & per hanc divinum Spiritum, qui vos ducit in omnem veritatem.

Dicit autem Oecumenius Unctionem per Baptismum accipi, eò quòd in Baptismo exhiberetur etiam Confirmatio; quod notandum est propter alios quoque Patres, præsertim Græcos, qui dum de Baptismo verba faciunt, Confirmationis effectus pariter explicant. Neque enim per aliam Unctionem in Baptismate accipitur Spiritus sanctus. Siquidem quæ antecedit Baptismum, Catechumenorum est, quæ autem subsequitur, secundùm morem Græcorum ea est Confirmationis. Ablutio verò Baptismi, per quam similiter datur Spiritus sanctus, quamvis non in ea ubertate gratiæ, non vocatur propriè unctio. Nec dissimiliter longè ante Oecumenium interpretatur Cyrillus tertia Catechesi mystagogica verba quæ sequuntur Evangelistæ, *Unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, & non necesse habetis, ut quisquam doceat vos, sed sicut ipsa unctio docet vos de omnibus, & verax est, & non mendacium, & sicut docuit vos, manete in ea*; τοῦτο φυλάξατε ἄσπιλον. πάντων γὰρ ἔσται τοῦτο διδακτικὸν, εἰ ἐν ὑμῖν μένοι, καθὼς ἀρτίως ἠκούσατε τοῦ μακαρίου Ἰωάννου λέγοντος, καὶ πολλὰ περὶ τούτου τοῦ χρίσματος φιλοσοφοῦντος. Hoc (Chrisma) servate incontaminatum, de omnibus enim docere poterit, si in vobis maneat, sicut paulò antè ex Beato Joanne audistis, cùm multa de Chrismate loqueretur, ac dissereret. Sic Cyrillus. Quia enim per unctionem datur Spiritus sanctus, idcirco dicit Joannes: *Unctio docet vos de omnibus*, quemadmodum & Salvator dixit hoc ipsum de Spiritu sancto, quem pollicebatur Apostolis post Baptismum. Estque hoc testimonium satis clarum & validum.

Magnus quoque Athanasius ex istis vocibus & verbis Symbolicis probat divinitatem Spiritus sancti in epistola ad Serapionem cujus initium, Literæ tui sanctissimi affectus datæ sunt mihi in Eremo, sic scribens: χρίσμα λέγεται τὸ πνεῦμα, καὶ ἔστι σφραγίς. ὁ μὲν γὰρ Ἰωάννης γράφει. καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε παρ' αὐτοῦ μένει ἐν ὑμῖν, καὶ οὐ χρείαν ἔχετε ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς, ἀλλ' ὡς αὐτὸ τὸ χρίσμα διδάσκῃ ὑμᾶς περὶ πάντων. ἐν δὲ τῷ προφήτῃ Ἡσαΐᾳ γέγραπται, πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμέ. οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με. ὁ δὲ Παῦλος φησίν. ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες, ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. εἰ δὲ τὰ μὲν κτίσματα τούτῳ σφραγίζεται, καὶ χρίεται, καὶ περὶ πάντων διδάσκεται. τὸ δὲ πνεῦμα χρίσμα καὶ σφραγίς ἐστιν, ἐν ᾧ χρίει καὶ σφραγίζει ὁ λόγος τὰ πάντα, ποία ὁμοιότης ἢ ἰδιότης τοῦ χρίσματος καὶ τῆς σφραγῖδος πρὸς τὰ χριόμενα καὶ σφραγιζόμενα; Chrisma dicitur Spiritus & sigillum est. Cùm Joannes scribat, & unctio, quam accepistis ab eo, manet in vobis, nec opus habetis, ut quispiam vos doceat, sed sicut unctio docet vos de omnibus. Et in Esaïa item scriptum est: Spiritus Domini super me, eò quòd unxe-

rit me. Paulus autem ait, in quo cũ credideritis, signati estis in diem redemptionis. Quòd si res conditæ eo signantur, & inunguntur, & de omnibus docentur, ipse autem Spiritus Chrisma, & sigillum est, in quo omnia inungit & signat Verbum, quæ similitudo aut proprietas unguenti atque sigilli cum inunctis, & sigillatis? Videndus est loco citato Athanasius, quia hoc idem multis verbis & rationibus prosequitur, & ejus sententia multùm poterit inservire formæ Græcorum.

Neque refert quòd adversarij explicent Joannem de interna unctione, quippe externa unctio efficit internam, & eam significat. Quin & ab externa, interna dicitur unctio, sicut in baptismate ablutio externa, internæ ablutionis similitudinem gerit. Unde Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 26. Dominus, inquit, ipse Jesus Spiritum sanctum non solùm dedit ut Deus, sed & accepit, ut homo, propterea dictus est plenus gratia: & manifestiùs de illo scriptum est in Actibus Apostolorum. Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Et Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum hæc duo simul conjungit: εἰ δὲ σὺ προκαταλάβοις σεαυτὸν τῇ σφραγῖδι, καὶ τὸ μέλλον ἀσφαλίσαιο τῷ καλλίστῳ τῶν βοηθημάτων καὶ στερροτάτῳ σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι καὶ τῷ πνεύματι. At si tu, inquit, antevertens signaculo te obfirmaveris, ac præclarissimo, & firmissimo auxilio, tibi in futurum caveris animum scilicet, & corpus unctione, ac spiritu consignans, & quæ sequuntur.

Neque item obstat Basilius Magnus libro de Spiritu sancto cap. 17. qui ait nullum extare λόγον γεγραμμένον de unctione. Intelligitur enim non de unctione Chrismatis, sed de unctione olei Catechumenorum, quam adhibent ante Baptismum, dum ungunt totum fermè corpus illius, qui baptizandus sit. Hæc enim re vera non extat in sacris literis, sed habetur ex traditione non scripta. Unde Basilius secundum rigorem sermonis loquutus est, dum ait, ἐλαίου χρίσιν, non μύρου, & χρίσματος. Et ante Basilium Justinus Martyr q. 137. ad orthodox. proprietatem vocum servans distinguit unctionem olei ab unguento: alioquin in sacris paginis reperitur extrema olei unctio, & altera unctio, quam toties inculcavit Joannes Evangelista.

Ex variis, ac diversis mediis, quæ recensuimus ex scriptura, varia quoque nomina hoc Sacramentum sortitum est, quæ nos à principio libri cap. 1. retulimus. Vocant illud quandoque Patres propter unctionem χρίσμα, μύρον, καὶ ἔλαιον, Chrisma, unguentum, & oleum. Quandoque verò impositionem manuum, sæpissimè signaculum, unum & idem significantes. Quando & hæc omnia in administratione hujus Sacramenti re ipsa præstant. Siquidem ungunt, & signant potissimum in fronte per modum Crucis, & sine manus impositione hæc fieri nequeunt. Neque dubium est quin quotquot auctores (sunt autem non pauci Latini, & Græci) hisce nominibus usi sunt, ad proximè citata scripturæ loca respexerint.

Probatur idem auctoritate Sanctorum Patrum.

CAPUT IV.

Sed prestat quæ hactenus diximus, testimonio quoque Patrum astruere. Sanctus Cyprianus in Epistola ad Jubaianum: Idcirco, inquit, quia Samaritani legitimũ, & Ecclesiasticum Baptismum consequuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro, & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.

Beatus Hieronymus contra Luciferianos, ex persona illius hæretici. An nescis, inquit, etiam Ecclesiarum hunc esse mo-

rem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum; etiamsi scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt. Et paulò infra respondet orthodoxus: Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus Urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat. Et paulò post: Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in verò baptismate tribui? disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.

Ambrosius lib. 2. de Sacramentis cap. 2. vocat spirituale signaculum, quod post fontem superest, ut perfectio fiat. Et libro primo de Spiritu sancto cap. 6. In Spiritu vivimus, & ipse est pignus hereditatis nostræ. Sicut & Apostolus scribens ad Ephesios ait, *in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*. Sancto igitur spiritu signati sumus non naturâ, sed à Deo, quod scriptum est, *qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Signati ergo Spiritu à Deo sumus: sicut enim in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, & gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Nam etsi Spiritu signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem. Et non longè inferius. Atque ut sciamus cordis nostri magis hoc, quam corporis signaculum, docet Propheta, qui dicit, *Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Idem Ambrosius locum Pauli ad Hebræos 6. qui post baptismum manus impositionem inter fidei fundamenta ponit, de Confirmatione interpretatur, dicens, loqui Paulum de impositione manuum, per quam Spiritus sanctus accipi posse creditur, quod post baptismum ad Confirmationem unitatis in Ecclesia Christi à Pontificibus fieri solet.

S. Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 26. ait Ecclesiam in præpositis suis nunc servare morem, quem habebant Apostoli, qui orabant, ut Spiritus sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant. Idem Doctor in hoc mysterio probando multus est non uno in loco.

Opponunt nobis hæretici, cessasse illos effectus dona linguarum & prophetiæ, proinde non esse ampliùs illud Sacramentum.

Ad hoc idem Augustinus tot sæculis antea, tractatu sexto in primam Epistolam B. Joannis, sic respondet: Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum: significatum est illud, & transiit. Numquid modò, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestrûm, utrum linguis loquerentur? & cùm videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrûm fuit (ut sunt modò hæretici) ut diceret, non acceperunt isti Spiritum sanctum? Nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est. Sic Augustinus. Cessarunt quoque signa credentium, quæ modò fiunt apud Indos, nec tamen inutilis est fides, & sacrosanctum Baptisma, quia neque hujusmodi effectus sunt primarij, ac præcipui Sacramentorum. Neque erat, cur propter sola miracula, & gratias gratis datas, quæ potius in utilitatem aliorum, quàm recipientium dantur, Christus Dominus privaret Apostolos sua præsentia, & alium Paracletum polliceretur. Im-

mò etiam tempore Apostolorum hæc dona externa non erant omnibus communia, ut erat Spiritus sanctus. Quod testatur Paulus 1. Corinth. c. 2. *Numquid omnes prophetant? numquid omnes linguis loquuntur?*

Urbanus Papa in Epistola sua cap. 7. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.

Cornelius Papa Epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 35. loquens de Novato, Neque Domini sigillo ab Episcopo consignatus fuit, quo quidem neutiquam potitus, quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus est?

Eusebius similiter Pontifex, & Martyr Epistola 3. ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ: Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus.

Melchiades Pontifex, & Martyr in Epistola ad Hispaniæ Episcopos. Quod, inquit, nunc in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donavit universis. Quam sententiam, ut & multa alia ad verbum desumpsit ex Melchiade Eusebius Emissenus, seu alius antiquus tamen & Latinus auctor sermone de Pentecoste.

Innocentius III. in c. unico de sancta Unctione §. quia verò, Per frontis, inquit, chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur. Concilium Elibertinum c. 38. docet baptizatum perducendum esse ad Episcopum, ut per manus impositionem perficiatur.

Isidorus Hispalensis lib. 2. de Ecclesiasticis officiis c. 26. Sed quoniam post Baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.

Rabanus Archiepiscopus Moguntinus de institutione Clericorum lib. 1. cap. 30. Novissimè autem à summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato Spiritus sanctus, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consequutus est per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem verò in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus sancti super eum descensio ad habitationem Deo consecrandam. In secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur.

Omitto commemorare Canonistas, & Scholasticos, qui omnes pari consensu idem confirmant.

Ex Græcis Clemens Alexandrinus, teste Eusebio lib. 3. hist. cap. 17. aliàs 23. secundum divisionem Græcorum, refert historiam de quodam adolescente, quem Joannes Evangelista singulariter dilexerat, & Episcopo cuidam diligenter commendaverat. Quem ille, inquit, ἔτρεφε, συνεῖχε, ἔθαλπε τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου. Nutriebat, complectebatur, fovebat, postremò illuminavit, post hæc remisit nimiam illam curam, & custodiam; tanquam qui perfectam ipsi custodiam, nimirum signaculum Domini imposuisset. Hîc distinguit Clemens Baptismum à Confirmatione, quam sigillum Domini vocat, & perfectam custodiam: quæ enim sigillo alicujus magni Principis sunt obsignata nemo contingere audet. Et quoniam per Confirmationem longè uberior gratia conceditur baptizatis, propterea Episcopus ille desierat habere tantam curam illius adolescentis, quantam prius habere solebat, quippe qui eum sigillo Dominico obsignaverat, & satis tutum ab insidiis dæmonis fore existimaverat. Uerùm ille postea (ut tradit historia) maximus latro evasit; sed ab Evangelista nimio studio quæsitus, atque repertus, & lachrymis mollitus, agere pœnitentiam non recusa-

vit. Nazianzenus oratione in Pentecosten similia mihi signare videtur, cùm ait, πεντηκοστὴν ἑορτάζομεν σήμερον, καὶ πνεύματος ἐπιδημίαν, καὶ προθεσμίαν ἐπαγγελίας, καὶ ἐλπίδος συμπλήρωσιν, καὶ τὸ μυστήριον ὅσον; ὡς μέγα τε καὶ σεβάσμιον.
» Itaque ait Theologus Pentecosten, quin-
» quagesimam nos celebrare, & Spiritus
» sancti adventum, propterea mysterium es-
» se maximum, & augustissimum. Sed in Concilio Constantinopolitano, cui ipse Gregorius interfuit, fortè quoque ex mandato Damasi præfuit, & secundum nonnullos auctores Græcos cùm symbolum, quo utitur modò Græcorum Ecclesia, tum Canones composuit, Canone septimo recensetur forma hujus Sacramenti, quæ sanè collationem Spiritus sancti luculenter exprimit, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Ut inde manifestè appareat ab effectu idem hoc esse mysterium cum illo Pentecostes juxta sententiam Theologi, cæterorumque Patrum illius sacri, & Oecumenici conventus. Nec dissimiliter interpretatur Job Monachus in opusculo de Sacramentis, sic enim habet, δηλοῖ δὲ ἡ τοῦ μύρου τελετὴ τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὴν οὐσιωδῶς οἷον ἐπιφοιτήσασαν, καὶ τοῖς ἱεροῖς ἀποστόλοις ἐγγινομένην ἐν τῇ πεντηκοστῇ μετὰ τὴν σωτηριώδη ἀνάστασιν ὅπως πᾶσι χριστιανοῖς ἐκ τοῦ τότε καὶ ἐς δεῦρο, καὶ δι' αἰῶνος ἐπιδαψιλευομένην μετὰ τὸ ἅγιον βάπτισμα.
» Unguenti mysterium Spiritus sancti gra-
» tiam significat, quæ die Pentecostes post
» resurrectionem salutarem velut essentiali-
» ter in sanctos Apostolos adveniens in ipso-
» rum animis inerat, ex eoque tempore in
» hodiernam usque diem, ac in ævum post
» sanctum Baptismum æquè in omnibus
» Christianis redundat. Idem Gregorius oratione in sanctum lavacrum, ut unctione corpus & Spiritu animum fideles consignent adhortatur: σημειωθεὶς καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι καὶ τῷ πνεύματι, quem locum supra citavimus. Cyrillus Hier. Catechesi 3. τῷ μὲν φαινομένῳ μύρῳ τὸ σῶμα χρίεται, τῷ δὲ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι ἡ ψυχὴ ἁγιάζεται.
» Unguento quidem visibili corpus inungi-
» tur, sancto verò ae vivifico Spiritu anima
» sanctificatur.

Damascenus lib. 4. de fide orthod. c.10. docet, Apostolis datum Spiritum sanctum in forma ignis, nobis per oleum. Quod «
enim, inquit, ignis specie (Spiritus san- «
ctus) in sanctos Apostolos descenderit, «
hoc eo factum est, quia Deus erat. Deus «
porrò ignis consumens est. At verò oleum «
ideo ad Baptismum adhibetur, quia un- «
ctionem nostram designat, Christosque «
nos efficit, ac Dei misericordiam per Spi- «
ritum sanctum nobis pollicetur. «

Ex posterioribus Græcis Oecumenius in c.6. ad Hebræos, Confirmationem, impositionem manuum appellat super illa verba, διὸ ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα, ideò relicto initij Christi sermone ad perfectionem feramur: λέγει δὲ οὐχ ὡς ἄνω τελείους ἐκάλεσεν. οὐ γὰρ ἴσχυον ἀκοῦσαι, ἀλλ' ἑτέρως μεθοδεύει τὸν λόγον, ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν, καὶ σφραγῖδα. Loquitur autem Paulus non eo «
modo, quo prius vocavit perfectos, ne- «
que enim audire poterant: sed alio modo «
artificiose tractat sermonem, vocans qui- «
dem principium Baptisma, & manuum «
impositionem, ac signaculum, quæ in Ba- «
ptismate adhibentur, in eodem capite infra, ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τῶν ἐν τῷ βαπτίσματι γινομένων, manuum impositionis, quæ in «
baptismate fiunt. Neque vlla alia imposi- «
tio manuum, quæ signaculo sit annexa in baptismate fit, præterquam Confirmationis.

Simeon Thessalon. dum agit de hoc Sacramento fermè à principio operis in eandem sententiam hæc habet: τοῖς βεβαπτισμένοις ὑπὸ Φιλίππου ὡς μόνον τὸ βάπτισμα δεξαμένοις, Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἐπετίθουν τὰς χεῖρας, καὶ ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον. ὃ δὴ τὸ μυστήριον ἐστίν. ἡ γὰρ ἐπίθεσις τῶν χειρῶν τὸ μύρον παρεῖχεν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἀποστόλοις ἐγένετο, καὶ δι' αὐτῶν πολλοῖς ἄλλοις. καὶ τότε μὲν ἐπίθεσις τῶν χειρῶν, αὐτὸ ἐστὶ τὸ ἡγιασμένον καὶ λεγόμενον μέγα μύρον, ἁγιαζόμενον οὐ παρὰ πρεσβυτέρων, ἀλλὰ πατριαρχῶν καὶ ἀρχιερέων εὐχαῖς καὶ εὐλογίαις τὴν τοῦ Πέτρου καὶ Ἰωάννου πλουτούντων δύναμιν. ὃ δὴ καὶ ἀποστελλόμενον εἰς τὰ πέρατα δύναμιν ἔχει τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν.
A Philippo baptizati, tanquam qui solum «
baptisma suscepissent, Petro, ac Joanne «
imponentibus manus Spiritum sanctum «

accipiebant. Quod ſanè hoc Sacramentum eſt. Siquidem impoſitio manuum, unguentum præbebat, ut & in Apoſtolis factũ eſt, ac per ipſos in multis aliis. Et tum quidem impoſitio manuum ipſum eſt conſecratum, ac magnum unguentum appellatum, conſecratum, inquam, precationibus, ac benedictionibus non à Presbyteris, ſed à Patriarchis, & Pontificibus, quos virtus Petri, & Joannis locupletat. Quod etiam unguentum ad fines orbis miſſum inſtar impoſitionis manuum eſt. Ad fines, ait, orbis mitti unguentum, quia Patriarcha Conſtantinopolitanus illud conſecrat, reliqui ab eo accipiunt.

Similiter hanc manuum impoſitionem Apoſtolorum ad hoc Sacramentum refert Nicolaus Cabaſilas in tertia oratione περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς, hæc enim ibi leguntur: οὕτω δὲ πνευματικῶς συστάντας (διὰ τοῦ βαπτίσματος) καὶ τοῦτον γεγεννημένοις τὸν τρόπον, καὶ ἐνεργείας ἀκόλουθον ἂν εἴη τυγχάνειν, ἣ τοιᾷδε γεννήσει προσήκει, καὶ κινήσεως καταλλήλου. καὶ τοῦτο ἡμῖν ἡ τελετὴ τοῦ θειοτάτου δύναται μύρου. καὶ γὰρ ἐνεργοὺς ποιεῖ τὰς πνευματικὰς ἐνεργείας, τὴν μὲν ταύτην, τὴν δὲ ἐκείνην, τὸν δὲ πλείους, ὡς ἕκαστος πρὸς τὸ μυστήριον ἔχει παρασκευῆς. καὶ γίνεται νῦν τοῖς τελουμένοις, ὅπερ ἐπὶ τῶν προτέρων χρόνων αἱ τῶν ἀποστόλων χεῖρες τοῖς ἐπ᾽ ἐκείνων βαπτιζομένοις. καὶ γὰρ ἐπιτιθέντων τὰς χεῖρας τῶν ἀποστόλων, τοῖς μεμυημένοις, φησὶ, τὸ πνεῦμα ἐδίδοτο. καὶ νῦν ὁ παράκλητος τοῖς χριομένοις ἐπιδημεῖ. Ita verò poſtquam ſpiritalem vitam nacti erimus in hunc modum per Baptiſmum geniti, conſentaneum eſt, ut actionem quoque, ac motum tali generationi congruentem ſortiamur; idque nobis diviniſſimum unguentum præſtat, ſiquidem potentes ad ſpirituales actiones efficit, hunc quidem ad iſtam, ad illam alterum, alium ad plures, ut quiſque ſe ad myſterium comparat. Fitque nunc initiatis, quod olim per manus Apoſtolorum baptizatis. Quippe imponentibus manus Apoſtolis Sacramento Baptiſmatis imbutis, Spiritus, inquit, exhibebatur. Nunc ſimiliter in unctos Paracletus accedit. Et paulò pòſt: τοῦτο τὸ μυστήριον ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων χρόνων χαρίσματα ἰαμάτων καὶ προφητείας καὶ γλωσσῶν καὶ τοιαῦτα τοῖς βαπτιζομένοις παρεῖχεν, ἃ τῆς ὑπερφυοῦς τοῦ Χριστοῦ δυνάμεως ἀνθρώποις ἅπασιν ἀπόδειξιν εἶχε περιφανῆ. τούτων γὰρ ἔδει τηνικαῦτα τοῦ χριστιανισμοῦ πηγνυμένου, καὶ τῆς εὐσεβείας καθισταμένης. νῦν δὲ καὶ τοιαῦτα μὲν ἐνίοις ἐκεῖθεν ὑπῆρξε καὶ ἐφ᾽ ἡμῶν καὶ ἐπὶ τῶν ὀλίγῳ προτέρων. καὶ περὶ τῶν μελλόντων εἶπον, καὶ δαίμονας ἐξέβαλον, καὶ νόσων ἀπήλλαξαν εὐξάμενοι μόνον. καὶ οὐ περιόντες ἔτι τῷ βίῳ μόνον, ἀλλ᾽ ἤδη καὶ τάφοι τὸ ἴσον ἐδυνήθησαν, τῆς πνευματικῆς ἐνεργείας οὐδὲ νεκρῶν ἀφισταμένης τῶν μακαρίων. ἃ δὲ χριστιανοῖς ἑκάστοτε προμνᾶται τὸ μύρον, καὶ ὧν καιρὸς ἅπας ὁ χρόνος, χάρισμα εὐσεβείας καὶ εὐχῆς καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ καὶ τῶν ἄλλων. ἃ τοῖς δεχομένοις αὐτοῖς ἐστὶν ἐν καιρῷ. εἰ καὶ τοὺς πολλοὺς τῶν χριστιανῶν παντὶ διαφεύγει, καὶ ὅ τι τις ἐστὶν ἡ τοῦ μυστηρίου δύναμις λέληθε. οἱ δὲ κατὰ τὸ ἐν ταῖς πράξεσιν εἰρημένον, οὐδ᾽ ὅτι πνεῦμα ἅγιον ἐστὶν ἔγνωσαν. παρ᾽ αὐτὸ μὲν τὸ τελεῖσθαι, τῷ πρὸ τῆς ἡλικίας τυγχάνειν τῶν δώρων, ἀναισθήτως διατεθέντες, ἐπὶ δὲ τῆς ἡλικίας, ἐφ᾽ ἃ μὴ δεῖ τετραμμένοι, καὶ τὸν τῆς ψυχῆς ἀποτυφλώσαντες ὀφθαλμόν. ὡς τό γε ἀληθὲς τὸ πνεῦμα κοινωνεῖ, τοῖς τελουμένοις τοῦ ἑαυτοῦ, διαιρῶν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. Hoc myſterium olim dona ſanitatum, prophetiæ, linguarum & ſimilia baptizatis conferebat, quæ ſanè omnibus hominibus maximo argumento erant ad declarandam immenſam Chriſti potentiam. His enim tum opus erat, cùm Chriſtianiſmus inciperet coaleſcere, ac religio fundaretur. Nunc verò nonnullis etiam noſtro ævo, & ſuperioribus annis ſimilia inde conceſſa ſunt qui de futuris prædixerunt, dæmones ejecerunt, à morbis homines ſola prece liberarunt; nec tantùm ſuperſtites, ſed etiam eorum ſepulcra idem præſtiterunt, nimirum vi, atque actione Spiritus ſancti à Beatis illis viris, nec etiam mortuis abſcedente. Quæ verò Chriſtianis paſſim unguentum conciliat, & quibus omne tempus idoneum eſt? donum pietatis, & orationis, charitatis item, & caſtimoniæ, & reliquorum donorum, quæ recipientibus ipſis nunquam nō ſunt opportuna. Quamvis pleroſque Chriſtianorum hæc fugiant; & quanta ſit hujus myſterij vis, eos lateat, quin juxta illud quod eſt apud Acta Apoſtolorum, neque quod Spiritus ſanctus ſit, norint; eo quòd dum initiarentur, ante ætatem hoc myſterium ſortiti ſint, ac ſine ſenſu receperint. (Nota hæc dici à Caba-

sila, propterea quod infantes Græcorum inunguntur Chrismate, secundum Cabasilã illa ætate non adeo laudabiliter.) Qui deinde cùm ad ætatem perveniunt, ad illicita se convertunt, animique oculum excæcant. Alioquin re vera Spiritus impertit sua dona initiatis, dividens seorsum unicuique prout vult. Et in oratione quarta: καὶ τοίνυν βαπτιζομένοις, τὸ μυστήριον (τοῦ βαπτίσματος) τὰ αὐτοῦ ἡμᾶς εἰργάσατο πάντα. ἡμεῖς δὲ τελείως ἔτι δεόμεθα ἔχειν. οὔπω γὰρ τὰ δῶρα τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἃ τοῦ παναγίου ἐξήρτηται μύρου. τοῖς γὰρ ὑπὸ τοῦ Φιλίππου βαπτιζομένοις οὐ προσῆν οὐδέπω τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῶν χαρίτων ἕνεκα τούτων, ἀλλ' ἐδέησεν, ὑπὸ τούτου τοῦ Ἰωάννου καὶ Πέτρου χειρῶν. οὔπω γὰρ ἦν, φησὶν, ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκὸς, μόνον δὲ βεβαπτισμένοι ἦσαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. τότε ἐπετίθουν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον. Mysterium igitur Baptismi cuncta sua bona nobis contulit. Nos verò adhuc abest, ut simus perfecti, quippe nondum dona Spiritus sancti nobis sunt exhibita, quæ à sacratissimo pendent unguento. Siquidem in baptizatis à Philippo nondum inerat Spiritus sanctus harum causa gratiarum. Sed ad hoc manuum Petri, & Joannis indiguerunt. Nondum enim, inquit, in quenquam illorum Spiritus sanctus erat illapsus, tantummodo baptizati erant in nomine Domini Jesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Hæc Latini, & Græci unanimi consensu de hoc Sacramento tradunt. Quocirca Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus immeritò concessit hæreticis, quod nulla ratione dandum erat. Si quod enim aliud Sacramentum habet testimonium ex Scriptura (habent autem omnia) Confirmatio, vel maximè divino testimonio nititur, & confirmatur.

De Materia Confirmationis.

Caput V.

Materia hujus Sacramenti etiam secundum Græcos est oleum, & balsamum, à qua, & denominatur ἔλαιον καὶ μύρον, sed istis immiscentur alia multa aromatum genera, ut est videre in Euchologio. Quam quidem materiam etiam describit Dionysius de Eccles. Hier. cap. 4. his verbis: λέγομεν τοίνυν ὡς ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις, συναγωγή τις ἐστὶν εὐπνόων ὑλῶν, ἐν ἑαυτῇ πλουσίως ἔχουσα ποιότητας εὐόσμους, ἧς οἱ μεταχόντες εὐωδιάζονται κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ ποσοῦ τῆς ἐγγινομένης αὐτοῖς εὐώδου μεθέξεως. Dicimus igitur (inquit) unguenti confectionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum contineat. Cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportione fragrantis communionis, quæ in eis inest. Sic ille.

Dejiciunt hæretici tantum virum, nescio quibusnam adducti frivolis rationibus, seu potius falsis conjecturis. Sed an unum Dionysium? totum cœtum unà cum eo, ac floridam coronam veterum Patrum in hoc Sacramento rejiciunt. Immò quod horribilius, scripturam ipsam τὴν θεόπνευστον, si ad mentem illorum non loquatur, ut in plerisque non loquitur, vel ipsa meridiana luce clariorem violenta expositione obscurant, vel si id minùs eis successerit falsitatis arguere, atque διεφθαρμένην, & νόθον esse asserere perfricta fronte non erubescunt. Deinde tanta animi elatione, ac jactatione verborum omnia ad normam scripturæ revocare audent. Sed ut ad nostrum divinum Hierarcham Dionysium redeamus, non defuerunt olim pariter, qui ejus divina scripta inficiarentur. Tutatus est ea ab eorum impugnationibus solers auctor, & pius Theodorus Presbyter teste Photio in sua Bibliotheca à principio: periit ille Commentarius, ut pleraque alia præstantissima.

Sed non est valdè dolendum, quippe Baronius, qui cum omni antiquitate de gloria eruditionis meritò contendere potest, pro ea, qua est in Dionysium, pietate, eum à morsibus rabiosis novatorum hominum strenuè vindicat Annalium to. 2. & Martinus del Rio, & multi alij.

De compositione unguenti eadem ferè tradit Basilius Magnus Psal. 132. in illud,

Sicut unguentum in capite. Oleum, inquit, illud Sacerdotale ex variis condimentis constabat. Uerùm nullum illorum separatim tantam emittebat fragrantiam, sed mixtura illorum, & inunctio maximam reddebat odoris redolentiam. Rectè igitur huic unguento concordiam comparavit, multarum enim virtutum coadunatio perfectæ virtutis fragrantiam operatur. Quæ verba tam Dionysij, quàm Basilij valdè exprimunt præsentem, eundemque antiquissimum usum Græcorum. Licet enim Basilius declaret, atque describat unguentum antiquæ legis, illud tamen erat figura nostri, & potest nostrum etiam quoad materiam esse æquè perfectum, atque fuerit illud, cùm in effectu longè sit præstantius.

Clemens quoque ante Basilium lib. 7. Const. Apost. c. 44. in benedictione Chrismatis mentionem facit fragrantiæ odoris. Et re vera Chrisma conficere, ut loquitur secundum, & tertium Concilium Carthaginense, nil aliud est, quàm ex pluribus liquoribus, ad minus ex oleo, & balsamo adhibita consecratione unum unguentum facere.

Porrò consecratio est de essentia materiæ Sacramenti, ut etiam ex illa Theoria Dionysij satis constat; alioquin, & pharmacopola posset unguentum conficere. Modum consecrandi Chrisma eodem planè modo describunt Dionysius, & Euchologion. Id munus spectat ad Pontifices, de quo multi extant antiqui Canones. Neque in hac re Græci, & Latini inter se dissident. Hæc de materia.

De forma Confirmationis.

Refellitur error circa formam Philadelphiensis, & recensetur vera forma huius Sacramenti.

Caput VI.

Gabriel Philadelphiæ in suo tractatu de Sacramentis quærit, quænam sit forma Sacramenti Confirmationis. Docet esse verba quæ dicuntur à Pontifice super unguentum, quando illud consecrat: τὸ εἶδος τοῦ μύρου ἐστὶν ἡ τῶν ῥημάτων δύναμις τοῦ ἀρχιερέως ἐπ᾽ αὐτὸ λεγομένη, καὶ εἰδοποιοῦσα αὐτό. Forma unguenti sunt verba Pontificis, quæ dicuntur super unguentum, & quæ vim habent illud informandi.

Sed decipitur, non enim est Sacramentum, quando consecratur, sed quando confertur. Atque hoc discrimen est inter sanctissimam Eucharistiam, & alia Sacramenta, quòd illa tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est; eo quòd hujusmodi mysterium sit etiam sacrificium.

Eodem modo deceptus est Nicolaus Cabasilas in libro de Expositione liturgiæ cap. 29. qui cùm vellet probare formam consecrationis esse deprecatoriam, recenset à simili etiam cæterorum Sacramentorum esse formas deprecatorias, præcipuè verò sacri unguenti. Ubi per mysterium unguenti benedictionem Chrismatis, quæ precibus Ecclesiæ fit, non ipsum Sacramentum clarè intelligit. Et eodem errore laborat Marcus Ephesius in opusculo, cujus inscriptio, quòd non solùm à voce Dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verumetiam à consequente oratione, & benedictione Sacerdotis. Sed quis non videt aliud esse consecrationem, aliud exhibitionem Chrismatis?

Deinde, si illa esset forma, Sacerdos Græcus non posset conferre hoc Sacramentum, quamvis extraordinariè: non enim potest unguentum consecrare, & tamen extraordinariè confert. Itaq; forma hujus Sacramenti, οὐκ ἐπ᾽ αὐτὸ λέγεται τὸ χρίσμα, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸ χριόμενον. Non super unguentum, sed super eum, qui ungitur, enunciatur, οὔτε αὐτὸ εἰδοποιεῖ, ἀλλὰ τὸ χριόμενον. Neque unguentum, sed unctum informat.

Præterea unguentum à Pontifice consecratum, tenet se ex parte materiæ, nulla igitur ibi forma. Tandem Philadel. certis verbis formam exprimere debuisset, cùm enim multa verba proferat Pontifex, quænam sint de necessitate formæ, hoc debuit explicare.

Neque poteſt dicere, ſe voluiſſe explicare benedictionem unguenti eo in loco. Nam alibi veram formam non aſſignat, & mancus fuiſſet περὶ τὰ κύρια.

Neque item officit nobis auctoritas ſancti Cyrilli tertia Catecheſi myſtagogica, ſic loquentis: ὥσπερ ὁ ἄρτος τ̃ εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τ̃ ἁγίου πνεύματος, οὐκέτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον, οὐκέτι ψιλὸν, οὐδ᾽ ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ᾽ ἐπίκλησιν, ἀλλὰ Χριστοῦ χάρισμα, & πνεύματος ἁγίου παρουσίᾳ τ̃ αὐτ̃ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον. ὃ ἄπερ συμβολικῶς ἐπὶ μετώπου, καὶ τ̃ ἄλλων σου χρίεται αἰσθητηρίων. Quemadmodum panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti; ſic & ſanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, neque commune (ut aliquis dixerit) poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma (alij legunt Chariſma) Chriſti, quod adventu Spiritus ſancti per ipſius divinitatem efficaciam habet, quo frons & alij ſenſus tui ſymbolicè inunguntur. Hoc inquam non obſtat, quaſi inde colligere quiſpiam debeat, hoc unguentum per conſecrationem ſolam, ſine ulla applicatione ad ſubjectum, eſſe verum & abſolutum Sacramentum. Nam ſimilitudo Cyrilli in eo conſiſtit, quod quemadmodum panis ſine conſecratione non eſt corpus Chriſti; ita etiam unguentum ſine ſanctificatione non eſt aptum ad Sacramentum, ſed eſt nudum, ac ſimplex unguentum. At verò ad hoc ut ſit Sacramentum non ſatis eſt ut ſit conſecratum, ac præparatum, ſed omnino ſubjectæ materiæ accommodari debet, ideo ſanctus Cyrillus addit, quo frons, & alij tui ſenſus ſymbolicè inunguntur.

Cur autem non ſit Sacramentum unguentum, quamvis conſecratum, modò ad ſubjectum non applicetur? Ratio eſt, quod ibi nulla tranſubſtantiatio fiat, ut in Euchariſtia. Unde Cyrillus valdè cautè loquitur, cùm de Euchariſtiæ pane dicit, eſſe corpus Chriſti; de unguento autem non dicit eſſe Spiritum ſanctum, ſed eſſe Chriſma, ſeu Chariſma Chriſti ſanctificatum, & non eſſe nudum unguentum.

Itaque forma hujus Sacramenti ſunt verba, quæ ſolet Pontifex enunciare, cùm inungit ſacro Chriſmate baptizatum. Ea verò hæc ſunt, quæ extant in omnibus Euchologiis tam impreſſis, quàm manu ſcriptis, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου; ſignaculum donationis Spiritus ſancti. Deeſt verbum more Græcorum, quorum phraſis propria hoc eleganter aliquando exigit. Et ſenſus eſt, hoc ſigno donantur munera Spiritus ſancti, immò & ipſemet Spiritus ſanctus.

Quæ forma conſentanea eſt verbis Apoſtoli 2. Corinth. cap. 1. ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν, καὶ χρίσας ἡμᾶς θεὸς, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δοὺς τ̃ ἀῤῥαβῶνα τ̃ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Hîc Apoſtolus ad unguem deſcribit Sacramentum Confirmationis. Et primò quidem ab eo, quod eſt proprium hujus myſterij, qui confirmat nos. Nam peculiare hujus Sacramenti eſt, præſtare robur, atque efficere, ut firmus quiſpiam ſtet. Sed qua in re? σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν, vobiſcum in Chriſtum, hoc eſt (ut interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus) in fide erga Chriſtum. Nam ipſe nobis firmam in Chriſtum fidem per hoc Sacramentum donat. Unde, & Confirmatio appellatur. Deinde exprimit materiam, & unxit nos, quocirca & unguentum adhibetur. Et quia hæc unctio non eſt inſtar aliarum unctionum, idcirco addit, & ſignavit nos. Hoc eſt, talis eſt unctio, quæ imprimat inſignia Principis. Et quoniam characterem comitatur divina gratia, ob id etiam addit, & dedit pignus Spiritus. Poſtremò quia character & gratia inhærent animæ, ſubjungit, in cordibus noſtris. Ex his verbis Apoſtolicis videtur eſſe compacta forma Græcorum. Et eundem planè ſenſum efficiunt verba Græca, quem & Latina. Nam vis formæ Sacramentalis poſita eſt in ſenſu, non in ſono, aut numero litterarum. Idem quippe eſt dicere, Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, ac exhibendo ſa-

crum Chrisma in fronte per signum crucis dicere, signaculum doni Spiritus sancti, quasi dicat, hoc, quo te per modum crucis inungo, est obsignatio largitionis Spiritus sancti.

S. Silvester Sacramentum Confirmationis ferè sub simili forma Constantino exhibuit. Sic enim loquitur in edicto Constantinus: septiformis gratiæ Spiritus sancti adhibuit beati Chrismatis unctionem, & vexillum sanctæ Crucis linivit in mea fronte, dicens, Signet te Deus sigillo fidei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quamvis autem edictum illud verumne sit, merito viri docti ambigunt, tamen cujuscunque sit morem sui temporis de Confirmatione refert. Sunt, qui auctorem ejus faciant Balsamonem. Quod mihi haud fit verisimile, quia Balsamon in recensenda forma Confirmationis, iisdem planè verbis Græcorum utique usus fuisset. Non dissimiliter in oratione, quæ extat in Euchologio, Pontifex administrans Confirmationem, ait: αὐτὸς δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε χάρισαι αὐτῷ καὶ τὴν σφραγῖδα τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου, καὶ παντοδυνάμου, καὶ προσκυνητοῦ σου πνεύματος. Tu Domine omnium Rex, misericors dona ei, & signaculum largitionis sancti, & omnipotentis, adorandique tui Spiritus. Et post pauca: postea signando Chrismate per modum crucis ordine, quo recenseo in fronte, in oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus, & pedibus baptizatum ait, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, signaculum largitionis Spiritus sancti. Quibus verbis duplex effectus exprimitur hujus Sacramenti, character videlicet, ac cœlestis gratia. Pulcrè autem dicitur donum Spiritus sanctus. Quamvis enim tota sanctissima Trinitas pari benignitate genus humanum salvaverit, tamen singulæ divinæ personæ ad consummandum illud opus aliquid peculiare contulisse dicuntur. Atq; ut quidam ait, ὁ μὲν πατὴρ διήλλακται, ὁ δὲ υἱὸς διήλλαξε, τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον φίλοις ἤδη καταστᾶσι δῶρον ἐγένετο. Pater reconciliatus est, Filius reconciliavit, jam verò nobis in gratiam restitutis, Spiritus sanctus donum evasit.

Meminit hujus formæ secundum Concilium Oecumenicum, primum scilicet Constantinopolitanum can. 7. ubi decernit Concilium diversos hæreticos ibi enumeratos, ad Catholicam fidem conversos, non esse quidem baptizandos, quippe qui vera forma Baptismi baptizati essent, sed sacro Chrismate ungendos, quibus dicantur in unctione ista verba, signaculum donationis Spiritus sancti.

Probatur eadem forma nonnullis rationibus.

Caput VII.

Porro hanc esse veram formam, his rationibus probari potest. Primò, quia Concilium Constantinopolitanum statuit hæreticos illos esse Chrismate consignandos, propterea quod in Baptismo Sacramentum Confirmationis hæretici illi non administrarent, immò potius respuerent, & aspernarentur. Quod quidem luculenter testatur Theodoretus de Novatianis, (quos Concilij complectitur Canon) in libro 3. de Fabulis hæreticorum, dum agit de Novato, his verbis: τοὺς δὲ τῆς οἰκείας συμμορίας οὐ Ναυατιανοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ καθαροὺς προσηγόρευσε. καὶ τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρῖσμα. διατοι τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς δὲ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν. Homines suæ classis (Novatus) non solùm Novatianos, sed etiam puros appellavit: Iisque qui ab ipsis baptizantur, sacratissimum Chrisma non præbent. Quocirca eos etiam, qui ex hac hæresi cum corpore Ecclesiæ se conjungunt, ungendos esse laudatissimi Patres mandarunt. Sic Theodoretus, per laudatissimos Patres commemorati Concilij Patres intelligens.

Quod idem refert de Novato ante Theodoretum S. Cornelius Papa & Martyr in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 6. Historiæ Eccles. cap. 43. juxta divionem Græcorum, cùm sic scribit: νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν. εἴγε χρὴ λέ-

γειν τὸ τοιοῦτον εἰληφέναι. οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν, κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχεν. Cùm in gravem morbum, ut jam ferme mori putaretur, incidisset, in lecto, in quo decumbebat, aquâ circumfusus accepit. Si modo talis homo accepisse dicendus est. Neque tamen morbo elapsus cætera, quibus post Baptismum secundùm Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat, acquisivit, scilicet ut ab Episcopo obsignaretur. Quo quidem neutiquam potitus, quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus est? Sic ille Pontifex. Novatus enim, quòd accepisset Baptismum in ægritudine, & non esset postea confirmatus, ob idque malè audiret, ausus est rejicere hoc Sacramentum, tanquam non à Christo Domino institutum.

Deinde probatur auctoritate. Nam quotquot Græcorum S. Patres de hoc Sacramento verba fecerunt, ad hanc verborum formam respexerunt, & se retulerunt. Ac omissis cæteris, qui certè pauci non sunt, duorum vel trium fide dignissimorum testimonia in medium proferam. Beatus Asterius Episcopus Amasiæ, cujus auctoritatem 7. Synodus Generalis Act 4. & Act. 8. magnifacit ad confirmandum cultum imaginum, sermone in parabolam de prodigo, quem in sacra Bibliotheca inserit Photius, inter alia hæc habet: δίδοται δὲ τῷ ἀσώτῳ μετὰ τὴν στολὴν καὶ δακτύλιος, σύμβολον τῆς νοητῆς σφραγῖδος τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὡς γὰρ ἐν τῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ καὶ στολὴ, καὶ σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. οὕτω καὶ ἐν τῇ διὰ τῆς μετανοίας ἀναγεννήσει. Datur verò prodigo post stolam, & annulus, nempe symbolum intelligibilis signaculi Spiritus. Ut enim in regeneratione per Baptismum & stola, & signaculum doni Spiritus sancti; ita etiam in regeneratione per pœnitentiam. En forma Confirmationis, quam propterea dicit B. Asterius dari in regeneratione, quod hæc Sacramenta multoties simul fidelibus traderentur. Ubi etiam illud observatione dignum est, quod B. Asterius stolam applicat ad Baptismum, quia nimirum per peccatum originale nudi effecti, per Baptismum gratiæ indumentum acquirimus. Annulum verò ad Confirmationem, quæ per excellentiam signaculum appellatur, quòd annulo Principes in quo habent impressa, seu sculpta propria insignia, soleant res obsignare. Unde apud Danielem cap. 6. lapidem, qui positus erat super os laci leonum, in quem demiserant Danielem, Rex Darius obsignavit annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.

Et Gregorius Nazianzenus in oratione qua hortatur Catechumenos ad Baptismum, nihil ait differre imaginem Regis expressam sive annulo ferreo, sive annulo aureo: ἔστω χρυσὸς, ἔστω σίδηρος. δακτύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τὴν αὐτὴν ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικὴν, εἶτα κηρὸν ἐκτυπούτωσαν, τί διοίσει ἡ σφραγὶς αὕτη τῆς σφραγῖδος ἐκείνης; οὐδέν.

Præterea illud notandum B. Asterium dicere, hoc signaculum doni Spiritus sancti dari in Baptismo, ubi etiam datur stola, quæ præcedit annulum. Non ergo illa verba reconciliationem quandam significant extra Baptismum, qualem nonnulli somniant.

Cardinalis Bessarion in tractatu de Sacramento Eucharistiæ, ubi probat, quibus verbis Christi corpus conficiatur, ibi laudat Latinorum Presbyteros, quòd optimè norint formas Sacramentorum: Nostri verò inquit, hoc est Græci, ut multa alia, quæ primum apud nostros ortum habuerunt, propter calamitates temporum perdidere, ita etiam horum rituum sunt obliti. Quod manifestum fiet, si quis ad Chrismatis Sacramentum mentem converterit. Etenim secunda Oecumenica Synodus verba, quę sacrum Chrisma perficiunt, tradens in septimo Canone ita inquit: Obsignantes, hoc est sanctissimo Chrismate eos chrismantes, dicimus, signum doni Spiritus sancti. Et hæc verba secundùm eos hoc Chrismatis Sacramentum perficiunt. Hoc idem in cæteris diligens investigator inveniet. Hactenus Bessarion, quo certè quæ fiunt in Ecclesia Orientali circa Sacra-

mentorum administrationem præstantiùs callere poterat nemo.

Stanislaus quoque Socolovius Serenissimi Stephani Poloniæ Regis doctus, & eloquens Theologus, qui censuram Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani è Græco in Latinum vertit, & annotationibus illustravit, explanans caput tertium Censuræ, ubi habetur hæc forma Græcorum, hæc addit: Formam hanc verborum Sacramenti Confirmationis olim fuisse, testatur Canon septimus Concilij primi Constantinopolitani: Signatos, inquit, sive unctos, primùm sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus, signaculum doni Spiritus sancti. Non dissimilis est item ea formula, qua nunc in Ecclesia utimur. Consigno te signo sanctæ Crucis, & chrismo te oleo salutis. Quam item vetustissimam esse, patet ex Divo Ambrosio de iis, qui mysteriis instituuntur cap. 7. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicistis. Sic Socolovius.

Ad hanc formam allusit Dionysius cùm cap. 2. de Eccles. Hierarch. scripsit τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος. Deificante unguento virum obsignans. Et cap. 4. τὴν τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἡ τοῦ ἁγίου μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρίσις. Divini Spiritus adventum unguenti largitur vim perficiendi habens inunctio. His verbis ad omnia ferè verba formæ pulcrè respexit Dionysius. In forma habetur σφραγὶς, signaculum; Dionysius ait σφραγισάμενος, obsignans. In forma habetur δωρεᾶς, doni, Dionysius ait δωρεῖται, largitur. In forma habetur πνεύματος ἁγίου, Spiritus sancti. Dionysius ait, τὴν τοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν, adventum Spiritus. Et certè credendum est vetustissimam esse hanc formam apud Græcos. Quippe tempore Dionysij, qui floruit tempore Apostolorum, Græci certis quibusdam, atque conceptis verbis Sacramentum Confirmationis administrabant. Neque est verisimile eam formam verborum ex malitia à quoquam immutatam fuisse, cùm nulla unquam ea de re Græcos inter, & Latinos controversia extiterit. Id quod etiam arguit veneranda librorum antiquitas. Extant Euchologia vetustissima, quantum licet ex charactere conjicere ante multos annos conscripta.

Ad eandem formam respexit Cyrillus Hierosolymitanus circa finem Catecheseos 18. ibi enim pollicetur se explicaturum causas Sacramentorum à Neophitis perceptorum, & postquam recensuit de Baptismo, infert de Confirmatione: καὶ ὅπως ἱερατικῶς τῆς Χριστοῦ προσηγορίας γεγόνατε, καὶ ὅπως ἡ σφραγὶς ὑμῖν ἐδόθη ἐν τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου πνεύματος. Et quomodo instar Sacerdotum appellationis Christi participes facti estis, & quomodo signaculum vobis datum est per communicationem Spiritus sancti.

Adhæc probatur ex modo ungendi, & subjecta materia, quam inungunt. Quippe Concilium recenset has partes corporis esse ungendas, nimirum frontem, oculos, nares, os, aures. Et easdem prorsus recenset antiquissimum Euchologium Patriarchale, quod asservatur in Monasterio Cryptæ Ferratæ. Sed Cyrillus Hierosolymitanus, qui unus fuit ex Patribus Concilij, & se subscripsit, agens de Sacramento Chrismatis in tertia Catechesi mystagogica primùm ait, hoc unguento symbolicè inungi frontem, & alios sensus corporis. Deinde multas partes ungendas enumerat. Sic omnia inter se cohærent; ut argumentum clarissimum sit, idem esse Sacramentum. Sic igitur B. Cyrillus alloquitur recenter illuminatos: καὶ πρῶτον ἐχρίεσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον, ἵνα ἀπαλλαγῆτε τῆς αἰσχύνης, ἣν ὁ πρῶτος παραβάτης ἄνθρωπος πανταχοῦ περιέφερε. καὶ ἵνα ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν κατοπτρίζησθε. εἶτα ἐπὶ τὰ ὦτα, ἵνα προσλάβησθε τὰ ἀκουστικὰ τῶν θείων μυστηρίων ὦτα, περὶ ὧν Ἡσαΐας ἔλεγε, καὶ προσέθηκέ μοι κύριος ὠτίον τοῦ ἀκούειν. καὶ Ἰησοῦς ἐν εὐαγγελίοις, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. εἶτα ἐπὶ τὴν ὄσφρησιν, ὅπως τοῦ θείου ἀντιλαμβανόμενοι μύρου, λέγητε, Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις. μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὰ στήθη, ἵνα ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, στῆτε πρὸς μεθοδίας τοῦ διαβόλου, ὥσπερ ὁ Χριστὸς μετὰ τὸ βάπτισμα, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἐξελθὼν κατηγωνί-

σατο τὸν ἀντικείμενον. οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα, καὶ τὸ μυστικὸν χρῖσμα, ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἵστασθε πρὸς τὴν ἀντικειμένην δύναμιν, καὶ ταύτην καταγωνίζεσθε λέγοντες, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ. Ac primùm quidem frons illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat; simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde verò aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis, de quibus dicebat Esaias: Et addidit mihi Dominus aures ad audiendum. Et Dominus in Evangelio; Qui habet aures ad audiendum, audiat. Postea nares, ut divinum recipientes unguentum, dicatis: Christi gratus odor sumus Deo in his qui saluantur. Tum verò & pectus inungitur, ut induti thoracem iustitiæ fortiter adversus insultus diaboli consistatis. Ut enim saluator post Baptismum, & Spiritus sancti adventum egressus in prælium devicit adversarium, sic & vos post sacrum Baptisma, & Chrisma mysticum, induti armis sancti Spiritus adversus oppositam potestatem consistitis, & præliamini dicentes: Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Hactenus Cyrillus.

Ex his duo constant, alterum unctionem hanc esse Sacramentum, quandoquidem divinum unguentum adhibetur, non simplex oleum, & ad reportandam ab humani generis hoste victoriam adhibetur, & frons perungitur; neque enim frontem Latini Presbyteri Chrismate obsignant. Alterum, peculiarem consuetudinem hanc fuisse, & esse Orientalis Ecclesiæ ungendi tot corporis partes. Quamquam principem partem solam frontem, locum videlicet pudoris, ut non erubescamus Christum confiteri etiam coram persecutoribus, ut egregiè interpretatur S. Augustinus Psal. 141. ungere satis est.

Unde & Græci variant. Nam Concilium Constantinopolitanum, & vetustissimum Euchologium manuscriptum, recensent frontem, oculos, nares, os, aures; Cyrillus frontem, aures, nares, pectus; Euchologia typis excussa (quibus modo passim utuntur Græci) frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes. Ut argumentum sit, reliquas partes corporis præter frontem ungere non esse de necessitate Sacramenti.

Uerùm Græci quemadmodum in sacro fonte baptizandos in aquam totos immergunt, ita in Confirmatione toties repetita forma, totos fermè inungunt. Qui tamen actus ex multis particularibus collectus moraliter loquendo unus censendus est.

Præterea citata verba Concilij, nempe signaculum doni Spiritus sancti, aliquem profectò sensum habere debent, quamvis verbo careant; quod propter illos dico, qui aliquod verbum, & clariorem sensum hîc desiderant, sed immeritò. Nam Patres Concilij, & sine verbo certè perfectam sententiam illa oratiuncula unà cum opere, quod faciebant, exprimere voluerunt, estque non secus, ac si aliquis nummum aureum porrigens pauperi nil aliud dicat, quàm en nummum aureum. Intelligitur enim dare inopi nummum aureum.

Similis modus loquendi sine verbo reperitur (quod est maximè notandum) apud Lucam Evangelistam, dum loquitur de consecratione Calicis, τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυνόμενον. *Hic calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Sic habent omnia Græca exemplaria tam manuscripta, quàm typis excussa. Ubi Latinus interpres addidit verbum (est) quod necessariò subintelligatur, *Hic est calix, novum testamentum.* Et notandum quòd ista verba Salvatoris respiciunt verba veteris testamenti Exodi 24. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Quæ verba citat ac refert Paulus ad Hebræos cap. 9. neglecto verbo substantivo, *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Si ergo Lucas formam consecrandi Calicem sine verbo protulit, & Paulus eadem verba recensuit omisso verbo; Cur, quæso, forma Confirmationis sine verbo, quod necessariò intelligitur, non valeat? Quandoquidem lingua Græca passim hoc non solùm ad-

mittit, sed etiam exigit. Fuit autem Lucas (verba Hieronymi refero) medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, Græci sermonis non ignarus. Immo (addo ego) peritissimus. Ideo enim Hieronymus dicit, Lucam non fuisse ignarum, ut eum à cæteris Evangelistis distinguat. Qui cùm non callerent linguam Græcam, divino beneficio Spiritus-sancti, donum idiomatis Græci sunt consequuti. Legatur caput 9. citatum Epistolæ ad Hebræos, quod in textu Græco est plenum harum loquutionum, alicubi & in Latino, quæ quia multæ sunt, hîc eas transcribere non est opus.

Immo tales sunt locutiones nonnullæ apud Latinos etiam Ecclesiasticæ, & divinæ Scripturæ familiares, ut illa, lumen Christi, Græcè clarius, φῶς Χριστοῦ φαίνει πᾶσι, lumen Christi lucet omnibus: & illa, Gloria in excelsis Deo: Et Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et Benedictio, & claritas, & sapientia, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Et illud, Angelus Archangelus Michaël, Dei nuncius pro animabus justis. Et illud: Nativitas gloriosæ Virginis Mariæ.

Adde quòd forma, quam Concilium generale recenset, & qua semper usi sunt, & modò utuntur Græci, ex vi & proprietate verborum nulli alteri, præterquam Sacramento Confirmationis, potest accommodari: qui autem eam negant esse veram formam, quæso periculum faciant, Utrum valeant ad aliquod Sacramentale, ac non potius ad verum mysterium Confirmationis applicare. Hinc enim palam fiet, an ea sit vera, & germana forma; & Concilium dignentur exponere. Quod si tentare voluerint, profectò existimo eos, (nisi me mea fallit opinio) ad ejusmodi absurda prolapsuros, quæ cuilibet vel indocto confutare haud erit difficile.

Unde fit argumentum pro forma Græcorum in doctrina sancti Thomæ necessariò verum demonstrans. Nam B. Thomas 3. p. q. 72. a. 4. ut sit vera forma Confirmationis tria necessariò requirit: primum causam conferentem plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sanctissima Trinitas, & exprimitur, cùm dicitur, in nomine Patris, &c. Secundum ipsum robur spirituale, quod homini confertur per Sacramentum, quod quidem tangitur, cùm dicitur, Confirmo te Chrismate salutis. Tertium est signum quod pugnatori datur, sicut & in pugna corporali milites insigniis Ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur, Consigno te signo crucis.

Sed hæ conditiones ad unguem reperiuntur, & ad vivum exprimuntur in forma Græcorum, ergo nihil deest formæ Sacramēti. Significatur & exprimitur character, cùm dicitur σφραγὶς, signaculum. Nec siletur gratia, quæ confertur in illo verbo δωρεᾶς, doni. Nec desideratur in ea forma primarius auctor, cùm additur πνεύματος ἁγίου, Spiritus sancti, cui singulariter attribuitur hæc sanctificatio, & in quo cæteræ quoque divinæ personæ propter unitatem substantiæ comprehenduntur.

Adde quòd in nulla alia re, quæ non sit Sacramentum, sed sacramentale, reperiet quispiam significari characterem, & gratiam, ut hîc disertissimis verbis exprimitur. Præterquam quòd etiam illud verissimum est, quod viri docti observarunt, Cóncilia generalia nunquam de Sacramentalibus agere, sed de rebus, quæ propriissimè ad essentiam Sacramentorum spectent.

Postremò, si hæc minus vera forma fuisset, B. Thomas inter errores Græcorum hunc etiam annumerasset: Item summi Pontifices, qui res Græcorum tetigerunt, ut Innocentius tertius, Innocentius quartus, Gregorius decimus in Concilio Lugdunensi, & in Florentino Eugenius quartus istud minimè tacuissent. Quod universè de aliis quoque Sacramentis dicendum est, ubi non est facta aliqua impugnatio.

Præsertim cùm alias res longè minoris momenti Græcis objecerint. Et de hoc eodem Sacramento à Græcis quæsierint, cur eorum Presbyteri passim illud conferant, non autem cur sub tali forma verborum illud administrent.

Hinc est quod etiam in instructione Clementis VIII. ubi de hoc Sacramento agi-

tur, habetur, dandum esse sub conditione, præsertim quando probabiliter dubitari potest, an Episcopus Græcus illud contulerit. Quibus verbis significatur illa instructione, si certò constaret Episcopum Græcum administrasse Confirmationem, tunc nullo modo esse iterandam, ergo valida censebatur; sed Episcopi Græcorum nulla alia, nisi prædicta forma utuntur, validam ergo esse hujusmodi formam existimare necesse est.

Et confirmatur. Nam qui eam instructionem composuerunt (quam tamen confirmavit Clemens) cùm vellent in quibusdam partibus Italiæ, ubi Episcopi Catholici Latini resident, prohibere Presbyteros Græcorum, ne ampliùs Sacramentum Confirmationis administrent, prohibuerunt etiam, ne ista verba formæ Confirmationis proferant, sed ante illa finiant Baptismum. At si illa verba non essent vera forma Confirmationis, sed quandam aliam cerimoniam indicarent, eam certè prohibere non eis curæ fuisset. Nam Baptismum habere varias cerimonias in Ecclesia Latina, & Græca, omnibus profectò constat. Quæ cerimoniæ nulla ratione negligi debent.

Modò redeo ad Canonem citatum Concilij, qui sic habet: τοὺς προστιθεμένους τῇ ὀρθοδοξίᾳ καὶ τῇ μερίδι τῶν σωζομένων ἀπὸ αἱρετικῶν δεχόμεθα κατὰ τὴν ὑποτεταγμένην ἀκολουθίαν καὶ συνήθειαν. Ἀρειανοὺς μὲν καὶ Μακεδονιανοὺς, καὶ Σαββατιανοὺς, καὶ Ναυατιανοὺς τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς καθαροὺς καὶ ἀριστεροὺς, καὶ τεσσαρεσκαιδεκατίτας. ἤγουν τετραδίτας, καὶ Ἀπολιναρίστας δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό τε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα, καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Eos, qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis saluantur, recipimus secundùm subjectum hîc tenorem, & consuetudinem. Arianos videlicet, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui se puros, & sinistros vocant, & quartadecimanos, scilicet tetraditas, & Apolinaristas, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, recipimus obsignandos, sive ungendos primùm sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus, signaculum donationis Spiritus sancti.

Quod idem sanxit antea Concilium Laodicenum cap. 7. περὶ τοῦ τοὺς ἐκ τῶν αἱρέσεων, τουτέστι Ναυατιανῶν, ἤτοι Φωτεινιανῶν, ἢ τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν ἐπιστρεφομένους, εἴτε πιστοὺς τοὺς παρ' ἐκείνοις, μὴ προσδέχεσθαι πρὶν ἀναθεματίσωσι πᾶσαν αἵρεσιν, ἐξαιρέτως δὲ ἐν ᾗ κατείχοντο, καὶ τότε λοιπὸν τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς πιστοὺς, ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα χρισθέντας τε τῷ ἁγίῳ χρίσματι, οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ. Hæreticos Novatianos, Photinianos, quartadecimanos, seu quos ipsi vocant fideles, conversos, non priùs esse recipiendos decernimus, quàm omnem hæresim, potissimùm eam, qua erant infecti, anathematizaverint, tum demum ab ipsis dictos fideles mysteria fidei edoctos, sanctoque Chrismate inunctos ad sacratissimæ Communionis mysterium participandum admittendos.

Ubi similiter notandum, Concilium reconciliare illos hæreticos per ea Sacramenta, quæ ab ipsis fuerant omissa, scilicet per Confirmationem & Eucharistiam. Cùm juxta consuetudinem illorum temporum tria Sacramenta Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, cuilibet Christiano administrarentur. Quod etiam confirmatur auctoritate Basilij Magni in Epistola ad Amphilochium can. 1. ubi de similibus hæreticis ait: παντὶ δὲ λόγῳ τυπωθήτω τοὺς ἐπὶ τῷ βαπτισμῷ ἐκείνων προσερχομένους χρίεσθαι ἐπὶ τῶν πιστῶν δηλονότι, καὶ οὕτω προσιέναι τοῖς μυστηρίοις. Omni autem ratione statuatur, ut qui cum Baptismate illorum ad Ecclesiam se adjungunt, chrismentur scilicet à fidelibus, & sic ad mysteria Eucharistiæ accedant.

Propterea etiam Euchologium Patriarchale manu scriptum recensens Canonem 7. Concilij 2. citatum, modum tradit Sacerdoti, quo debeat recipere unum aliquem ex illis hæreticis, quos Canon com-

plectitur, iam conversum. Inter alia verò introducit Sacerdotem sic tandem in oratione pro illo converso rogantem: καὶ καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ θείου μύρου, καὶ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σου σώματος, καὶ αἵματος. Et dignum fac eum, qui recipiat signaculum divini unguenti, & pretiosi corporis, & sanguinis tui particeps fiat. Id quod etiam statuit, quod spectat ad Confirmationem, Concilium Arelatense primum tempore sancti Sylvestri celebratum can. 8. manus ejus tantum imponatur (hæreticis) ut accipiant Spiritum sanctum, & Arel. 2. c. 17. cum Chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.

Leo Pontifex Epist. 35. baptizatum ab hæreticis dicit non esse rebaptizandum, sed ei hoc esse conferendum, quod ibi defuit, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur.

Hujus verò consuetudinis meminit etiam Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 61. Arianos, inquit, per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Oriens reformat.

Cæterùm advertendum est, S. Gregorium per manus impositionem hoc loco non intelligere confirmatoriam, sed reconciliatricem. Quippe distinguit varium modum recipiendi hæreticos, ita etiam interpretatur Glossa Gregorium de Consecratione dist. 4. cap. 44. Arianos, inquit, Occidentalis Ecclesia reconciliat, Orientalis chrismat. Siquidem multiplex est manus impositio. Argumento est, quòd hujusmodi manus impositio in Ecclesia Occidentali iteraretur, ut constat ex D. Augustino lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. Quid aliud, inquit, est manus impositio, quàm oratio super hominem, quæ repeti potest? Cùm tamen idem Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. doceat, Sacramentum Confirmationis, sicut & Baptismi in pessimis hominibus esse, & manere licet ad judicium. Quòd si manet, nulla ratione repetere possunt, cùm reconciliantur, quia jam habent, nec amiserunt.

Sic Eusebius Pontifex Epist. 3. circa finem: Hæreticos, inquit, omnes quicumque Dei gratia convertuntur, & in sanctæ Trinitatis nomine credētes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes per manus impositionem reconciliari præcipimus. Nec refert quòd statim subdat: manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est. Quippe hoc refert in alio capite, ubi de Sacramento Confirmationis agit.

At rogabis, cur Ecclesia Occidentis non eodem modo se gereret circa hæreticos pœnitentes, & conversos, ut & Orientis?

Respondeo, simili modo Ecclesiam Occidentis recepisse alios hæreticos, ut etiam Græcorum Ecclesia solita erat eos recipere: quod patet ex Concilio Arelatense citato, & Cornelio Papa, qui Novatum, si ad sanam mentem rediisset, sine dubio confirmasset. Arianos duntaxat non confirmabat, fortè quia Occidentales Ariani Confirmationis Sacramentum in Baptismate administrabant, nec erat opus ampliùs iterare, cùm non errarent in hoc Sacramento. Vel Ecclesia Occidentis, certum tempus habebat conferendi hoc Sacramentum. Vel in aliud tempus differebat hoc Sacramentum, ut interim eos, potissimum, inquam, Arianos commodiùs, ac uberiùs sacrorum mysteriorum Catholicæque fidei arcana doceret. Alios verò hæreticos & reconciliabat per impositionem manuum, ut testantur Eusebius Pontifex, & S. Augustinus, immo & Gregorius de Arianis, & confirmabat per manus impositionem, si antea non fuissent confirmati, ut tradunt alij Pontifices. Vel dicendum, fuisse in Ecclesia Romana varias consuetudines pro varietate temporum.

Cur forma hujus Sacramenti vocetur σφραγίς.

CAPUT VIII.

SEd ut ad formam redeam, dicitur Confirmatio σφραγὶς, non quòd obsignet pro-

promissionem gratiæ, seu verbum Dei, ut more suo nugantur hæretici, qui alioquin Confirmationem è numero Sacramentorum, sicut & cætera impiè rejiciunt. Nam promissio gratiæ, & verbum Dei potius confirmant Sacramenta, & instar sigilli obsignant, quàm è contra: cùm tota vis Sacramentorum ex institutione divina pendeat, quam divina eloquia patefaciunt. Sed sortitur hoc nomen Confirmatio multis de causis. Primùm ac potissimùm, quia fidelis per symbolum externum, & in fronte signaculum interiori gratia, charactereque in anima insignitur, & decoratur, & per consequens etiam conservatur: Fitque allusio meâ quidem sententiâ ad diplomata, cæterasque res, quas principes obsignare solent, ut suas esse, sub eorumque tutela noscantur, & eâ notâ ab aliis internoscantur; quò fit ut nemo eas contingere audeat: ita baptismate illustrati differunt ab infidelibus non illuminatis, & Chrismate inuncti, à non confirmatis, & sacris initiati, à non consecratis. Unde Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum lavacrum, καλοῦμεν σφραγῖδα, ὡς συντήρησιν, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσιν. Baptismum, inquit, vocamus sigillum, quia conservatio est, ac dominationis signum & nota. Et infra dum de eodem Baptismo, & Confirmatione verba facit, πρόβατον ἐσφραγισμένον, οὐ ῥαδίως ἐπιβουλεύεται. τὸ δὲ ἀσήμαντον κλέπταις εὐάλωτον. Pecus, inquit, signata non facilè insidiis appetitur, quæ autem minimè signata est, à furibus facilè capi potest. Eadem ferè sunt verba Magni Basilij de eodem argumento disserentis in adhortatione ad Baptismum: ἀσφράγιστος θησαυρὸς, εὐεπιχείρητος κλέπταις, πρόβατον ἀσημείωτον, ἀκινδύνως ἐπιβουλεύεται. Thesaurus non obsignatus facilè diripitur à furibus, ovi non signatæ nullo periculo insidiæ parantur. Nec ob aliam causam Theodoretus in cap. 1. Canticorum vocat Chrisma signum, & notam regiam: οἱ τελούμενοι μετὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ τυράννου, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ὁμολογίαν, οἱονεὶ σφραγῖδά τινα βασιλικὴν δέχονται τοῦ πνευματικοῦ μύρου τὸ χρῖσμα. Qui initiantur Baptismo post tyranni abnegationem, & cœlestis Regis confessionem, veluti signaculum quoddam regium spiritualis unguenti Chrisma percipiunt. Et Oecumenius explanans verba illa prioris ad Ephes. c. 1. *Signati estis spiritu promissionis.* ἢ τῷ ἐπαγγειλαμένῳ τὰ μυρία ἀγαθά, ἢ ἵνα διὰ τῆς σφραγῖδος τύχητε τῶν ἐπαγγελιῶν. ὥσπερ γὰρ δήλοις (alij legunt δούλοις) ποιῶν τοὺς αὐτοὺς ὁ Θεὸς, σφραγίζει αὐτοὺς τῷ ἁγίῳ πνεύματι. Aut, inquit, qui promittit innumera bona, aut ut per sigillum assequamini promissiones, siquidem tanquam servos, (vel manifestos) suos faciens Deus, signat eos Spiritu sancto. Theodoretus, per sanctissimum, inquit, divinum Spiritum Domini grex effecti sumus. Theophylactus, τοῦτο γὰρ ἐσφράγισεν ἡμᾶς καὶ τῆς βασιλικῆς ἀγέλης ἔδειξεν ὄντας. Is enim (Spiritus) signavit nos, atque imperatorij gregis ostendit esse. Quemadmodum autem diplomata, cæteraque hujusmodi sine sigillis nullam vim habent, ita etiam homo sine charactere, quem comitatur divina gratia, nisi aliud obstet, vacuus est: & per Confirmationem Apostoli, seu potius per æquivalens repleti fuerunt Spiritu sancto. Quamvis autem præter Confirmationem Baptismus etiam ob eandem causam eodem nomine vocetur, ac sacer ordo signaculum meritò appellari possit, quòd characterem incorruptum imprimat; tamen Confirmatio καθ' ἐξοχὴν, à patribus nomen sigilli obtinuit, tum quod à Chrismate Christiani nominemur, sitque necessaria talis obsignatio ad hanc nomenclationem, tum etiam quod die illo celeberrimo Pentecostes Apostoli, cæterique fideles in primordiis Ecclesiæ Spiritu sancto, ejusque cœlestibus donis locupletissimè ditati, & modo aspectabili obsignati fuerint. Hæc igitur prima est ratio cur appelletur σφραγίς.

Deinde Confirmatio vocatur σφραγὶς, propterea quod obsignet quæ spondemus in Baptismate. Ut enim Baptismus secundùm sententiam Basilij libro 3. contra Eunomium, & libro de Spiritu sancto cap. 12. est sigillum fidei (hoc est, qui baptizatur profitetur se credere) fides verò Deitatis confessio; ita etiam Confirmatio commodè potest dici sigillum fidei, quia is qui confirmatur non solùm testificatur se cre-

dere, sed etiam eandem fidem coram aliis sine rubore velle se profiteri. Hacque ratione idem bis ratum, atque firmum habemus. Præterea dicitur Confirmatio σφραγὶς, eò quòd perficiat baptizatum. Quando enim facinore aliquo præclarissimo finem vitæ decoramus, eo veluti sigillo quodam præteritas honestas actiones consignasse, hoc est, perfectè absoluisse dicimur. Cùm igitur Confirmatio perfectionem addat baptizato, eum consignare dicitur. Quocirca τελετιὼ μύρου, à τελέω, quod est perficio, sacrorum Antistites, inquit Dionysius, ab effectu rei hoc mysterium rectè appellarunt.

Ad hæc vocari potest σφραγὶς, ratione ipsiusmet gratiæ, quam obsignat quodammodo, & in se continet Sacramentum: id quod non obscurè innuere videntur verba, quæ ponuntur in forma Græca, hujus Sacramenti σφραγὶς δωρεᾶς. Nam & sigillum per se sumptum auctoritatem, eamque summam Principis complectitur, quæ nimirum, deinde per sigillum subjectæ materiæ, & diplomati sit applicanda.

Postremò nominari potest σφραγὶς, eò quòd obsignet arcana multa, quæ infidelibus minimè sunt detegenda. Sic Nazianzenus in oratione de Baptismate prope finem, baptismum vocat sigillum: ἔχεις τῶ μυστηρίου τὰ ἔκφορα, καὶ ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς οὐκ ἀπόῤῥητα. τὰ δ' ἄλλα εἴσω μαθήσῃ, τῆς τριάδος χαριζομένης, ἃ καὶ κρύψεις παρὰ σεαυτῷ σφραγῖδι κρατούμενα. Habes mysterij pervulgata, quibus vulgi aures patent, cætera intus addisces, Trinitate id largiente, quæ etiam apud teipsum occulta habebis signaculo retenta. Quæ verba Nazianzeni æque bene Confirmationi accommodari possunt, quandoquidem veteres hæc duo, immò tria Sacramenta interdum in administratione conjungebant.

Cæterùm hæ duæ postremæ notiones communes sunt reliquis omnibus mysteriis. Et veteres Patres, præsertim Græcos Baptismum, & Confirmationem, & sacrum Ordinem vocasse σφραγῖδας, non ob has duas ultimas reor causas, sed ob priores recensitas; potissimùm verò propter inviolatum characterem, quem imprimunt, atque signant in animo. Alioquin cæteris quoque mysteriis istud nominis σφραγῖδος accommodassent, id quod in scriptis eorum reperire minimè potui. Illis porro verbis σφραγὶς δωρεᾶς nihil aliud significare voluerunt, quàm cœlestem gratiam comitem esse characteris, signaculique sociam, si omnia removentur, quæ obstant & impediunt. Quod quamvis etiam quadret in Baptismum, multò magis tamen in Confirmationem ob majorem quandam ubertatem, & abundantiam gratiæ. Atque hæc quidem de nomine, materia, & forma hujus Sacramenti breviter sufficiant.

Rutheni hactenus caruerunt Sacramento Confirmationis.

Caput IX.

Quæ cùm ita sint, miniméque Græci in his errent, non potui prima fronte non vehementer mirari, quid causæ fuerit, quare Rutheni hactenus Sacramento Confirmationis caruerint; (modò caruerint) defectu videlicet materiæ, & consecrationis materiæ; materiæ inquam, quia non adhibebant balsamum, fortè propter penuriam; consecrationis, quia non orationes, quas vel ipsi Græci in eo conficiendo, vel Latini proferunt, recitare solebant; sed feriâ quintâ sanctioris hebdomadis oleum infirmorum iisdem prorsus orationibus, tantùm non lingua Græcorum, conficiebant. Quo ungebant, & nunc etiam ungunt in fronte, cùm omnes adstantes in Ecclesia, quamvis benevalentes, tum etiam infantes in sacro fonte baptismatis. Quod idem oleum iisdem fermè ceremoniis in absentia Episcoporum conficiunt Sacerdotes. Unde apparet non esse Chrisma, siquidem ex sententia veterum Patrum, & sacrorum Conciliorum Chrisma conficere, vetantur Presbyteri: quod Rutheni non negant, immò auctoritate sui Nomocanonis probant. Ungunt porrò populum, atque per id temporis infirmos, non tamen infantes in baptismate, nisi ex eo, quod be-

nedixerit Episcopus, licet re ipsa idem prorsus existat, cùm eodem modo fiat. Cæterùm hæc ex rituali Græco post concordiam Russorum factam, atque transactam cum Romana Ecclesia, in meliorem formam redegimus. Quippe Hypatius Pocieij Episcopus Vvladimirisiensis, & Brestensis nuper Archiepiscopus, & Metropolita Chioviensis, Aliciensis, ac totius Russiæ à sede Apostolica creatus, vir singulari prudentia, pietatéque præditus, cujus opera, & consilio magna ex parte Rutheni ad Romanam Ecclesiam, & ad cœtum filiorum Dei hac nostra ætate se adjunxerunt, quique nobilissima illa, & sacrosancta legatione proprio, suorumque nomine ad Romanum Pontificem Clementem octavum perfunctus est, is, inquam, in Slavorum sermonem orationes Græcorum, me interprete convertit, adhibito nimirum, & balsamo.

Quamvis non desint, qui existiment, verum illud fuisse Chrisma, eo tantùm nomine, quòd ab Episcopo consecraretur, licet Pontifex non debito modo consecrans peccaverit. Neque balsamum requiri de essentia Sacramenti, sunt inter Theologos, qui opinentur.

Sed utcunque sit de Sacramento & Chrismate, hoc certum est, Ruthenos hac in re non fuisse imitatores Græcorum. Græci verò qui Russorum gentem fidem Christi docuerunt, & eos sacris ritibus religionis Christianæ, ac cæremoniis imbuerunt, modum conficiendi sacrum unguentum ipsis non tradiderunt. Quia usu quodam Ecclesiastico neque cæteri Græcorum Pontifices Chrisma conficiunt, sed duntaxat Patriarcha Constantinopolitanus, à quo reliqui accipiunt, & suis Presbyteris distribuunt. Hoc autem indicat, cum à quo Chrisma cæteri accipiunt, superiorem iis esse. Quamobrem Romana etiam Ecclesia antequam ab ea deficeret Oriens, annuatim Chrisma mittere solita erat Constantinopolitanis. Qua ejus deferendi occasione abusi nonnulli ad compendium suum, ansam calumniatoribus Latinorum apud Græcos præbuerunt. Id quod in tractatu adversus Græcos auctor quidam ἀνώνυμος ex Dominicana familia (cujus liber manuscriptus extat in Bibliotheca Vaticana numero 4066. pag. 31.) testatur accepisse se, cùm de dissidij causis familiariter cum iis ageret. Tertia occasio fuit, inquit, illa quam ipsi aliquando in familiari colloquio nobis assignaverunt, videlicet superba nimis exactio legatorum Papæ. Dicebant namque referentes, quod quando Capellani summi Pontificis ab ipsa sede Apostolica annuatim Constantinopolim Chrisma deferebant, nisi octuaginta libræ auri à clero & populo Urbis præter alia dona & munuscula eisdem impenderentur, non recedebant.

Igitur Græci propterea Ruthenis τὴν ἀκολουθίαν τοῦ μύρου non præscripserunt, quòd eos sibi omnino addictos & subjectos vellent, dum singulis annis à Patriarcha Constantinopolitano illud impetrare, & accipere tenerentur. Non enim dixerim eos propter avaritiam, præsertim illo tempore hoc fecisse. Quamvis postea nonnulli Græcorum in Russia paruam ampullam Chrismatis ducentis aureis Ungaricis vendiderint. Qui tamen Rutheni cùm propter difficultatem distantiæ locorum, non semper mitterent, factum est, ut & Chrisma diù asseruarent, & in hoc absurdum devenerint, ut alio modo, qui infirmis convenit, consecrarent. Formam tamen Sacramenti eandem planè, quam & Græci adhibent. Quapropter Rutheni non negant, neque contemnunt hoc Sacramentum, & immeritò inter hæreticos, qui hunc errorem sequuntur, à doctissimo Suarezio enumerantur, fortè ex relatione aliorum: si quis enim error, qui fortè nullus est, ille potiùs fuit ex defectu materiæ quàm aliundè.

Armenopulus in sua Epitome Canonum explanans 6. Canonem Concilij Carthaginensis, qui agit de Chrismate, ne videlicet à Presbytero consecretur, ad illa verba, χρίσματος ποίησις, hujusmodi σχόλιον addit, ἡ ἐπὶ τῷ ἀεννάῳ μύρῳ τελετὴ, ritus consecrandi perennis unguenti. Mirabar autem, & ignorabam cur perenne unguentum appellaret. Sed hoc mihi dubium solvit Baronius tomo decimo Annalium.

Quippe fuerunt nonnulli Græci, qui prodigia narrarent, ac dicerent Bulgaris ad fidem Christi recenter conversis, Chrisma in Græcia jugiter manare. De qua re ipsi Bulgari Nicolaum primum Pontificem
» Max. consuluerant, ad quos ipse: Græcos
» dicere perhibetis, quòd in illorum patria
» Chrisma, & oriatur, & ab illis per totum
» mundum tribuatur, & ideò nosse deside
» ratis, si verum sit. Sed jam credimus, quòd
» vestra solertia, quod verum non sit, ani-
» madvertat. Sic Nicolaus Pontifex.

Et profectò Chrisma non nascitur, sed artificio conficitur, cùm ex variis aromatibus constet. Quòd si aliud unguentum in Græcia miraculosum ex corpore alicujus sancti manabat, illud non poterat esse materia hujus Sacramenti. Sed fortè Græci balsamum oriri in imperio, ac ditione Græcorum, indicare voluerunt, quod aliquando verum fuit. Sed tempore Nicolai, & Photij Arabes occupabant Palæstinam, ac totam Ægyptum, ubi balsamum nasci solet. In hoc tamen mentiendo se jactabant Græci, ut magis Bulgaros ad suas cerimonias attraherent, quasi miraculo comprobatas, & sibi addictos haberent. Præsertim cùm animadvertissent Nicolaum Pontificem per suos Episcopos, Bulgaros denuo confirmandos curasse. Fortassis idem factum est cum Ruthenis. Similiter modo gloriantur Græci se lumen sanctum, quo accenduntur reliquæ lampades in sepulcro Domini, dum cerimonias Resurrectionis peragunt pridie Paschatis, miraculosè habere. Quod à clarissimis viris fide dignissimis, qui ea loca religionis ergo lustrarunt, comperi esse falsum.

De Ministro Confirmationis.

Caput X.

De Ministro Confirmationis, quòd in eo aliquod discrimen inter Græcos, & Latinos esse videatur, reliquum est ut agamus. Latinorum quidem Pontifices exemplo Apostolorum Petri, Joannis, & Pauli Act. 8. & 19. passim baptizatos confirmant: eorum Presbyteri, raro admodum idque dispensante sede Apostolica in absentia Episcopi. Contra verò Græcorum præsules Chrismate raro consignant, ut etiam rarò baptizant. Presbyteri vel ipsomet præsente antistite, utrumque munus frequentissimè exequuntur. Porro doctorum sententiæ ea de re variæ sunt. Nonnulli sentiunt adeo singulari munere hanc functionem Chrismatis ad Episcopum spectare, ut eam Presbyteris impartire, atque cum ipsis communicare, ne extraordinariè quidem summus Pontifex possit. Alij contra facultatem hanc non excedere vires Sacerdotij autumant. Quocirca valere Sacramentum à Presbyteris administratum, sed peccare Presbyteros non impetratâ veniâ. Qua interpretatione adhibita, ab errore Vviclephi in Concilio Constantiensi damnato longè abesse videntur, quæ sunt duo extrema opinionum.

Alij denique media, ac regia via incedentes, Episcopum ordinarium Ministrum secundùm Canones Conciliorum statuunt, extraordinarium Presbyterum.

Videndum igitur est, utrum Græcus Presbyter sit ordinarius minister, an delegatus. Et an secundùm hanc postremam sententiam, quæ vera est juxta Concilium Flor. & Trid. Græcorum usum tueri possimus. Porrò autem ordinarium Ministrum cùm dico, hoc intelligo, quòd illi de jure divino primò, & per se conveniat. Nam si de frequenti usu administrationis loquamur, etiam Presbyteri passim concionantur, cùm tamen eos extraordinarios quidem, Episcopos verò ordinarios esse verbi divini præcones, quibus de jure divino primariò incumbat, non sim nescius.

Et sanè quidem si mos iste in Ecclesiam Orientis recens irrepsisset, non dubitarem eum unà cum aliis Græcorum erroribus audacter rejicere, & confutare: nunc verò cùm vetustissimum esse appareat, & non incœperit, cœpto schismate, non improbandum, sed in bonam partem accipiendum puto. Quocirca hunc laborem libenter suscepi. Porro Græci à Latinis interrogati, cur eorum Presbyteri passim confirmarent, varia responderunt. Unde pro

varietate responsionum, vel hæretici in hoc dogmate, vel orthodoxi habiti sunt. Horum quid quisque senserit, scripseritve, paulò pòst breviter referam, ubi priùs quiddam aliud non minùs necessarium retulero.

Illud igitur sciendum est, quód cùm antea Græcorum Presbyteri (cæteroquin cum Romana Ecclesia in unitate fidei consociati) Sacramentum Confirmationis administrarent usque ad tempora Photij, nunquam eos (quod ego sciam) tanquam minùs ritè facientes, Latini insimularunt.

At verò ut hæc quæstio moveretur, & Latini cum Græcis, Græci cum Latinis expostularent, hujusmodi extitit causa. Latini Bulgarorum gentem per Apostolicos viros ad Christi fidem converterant, quod clarissimè constat ex octava Synodo juxta versionem Anastasij Bibliothecarij in præfatione; ad eosdem Græci miserant Presbyteros, qui eos & baptizarent, & confirmarent. Latini rursus à Græcis in ea provincia nullum jus habentibus confirmatos, iterum confirmarunt. Inde orta est inter eos contentio. Sed præstet rem clariùs recensere.

Recensetur, & rejicitur error Photij circa ministrum ordinarium Confirmationis.

Caput XI.

MOs est Constantinopolitanis Patriarchis solemni cerimonia conficere Chrisma, quod deinde ad varias orbis partes Episcopis, & Presbyteris mittunt, ut eo baptizatos consignent. Photius itaque Constantinopolitanus Pseudopatriarcha, Coryphæus schismatis, à Pontificibus Romanis duodecim, hoc est, Nicolao primo Pontifice usque ad Joannem nonum inclusivè, & à Concilio octavo Oecumenico sub Adriano secundo Constantinopoli à Basilio Macedone Imperatore, & legatis Pontificis, & aliorum Patriarcharum celebrato damnatus, is, inquam, ad Bulgarorum gentem recenter ad Christi fidem conversam, unguentum à se consecratum miserat: Illud legati Pontificis Nicolai primi cùm in Bulgariam venissent, tum quod à Photio consecratum, tum quod à Presbyteris, & à Photianis Presbyteris administratum fuisset, præsertim in Diœcesi à se conquisita, meritò reprobarunt, & omnes iterum sacro unguento unxerunt. Quod cùm didicisset Photius insaniens, ac furens Concilium universale à se confictum ad damnandum Nicolaum Pontificem incredibili audacia composuit, quod his verbis refert Metrophanes Metropolitanus Smyrnæ in Epistola ad Emmanuelem Patricium Tabellariorum præfectum, & habetur in octava Synodo post Epistolam ejusdem Synodi ad Adrianum Papam: ὡς δὲ Φώτιος καὶ ἔτι ἐπέμενε τῇ οἰκείᾳ κακίᾳ· ἔμαθε δὲ ὅτι καὶ τοποτηρηταὶ τοῦ πάπα Ῥώμης εἰς Βουλγαρίαν ἀφικόμενοι ἀπεδοκίμασαν τοῦ Φωτίου τὸ μύρον, καὶ πάντας ἄρχοντάς τε καὶ ἀρχομένους τῆς τῶν Βουλγάρων χώρας ἐξανεμύρωσαν, οἰστρηλατηθεὶς οἰκουμενικὴν ἀνέπλασε σύνοδον. Cùm verò Photius adhuc in sua pravitate permaneret, ac didicisset, quòd legati Papæ, cum in Bulgariam venissent, sacrum ipsius Photij Chrismatis unguentum reprobarunt, & omnes eos qui præerant, quive subjiciebantur in Bulgarorum regione, iterum sacro unxerunt unguento; furore quodam percitus Oecumenicam Synodum finxit, &c. Encyclicam item Epistolam ad Patriarchales sedes Orientis Photius scripsit, dissimulata interim sua, suorumque Presbyterorum à sacris suspensione. Inter alia verò de hoc unguento in ea Epistola contra Latinos, sic habet: ἀλλά γε δὴ καὶ τοὺς ὑπὸ πρεσβυτέρων μύρῳ χρισθέντας, ἀναμυρίζειν αὐτοὶ οὐ πεφρίκασιν, ἐπισκόπους ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων χρῖσμα, ἄχρηστον εἶναι, καὶ εἰς μάτην ἐπιτελεῖσθαι τερατευόμενοι. Quin etiam illos, qui à Presbyteris Chrismate uncti fuerant; iterum chrismare ipsi non horruerunt, Episcopos seipsos jactitantes, & Presbyterorum Chrisma inutile esse, & frustra ab illis administrari portentosè docentes. Et paulò pòst: καὶ τό γε σοφὸν τῶν ὡς ἀληθῶς ἀμυήτων. οὐ γὰρ ἔξεστι φασὶν, ἱερεῦσι τοὺς τελουμένους μύρῳ ἁγιάζειν· ἀρχιερεῦσι γὰρ μόνοις ἐνομίσθη. πόθεν ὁ νόμος; τίς δ' ὁ νομοθέτης; ποῖος

τῶν ἀποστόλων; τῶν πατέρων δέ; ἀλλὰ τῶν συνόδων; ἢ ποῦ, καὶ πόθεν συστᾶσα; τίνων δὲ κρατήσασα ψήφοις; οὐκ ἔξεστιν ἱερεῖ μύρῳ τοὺς βαπτιζομένους σφραγίζειν. οὐκοῦν οὐδὲ βαπτίζειν ὅλως. οὐδὲ ἱερᾶσθαι ἄρα. ἵνα σοι μηδὲ ἡμίτομος ὁ ἱερεὺς, ἀλλ᾽ ὁλόκληρος ἀνίερον εἴη κλῆρον ἀπεληλαμένος. ἱερουργεῖ τὸ δεσποτικὸν σῶμα, καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοὺς πάλαι μυσταγωγηθέντας δι᾽ αὐτῶν καθαγιάζει. πῶς οὐχ ἁγιάσει μύρῳ χρίων τοὺς νῦν τελουμένους; βαπτίζει ὁ ἱερεὺς τὸν βαπτιζόμενον τελεσιουργῶν. πῶς τῆς τελεσιουργὸς αὐτὸς ὑπάρχει καθάρσεως, ἀφαιρήσεις αὐτοῦ τὴν φυλακὴν καὶ σφραγίδα; ἀλλ᾽ ἀφαιρεῖς τὴν σφραγίδα, μὴ δ᾽ ὑπηρετεῖν ἐπιτρέψῃς τῷ δώρῳ. μηδ᾽ ἐν αὐτῷ τινὰς τελεσιουργεῖν, ἵνα σοι γυμνοῖς ὅσοις ἱερεὺς ἐνδιαπρέπων ὀνόμασι, τῆς αὐτῆς αὐτῷ χορστασίας κορυφαῖον δείξῃ καὶ ἐπίσκοπον. Porro ſapiens, & egregium eorum reſponſum, qui re vera ſacrorum ſunt myſteriorum immunes, hoc eſt. Non enim licet Sacerdotibus, aiunt, eos qui ſacro baptiſmate initiantur, unguento ſanctificare. Solis enim Pontificibus hoc datum eſſe. Unde venit hæc lex? & quiſnam hujus legis conditor? Apoſtolorum ne unus aliquis? an verò Patrum? num etiam aliqua ex Synodis? ſed ubi, & quando congregata eſt hujuſmodi Synodus? & quorumnam calculis confirmata? Non licet Sacerdoti eos, qui baptizantur, unguento conſignare. Igitur neque omnino baptizare, neque ſacra facere, ut tibi neque dimidiatus Sacerdos, ſed integer ad profanum ſtatum rejiciatur. Conficit Sacerdos Chriſti Domini corpus, & ſanguinem, & eos qui jam ſunt baptiſmate initiati per ea Sacramenta ſanctificat. Quomodo non etiam ſanctificabit Chriſmate ungens eos, qui baptiſmate initiantur, & perficiuntur? Baptizat Sacerdos baptizatum perficiens, quomodo auferes à Sacerdote cuſtodiam, & ſigillum illius puritatis, cujus ipſe eſt auctor? Verùm quandoquidem ſignaculum aufers, igitur neque permiſeris eum miniſtrum eſſe doni baptiſmatis. Neque in eo aliquos perficere, ut nudis nominibus tuus Sacerdos illuſtratus, & exornatus te ejuſdem qui ipſius eſt, Chori Coryphæum, & Epiſcopum oſtendat. Sic modeſtiſſimus Photius, alienus ſcilicet ab ambitione, qui Patriarchatum Ignatij tyrannicè occuparat. Quibus verbis oſtendit Miniſtrum ordinarium eſſe Sacerdotem. Quocirca & Nicolaus primus in Epiſtola ad Hincmarum, cujus initium, Omnium nos portare onera, & quam integram refert Baronius Annalium tomo decimo, dum recenſet geſta Nicolai (nam quæ extat inter reliquas Nicolai Epiſtolas in Romana editione, dimidiata tantùm habetur edita) ita ſcribit: & inſimulare (Græci) tentant, quoniam eoſdem Presbyteros Chriſmate linire baptizatorum frontes prohibemus. Cùm itaque Græci eo nomine Latinos accuſarent, ipſi in hoc errore perſtare videbantur.

Sed profectò in hoc, ut in pleriſque aliis toto cœlo erravit Photius, & malè tutatus eſt conſuetudinem Græcorum, neque in Concilio Florentino Eugenio Pontifici cæteri Græci ſatisfeciſſent, ſi tale reſponſum dediſſent, cùm alioquin ſatisfecerint. Porro nulla ratione poterat Photius conqueri de Latinis, quòd Bulgaros denuo confirmaſſent. Nam cùm Sacerdotes Photiani eſſent à ſacris ſuſpenſi, ritè illud Sacramentum, idque in aliena Diœceſi adminiſtrare non poterant, & Latini Epiſcopi meritò illud iterarunt: ſic enim ſcribit Adrianus Papa in quadam Epiſtola ad Patriarcham illum ſanctum Ignatium, cujus fragmentum extat in Octava Synodo poſt Epiſtolam Synodi ad Adrianum Papam fol. 416. ἔγραψας, ἵνα τὰ πολλὰ παρεάσωμεν, ὅπως οἱ πρεσβύτεροι ἡμῶν ἐκ τῆς χώρας τῶν Βουλγάρων μετὰ ὀνειδισμοῦ μεγάλης, καὶ ἀτιμίας ἐξωθῶσι, καὶ οἱ ἐπίσκοποι οὐ μετὰ μικρᾶς ἐκεῖθεν ἀτιμίας ἀπελαθῶσι. καὶ ταῦτα μηδέποτε γεγονυίας περὶ τούτου κρίσεως ἐνώπιον ἡμῶν. οὐδὲ γὰρ προσεκλήθημεν ποτε εἰς κριτήριον διὰ τοῦτο. εἰ γοῦν λέγεις προτέρους ἡμᾶς τοῖς πρεσβυτέροις τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν διοικήσεως εἰς τὴν προρρηθεῖσαν χώραν λειτουργεῖν ἀποκωλῦσαι, οὐκ ἀρνούμεθα. ἦσαν τοῦ Φωτίου κοινωνοὶ, καὶ συμμύσται, οἷς οὐ μόνον εἰς τὴν Βουλγάρων χώραν, ἀλλὰ καὶ εἰς πᾶσαν ἐκκλησίαν, ὡς ἱερεῖς ἐνεργεῖν ἐκωλύσαμεν, καὶ κωλύομεν. Scripſiſti ut alia multa mittamus (ſunt verba Ignatij inſerta in Epiſtola Pontificis) ut noſtri Presbyteri (Conſtantinopolitani ſcilicet) è ditione Bulgarorum cum gravi ignominia, & dedecore pellerentur, ipſi-

que illinc Episcopi cum non mediocri contemptu ejicerentur, præsertim nullo tanta de re judicio priùs apud vos facto, neque enim unquam ea de re in jus vocati fuimus. Quòd si dicas (responsio ad ea Pontificis) priùs à nobis Presbyteros Constantinopolitanæ Diœceseos, ab ea regione expulsos, haud inficias imus: erant Photiani, illiusque symmystæ, quibus non solùm in Bulgarorum terris, sed ubique gentium sacris omnibus interdiximus, interdicimusque. Itaque Photius de isto facto Bulgarorum expostulare cum Latinis minimè poterat. Si tamen ipse, suique Presbyteri non pro laïcis habiti fuissent, ac in propria Diœcesi confirmassent, sanè quidem poterat excusare Græcos, ac defendere ministrum Presbyterum, tanquam extraordinarium, qui hoc Sacramentum ritè conferat, quod in hac quæstione probare contendimus. At verò accusare Latinos, quod idem ipsi non faciant, & ejusmodi rationes assignare, quæ Presbyterum ordinarium esse ministrum Confirmationis astruant, is verò non antiquorum Græcorum, sed Photianus est error.

Cæterùm rationes illius perpendamus. Legem quærit Photius. Exigis (inquit sanctus Hieronymus agens de hoc eodem Sacramento Confirmationis adversus Luciferianos) ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Hoc idem responsum audiat à nobis Photius; tametsi enim ea de re nullus extaret Canon Græcorum, tamen facilè ex ipsamet sacra Scriptura, quæ principem certitudinis obtinet locum, id Photius colligere potuisset Act. 8. & 19. Non enim temerè Petrus & Ioannes missi sunt, qui baptizatis à Philippo imponerent manus, ut acciperent Spiritum sanctum. Et cùm alibi Scriptura sacra de ministro baptismatis nullam faciat mentionem, quippe minister quilibet esse possit, Paulum tamen imposuisse manus, ut acciperent baptizati Spiritum sanctum, veluti ministrum proprium, cui ex officio principaliter incumbebat, meritò commemorat.

Unde Chrysostomus Hom. 18. in Acta Apostolorum quærit: διατί οὐκ ἦσαν οὗτοι λαβόντες πνεῦμα ἅγιον βαπτισθέντες; Quare baptizati à Philippo non accepissent Spiritum sanctum? Respondet, ἤτοι τῷ μὴ δοῦναι Φίλιππον, τοῦτο τιμῶντα τάχα τοὺς ἀποστόλους. Vel quia Philippus non dederat, hac re forsan honorans Apostolos. Sed quia hoc responsum dubium non multùm ipsi arridebat, aliud longè verius, immò verissimum dat responsum: ἤτοι τῷ μὴ ἔχειν χάρισμα τοιοῦτον. τῶν ἑπτὰ γὰρ ἦν, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐστὶν εἰπεῖν. ὅθεν μοι δοκεῖ οὗτος ὁ Φίλιππος τῶν ἑπτὰ εἶναι, ὁ Στεφάνου δεύτερος. διὸ καὶ βαπτίζων, πνεῦμα τοῖς βαπτιζομένοις οὐκ ἐδίδου. οὐδὲ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν. τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα ἦν. Vel quia, inquit, hujusmodi donum Philippus non habebat. Erat enim ex septem illis. Id quod magis videtur dicendum. Unde meâ sententiâ hic Philippus unus ex septem erat, secundus à Stephano, ideo & baptizans Spiritum sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat: hoc enim donum (nota σκοπεῖτε φῶτες) solis duodecim Apostolis datum erat. Ibidem δύναμιν ἔλαβον ποιεῖν σημεῖα, οὐχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις. τοῦτο ἦν τῶν ἀποστόλων ἐξαίρετον. ὅθεν καὶ τοὺς κορυφαίους, οὐκ ἄλλους τινὰς ἐστιν ἰδεῖν τοῦτο ποιοῦντας. Virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Hoc erat peculiare Apostolis (intellige ordinariè.) Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere: Et paulò pòst, ὁρᾷς, ὅτι οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ πολλῆς ἔδει δυνάμεως, ὥστε δοῦναι πνεῦμα ἅγιον. οὐ γὰρ ἴσον ἀφέσεως τυχεῖν, καὶ λαβεῖν δύναμιν τοιαύτην. Vides quòd non qualicunque, sed multa opus erat potestate, ut quis dare posset Spiritum sanctum? Non enim idem est assequi remissionem peccatorum, & accipere talem potestatem. Sic aureum illud os, & concinnum Chrysostomus. Clemens quoque Romanus in lib. 3. constit. cap. 16. Postea, inquit, Episcopus baptizatos Chrismate ungat. Et Gregorius Pachymeres Paraphrastes Dionysij in cap. 5. de Eccles. Hierarch. χρεία τοῦ ἀρχιερέως ἔσται εἰς τὸ χρῖσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα. αὕτη γὰρ ἦν ἡ ἀρχαία συνήθεια. Opus erit, inquit, Pontifice, qui baptizatum Chrismate inungat, quippe hic antiquus mos fuit.

Matthæus etiam Blastarius, cæteroquin

Schismaticus, negat Chorepiscopos, quamvis longè majora privilegia Presbyteris consequutos, hanc potestatem habuisse, conferendi Spiritum sanctum. Per consequens hanc eandem facultatem Presbyteris meritò adimit. Sic enim scribit in cap. 31. litteræ ε sui Nomocanonis ubi agit de Chorepiscopis, dum refert 14. Canonem Concilij Neocæsariani. ὁ ιδʹ. τῆς ἐν Νεοκαισαρείᾳ κανὼν, οἱ χωρεπίσκοποι, φησὶ, τύπον τῶν ἑβδομήκοντα φέρουσιν ἀποστόλων, ὥσπερ ἄρα οἱ ἐπίσκοποι τῶν δώδεκα, οἷς ἐμφυσήσας ὁ κύριος ἔφησε, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς, ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται. οἳ δὴ καὶ ἄλλοις διανέμειν τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐποιήσαντο χάριν. ταῦτα δὲ καὶ τοῖς ἑβδομήκοντα οὐκ ἦν δεδομένα. καὶ δῆλον ἐκ τοῦ, τὸν Φίλιππον, τῶν ἑπτὰ τυγχάνοντα διακόνων, εἰς Σαμάρειαν κατελθεῖν, καὶ πολλοὺς τῶν ἐκεῖ βαπτίσαι, πνεύματος δὲ ἁγίου τούτοις μὴ κοινωνῆσαι. ταύτῃ τοι καὶ Πέτρος ἀπεστάλησαν πρὸς τῶν ἀποστόλων καὶ Ἰωάννης. οἳ καὶ τὰς χεῖρας ἐπιθέντες τοῖς βαπτισμένοις, τὸ πνεῦμα ἐχορήγησαν, μήπω αὐτοῖς ἐπιπεπτωκός. τὸν τύπον οὖν οἱ χωρεπίσκοποι πληροῦντες τῶν ἑβδομήκοντα, οὐδὲ πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους ἐχειροτόνουν. οἷα μηδὲ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος παρέχειν δυνάμενοι, &c. εἰ οὖν οἱ χωρεπίσκοποι οὔτε ἁμαρτιῶν ἄφεσιν, οὔτε πνεῦμα ἅγιον ἐδύναντο χορηγεῖν, οἱ πλείω τῶν πρεσβυτέρων τὰ προνόμια κεκτημένοι, πολλῷ γ᾽ ἂν οὗτοι λογισμοὺς δέξασθαι δυνηθεῖεν, καὶ ἁμαρτήματα λύειν τε καὶ δεσμεῖν, ἂν μὴ παρ᾽ ἐπισκόπου τὴν ἐξουσίαν λάβωσι ταύτην. Decimusquartus Canon Concilij Neocæsariani, Chorepiscopi, inquit, figuram gerunt septuaginta discipulorum, quemadmodum Episcopi duodecim Apostolorum, quibus insufflans Dominus dixit, Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Qui sanè aliis quoque donum impertiendi gratiam Spiritus sancti præbuerunt. Id autem septuaginta discipulis non erat concessum. Ut manifestum est ex his, quæ nobis Apostolorum acta prodiderunt. Philippum nimirum, unum è septem Diaconis, in Samariam descendisse, ibique multos baptizasse, participes tamen Spiritus sancti non effecisse. Qua de causa Apostoli miserunt Petrum & Joannem, qui manus imponentes baptizatis, Spiritum sanctum nondum in eos illapsum, elargiebantur. Cùm igitur typum gererent Chorepiscopi septuaginta discipulorum, Presbyteros & Diaconos minimè consecrabant. Quippe qui neque gratiam Spiritus sancti præbere poterant. Si ergo Chorepiscopi neque remissionem peccatorum, neque Spiritum sanctum impertire poterant, quamvis plura privilegia, quam Presbyteri, essent sortiti; multò minus hi à confessionibus esse poterunt, & peccata solvere, ac ligare, nisi hanc potestatem ab Episcopis acceperint. Hactenus Blastarius. Ex cujus doctrina haurimus, Presbyteros non esse ministros ordinarios hujus Sacramenti Confirmationis. Quamvis discrimen sit maximum inter Sacramentum Pœnitentiæ, quod illi exercere non possunt sine licentia Episcopi, & administrationem Chrismatis, & hæc Blastarius distinguere nesciat. Illud enim quandoque, videlicet in necessitate, sine venia Episcopi administrare valent; hoc nisi facultate impetrata ab eo, qui eam concedendi jus habet, nulla ratione obire possunt.

Igitur, inquit Photius, neque baptizare omnino licet Sacerdoti. Igitur, dicamus nos, neque baptizare in necessitate Diacono, seu laïco licet, quia in necessitate confirmare non potest, & tamen licet. Non enim sunt res adeò inter se connexæ, ut reciprocari necessariò debeant. Pergit Photius: Neque sacrum conficere. Quorsum id? quasi verò illud consequens sit, ut qui sacrificat, necessariò etiam confirmet, vel dimidiatus sit Sacerdos, si confirmare non valeat. At enim, ait Photius, Sacerdos perficit baptizatum per Sacramentum Eucharistiæ, scilicet per Sacramentum longè omnium præstantissimum, cur non eundem perficiat per Confirmationem? Hoc ipso quòd eam perfectionem Sacramenti Confirmationis, quo militiæ Christi obligamur, conferre, non sit ordinariè cujuscumque Sacerdotis, sed ad Ducem exercitus spectet. Eucharistia vero æquè respicit confirmatum, & minùs confirmatum, idque docuit nos suo exemplo Christus Dominus, qui Apostolos primùm baptizavit

zavit, deinde ipsis Eucharistiam impertivit, postremò eosdem post suum in cœlum ascensum per adventum Spiritus sancti confirmavit. Ut propterea non mirum sit, si Sacerdos quoque baptizet, cœlestive cibo baptizatos pascat, & tamen eos ordinariè minimè confirmet.

Quod si ex eo colligit Photius non esse dimidiatum Sacerdotem, quòd Confirmationem conferat, dimidiatum, si non conferat: dicat etiam eundem conferre sacros ordines, hac enim ratione erit longè perfectior. Et cur idem Sacerdos unguentum etiam Confirmationis non consecrabit, quandoquidem Eucharistiam conficit, cæteraque munera Pontificum non exercebit, ut ex hoc in Ecclesia Dei maxima quædam ἀταξία oriatur? vel sit dimidiatus Sacerdos necesse est, quia hæc non præstat. O acumen Photianum quàm pueriliter ratiocinaris!

Sed quid dicemus ad sanctum Hieronymum, qui errorem Photij docere videtur, cùm ita scribit adversus Luciferianos?

Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui? disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factum reperitur ad honorem potius Sacerdotij, quàm legis necessitate. Cùm igitur dicat sanctus Hieronymus eam functionem Episcopi in Sacramento Confirmationis potiùs ad honorem, quàm ad legis necessitatem pertinere, poterit esse Sacerdos ordinarius Minister.

Respondeo tria reperiri in sententia Hieronymi, quæ penitus errorem Photij destruunt, & nostram sententiam confirmant. Illa enim verba, baptizatum nisi per manus Episcopi non accipere Spiritum sanctum, omnino faciunt contra Photium. Postrema verò, ad honorem potius Sacerdotij, quàm legis necessitate, significant, hoc munus Episcopale non adeo esse de Sacramenti essentia, ut jubente Romano Pontifice non possit impleri per Presbyterum. Sic Baronius interpretatur Hieronymum, dum tuetur Gregorium Magnum: sed meâ sententiâ non is videtur esse sensus Hieronymi; illud tantùm indicari illis verbis existimo, Sacramentum Confirmationis non esse simpliciter necessarium, proinde neque passim ab omnibus conferri, sed institutum potiùs ad honorem Sacerdotij. Episcopus enim, qui in ordine Sacerdotali principem locum obtinet, honoratur, cum illud Sacramentum, tanquam dux Christianæ militiæ baptizatis confert. Tandem illa verba, multis in locis idem factum reperitur, clarissimè indicant non ubique Episcopos solos, sed & Presbyteros confirmasse, videlicet ex dispensatione. Ac de Photio satis.

Refertur opinio circa Ministrum Ioannis Nathanaëlis, qui idem sensit cum Photio, & eadem ratione refellitur.

Caput XII.

Ioannes Nathanaël, πρεσβύτερος καὶ μέγας οἰκονόμος τῆς Κρήτης, Presbyter & magnus Oeconomus Cretæ (hunc enim ipse sibi in suis litteris titulum attribuit) qui nostra ætate vixit, & ante aliquot annos obiit, interrogatus à sapientissimo Præsule Anagniæ Gaspare Uiviano Urbinate, τοῦ μακαρίτου καὶ ἀειμνήστου μνήμης: dum degeret in illis regionibus nonnulla quæsita, inter cætera, τίς ἔδωκεν ἐξουσίαν τοῖς Γραικοῖς ἱερεῦσι χρῖσμα τελεῖν, dederit potestatem Græcorum Presbyteris conficiendi Chrisma? sententiam suam ita litteris aperuit: τοῦτο μὲν τὸ χρῖσμα οὐδεὶς τῶν ἱερέων τελέσαι δύναται. μήτε δέδοται πώποτε ἐξουσία τινὶ ἑτέρῳ, εἰ μή γε μόνον τοῖς ἐπισκόποις τοῦτο τελεῖν. χρίειν δὲ μύρῳ τοὺς νεοφωτίστους μετὰ τὸ βάπτισμα καὶ τοῖς ἱερεῦσι τοῖς Γραικοῖς αὐτὸ ἐπιτέτραπται. Hoc quidem unguentum nemo Sacerdotum conficere potest, neque unquam alteri, quàm solis Episcopis data est potestas illud conficiendi. At verò post Baptismum noviter illuminatos Chrismate inungere etiam Sacerdotibus Græcorū permissum est. Et paulò pòst

reddit causam hujus permissionis, οἶμαι δὲ τοῦτο τοῖς Γραικοῖς ἱερεῦσι δεδῶσθαι, κατὰ λαβοῦσι τὴν χάριν τοῦ μεταδιδόναι καὶ ἐνεργεῖν τὰς δωρεὰς τῶν ἑπτὰ μυστηρίων, ἄνευ τῆς ἱερωσύνης. οὐ γὰρ θέμις τὸν ἱερέα, ἄλλον ἱερέα πάλιν χειροτονεῖν. ἐπειδὴ τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. μὴ γὰρ μεῖζόν ἐστι τὸ χρῖσμα τῆς θείας κοινωνίας τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος, ἢ καὶ τοῦ βαπτίσματος; οὐδαμῶς. εἰ γὰρ καὶ διαφέρουσι μὲν τῇ ποιότητι, ἀλλ' οὐχὶ τῇ χάριτι καὶ δυνάμει. Puto autem propterea istud Græcorum Sacerdotibus datum, quòd gratiam receperint impertiendi, & administrandi septem Sacramentorum dona, excepto Sacerdotio. Neque enim fas est Sacerdotem alium Sacerdotem consecrare, quandoquidem quod minus est à præstantiori benedicitur; nunquid enim majus Sacramentum est Chrisma divina communione Dominici corporis, & sanguinis, vel etiam ipso Baptismate? minimè verò. Tametsi enim differunt qualitate, tamen non differunt gratia, & potestate. Quasi dicat, si majora concessa sunt Sacerdotibus, quid mirum istud quoque concessum fuisse? Deinde objicit sibi: ἐὰν δὲ πάλιν εἴποι τις, ἔλαττον ἐκεῖνο τοῦ οὗ ἕνεκα, τὸ βάπτισμα δὲ τελεῖται ἕνεκα τοῦ χρίσματος. οὐκοῦν καὶ τὸ χρῖσμα τελεῖται τῷ βαπτιζομένῳ καὶ χριομένῳ ἕνεκα τῆς μεταλήψεως τῆς θείας κοινωνίας; ὅτι οὐδεὶς μὴ βαπτισθεὶς, ἢ μὴ χρισθεὶς δύναται ποτὲ κοινωνῆσαι. ἡ μετάληψις ἄρα μείζων τοῦ χρίσματος. καὶ ὁ τὸ μεῖζον ἱερεὺς μεταδιδοὺς, οὐ δύναται καὶ τὸ ἔλαττον μεταδοῦναι; καὶ περὶ μὲν τούτου αὕτη ἐστὶν ἡ διάφρεσις τῶν Γραικῶν καθ' ὅσον ἔγωγε οἶδα. Si quis verò rursus dixerit, illud minus censeri eo, cujus gratia fit. Baptismus autem fit propter Chrisma. Nonne & Chrisma fit ei, qui baptizatur, & ungitur, divinæ Communionis participandæ causa? Nemo enim non priùs baptizatus & unctus communionis particeps esse potest. Igitur communio præstantior est ipso Chrismate, & qui majus aliis impertit, nonne & minus impertire poterit? Atque hæc est de hoc quæsito, quantum ego scire possum, Græcorum asseveratio. Sic ille.

Ambiguè loquitur Nathanaël, quippe qui nesciat istas distinctiones ordinariè, & extraordinariè. Partim quidem ait, ἐπιτρέπεται, permissum est. Partim verò affirmat datam esse Presbyteris facultatem administrandi Chrisma, non aliter atque concessum est illis jus conferendi cætera Sacramenta longè majora, exceptis sacris ordinibus. Quare secundùm illius sententiam Presbyter ordinarius erit minister, quando & illa ordinariè administrat. Quod idem responsum audiet, si quis Græcorum imperitos roget. Cùm enim suam Ecclesiam aliis præferre gestiant, & eam sic habere in usu animadvertant, illicò factum laudant, & Presbyterum debere administrare Chrisma, cui ex officio primariò congruat, veluti rem certam decernant.

Sed examinanda est ratiocinatio Nathanaëlis, quæ non dissimilis est Photianæ. Non rectè infert, exhibet Sacerdos ordinariè populo Eucharistiam, igitur & Chrisma similiter conferre potest. Nam hac ex parte, scilicet ratione ministri majus est Sacramentum Confirmationis: alioquin si valet argumentum, deberet Sacerdos alium quoque Sacerdotem sacris Ordinibus imbuere. Immò & sacrum unguentum conficere, & consecrare. Siquidem majus est efficere verum corpus Christi, & illud populo propriis manibus distribuere, quod & Diaconi faciunt, & in Ægypto laïci per seipsos olim communicabant, quàm consecrare unguentum, & Presbyteros creare. Miror autem juxta Nathanaëlem, cur etiam non confirment Diaconi, quando & Eucharistiam distribuunt. Igitur propria munera Sacerdotum, & Pontificum non ex ea dignitate, quam refert Nathanaël, sed aliunde petenda sunt, ut constat ex Dionysio Areopagita de Eccles. Hier. cap. 5. cujus verba nos infrà diligenter examinabimus.

Quod verò ait Confirmationem non esse majus Sacramentum Baptismate, distinguendum est. Nam ad rationem necessitatis, & remissionis totius culpæ, & pœnæ, verissimum est; immo Baptismus hac ex parte longè Confirmationem, quin & ipsam Eucharistiam superat, quæ non remittit totam pœnam, culpam verò minimè: sed inde Nathanaël nihil contra inferre

potest. At verò in ordine ad corroborandum baptizatum contra impugnationes fidei hostium, adeo falsum est non solùm ratione Ministri, sed etiam ipsiusmet gratiæ, quam confert Chrismatis Sacramentum, ut Apostoli, cæterique Christi fideles illius ævi, cæteroquin baptizati, & Eucharistia pasti, ac proinde Spiritu sancto donati, nondum tamen Spiritum sanctum accepisse dicantur, quòd videlicet eum non in ea copia gratiæ per solum Baptismum, & Eucharistiam acceperint.

Unde non rectè inferret aliquis, Baptismum, quandoquidem delet totam pœnam, esse quid absolutè nobilius, sed secundùm quid. Quod idem dicendum de Confirmatione. Facta tamen comparatione inter se, cùm per Baptismum in Christi familiam, per Confirmationem in Christi militiam adscribamur, longè præstantius est Sacramentum Confirmationis, quatenus & Christus, ut militiæ Dux, est gloriosior triumphator.

Illud quoque quod Nathanaël inseruit ad ostendendam æqualitatem Baptismi, & Confirmationis, etsi differunt qualitate, non tamen gratiâ & potentiâ; fateor me non intelligere. Si enim per qualitatem externas cerimonias, atque varietatem Sacramentorum accipit, hoc verum est; sed inde falsum concludit. Differre enim Sacramenta inter se gratiâ, non illa quidem justificante generica, quam si intelligat, nihil item concludit; sed privatâ gratiâ, certum est; tum quòd in majori copia sit in uno, quàm in altero Sacramento, tum quòd ad varios fines referatur, ac proinde sit quodammodo alterius generis gratia.

Præterea neminem non priùs baptizatum, & unctum posse fieri communionis participem, verum est ex parte Baptismi; est enim Baptismus janua cæterorum Sacramentorum, sine quo nulla tenent Sacramenta. Quippe imprimit characterem in anima, qui nihil aliud est, quàm potestas quædam spiritualis, & supernaturalis passiva, quæ efficit hominem aptum ad suscipienda reliqua Sacramenta: quemadmodum è contrario character ordinis est activa potestas, qua prædictus Sacerdos administrat aliis Sacramenta. At verò ex parte Confirmationis fallitur Nathanaël. Character enim hujus Sacramenti, quamvis utramque notionem participet, aliquove modo sit passivus, qui nos facit aptos ad alia Sacramenta suscipienda, magis tamen principaliter est activus. Siquidem per Confirmationem robur, & potentiam consequuti, Christi fidem intrepidè testificamur contra fidei hostes. Unde non necessariò Confirmatio antecedit cætera Sacramenta, ut verbi gratiâ sine Confirmatione sacratissima Eucharistia minimè valeat. Quamobrem Dionysius Areopagita statim post Baptismum tractat de Sacramento Eucharistiæ. Tametsi enim Baptismus, quippe spiritualis regeneratio, reliqua Sacramenta meritò antecedit, & Confirmatio Baptismum sequitur, eo quod hominem sic regeneratum, in statu quasi virili, & perfecto constituit, ut tandem capax sit Eucharistiæ, quæ cibus perfectorum est, & vitam spiritualem nutrit, ac perficit, hacque ratione tertium est in ordine Sacramentum Eucharistiæ; tamen, ut egregiè interpretatur Dionysium D. Thomas 3. p. q. 65. a. 2. ad 3. & in 4. d. 2. qu. 1. a. 3. ad 6. cùm cibus perfectum augmentum antecedere possit, & subsequi, similiter Eucharistia potest commodè ante vel post Confirmationem tradi.

Postremò quod ait, hanc esse asseverationem Græcorum, non ita ego sentio: sed cùm tria Sacramenta conferre Neophytis Græci soliti essent, neque perpetuò, & ubique adessent Episcopi, à quibus Chrismate inungerentur baptizati, verisimile est facultatem administrandi hoc Sacramentum ex summi Pontificis dispensatione concessam esse Presbyteris.

Gabriel Philadelphiæ antistes de Ministro melius sentit.

CAPUT XIII.

Melius in hoc, utinam in cæteris quoque veri amantiorem se præstitisset,

Gabriel Philadelphiensis tractatu de Sacramentis in materia Confirmationis, ubi quærit περὶ τοῦ τίσιν ἐδόθη κυρίως χρίειν, quibusnam concessum sit propriè munus ungendi: εἰ καὶ μὴ τοῦτο παρὰ τοῖς κανόσιν τῶν συνόδων οὐκ ἐδυνήθην εὑρεῖν ὁρισμένως (negatio una superflua est, & σολοικίζει) ὅμως δοκεῖ μοι εἰκότως τοῖς ἀρχιερεῦσι δεδόσθαι προηγουμένως τοῦτο, οἷς καὶ μόνοις ἔξεστι κατασκευάζειν αὐτὸ κατὰ τὸ ἕκτον τῆς ἐν Καρθαγένῃ ἁγίας συνόδου. ἡ δὲ ἀνατολικὴ ἐκκλησία οὐ μόνον τοῖς ἀρχιερεῦσιν, ἀλλὰ δι᾽ αὐτῶν καὶ τοῖς ἱερεῦσι συγκατανεύειν χρίειν ἀπροσκριματίστως, μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τελετὴν τοῦτο οἶμαι συγκεχώρηκεν, ἵνα μή τις τῶν βαπτισθέντων ἀπολειφθῇ τῆς τοιαύτης χάριτος ὑστερούμενος, ἐξαπίνης, καὶ ἀωρεὶ, οἷα φιλεῖ γίγνεσθαι ἐξ ἀνθρώπων γινόμενος. Quamvis, inquit, hoc in Canonibus Conciliorum determinatè reperire non potui: Tamen videtur mihi meritò Pontificibus antecedenter hoc datum esse, quibus & solis hoc licet conficere secundùm sextum Canonem Concilij Carthagiensis. Ecclesia verò Orientalis non tantùm Pontificibus, sed etiam per ipsos Presbyteris post sacram Baptismatis cerimoniam benignè annuit, atque concedit citra ullam culpam unctionem chrismatis. Idque propterea ne quis baptizatorum ejusmodi gratiâ privetur, si eum contingat, ut sunt humanæ res, repentina, atque immatura morte ex hac vita migrare.

Illud Philadelphiæ antistitis non approbo, quòd dicat in Canonibus non reperiri ordinarium ministrum esse Pontificem. Nam hoc sanxerunt Oecumenica Concilia Florentinum in Bulla Armeniorum, & Tridentinum sess. 7. sed fortè Græcorum Canones intelligit, in quibus re vera nihil tale extat. At enim facilè ipse quoque ex sacris litteris, & Chrysostomo suprà citato id colligere potuisset, si animum intendisset.

Illud præterea Philadelphiæ Antistitis sine glossa non recipio, quòd dicat Ecclesiam Orientalem potestatem fecisse Presbyteris Confirmationem administrandi. Nam cùm illa Ecclesia non habeat in se plenitudinem potestatis, quam habet prima sedes, non potuit hoc munus aliis impertire, nisi ex dispensatione Romani Pontificis. Eo modo saltem, quo infrà explicabimus.

In Constitutionibus Apostolorum l. 7. c. 23. instruuntur Episcopus & Presbyter, quomodo debeant baptizare. Ibidem additur: Unges autem, ô Episcope & Presbyter, priùs oleo sancto, deinde baptizabis aquâ, postremò consignabis unguento: ut unctio sit participatio sancti Spiritus, aqua sit symbolum mortis, unguentum sigillum pactionum. Mihi suspecta est hæc doctrina, non enim participatur Spiritus sanctus per oleum Catechumenorum, qui est effectus Confirmationis, neque unguentum est sigillum pactionum. Sed pacta fiunt in baptismate, quæ si consignantur, potiùs consignantur ipsomet baptismate, cùm & baptismus vocetur σφραγίς. Nisi velis dicere eadem bis consignari. Quod libenter damus: si tamen vera est doctrina, & sanctio Apostolica, dicendum est. propterea Presbyterum annumeratum esse Pontifici, quòd is minister ex delegatione esse possit.

Presbyterum esse ministrum Confirmationis, scilicet extraordinarium, probatur ex Dionysio.

CAPUT XIV.

Episcopus igitur solet conferre Confirmationem baptizatis, tanquam ordinarius minister, ut etiam patet ex Dionysio de Eccl. Hier. c. 2. Baptizatum, inquit, indutum alba veste ad Pontificem ducunt (introducitur Episcopus baptizans) ille divino, ac deifico prorsus unguento virum signat. Si verò Episcopus abest, vel non baptizat, tunc Presbyter baptizans loco Episcopi etiam confirmat, ex sententia ejusdem Dionysij de Eccl. Hier. c. 5. quippe qui asserit Presbyterum sine unguento nunquam esse solitum baptizare. Hæc sunt illius divini viri verba: εἰ γὰρ καὶ πρὸς τῶν ἱερέων τελειοῦταί τινα τῶν σεβασμίων συμβόλων, ἀλλ᾽ οὔποτε τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τοῦ θειοτάτου μύρου χωρίς. οὐδὲ τὰ τῆς θείας κοινωνίας τελέσει μυστήρια, μὴ τοῦ θειοτάτου θυσια-

στείῳ τῶν κοινωνικῶν ἐπιτιθέντων συμβόλων· ἀλλ' οὐδ' αὐτὸς ἱερεὺς ἔσται, μὴ πρὸς τῶν ἱεραρχικῶν τελειώσεων εἰς τοῦτο κεκληρωμένος. ὅθεν ἡ θεία θεσμοθεσία τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιστείαν, καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν ἱερὰν τοῦ θυσιαστηρίου τελετουργίαν ταῖς τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἑνιαίως ἀπεκλήρωσεν. Etsi enim à Sacerdotibus quædam ex ſymbolis veneratione dignis perficiuntur, verùm nunquam deificam generationem (ſcilicet baptiſmum) Sacerdos ſine divino unguento peraget. Nec divinæ Communionis Sacramenta perficiet, antequam ſymbola communicativa in divinum altare impoſuerit. Quin ne Sacerdos quidem erit ipſe, niſi pontificiis perfectionibus (id eſt conſecrationibus) ad id delectus fuerit. Itaque divina inſtitutio ſacram Hierarchicorum ordinum cerimoniam, divinique unguenti confectionem, atque ſanctam Altaris conſecrationem, divinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit.

Primò notandum eſt, Dionyſium, dum ait, ſed nunquam baptiſmum Sacerdos ſine unguento adminiſtrabit, non in eum ſenſum hæc verba pronunciare, quaſi requirat unguentum de neceſſitate Sacramenti Baptiſmi, quippe qui non poterat ignorare Philippum ſine Confirmatione, & unguento Eunuchum baptizaſſe; quemadmodum neque in ſacrificio peragendo de neceſſitate poſtulat divinum Altare: ſed Theologus loquitur ſecundùm legem communem, & quod ſpectat ad Confirmationem, intelligendus eſt ſecundùm præſcriptum Orientis, cùm in more inſtitutoque Orientalis Eccleſiæ poſitum eſſet, ut tria Sacramenta ſimul Neophytis exhiberentur. Neque video qua ratione Epiſcopi omnes infantes ubique locorum in Oriente confirmare commodè potuerint.

Secundò, perpendat ſtudioſus lector illam vocem τελέωσιν, confectionem, ſeu conſummationem, id eſt, conſecrationem unguenti, ut optimè interpretatur alter Dionyſius Carthuſianus. Non enim ait adminiſtrationem ſpectare ad Pontificem, ſed confectionem; non quòd adminiſtratio etiam ad eum propriè, & ordinariè non ſpectet: ſed quia confectio fortè non poteſt committi Preſbyteris, & re ipſa nunquam fuit commiſſa, adminiſtratio verò eſt commiſſa. Sed præſtat præſentem locum Dionyſij enucleatiùs explanare. Propoſitum eſt Dionyſio probare facultatem Pontificis ampliſſimam eſſe, atque ad omnes functiones aliorum ordinum penetrare, non è contra: quod ſignificat illis verbis: ἡ δὲ τῆς ἱεραρχικῆς τάξεως δύναμις ἐν πάσαις χωρεῖ ταῖς ἱεραῖς ὁλότησιν, id eſt, τάξεσιν. Ipſa verò Hierarchici ordinis vis omnes alios ordines penetrat. Deinde explicat, quomodo fungatur munere omnium, videlicet vel per ſeipſum, vel per alios, ideo addit: καὶ διὰ πασῶν τῶν ἱερῶν τάξεων ἐνεργεῖ τὰ τῆς οἰκείας ἱεραρχίας μυστήρια. Et per omnes divinos ordines propriæ Hierarchiæ exercet myſteria. Deinceps nonnulla myſteria, quæ ſunt excellentiora, adeo ipſimet convenire affirmat Pontifici, ut ea nulla ratione per alios, ſed per ſeipſum efficere queat. Quod indicat illis verbis: ἐκκρίτως δὲ αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς τάξεις εἰς αὐτουργίαν ὁ θεῖος θεσμὸς ἀπονενέμηκε τὰς θειοτέρας ἱερουργίας. Præcipuè verò huic ordini Hierarchico præ cæteris ordinibus divina lex diviniores cerimonias aſſignavit. At quænam ſint diviniores iſtæ functiones, quæ ſoli congruunt Pontifici, explicat Dionyſius in fine §. ὅθεν ἡ θεία θεσμοθεσία τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιστείαν, καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν ἱερὰν τοῦ θυσιαστηρίου τελετουργίαν ταῖς τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἑνιαίως ἀπεκλήρωσεν. Quocirca divina lex ſacram Hierarchicorum ordinum cerimoniam (hoc eſt, χειροτονίαν, ordinationem) divinique unguenti confectionem, atque ſanctam Altaris conſecrationem divinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit. Quia tamen dixerat Dionyſius diviniora myſteria pertinere ad Pontificem, objicit ſibi Baptiſmum, & conſecrationem corporis Domini, eſſe quædam τῶν σεβασμίων συμβόλων, quæ tamen à Sacerdote peraguntur. Huic objectioni occurrit divinus Hierarcha illis verbis: ἀλλ' οὔποτε τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τοῦ θειοτάτου μύρου χωρίς. Sed nunquam divinum or-

„ tum Sacerdos sine unguento administrabit: quasi dicat, nihil hoc esse. Nam in his quoque mysteriis Sacerdos indiget operâ Pontificis. Quandoquidem non administrabit Baptismum sine unguento, videlicet consecrato à Pontifice, neque faciet corpus Christi, nisi super altare, quod itidem chrismate delibutum erigitur à Pontifice. Immo nisi & ipse initiatus fuerit à Pontifice, rem divinam absoluere minimè poterit; adeò ut in his quoque Sacerdos pendere videatur à Pontifice.

Longior forsan, quàm par erat, fui in explicanda sententia Dionysij, quæ tamen propositæ rei multùm inseruit. Sed ideo factum, quòd Georgius Pachymeres paraphrastes Dionysij præsentem locum aliter interpretatur. Illa enim verba, τῆς θειοτάτου μύρου χρείας, non ad Presbyterum, qui sine unguento inhibeatur baptizare, ex præscripto videlicet Ecclesiæ Orientalis, sed ad Episcopum refert, hoc sensu: Presbyter non perfectè Baptismum absoluet, quippe opus est Episcopo, qui baptizatum chrismate inungat. Hæc sunt verba Pachymeræ: εἶτα ὥσπερ τινὸς ἀνθυποφέροντος, ὅτι καὶ πῶς τὸ βάπτισμα διὰ τῶν ἱερέων τελεῖται, φησὶν, ὅτι οὐδὲ τοῦτο τελείως ἐνεργεῖ ὁ πρεσβύτερος. χρεία γὰρ τοῦ ἀρχιερέως ἔσται εἰς τὸ χρῖσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα. αὕτη γὰρ ἦν ἡ
„ ἀρχαία συνήθεια. Deinde veluti si quispiam
„ objecisset, quomodo Baptismus per Sacer-
„ dotes administratur. Neque Baptismum,
„ inquit, Presbyter perfectè absolvit. Opus
„ enim erit Pontifice, qui baptizatum chris-
„ mate inungat. Quippe hic antiquus mos
„ fuit.

Notent recentiores Græcorum ex Pachymera consuetudinem antiquam.

Mihi non placet interpretatio. In primis, non fuisset difficile Dionysio magis se explicare, & clarioribus uti verbis. Dixisset enim: quamvis nonnulla mysteriorum veneratione digna Sacerdos perficiat, præsertim Baptismum, & Eucharistiam, non tamen chrismate inungit, seu confirmat, neque sine altari celebrat. At Dionysius totum oppositum affirmat. Non enim ait, non confirmat, sed sine unguento non baptizabit, hoc est dicere, eum & baptizare, & ungere. Deinde si Sacerdos tempore Dionysij non ungebat, verum erat dicere, Sacerdos baptizat sine unguento. At contrarium sonant verba Dionysij. Ad hæc, cùm tria Sacramenta simul conferri in usu fuerit, non est verisimile perpetuò fuisse præsentes Episcopos, unde Sacerdotibus permissum erat chrismate consignare. Postremò Dionysius explicat in fine §. functiones, illas singulares Pontifici, videlicet consecrationem unguenti, altaris, & Sacerdotis. Nihil ibi de administratione Chrismatis. Eodem planè modo accipitur idem verbum, tum in sacris ordinibus, tum in illa admiranda transsubstantiatione. Quippe τελείωσις, consecrationem significat. Neque potest vox illa τελείωσις χρίσματος, referri ad usum Sacramenti, & administrationem, dicente Dionysio ex præscripto legis divinæ illam τελείωσιν unguenti, ἑνιαίως, singulariter ad Pontificem spectare. Quocirca si administratio per illam voculam intelligeretur, nulla ratione, ne extraordinariè quidem, Presbyteris posset committi. Igitur τελείωσις, non exhibitionem Sacramenti, sed consecrationem significat. Hanc enim uni Episcopo Canones veterum Conciliorum, & Patrum attribuunt, expressè prohibentes Presbyteros à chrismatis confectione. Quin & ipse Pachymeres ex Dionysio hoc idem refert, his verbis: πῶς δὲ ὅμως ἐξαιρέτως τῷ ἱεράρχῃ πρὸς αὐτουργίαν, καὶ οὐ διὰ τῆς ἑτέρων ὑπουργίας, ἀποκεκλήρωται ὁ τοῦ μύρου ἁγιασμὸς, ἡ τοῦ θυσιαστηρίου καθιέρωσις, καὶ ἡ τῶν ἱερατικῶν χειροτονία. ἅτινα καὶ τελεσιουργοὺς εἰκόνας τῆς θείας δυνάμεως ἀπεκάλεσεν. αὗται γὰρ εἰσιν αἱ ἀποτελοῦσαι πάντα τὰ θειότατα σύμβολα. εἰ γὰρ μὴ μύρον, εἰ μὴ θυσιαστήριον, εἰ μὴ ἀρχιερεὺς, οὐκ ἄν τι ἱερατικὸν ἐνερ-
γηθήσεται. Interea tamen Pontifici, ut per “
seipsum, non autem per ministerium alio- “
rum efficiat, potissimùm assignata sunt “
unguenti sanctificatio, altaris consecratio, “
atque Hierarchicorum ordinum initiatio: “
quæ etiam ad perficiendum efficaces ima- “
gines divinæ potentiæ appellavit, nimi- “
rum hæ sunt, quæ omnia divinissima sym- “
bola (hoc est Sacramenta) perficiunt. Si “
enim unguentum, si altare, si Pontifex ipse “

non esset, nihil Sacerdotale exerceretur. Hactenus Pachymeres ex Dionysio. Qui tamen hæc verba priùs recensuit, facta postea objectione de Sacerdote non sine unguento, atque altari baptizante, & consecrante. Cùm alioquin Dionysius facta priùs objectione, in calce §. rationem concludens illa posuerit: ubi facilè ipsi erat administrationem unguenti assignare soli Pontifici, cui ordinariè convenit, si aliter opinatus fuisset.

Sed & doctissimus, atque sanctissimus Confessor Maximus Scholiastes longè antiquior, à quo multa est mutuatus Pachymeres, in scholiis in Dionysium explanans illa verba, εἰ γὰρ καὶ περὶ τῶν ἱερέων, nostram confirmat sententiam, addita notatione: σημείωσαι ὅτι καὶ ἁγιάσαι καὶ τελειῶσαι τὸ μύρον, οὐκ ἔστι πρεσβυτέρων, οὓς καὶ ἱερεῖς καλεῖ. ἀλλ' οὔτε θυσιαστήριον τελειῶσαι, ἵνα καὶ προσενέγκῃ ἐπ' αὐτοῦ, οὔτε μὴν χειροτονῆσαι. ταῦτα γὰρ μόνος ὁ ἱεράρχης ποιεῖ, ὧν ἐκτὸς ὁ πρεσβύτερος οὔτε βαπτίσει, οὔτε προσοίσει. ἀλλ' εἰς τὰ προτελεσθέντα ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου ἱερουργήσει. Nota quia neque sanctificare, neque perficere unguentum (hoc est consecrare, hoc enim idem verbum attribuit etiam Altari) est Presbyterorum, quos hic Sacerdotes (Dionysius) appellat. At neque Altare consecrare ad eos spectat, ut super illud offerant: denique neque alios ordinare. Hæc enim solus Pontifex efficit, sine quibus Presbyter neque baptizabit, neque offeret sacrificium. Sed in iis quæ ante ab Episcopo sunt perfecta & consummata, sacra munera exercebit. Sic Maximus, cujus inter alia notanda sunt illa verba, τὰ προτελεσθέντα ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, quæ ante ab Episcopo sunt perfecta. Nam unguentum priùs ab Episcopo consecratur, & asservatur, ut deinde suo tempore administretur, & illud τελειῶσαι, perficere, hoc est consecrare, quo eodem verbo utitur in consecratione Altaris.

Illud incommodi videtur posse habere nostra sententia, quòd cùm dicit Dionysius, Presbyterum nunquam sine unguento Baptismum administrare, hoc modo loquendi ordinarium ministrum eum constituere videtur, quod falsissimum est. Id quod etiam in causa fuit Pachymeræ, qui probè noverat, cujus id muneris potissimum esset, ut prædicta verba Dionysij ad Pontificem retulerit. Sed dicendum est, ita loquutum fuisse Dionysium, eò quòd semper in absentia Episcopi ita solitus esset facere Presbyter vi potestatis sibi concessæ.

Aliud item officere videtur huic sententiæ. Nam Dionysius c. 5. Ecclesiasticam Hierarchiam, ad imitationem cœlestis & Mosaïcæ, trifariam dividit in ordinem Pontificum, Sacerdotum, ac Ministrorum. Diaconorum munus esse ait, καθαίρειν, purgare eos, qui ad fidem Christi accedunt, Catechismo imbuẽdo. Presbyterorum φωτίζειν, illuminare, quod fit per Baptismum. Episcoporum, τελειοῦν, perficere. Cùm ergo Sacramentum unguenti perficiat initiatos, ad Pontificem spectare videtur.

Sed hoc argumentum magis juvat nostram sententiam. Siquidem Dionysius etiam Sacramenta eodem modo distribuit, & alia esse ait, quæ purgent, & illuminent, qualis est Baptismus; alia verò quæ perficiant, & absolvant, ut unguentum, & Eucharistia: τῆς μὲν οὖν ἁγίας τῶν τελετῶν ἱερουργίας ἡ τριαδικὴ δύναμις ὕμνηται. τῆς μὲν θεογενεσίας ἐκ τῶν λογίων ἀποδειχθείσης καθάρσεως, καὶ φωτιστικῆς ἐλλάμψεως. τῆς συνάξεως δὲ, καὶ τῆς τοῦ μύρου τελετῆς, τελειωτικῆς τῶν θεουργικῶν γνώσεως καὶ ἐπιστήμης. Sancti quidem mysteriorum, inquit, operis, & muneris triplex vis à nobis laudata est: quando quidem sacrum ortum expiationem, illustratoremque splendorem esse: Synaxim autem, unguentique Sacramentum, cognitionem, ac scientiam, quæ Dei opera perficiat, divinis Scripturæ oraculis demonstravimus. Sic ille.

At Eucharistiæ consecrationem convenire Presbytero, certum est. Ea tamen conditione, ut sine altari ab Episcopo consecrato, & nisi ipse quoque à Pontifice fuerit sacris initiatus, eam conficere partim non debeat ratione altaris, partim non possit ratione ordinis. Igitur etiam unguentum aliquo modo pertinebit ad Presbyterum, si nimirum priùs ab Episcopo fuerit consecratum. Alioquin si nulla ra-

tione congruit Presbytero, cur illa Sacramenta Dionysius simul conjunxit, & sibi objecit? εἰ γὰρ καί τινα τῶν σεβασμίων συμβόλων. Et si à Sacerdotibus signa quædam veneratione digna perficiuntur, &c. Neque enim plura essent Sacramenta, in quibus Sacerdos indigeret operâ Pontificis. Utpote qui Baptismum per se absoluit, unguentum, si vera est opposita sententia, nulla ratione: remanet ergo sola Eucharistiæ consecratio. Et tunc Dionysius debuisset dicere: εἰ γὰρ καὶ πρὸς τῶν ἱερέων τελεῖταί τι τῶν σεβασμίων συμβόλων, ἀλλ' οὔποτε τὰ τῆς θείας κοινωνίας τελέσει μυστήρια, μὴ τῷ θειοτάτῳ θυσιαστηρίῳ τῶν κοινωνικῶν ἐπιτεθέντων συμβόλων. Etsi à Sacerdotibus aliquod signum (hoc est Sacramentum) veneratione dignum perficitur, nunquam tamen divinæ Communionis mysteria perficiet, nisi communionis symbola in divinum altare imposuerit. Neque debuisset commemorare unguentum, si nulla ratione spectasset ad Sacerdotem.

Tandem si sententia Pachymeræ vera esset, Baptismus juxta mentem Dionysij simpliciter non solùm non esset perfectus, utpote qui unguento perficeretur, sed neque posset solus administrari. Quod an verum sit, cuilibet, vel mediocri Theologo judicandum relinquo. Est nempe aliud dicere, Baptismum non esse perfectum in suo genere, & aliud, fidelem solo Baptismo initiatum non esse omni ex parte perfectum. Quamvis enim per Baptismum sit perfectus, quoad substantiam, ac proprietatem Christianismi; est tamen imperfectus, quoad alias gratias & munera obeunda, & per Sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ longè perfectissimus evadit. Qua ratione puer perfectus homo dici potest, quoad essentiam, imperfectus quoad molem, imperfectior quoad constantem, & gravem usum rationis. Quocirca modus ille loquendi Pachymeræ non bene sonat, ὅτι οὐδὲ τοῦτο τελείως ἐνεργεῖ ὁ πρεσβύτερος, quòd Sacerdos baptismum non perfectè conficiat sine opera Episcopi. Estque illi dicto Simeonis similis, οὐκ ἔσται τελείως τις βαπτισθεὶς ὁ μὴ τὸ μύρον δεξάμενος, non erit perfectè quispiam baptizatus, qui non susceperit unguentum: quod falsissimum est.

Ponit itaque discrimen Dionysius inter Episcopum, & Presbyterum, atque ad Episcopum pertinere perficere unguentum, id est benedicere, & consecrare, ad eundem spectare altaria Deo dicare, quin & ipsos Presbyteros ordinare pronunciat. At verò Sacerdos sine unguento ab Episcopo priùs confecto, non baptizabit. Quod ideo dicit, ut eum ab Episcopo pendere ostendat, & quia in Baptismate, ut suprà docui, simul & semel etiam confirmabat.

Nec valet responsio quorundam asserentium, Presbyterum ex mandato Ecclesiæ non posse quidem baptizare sine chrismate, verùm non adhibito per modum Confirmationis, & in fronte, sed in vertice, vel in pectore, ut etiam videtur Dionysius Carthusianus intellexisse, & explicasse Dionysium. Quod Innocentius primus Epistola 29. ad Decentium cap. 3. & complures alij concedunt Pontifices, ut est videre 3. p. decret. de consecratione d. 4. c. Presbyteris, & sequentibus. Hacve ratione non esse mirum (dixerit aliquis) si Concilia Presbyteros administrare unguentum minimè vetuerint.

Hæc, inquam, solutio, ut de Latinis vera sit, de Græcis tamen vera esse non potest, & nulla est. Nam cùm non sit talis mos, & modus apud Græcos tradendi Chrisma, sed is prorsus, qui & Episcopalis censetur, iste verò possit ex delegatione summi Pontificis committi Presbyteris, quid hac opus est solutione? Unde Pachymeres cùm non videret apud Græcos alium modum conferendi Chrisma, clarissima verba Dionysij in alium sensum detorsit, ea referens ad Pontificem. Non esse autem alium modum in Ecclesia Orientali tradendi Chrisma, facile est intelligere tum ex ipsomet Dionysio, & Cyrillo Hierosolymitano, qui omnes cerimonias tam Baptismi quàm hujus Sacramenti recensent, ac explicant; hanc Presbyterorum chrismatis unctionem, dum infans baptizatur in vertice, ne quidem leuiter saltem tangunt: tum ex ipsa vera forma Sacramenti Confirmationis, quam enunciat

Presbyter.

Presbyter. Cur autem Græci careant hac cerimoniali unctione in vertice, illa mihi videtur esse potissima causa, quòd, cùm Græcorum Presbyteris facta esset potestas administrandi simul illa tria Sacramenta, profectò alterius unctionis non indigerent. Latina verò Ecclesia, quia passim cum Presbyteris in administranda Confirmatione dispensare noluit, ideo cerimonialem chrismatis unctionem, quæ fit in vertice, post Baptismum introduxit, ut egregiè observavit Rabanus lib. 1. de inst. Cler. c. 28. quia non semper poterat adesse Pontifex, qui Sacramentum Confirmationis daret.

Quod si quis contentiosè negaverit eam esse mentem Dionysij, & Pachymeræ morem gesserit, dicendum est, Dionysium attribuisse hoc munus Pontifici, tanquam proprio, ac legitimo ministro, qui per aliorum ministerium illud ordinariè non exequitur.

Fortassis illud quoque ad locum Dionysij non sine maxima probabilitate dici posset. Nimirum propterea Dionysium tam constanter affirmare Sacerdotes sine unguento Baptismum nunquam peragere, quòd aqua Baptismi per infusionem unguenti consecraretur, ut docet idem Dionysius de Eccles. Hierar. ca. 2. his verbis: αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται, καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτό. Ipse (Pontifex) ad matrem adoptionis accedit, ejusque aquam sacris invocationibus consecrans, & eam trina unguenti vim maximam habentis purificandi per modum Crucis effusione perficiens, & quæ sequuntur.

Hanc ob causam fortassis quispiam suspicetur, ita loquutum fuisse Dionysium, quasi de re quapiam, quæ Presbyteris foret propria, peculiaris, & ordinaria.

Quæ solutio mihi antea in mentem non facilè veniebat, quia Græcorum Presbyteri nunc non solent unguento, sed oleo Catechumenorum aquam perfundere. Fortassis quòd, cùm pro singulis baptizandis aliam, atque aliam aquam deinceps consecrent, tantam copiam unguenti non habeant. Præsertim, quòd nunc in Græcia unguentum non consecratur, nisi à Patriarcha, neque tanta copia unguenti haberi potest, quæ sufficiat etiam toties consecrandis fontibus.

Quòd autem non ita intelligatur Dionysius, ut nos priùs exposuimus, probatur auctoritate S. Hieronymi, qui in Dialogo contra Luciferianos eodem planè modo loquitur, atque Dionysius, asserens non posse Presbyterum sine unguento, & jussu Pontificis baptizare. Et tamen ibidem ait Episcopos solitos esse excurrere ad conferendam Confirmationem. Immo & Diaconum unà cum Presbytero consociat, qui non possit baptizare sine unguento, & mandato Episcopi: ut indicium sit, sanctum Hieronymum, quando dicit, unguento inungi baptizatos à Presbyteris, & Diaconis, non intelligere, Sacramento Confirmationis eos consignari. Nunquam enim Ecclesia Diaconis fecit facultatem Confirmationem conferendi. Sed adscribamus more nostro verba Hieronymi. Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes. Inde venit, ut sine Chrismate, & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.

Superiùs autem dixerat; An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Et respondet Orthodoxus, Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manus impositurus excurrat. Itaque Episcopus conferebat Sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem intelligitur, & tamen Presbyter & Diaconus sine chrismate non baptizabant. Cur igitur ut explicatur B. Hieronymus, non potest etiam explicari divinus Dionysius?

Respondeo, Hieronymum ita quidem loquutum fuisse, vel quia Latini Presby-

teri verticem baptizati inungere solent, (quam tamen cerimoniam in usu non habent Græci. Neque Dionysius, cum de Baptismate agit, ullam mentionem illius facit, neque Cyrillus in suis Catechesibus, præsertim mystagogicis, ubi recenset totam rationem Baptismi, sed nec aliquis alius Patrum Græcorum,) vel quia fons Baptismatis in consecratione non caret unguento.

Et tunc quamquam Dionysius, si ita exponatur, hac ex parte facere pro Græcis non videatur, ex alia tamen multùm facit. Quippe in fine illius paragraphi ad Pontificem spectare ait, potissimùm τὴν τοῦ μύρου τελείωσιν, confectionem, seu consecrationem unguenti. Quod ideo asserit, quia extraordinariè administratio Confirmationis committi potest Presbytero, quem tamen à consecratione Chrismatis vetera Concilia, & Patres penitus arcent.

Discrimen Dionysij in consecrando Chrismate agnoscit etiam Synodus Ro-
» mana c. 5. Constituit Silvester Episcopus
» urbis Romæ, ut nemo Presbyter Chrisma conficeret. Et Concilium secundum Car-
» thag. c. 3. Ab universis dictum est: chri-
» smatis confectio à Presbyteris non fiat. Græcè quoque ita est, Nam Concilia Carthaginensia etiam in Græcum sermonem antiqui verterunt, ἀπὸ πάντων τῶν ἐπισκόπων ἐλέχθη, χρίσματος ποίησις παρὰ πρεσβυτέρων μὴ γινέσθω. Ubi interpres Zonaras, χρίσματος ποίησις ἡ ἐπὶ τῷ ἁγίῳ (Armenopolus ἀειγγάφῳ) μύρῳ τελετή. παρὰ γὰρ ἀρχιερέων
» τὸ ἅγιον χρῖσμα τελεῖται καὶ ἁγιάζεται. Per
» chrismatis confectionem, ritus consecran-
» di unguentum intelligitur, quippe à Pon-
» tificibus sanctum chrisma efficitur, & con-
» secratur.

Quem Canonem citant etiam Græci in suo Nomocanone, & hoc non obstante, ipsi administrant, sed non conficiunt Chrisma. Idem prohibuit Concilium tertium Carthag. c. 36. Similiter Concil. Tolet. 1. c. 20. declarat soli Episcopo licere Chrisma consecrare, & ab eo petendum singulis annis ante Pascha, quod idem decernit Concilium 4. Carthag. c. 36. Jubet enim Parochis, ut ante Pascha petant Chrisma ab Episcopo proprio.

Et fortassis, ut obiter hoc etiam addam, ita intelligendi & interpretandi sunt quidam Pontifices 3. p. Decret. d. 5. c. novissimè, &c. De his verò, qui statuunt irritum, & vacuum, ac nullum esse Sacramentum si à Presbyteris conficiatur. Scilicet, si Presbyteri conficiant, & conferant, tunc nullum est. Conficere enim, ut enunciat Dionysius, spectat ad Episcopum.

Innocentius verò propterea dicit, Presbyteris chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum. Non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum paracletum, vel quod illud à Presbyteris tum revocare vellet, vel ut indicaret ordinaria potestate solis Pontificibus convenire. Nam quando de potestate est sermo, & absolutè pronunciatur aliquod genus hominum habere, vel non habere potestatem, intelligitur de potestate ordinaria, ut si quis dixerit, Parochum, & Rectorem Ecclesiæ non habere potestatem excommunicandi, intelligitur de potestate ordinaria, quæ annexa sit officio ejus, non de potestate delegata, quam accipere potest à summo Pontifice. Quo eodem modo intelligo, atque declaro S. Eusebium Papam in Epistola tertia ad Episcopos Tusciæ, & Campa-
niæ. Manus, inquit, impositionis Sacra- «
mentum magna veneratione tenendum est, «
quod ab aliis perfici non potest, nisi à sum- «
mis Sacerdotibus, videlicet ordinariè. Vel «
illud perfici idem valet quod confici, id «
est consecrari. Et omnino respondet verbo «
Dionysij, quo utitur ille τελειώσεως.

Idem probatur auctoritate Gregorij Magni, & alterius Gregorij Patriarchæ Constantinopolitani, unius ex Patribus Concilij Florentini.

Caput XV.

Confirmationis Sacramentum collatum à Presbytero esse validum, modò ipsi à potestatem habente concessum fue-

rit, patet ex concessione Gregorij Magni, qui non fuit contrarius aliis Pontificibus in hoc dogmate. Nisi fortè quis velit unà cum Durando in 4. d. 7. q. 4. affirmare in hac re errasse Gregorium, quod hæretici libenter audiunt, ut Pontificiæ dignitati aliquid detrahant; sed non est opus compellere se ad istas angustias.

Hîc verò consideranda sunt verba Gregorij ex Epistola 26. libro 3. ad Januarium Episcopum Calaritanum. » Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, » quòd Presbyteros chrismate tangere in » fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. » Et nos quidem secundùm usum veteris Ecclesiæ nostræ fecimus. » Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi » Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in » frontibus baptizatos chrismate tangere » debeant, concedimus. Hactenus Gregorius.

Nec defuerunt alij Pontifices pari potestate præditi, qui hac nostra ætate ob penuriam Episcoporum eandem facultatem paucissimis quibusdam viris Apostolicis spectatis Patribus Societatis JESV concesserint, ut religiosissimus Pater Ludovicus Fonseca mihi ore tenus retulit præsentibus quoque aliis gymnasij Græcorum in urbe alumnis, qui cùm ex Brasilica ora solvisset, ac Romam ad generalem Conventum anno Domini 1593. venisset, munere procuratoris illius Provinciæ functus est. Aiebat porrò, ac pro certo affirmabat, se solitum esse in illis partibus hoc Sacramentum administrare, ibique hujus auctoritatis concessæ asservari diploma Pontificis. Alij referunt Adrianum VI. anno 1521. die 25. Aprilis petentibus fratre Galapione, & Francisco de Angelis concessisse pro Indiis, & regionibus, ubi non sunt Episcopi, ut Sacerdos regularis ex Minoribus posset cum Chrismate ab Episcopo consecrato confirmare. Haberi autem authenticum Hispali in Monasterio S. Francisci.

Hanc eandem sententiam, quòd Presbyter extraordinarius possit esse minister ex Latinis, ut veriorem, ac probabiliorem suo tempore docuit Angelicus Doctor 3. p. qu. 72. art. 11. quem sequuntur omnes ejus discipuli, aliique præstantissimi Theologorum, ut Ricardus, Paludanus, Marsilius, & alij in 4. d. 7. Idem docent omnes Canonistæ, & colligi potest ex decretis d. 95. c. Presbyter, & cap. omni tempore de consecr. d. 5. & sanctus Augustinus idem tradit, seu alius in libro quæstionum utriusque testamenti q. 101. In Alexandria, inquit, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter. Forsan etiam Concilium primum Tolet. c. 20. hoc sibi vult. Ex recentioribus idem docet, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, Bellarminus.

Patet etiam ex Conciliis Florentino in Bulla Armeniorum, & Tridentino sess. 7. quibus declaratur, solum Episcopum esse Confirmationis ordinarium Ministrum. Expendenda est vox (ordinarium) quæ sanè indicat Presbyterum hujus Sacramenti ministrum esse posse ex delegatione Apostolica.

Quod cùm ita sit, & facilè possint se tueri Græci, desinant Turrianus in lib. 3. Const. Clement. c. 16. & Joannes Stephanus Durantus, qui scripsit de ritibus Ecclesiæ Catholicæ, alioquin viri pij, & non vulgari doctrina præditi, ex Nicolao primo Epistolâ ad Hincmarum Græcis hunc errorem attribuere. Quasi verò Græci Presbyterum esse ministrum ordinarium existiment, quod falsissimum est. Neque enim par est considerare quid Photius ex odio in Romanam Ecclesiam de hoc effutit, quod item imperiti Græcorum respondeant; sed quid pro consuetudine Græcorum responderi possit, cùm iste mos sit antiquissimus, neque cœpto schismate cœperit. Siquidem in Ægypto Presbyteri confirmabant, teste Ambrosio, seu alio auctore vetusto sanè in c. 4. ad Ephesios, & Augustino suprà citato.

Neque enim audiendus est Valdensis 2. tom. de Sacramentis c. 114. qui notat Ægyptios non propriè in hoc errasse, quòd Presbyter Sacramentum chrismatis administraret, sed in eo quòd Sacramentum Confirmationis negabant, solamque cerimonialem unctionem Chrismatis, quæ fit in solemni Baptismo cognoscebant, &

ideo per consequens aiebant non esse propriam Episcopi, sed à Presbytero etiam ministrari posse. Quod idem Valdensis affirmare posset etiam de Græcis.

At unde habet istud Valdensis? Si enim conjectura ipsius est vera, ut propterea unctio illa non fuerit Confirmationis, quòd adhiberetur à Presbyteris in solemni baptismate; pari ratione dicat, Sardiniæ Presbyteros negasse Confirmationem, & unctionem alterius generis in Baptismate administrasse: quid igitur concessit illis Gregorius? Deinde si ea cerimonia non fuisset Confirmationis, non eam exercuissent in absentia Episcoporum. Ad hæc Ægyptij, ut & Græci non agnoscunt aliam unctionem chrismatis in Baptismate, præter eam quæ sit Confirmationis: quod ex forma hujus Sacramenti potissimum patet, quæ in aliam cerimoniam minimè quadrat, item ex subjecta materia, quam inungunt, videlicet frontem. Itaque cogitet ipse non tantùm Confirmationem in Baptismate, sed etiam Eucharistiam Orientis Ecclesias non solùm adultis, sed & infantibus simul administrare consuevisse. Quæ potissima causa est, cur Græci careant alia cerimoniali chrismatis Unctione, ut antea notavimus. Neque verba Ambrosij & Augustini illud significant, Ægyptios negare Sacramentum Confirmationis: immo potiùs astruunt eos credere Confirmationem, quandoquidem nonnisi in absentia Episcoporum consignabant. Quòd enim nonnulli aiunt in emendatioribus exemplaribus loco, consignat, apud Augustinum haberi, consecrat, & Ambrosium apertè loqui de eo tempore, quo Presbyteri simul ordinabantur Episcopi: Hoc si verum est, penitus destruit conjecturam Valdensis. Quorsum enim Ægyptij negassent Sacramentum Confirmationis, si nulli Presbyteri erant in Ægypto, qui non etiam essent Episcopi? At neque hoc responsum consistere potest, quippe non solùm absente, verùm etiam præsente primario Episcopo, Presbyteris, alioquin non simplicibus, sed consecratis Episcopis, ex facultate ejusdem per antonomasiam Episcopi congruit consecrare, & consignare. Præterquam quòd incertum est, an eo tempore omnes Presbyteri ordinarentur Episcopi, & oppositum longè probabilissimum est. Respuunt etiam hunc sensum verba Ambrosij. Probat enim auctor ille in primordiis nascentis Ecclesiæ munera Ecclesiastica fuisse permixta, atque confusa, ut quod convenit Episcopo, usurparet Presbyter, & quod Presbytero Diaconus: & ad hoc probandum inter cætera exemplum ponit Presbyterorum Ægypti, etiam tùm illa ætate confirmantium in absentia Episcoporum, quasi hoc facerent vi antiquæ illius consuetudinis nondum apud illos abolitæ. Quæquidem doctrina facilè redargui potest ex Dionysio Areopagita de Ecclesiast. Hier. in qua ille divinus vir luculenter delineat, exprimit, atque ob oculos ponit omnia munera, & exercitia Diaconorum, Sacerdotum, Pontificum.

Quare si nihil aliud esset, hoc unum sufficeret ad probandum auctorem illorum Commentar. in Epist. Pauli non esse Ambrosium, sed quempiam alium. Et eundem faciunt viri gravissimi auctorem quæstionum veteris & novi testamenti, quæ falsò Augustino attribuuntur: nobis tamen hoc testimonium, ut vetustissimi auctoris, ad probandam nostram sententiam egregiè inservit. Est itaque Presbyter minister ex delegatione & mandato Pontificis.

Dices, Innocentius tertius revocavit istam dispensationem, & sic irritam, & inanem fecit consuetudinem. Prohibuit enim Parochis Constantinopolitanis, ne amplius cuiquam conferrent Sacramentum Confirmationis, collatum verò statuit nullum esse.

Respondeo, revocasse à Latinis, non à Græcis. Quandoquidem illo tempore Latini dominabantur Constantinopoli, ut tradunt Historici. Quod ipsemet Pontifex clarissimè in suis litteris exprimit, cùm ad quendam Lucium suum Vicarium ita scribit: Mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis, districtè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant.

Et eodem modo explicandus est Grego-

rius IX. qui hac de re aliorum Pontificum', atque adeo ipsius Innocentij Placita refert, ut est in lib. primo Decretalium de consuetudine tit. 4.

At verò Innocentius quartus non admittit hanc expositionem. Nam in litteris ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ sedis legatum in regno Cypri, quæ extant in ejus registro Bullarum, Pontificatus sui anno XI. in Bibliotheca Vaticana, de ritibus Græcorum consultus, quod attinet ad Confirmationem §. 4. ita faciendum rescribit: Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur. Quibus verbis videtur noluisse tolerare hanc Græcorum consuetudinem.

Sed dicendum: cùm non solùm in regno Cypri, sed in toto fermè Oriente ille mos esset, fortassis legatus Pontificis agnita postea difficultate, decretum Pontificis hac de re publicare prætermisit, neque executioni mandavit, quod commodè fieri haud posset. Quemadmodum etiam Gregorius Magnus jusserat, ne Presbyteri consignarent: sed postea longa consuetudine intellecta, concessit ut in absentia Episcoporum confirmarent. Ob eandem difficultatem tempore Clementis VIII. perbrevis instructio super aliquibus ritibus Græcorum, inter quos recensetur administratio hujus Sacramenti, facta est. Sed ea dirigitur ad Episcopos Latinos, in quorum Diœcesibus Græci vel Albanenses Græco ritu viventes degunt. Quòd optimè scirent in Græcia valde difficile fore ut hæc constitutio acceptaretur.

Universè autem de Pontificibus, qui revocarunt, illud dicendum videtur. Primùm revocasse quidem, quia putabant, Presbyteros solitos fuisse conficere Chrisma, & consignare baptizatos. Horum autem posterius licet Sacerdotibus, ad eosque spectat aliquo modo, & extraordinariè. Primum nulla ratione ad eos pertinet, quòd ipsis commissum nunquam fuerit, ut constat ex Dionysio, & sacris Canonibus Conciliorum.

Deinde, revocasse, quòd existimarent auctoritate propria Presbyteros illud munus usurpasse, ideóque in hujusmodi decretis sæpe invenitur hoc verbum (Ne præsumant:) præsumptio autem nullam facultatem concessam supponit, quam tamen illi obtinuerant, & longissimo usu stabilierant.

A quo tamen obtinuerint, an à Romano Pontifice, an ab aliis Episcopis, hoc non constat.

Tutissimum est dicere Græcorum Presbyteros per suos Patriarchas, & antistites ejusmodi facultatem à summo Pontifice obtinuisse, à quo omnis jurisdictio, quasi à capite in alios, veluti membra mediatè, vel immediatè derivatur, & diffunditur. Nam & Concilium Florentinum in decreto pro Armeniis asserit, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili causa, Presbyteris administrationem hujus Sacramenti concessam fuisse.

Objicies, Romanum Pontificem non posse concedere talem facultatem, præsertim si de jure divino Episcopis convenit, in quo Pontifex dispensare minimè potest.

Respondeo, de jure divino convenire administrationem Confirmationis, non solùm Episcopis ordinariè, sed etiam Presbyteris ex mandato Pontificis. Quòd enim proprium sit Episcoporum in locum Apostolorum succedentium confirmare, divinæ litteræ astruunt. Quòd etiam Sacerdotibus extraordinariè congruat, declarant sacra Concilia. Item probatur à posteriori, & colligitur ab effectu, & factis Romanorum Pontificum. Nam Pontifices concesserunt hoc munus Presbyteris, quod utique non fecissent, si facultate caruissent. Neque est dicendum eos errasse, ac deceptos fuisse. Quocirca non est dubium, quin possit summus Pontifex dispensare: distinctionéque adhibita ordinariè, & extraordinariè, quotquot objectiones solent fieri, nullo negotio soluuntur.

De Episcopis si loquamur, longè major est difficultas, an ij facultatem hanc

Presbyteris tribuere potuerint.

Axioma est multorum Theologorum & Canonistarum, si solùm jus divinum & naturale attendamus: Quicquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias, quæ ad universæ Ecclesiæ statum pertinent, ut res fidei definire, posse Episcopum in sua Diœcesi, nisi specialiter Pontifex aliquid sibi reservet. Ut docent Abulensis cap. 19. Matth. q. 87. littera E. Victoria relectione de matrimonio p. 1. num. 7. Sotus in 4. d. 27. q. 1. a. 4. versu, At quo tandem. Et melius lib. 10. de Justitia q. 1. a. 3. ad 2. & in 4. d. 32. q. 1. a. 3. in fine. Gambara de offic. legati lib. 10. n. 466. & 476. Thesaurus Christianæ religionis cap. 17. Nicolaus de Cusa lib. 2. de concordia Catholica c. 3. Vera-crux 2. p. Speculi a. 28. post tertiam conclusionem versic. ex ista conclusione. Perez lib. 8. ordinat. tit. 15. lege 5. paulò post principium, & tit. 18. lege 2. versu, Statutos contra illos. Henriquez lib. 6. de Pœnitentia c. 14. num. 7. in commento littera K. & libr. 10. de Sacramento ordinis cap. 35. n. 2. & lib. 12. de matrimonio cap. 5. n. 2. in commento littera N. Aragon. 2. 2. q 88. a. 12. versic. Si quis quærat, an omnis, ante 2. conclusionem. Idem docet Maiolus lib. 5. de irregularitate cap. 51. n. 4. & refert Hugonem, ubi dicit, posse Episcopum dispensare in omnibus casibus, qui sibi specialiter non reservantur. Thomas Sanchez lib. 1. disput. 61. num. 3. & lib. 7. de impedimentis matrimonij disputatione prima n. 9. Et ratio est manifesta. Quia est pastor ordinarius in sua Diœcesi, sicut Pontifex in toto orbe, licet sit ipsi subjectus. Ergo in iis, in quibus Pontifex non coërcet ejus jurisdictionem, habet potestatem ordinariam. Sicut quilibet Confessarius potest æquè ac Pontifex ab omnibus peccatis absoluere, nisi per Pontificem aut Episcopum casus aliquis reservetur. Et ipsi Græcorum Presbyteri, confessarij constituti, potestate sibi ab Episcopis concessa, miniméque limitata ab omnibus peccatis absoluunt. Sed iidem tamen juxta præscripta veterum Canonum, & antiquorum placita Patrum pœnitentibus mulctas imponunt; ut non mirum sit, si hac posita conditione talis potestas illis concessa sit. Si ergo Romanus Pontifex potest committere Presbytero administrationem Confirmationis, potuerunt etiam Græcorum Episcopi, hoc idem præstare eo tempore, quando eam facultatem Pontifex non reservaverat. Hoc est, ante schisma, & divisionem Ecclesiarum.

Ledesma existimat in Græcia simplices Sacerdotes confirmasse ex licentia Episcopi, idque probat testimonio Ambrosij ad Ephesios 4. de Ægyptiis, qui tamen eum morem non reprehendit. Idem probare potuisset ex præsenti consuetudine Orientalis Ecclesiæ. Negat Suarius fuisse aliquando consuetudinem hanc in Ecclesia, sed immeritò.

Ego si velim promere, quæ sentio, distinctione utar. Et quidem si seorsim singulos Episcopos consideremus, non ausim dicere eos potuisse. Si verò aliqua maxima pars Ecclesiæ, ut est tota Orientalis Ecclesia, ante dissensionem perniciosam, & execrandum schisma Presbyteris tale munus commiserit, meâ quidem sententiâ valet Sacramentum non corrigente à principio, sed diù tolerante Romano Pontifice. Tunc enim intelligitur saltem tacitus consensus Pontificis. Qui licet postea possit corrigere, non tamen expedit, nec ita facilè similia corrigit propter infirmam aliorum conscientiam: immo potius solet concedere, ut etiam concessit Gregorius Magnus pro diversitate regionum, & consuetudine. Præsertim si talis consuetudo in Oriente à temporibus fermè Apostolorum vires acceperit. Hac enim in re Dionysij auctoritas, qui eodem ævo floruit, si ita interpretanda est, ut sonare videtur, & nos exposuimus, pro Græcis est magni facienda. Immo verò si talis mos abrogaretur, & infantes Græcorum more solito non ungerentur; non deessent innumeri Græcorum, qui ex crassa ignorantia falsò existimarent, eos perfectè non esse baptizatos.

Tandem ad superiorem difficultatem sunt qui respondeant, etiamsi Pontifex omnibus modis revocavit; Græcorum ta-

men consuetudo hoc non admisit. Nec prævaluit Pontificis jussio, usu non approbante. Quare peccarunt illi primi voluntati Pontificis se opponentes, sed qui subsequuti sunt, consuetudinem, quam invenerunt, retinentes, nullum errorem commiserunt; ac tot annis elapsis, accepit vires iterum consuetudo, & manet in suo robore.

Non placet solutio, & ob id proposita ut refutetur, ac rejiciatur. Si quid enim esset juris Ecclesiastici, quod peccaretur, tunc haberet locum responsio: nunc cùm de jure divino Presbytero non conveniat confirmare, nisi positâ dependentiâ, eâ sublatâ, statim cessat facultas concessa Presbytero; adeo ut irrita nullaque sit ampliùs omnis ejus Confirmatio. Quam usus, qui potius abusus dicendus est, juvat omnino nihil. Quare præter solutiones allatas hoc etiam modo propositæ difficultati putarem me posse satisfacere. Quicquid sit de revocatione aliorum Pontificum. Profectò cùm in Concilio Florentino post omnes Pontifices, qui revocarunt, Græci de hac re interrogati omnem difficultatem, ut ibi asseritur, legitimè, & canonicè diluerint; ipse etiam Pontifex Eugenius quartus redditæ ab iis rationi acquieverit; hoc vel unum ad omnem controversiam de hac re sedandam, sufficere posse videtur. Recesserit sanè ab usitata consuetudine aliorum voluntas Pontificum; Attamen clarissimè apparet denuo accessisse consensum Eugenij Pontificis, dum Græcorum responsum sine ulla contradictione admittit.

Verùm operæ pretium mihi videtur verba Concilij Græcè referre. Siquidem peracto Concilio proposuerat Græcis Pontifex undecim quæstiunculas, inter cæteras sexta est in ordine: διατί οὐ χρίουσιν οἱ ἀρχιερεῖς τῷ μύρῳ, ἀλλ' οἱ ἱερεῖς, καὶ γὰρ τοῖς ἀρχιερεῦσι δέδοται τοῦτο; Quare Pontifices non inungunt sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus sit datum? Addit deinde in fine Concilium, ταῦτα τῶν Λατίνων προκομισάντων, ὁ Μιτυλήνης κανονικῶς τε καὶ νομίμως ταῦτα πάντα ἔλυσε. πλὴν δύο τινῶν, τὴν διάζευξιν τῶν ἀνδρογύνων, καὶ τὴν χειροτονίαν τοῦ πατριάρχου. Hæc à Latinis objecta, Mitylenensis præsul legitimè, ac secundum Canones omnia dissoluit, præterquam duo, videlicet separationem matrimonij, quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.

Unde non est mirum si etiam Gregorius ille protosyncellus, qui interfuit, & subscripsit Concilio, utpotè qui à confessionibus Imperatoris Joannis Palæologi fuerat, & quod amplius, Patriarchæ Alexandrini locum in Concilio tenuerat, magnæ profectò auctoritatis vir: Non inquam, mirum est, si scribens adversus Epistolam Marci Ephesij, illam Encyclicam ad omnes Christianos, ejusque objectioni respondens dicat, ἀλλὰ καὶ Λατῖνοι τοὺς ἡμετέρους ἔχριον, καὶ χρισματισμένους ὠνόμαζον. ὅτι δὲ οὐ κατὰ δίκαιον λόγον ταῦτα ἐγίνοντο, δῆλον, ὅτι ἐν τῇ ἑνώσει ἡμῶν οὐδένα λόγον εἶχον εἰπεῖν καθ' ἡμῶν, ἀλλ' ὀρθόδοξοι ὄντες παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ὀρθόδοξοι ἐκρίθημεν. Verùm etiam Latini nostros ungebant, & Chrismatos appellabant. Quod verò non secundùm rectam rationem ista fierent, manifestum est. Etenim cùm iniremus concordiam, nullam rationem contra nos afferre poterant; sed cùm orthodoxi essemus, & rectè sentiremus, ab orthodoxis orthodoxi judicati sumus. Nota verba Gregorij, quæ indicant præsentem quæstionem inter Græcos & Latinos fuisse agitatam, & quidem Latinos nihil habuisse quod Græcis objicerent, sed eos rectè sentire hac de re judicatos fuisse.

Itaque Græci ungebant Latinos ad se accedentes, & Latini Græcos. Cæterùm qua ratione id fieret Gregorius non explicat, nisi quòd ingenuè fatetur malè ambos fecisse. At Marcus Ephesius ideò ait Latinis Chrisma à Græcis adhibitum fuisse, quòd eos instar hæreticorum haberent. Et ad hoc probandum affert etiam Canonem septimum Concilij Constantinopolitani primi, in quo recensentur quidam hæretici, qui ad fidem reversi, debebant confirmari. Unde nota tempore Marci Ephesij in Ecclesia Græca Sacramentum Confirmationis iteratum fuisse. De quo infrà fusiùs dicemus.

Verùm hoc, quod de Latinis ait Ephesius, nullo modo admittens Gregorius, non ob id, & tamen malè factum esse affirmat. Quare in Concilio Florentino rectè rem judicatam fuisse. Quòd enim non ut hæreticis tribuissent Chrisma, probat Gregorius ex eo, quòd etiam Latini ungerent Græcos, quos scilicet non hæreticos, sed schismaticos esse arbitrarentur. Deinde probaverat Gregorius in eadem Apologia, nunquam Græcos à Latinis, nec Latinos à Græcis hæreticos, sed schismaticos appellatos fuisse. Utrum autem in aliis hæreticis Confirmatio iterata fuerit, ut universè de omnibus pronunciat Ephesius, necne, nihil dicit contra Marcum Gregorius, ut signum sit eam iteratam fuisse. Ego existimo (modò quod ait Ephesius non sit verum, vel ista ex odio non sint facta) alia, atque alia de causa exorto, ac durante schismate factum esse, ut ambo ad se accedentes ungerent. Græci quidem, quòd optimè scirent Latinos in Baptismo non esse solitos infantibus conferre Sacramentum Confirmationis: Latini verò quia putabant irritam, & inanem esse Confirmationem à Presbyteris Græcorum collatam. Hac verò quæstione proposita in Concilio à Pontifice, satisfactum est utrisque. Quòd enim satisfactum fuerit Græcis, ex eo colligo, quòd idem iste Gregorius tuetur usum Confirmationis Latinorum adversus Ephesium in eadem Apologia his verbis: ἀλλὰ καὶ τῷ μύρῳ τοὺς βαπτιζομένους οἱ Λατῖνοι χρίουσι, καὶ ὡς ἡμεῖς ἓν τῶν ἑπτὰ μυστηρίων τῆς ἐκκλησίας τὴν τελετὴν τοῦ μύρου λέγουσι. χρίουσι δὲ τούτῳ, ὅταν τελείας ἡλικίας ἐπιλάβωνται οἱ ἄνθρωποι, ἵνα καὶ ἀκοῦσαί τι μυστικὸν, καὶ ἀποκεινάσθαι δυνατὸν, κατὰ τὸν ἐν θεολογίᾳ Γρηγόριον.
» Verùm
» etiam Latini baptizatos unguento inun-
» gunt, & non aliter atque nos ipsi, unum
» ex septem Sacramentis Ecclesiæ cerimo-
» niam Chrismatis fatentur. Hoc verò un-
» guento inungunt, cùm sunt confirmata
» ætate homines. Et quiddam mystici audire,
» ac respondere possunt ex sententia Gregorij cognomento Theologi.

Satisfactum etiam fuisse Latinis patet ex Concilio, & ex verbis Gregorij jam citatis. Puto dixerint extraordinariè posse Presbyteros conferre Chrisma de commissione Episcopi, & valdè vetustum esse hujusmodi morem Græcorum.

Verùm antequam ad reliqua, quæ deinceps tractanda sequuntur, progrediamur, ut citatum testimonium satis apud omnes in hac re ponderis habeat; qualis, & quantus vir fuerit nominatus Gregorius declarandum est.

Is ergo creatus Patriarcha Constantinopolitanus, primus in ordine post concordiam factam, ante captam Constantinopolim, scripsit Orationem quandam rogatus ab Imperatore Trapezuntio; in ea tum Pontificiæ dignitatis, qua erat insignitus, mentionem facit, & rationem aliis reddere concordiæ jam factæ in Concilio, sibi ex officio incumbere profitetur; tum etiam dogma processionis Spiritus sancti luculenter declarat.

Scripsit etiam adversus quandam Epistolam Marci Ephesij ad omnes Insulas, & Christianos missam, cujus initium, τοῖς ἁπανταχοῦ, quæ nuper edita est cum actis Synodicis Concilij Florentini, interprete doctissimo viro Caryophilo. Item cùm in Concilio Florentino Græci Patres, antequam inirent cum Latinis concordiam, seorsim singuli scripto suam sententiam mandarent; Marcus Ephesius ὁμολογίαν suæ fidei etiam ipse conscripsit. Verùm cùm videret aliorum Patrum sententias longè diversas esse à sua κακοδοξίᾳ, timuit, & erubuit eam promere, ne ab aliis dirideretur: eam deinde peracta Synodo inter Græcos divulgavit, sed noster Gregorius validissimis rationibus confutavit in Apologia, cujus initium, ὁ τῆς Ἐφεσίων πόλεως. Quæ similiter cur non sit typis mandata in hac nova, & tandiù desiderata editione Conciliorum, miratus sum.

Sed ante editos hos tractatus Gregorius composuit quinque capita in defensionem Concilij Florentini, quorum in his suis scriptis adversus Marcum Ephesium expressam mentionem facit.

Utrum autē ea sint illa quinque celeberrima capita, quæ falsò circūferuntur nomine Gennadij, haud omnino certum est.

Quamvis enim ubicumque incidit occasio tractandi aliquid ex iis, quæ continentur in illis quinque capitibus, ut de azymis, de Purgatorio, de Potestate summi Pontificis, præcipuè verò, cùm docet sanctos Dei visione frui, eadem ad verbum transferat, hoc præterea in hoc postremo loco de fruitione sanctorum cum superioribus contexat, καὶ τί δεῖ πολλὰς εἰσάγειν μαρτυρίας; ἐν γὰρ τῇ περὶ τούτου πραγματείᾳ πλατύτερον εἴπομεν, καὶ σαφέστερον ὑπεραπολογούμενοι τοῦ ἐν τῷ ὅρῳ τετάρτου κεφαλαίου. καὶ ὁ ἐντυχὼν ἐκείνοις, καὶ τὰς λοιπὰς εὑρήσει μαρτυρίας. Et quid opus est afferre plura testimonia? in tractatu enim hujus rei latiùs ut explicatiùs diximus, cum quartum caput, quod in definitione Concilij continetur, defendendum suscepimus. Et qui in ea capita inciderit, cætera quoque testimonia reperiet. Et hæc omnia sint argumenta non contemnenda ad probandum Gregorium esse auctorem illorum capitum: tamen cùm auctor etiam Apologiæ, εἰς τὸ γραμμάτιον τοῦ Ἐφεσίου, cujus initium: ὁ αἰδέσιμος οὗτος ἀνήρ, respondens ad illud Damasceni, ex Filio Spiritum non dicimus, scribat: ἵνα μή τις δισάσῃ, ἐλύσαμεν αὐτὸ ἐν τῷ πρώτῳ κεφαλαίῳ τοῦ λόγου ὑπεραπολογούμενοι τῶν πέντε κεφαλαίων. Ne quis dubitet, solvimus illud in primo capite defensionis Concilij, dum pro quinque capitibus scriberemus. Non possumus certò scire, cujusnam potissimum sint illa quinque capita.

Quòd enim non sit idem auctor commemoratæ Apologiæ, manifestè ostendi potest ex opposita sententia, quam habet de origine schismatis. Quippe negat ex additione ortum esse schisma, & Latinos dedisse causam. Potissimùm ubi ait: τὸ γὰρ λέγειν ὅτι ἡ προσθήκη γέγονεν αἰτία τοῦ χωρισμοῦ, καὶ τοῦ σχίσματος, τοῦτο οὐδεὶς ἂν τῶν φιλομαθῶν φήσειεν, εἰ μή πού τινες γραὸς μύθοις πιστεύσαντες μετὰ σοῦ φήσουσιν. Dicere enim additionem fuisse causam dissidij, & schismatis, id nemo studiosorum affirmaverit, nisi quidam anilibus fabulis fidem habentes, hoc tecum asseveraverint. Quod idem sæpè repetit.

At ubi Ephesius in ea Epistola ait, τὴν μὲν αἰτίαν τοῦ σχίσματος ἐκεῖνοι δεδώκασι τὴν προσθήκην ἐξενέγκοντες. Causam schismatis illi dederunt additamento palam apposito. Respondens Gregorius assentitur illi his verbis; ὅτι μὲν τὴν αἰτίαν τοῦ σχίσματος ἐκεῖνοι δεδώκασι διὰ τῆς ἐν τῷ συμβόλῳ προσθήκης, δῆλον. Illos dedisse causam schismatis per additamentum in symbolo, certum est. Ex quo patet diversos esse auctores, quod etiam constat ex modo loquendi, cùm Gregorius nullum asperius verbum in Marcum proferat: Alter velut eum hæresiarcham tractet. Unde colligi potest pro definitione Concilij Florentini plures Græcos Patres scripsisse. Igitur auctorem citatæ Apologiæ Josephum quendam virum doctum Episcopum Methonensem reperit esse in Bibliotheca Caryophilus; quam Apologiam Latinè vertit, & cum Concilio Florentino imprimendam curavit.

Sed ut ad nostrum Gregorium Patriarcham redeamus, idem post celebratum Concilium suasit Georgio Scholario, ut quibusdam argumentis Marci Ephesij de processione Spiritus sancti faceret satis, & idem iste impulit quoque Bessarionem, ut ad reliquas objectiones Marci Ephesij, quas morte præventus Georgius Scholarius non diluerat, responderet. Cui libenter, & cum animi submissione obtemperans Bessarion, eum, quippe virum gravissimum Patriarchali dignitate insignitum, & canitie veneranda, sanctimoniáque pręditum, θειότατον δεσπότην, καὶ ἁγιώτατον πατέρα, καὶ γλυκὺ πρᾶγμα καὶ ὄνομα, in iis scriptis jure optimo appellat: ταῦτα εἴρηται μὲν πρὸς σὲ θειότατε δέσποτα, τὸν μᾶλλον ἤ τι ἡμῶν εἰδότα, καὶ πολλὰ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ταύτης ἀσμένον πεπονθότα. εἴρηται δὲ ὑπακοῆς ἕνεκεν, καὶ τοῦ μὴ οἴεσθαι θεμιτὸν ὅλως τοῖς σοῖς προστάγμασιν ἀντιβαίνειν. In fine literarum: εὖ πράττοις ἁγιώτατε πάτερ, τὸ γλυκύ μοι καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα. Hæc ad te dicta sunt divinissime Domine, qui magis ea calles, & multa pro hac veritate libenter passus es. Dicta sunt verò obedientiæ causâ, & ne aliquis putet ulla ratione fas esse, ut quisquam tuis imperiis se opponat. Bene vale sanctissime Pater, dulcissime mihi re ipsa & nomine.

Quæ omnia unà cum aliis scriptis viri

immortalitate dignissimi Cardinalis Bessarionis Romæ vidi, & legi in quodam libro Græco manu scripto è Creta allato Gasparis Viviani Urbinatis sapientissimi senis, & religiosissimi Pontificis Anagnini, viri in primis de tota nostra gente optimè meriti. Quippe Gregorius XIII. P. M. illius persuasionibus ductus Collegium Græcorum in Urbe erigendum curavit, proventibus auxit non mediocribus, atque ditavit, amplissimisq; privilegiis ornavit. Ubi Græcorum nobiles Adolescentes ex variis Insulis, & Græciæ partibus accersiti, egregiis literis, & sanis doctrinis, pietatéque Christiana, & optimis moribus excoluntur, atque imbuuntur.

De hoc eodem Gregorio hæc habentur non longè à principio in historia Græca à Theodosio Zygomala Germanis missa, quam hæreticus homo Martinus Crussius instar ἱπποκενταύρου, conficto vocabulo meritò Turco-Græciam inscripsit: ἐπανελθόντων δὲ ἀπὸ Ἰταλίας κατέλαβεν ὁ βασιλεὺς τὴν ἑαυτοῦ φιλτάτην γυναῖκα Μαρίαν τὴν Καντακουζηνὴν οὐκ ἐν ζῶσιν, ἀλλὰ τελευτήσασαν πρὸ καιροῦ. καὶ οὕτως οὗτος μὲν ἐν λύπῃ ἦν. οἱ δὲ ἐν τῇ πόλει κληρικοὶ, ἱερομόναχοι, ἱερεῖς, ἡγούμενοι, πνευματικοὶ, καὶ οἱ λοιποὶ οὐκ ἤθελον συλλειτουργῆσαι τοῖς ἐλθοῦσιν, ἢ μνημονεῦσαι αὐτοῖς, ἀλλ' ἐχωρίζοντο αὐτῶν, ὡς ἀσεβῶν εἰπεῖν. πολλοὶ δὲ παρῃτήσαντο καὶ τὴν ἱερωσύνην. καὶ γέγονεν ἡ ἕνωσις διαίρεσις. οὕτω δὴ φερομένων τῶν ἐκκλησιαστικῶν, ὡς ἔτυχε. καὶ μὴ ὄντος πατριάρχου διὰ τὸ τελευτῆσαι ἐκεῖ. ἄλλου δὲ προβιβασθῆναι μὴ θέλοντος διὰ τὸ σκάνδαλον. ἦν γὰρ οὐκ ὀλίγον, οὕτως ἔμενον τεταραγμένοι. ὁ Νικαίας δὲ Βησσαρίων, καὶ ὁ Ρωσίας ἔμειναν ἐν τῇ Ρώμῃ. καὶ ἐγένετο καὶ καρδινάλις ὁ Βησσαρίων τιμὴν καὶ δόξαν δεξάμενος, καὶ τὸ ἀσκανδάλιστον ἀσπαζόμενος. ἦν δὲ ἐν Κωνσταντινουπόλει τις ἁγιώτατος πνευματικὸς λεγόμενος Γρηγόριος ὁ Μάμμη, σύντεκνος τοῦ μεγάλου δουκός. ἄραντες οὖν αὐτὸν καὶ μὴ θέλοντα, εἰπεῖν, ἐποιήσαντο καὶ ἀνηγόρευσαν πατριάρχην. ὃς καὶ τὸ σκάνδαλον αὐξανόμενον ὁρῶν. καὶ τὴν ἅλωσιν προλέγων παρῃτήσατο. προειπὼν καὶ τῷ ἰδίῳ συντέκνῳ τῷ μεγάλῳ δουκὶ, ὡς οἱ Ἀγαρηνοὶ σφάξουσι τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ἔμπροσθεν αὐτοῦ. ὃ καὶ γέγονεν ὕστερον, ὡς ὁ ἅγιος ἄνθρωπος προεῖπεν. Postquam ex Italia domum redierunt, reperit Imperator suam, quam summè dilexerat conjugem Mariam Cantacuzenam non amplius in vivis, sed ante tempus vita defunctam. Ita hic quidem in luctu erat: Qui verò in Urbe degebant Clerici, Hieromonachi, Sacerdotes, Abbates, confessionibus audiendis præpositi, quos Patres spirituales vocant, ac cæteri, ij nolebant liturgias, & sacra cum illis, qui venerant celebrare, aut in precibus mentionem eorum facere. Sed ab eis recedebant, tanquam qui pietatem (ut ita dicam) abjecissent. Multi Sacerdotio etiam renunciarunt. Denique concordia facta est discordia. Ad hunc modum jactato temere Ecclesiæ statu, ac perturbato, cùm, Patriarcha Josepho illic mortuo, nullus esset; nemo etiam propter scandalum, quod non modicum erat, se ad eum honorem evehi pateretur, in hac perturbatione manserunt. Nicææ verò Bessarion, ac Russiæ Antistes Romæ substiterant, ubi in Cardinalium ordinem Bessarion cooptatus, amplissimo honore affectus scandala evitabat. Erat Constantinopoli à confessionibus quidam vitæ sanctimonia præstans, nomine Gregorius cognomento Mamme, Magni Ducis Compater: hunc arreptum Patriarcham (ut ita dixerim) invitum, ac renitentem crearunt, & salutarunt. Sed is dissidium in dies longius serpere videns, expugnationemq; Urbis prædicens, se munere abdicavit. Cùm quidem illi ipsi suo compatri prædixisset, filios ejus in conspectu ipsius ab Agarenis trucidatum iri. Quod sancti viri vaticinium ipso posterius eventu comprobatum fuit. Sic ibi.

Ex qua narratione, ut hoc ἐκ παρόδου, lectorem admoneam, liquidò constat, turbas, rixas, violentias, dissensiones, quas Marcus Ephesius totus ex mendacio, & fraude compositus, aliique nonnulli Græcorum, quos postea imitati sunt quidam Rutheni schismatici, lingua, & calamo promptissimi ad mentiendum, in sua Pseudoflorentina Synodo citra ullam probabilitatem excogitarunt, non Florentiæ, & in ipsa conclusione Concilij, ut illi falsò commemorant: (neque enim præsens Græcorum historia hoc tacitũ præteriisset) neq; à Pontifice, & ejus fautoribus Romanis ad-

versus Græcos, auctore videlicet clarissimo viro Juliano Cardinale, aut Principe σταυροφόρῳ, Rodiensi, sed Constantinopoli, & ab ipsismet Græcis, hoc est inferioribus, & oviculis contra eosdem suos Græcos, nimirum Principes & Pastores Ecclesiarum, idque post transactam cœlestem illam animorum conjunctionem, & Concilium Oecumenicum, eas ortas, & excitatas, seu potius continuatas, auctas, & tandem cum amissione, ac fine Imperij terminatas quoque fuisse. Si tamen terminatæ, & conclusæ, ac non potius in animis obstinatorum hominum denuo jugulatæ revixerint.

Quo eodem morbo cùm non pauci Russorum hac nostra ætate laborent, qui in suos veros Pastores, & legitimos Rectores insaniunt, atque insultant, caveant ne non dissimili pœna iisdem de causis divinitus jure plectantur.

Hæc inserenda non adeo πάρεργα, hîc esse duxi, ut omni ex parte, & occasione nobis oblata verum indagaremus.

Confirmationis administratio qua ratione spectat ad Episcopum.

Caput XVI.

Quærunt hîc nonnulli Theologorum, qua ratione conferat Episcopus Confirmationem. Si enim ratione jurisdictionis, ergo posset Episcopus electus, non consecratus, alioquin Presbyter confirmare, & tamen secundùm nostram sententiam non potest. Si verò ratione ordinis, ergo non potest hoc munus committi Presbyteris.

Respondeo cum doctissimo Bellarmino, quædam posse Episcopos, idque ratione ordinis, quæ nulla ratione possunt efficere Sacerdotes. Est enim Episcoporum longè excellentior potestas. Atque adeò absolutè, & independenter posse, ut à quoquam impediri minimè queant. Ejusmodi est conferre sacros ordines, quod adeò peculiare est Episcopis, ut cum inferiori potestate illud communicare non possint. Ideo Chrysostomus Hom. 11. in Epist. ad Timoth. in expositione illorum verborum Diaconos similiter pudicos, discrimen assignans inter Episcopum & Presbyterum, de Episcopis ait, τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασιν, sola potestate ordinan- »
di Episcopi antecellunt Presbyteris. Quæ- »
dam verò habent quidem Episcopi potestate ordinis, sed quæ aliis quoque inferioribus possint committi. Quod videlicet in aliorum quoque ordine, seu charactere ordinis radicem habeant, & fundamentum, sintque quodammodo inchoata, & imperfecta perficiantnr per dispensationem eminentioris dignitatis, qualis est administratio Confirmationis. Neque hoc mirum alicui videri debet. Non enim character est aliqua physica potentia, quæ necessariò semper, & eodem modo operetur, sed est signum divini cujusdam pacti. Pacta autem non solùm divina, sed etiam humana possunt esse absoluta, & conditionata.

Dices, Unde scimus in hoc casu ordinem Presbyterij respectu Confirmationis esse conditionatum? Respondeo à posteriori & Ecclesiastica praxi. Cùm enim Romana Ecclesia ita in usu habeat, neque possit errare, per consequens ita philosophandum est. Simile quid esset, si potestas absoluendi esset meri ordinis, non etiam jurisdictionis: Absoluere enim à peccatis est quidem potestas ordinis, quæ à nemine auferri potest, cùm pendeat ex indelebili charactere, sed quæ tamen necessariò postulet tanquam conditionem sine qua non, ut loquuntur scholæ Philosophorum, aliquam jurisdictionem, ut propterea communiter appelletur potestas jurisdictionis, quamvis sit ordinis: quemadmodum ad calefaciendum necessaria est approximatio ignis ad passum. Si igitur ejusmodi potestas nullam jurisdictionem complecteretur, sed esset merè ordinis, tunc similiter ad rationem Sacerdotis esset conditionata, & facultas superioris requireretur tanquam conditio quædam: utque nunc re ipsa in absolvendis peccatis requiritur facultas superioris, tanquam jurisdictionis, ita tunc requireretur ut ordinis. His adde, quòd cùm conditio reperiatur

in potestate jurisdictionis, non video quæ causa sit quare non etiam in potestate meri ordinis reperiri queat.

Et hæc quidem dicta sint, quòd attinet ad dispensationem, qua videlicet non puto impediri Sacramentum. Aliunde tamen non sine justa causa dubitarem, scilicet si tam vetustum esset Chrisma, & sæpius à Presbytero Græco per simplex oleum renovatum (quòd frequenter ob inopiam & incommoditatem habendi aliud solet accidere) ut nullum esset, temporis longissimo intervallo corruptum, aut vetustate exoletum: tunc enim sub conditione iterùm confirmandi essent. Et vel ipsi Græcorum Episcopi suis ovibus consulentes omnibus modis deberent Presbyteros suos cogere, ut quotannis Chrisma novum acciperent. Ita verò mihi placuit de hac dispensatione in gratiam Græcorum dissetere, habita nimirum ratione novæ Græciæ, ut faciliorem ipsis viam sternerem, si quando divino Numine inspirati ad Romanam Ecclesiam accedere, seque cum illa consociare voluerint. In Italia verò illa perbrevi Clementis VIII. instructione Græcorum pueris optimè consultum est, cùm ij non à Presbyteris Græcis, sed ab Episcopis Latinis Sacramento Confirmationis muniri & consignari debeant.

Vtrum hoc Sacramentum imprimat characterem, & eum indelebilem.

CAPUT XVII.

Communis sententia est omnium Græcorum, vel ipso nomine comprobata, Confirmationem imprimere in animis fidelium characterem, ideóque vocari passim ab omnibus σφραγίδα, signaculum. Sic eam appellant complures Græcorum cùm veteres, tum novi auctores, qui de Sacramentis scripsere, vel aliquo modo Confirmationis mentionem fecere. Neque ulla ratione hoc in dubium est revocandum. Si quæramus, an character is deleri possit? Latini ex similitudine characteris Baptismatis, & sacri Ordinis meritó negant. Nonnulli tamen Neogræcorum suâ doctrinâ, & praxi effecerunt, ut res indubitata in quæstionem verteretur. Unde ratio instituti nostri hoc postulare videtur, ut aliquid ea de re breviter, ac dilucidè disseramus.

Non defuerunt ex antiquis Patribus, qui hoc Sacramentum iterarent, ut etiam Baptismum, si ab hæreticis collatum fuisset. Quòd existimarent hæreticos non potuisse conferre gratiam Spiritus sancti, qua ipsos carere constabat. Quæ illorum ratio tum demum solida foret, si ipsi non ut ministri, sed ut causa principalis agerent: tunc enim effectus esset illis similis, qui certè instrumento non solet assimilari. Adde quòd mysterium differt à suo effectu, & inter effectus distinguitur character à gratia. Unde potest quis conferre Sacramentum, & non conferre gratiam; idque non tam ob sui defectum, quàm suscipientis Sacramenta. Requiritur nempè in ministro gratia, non ut conferat Sacramenta, quod sanè efficit potestate sibi tradita per sacram ordinationem, sed ne offendat Deum in tam sancto ministerio, si ipse inimicus Dei permanens, alios Deo reconciliare præsumat. At suscipiens Sacramenta considerandus est, qui si ponat obicem, consequitur Sacramentum, non gratiam; ponit autem obicem infidelitatis, quotiescumque credit hæretico. Quocirca infantes, quia nullam habent indispositionem, neque sunt apti ad ponendum obicem, si ab hæreticis baptizentur, nedum characterem, sed etiam gratiam nanciscuntur.

Antesignanus hujus erroris in Africa extitit Agrippinus Episcopus Carthaginensis sancti Cypriani prædecessor, quem etiam secutus est ipse Cyprianus. Ex Græcis in Asia, cùm multi alij, tum Firmilianus Neocæsareæ Archiepiscopus, teste Basilio, hæreticos rebaptizabat. Nam quod Cyrillus Hierosolymitanus in procatechesi, ait: μόνον οἱ αἱρετικοὶ ἀναβαπτίζονται, ἐπειδὴ τὸ πρότερον οὐκ ἦν βάπτισμα. Soli " hæretici rebaptizantur, siquidem prius il- " lud non erat baptisma: sano modo expo- " nendum est, de hæreticis, qui peccabant in forma baptismi. Quin & ipse Basilius

Magnus quantùm conjicere licet ex iis, quæ tradit de hæreticorum baptiſmate in Epiſt. Canonica ad Amphilochium cap. 1. & 47. quamvis fuerit dubius, in ſententiam tamen Cypriani magis propendere videtur. Quippe loquens de Baptiſmate, ait: οὔτε ἠδύναντο χάριν πνεύματος ἁγίου ἑτέροις παρέχειν, ἧς αὐτοὶ ἐκπεπτώκασιν. Neque „ poterant Spiritus ſancti gratiam aliis im- „ pertire, à qua ipſi exciderant. Quæ ratio æquè militat adverſus Confirmationem: & certè ſi Baſilius Baptiſmum hæreticorum libenter iteraſſet, ut ex locis citatis conſtat, citra ullam dubitationem idem vir ſanctus eorum Confirmationem geminaſſet. Puto tamen ea de re nihil dixiſſe, ac id ſtatuiſſe Baſilium, eò quòd hæretici Orientis, præſertim de quibus loquitur Baſilius, Sacramentum Confirmationis aſpernarentur, eoque in baptiſmate non uterentur. Quocirca ſimplicitet mandat Baſilius utcumque illorum baptiſmate non rejecto, ſi ita viſum aliis fuerit, prorſus tamen confirmandos eſſe: παντὶ δὲ λόγῳ τυπωθήτω, τοὺς ἐπὶ τῷ βαπτισμῷ ἐκείνων προσερχομένους χρίεσθαι ἐπὶ τῶν πιστῶν δηλονότι. „ Omni autem, inquit, ratione ſta- „ tuatur, ut qui cum baptiſmate illorum ad „ Eccleſiam ſe adjungunt, à fidelibus ſcilicet inungantur. Si tamen illi hæretici, de quibus agit Baſilius, Sacramentum Confirmationis adminiſtraſſent, ut Baſilius illorum baptiſmum ægrè quidem, ſed tamen admittit, quòd dubius eſſet, certum eſt, quòd ſimili modo confirmationem quoque admitteret, cùm eadem ratio ſit utriuſque Sacramenti. Et fortaſſis Baſilius loquitur de illis hæreticis, de quibus illum Amphilochius interrogaverat. Neque enim veriſimile eſt, vel omnes hæreticos Orientis Sacramentum Confirmationis reſpuiſſe, vel Baſilium univerſè de omnibus hæreticis illud pronunciaſſe. Præſertim cùm & Canon 7. ſecundi Concilij Oecumenici paucos hæreticos complectatur, qui confirmari debeant; & S. Epiphanius multos referat hæreticos, qui hoc errore haud eſſent imbuti.

Alij nonnulli Catholicorum non quidem rebaptizabant, ſed tamen ab hæreticis confirmatos, denuo Chriſmate inungebant. Sed re vera, vel utrumque ſpernere, ac repudiare debebant, ut ſibi conſtarent: vel uno conceſſo, alterum quoque amplecti par erat. Quamobrem Cyprianus Epiſtola 47. Si majeſtati nominis, in- „ quit, tribuunt, ut qui in nomine Jeſu Chri- „ ſti ubicumque, & quomodocumque bap- „ tizantur, innovati, & ſanctificati judicen- „ tur; cur non ejuſdem Chriſti nomine illic „ & manus baptizato imponitur ad accipien- „ dum Spiritum ſanctum? Cur eadem ejuſ- „ dem Majeſtas nominis non prævalet in „ manus impoſitione, quam valuiſſe conten- „ dunt in baptiſmi ſanctificatione? Et Nemeſianus quidam Epiſcopus, qui ſequebatur ſententiam Cypriani in Concilio Carthaginenſi tempore Cypriani celebrato: Malè, inquit, ergo ſibi quidam interpre- „ tantur, ut dicant, quod per manus impoſi- „ tionem Spiritum ſanctum accipiant, & ſic „ recipiantur, cùm manifeſtum ſit utroque „ Sacramento debere eos renaſci in Eccle- „ ſia Catholica. Hanc eandem ſententiam de Confirmatione hæreticorum iteranda videntur complures Patres, & ſummi Pontifices in ſuis ſcriptis docere. Sed eorum teſtimonia conſultò prætereo: Quòd ea ſatis commodè explicari queant, vel de hæreticis non confirmatis, vel invalidè confirmatis ex defectu miniſtri, quales ſunt plerique hæreticorum noſtri temporis, qui veri Sacerdotij ſunt expertes: Uel per manus impoſitionem Catholicorum antiſtitum non quidem confirmatis, ſed ſolùm reconciliatis. Nec deſunt Patres qui dicant non eſſe ratam, hoc eſt ritè, ac licitè adminiſtratam. Neque tamen intelligunt eſſe iterandam. Siquidem hæretici exhibent Sacramentum ſine effectu Sacramenti, & collatione Spiritus ſancti, ſi deſit neceſſitas, ut ſanè quidem ſemper deeſt in Confirmatione. Ob has igitur & ſimiles cauſas non eſt cur aliquis cæterorum teſtimonia Patrum, præſertim Conciliorum, & ſummorum Pontificum multùm urgeat.

Porrò quamvis olim nonnulli Patres in hoc errore verſati fuerint, quòd hujus dogmatis veritas nondum à Conciliis eſſet

illustrata, nullus tamen eorum unquam Confirmationem Catholicorum, ut & baptiſmum iteravit.

Recenſetur error poſteriorum Græcorum iterantium Confirmationem.

CAPUT XVIII.

At verò mos præſentis Græciæ is eſt, à fide Chriſti transfugas, & ſimiliter hæreticos, hæreticos (inquam) quoſcumque ſive in hæreſi natos, & educatos, ſive in eam lapſos, ſi ſe convertant Chriſmate conſignare. Quocirca & Armenopolus in ſuo compendio Canonum, dum recenſet 47. Canonem Apoſtolorum, ejuſmodi addit ſcholium: ἀναβαπτίζειν μὲν τὸ βεβαπτισμένον ἀπείρηται. μύρῳ δὲ χρίειν οὐδαμῶς, εἰ καὶ τοῦτο μέρος δοκεῖ τοῦ θείου βαπτίσματος. Baptizatum rebaptizare, prohibitum id quidem eſt, ſed unguento inungere nequaquam, licet hoc quoque ſacri baptiſmatis pars eſſe videatur. Itaque non quolibet peccato, ſed ſola hæreſi, ac infidelitate characterem deleri, ac proinde Sacramentum in his caſibus iterari recentiores Græcorum opinantur.

Fundamentum illorum, meâ quidem ſententiâ, duplex eſſe poteſt: alterum pro confirmandis hæreticis, auctoritas ſeptimi Canonis ſecundi Concilij Oecumenici, primi Conſtantinopolitani, in quo recenſentur nonnulli hæretici, qui accedentes ad Eccleſiam, non quidem rebaptizabantur, ſed ſolùm confirmabantur. Unde Marcus Eugenicus antiſtes Epheſius, idemque Græcorum auctoritatem Romani Pontificis reſpuentium hæreſiarches, in oratione, quam ſcribit ad omnes Chriſtianos, ex illo Canone nititur probare Latinos in hæreticorum numero apud Græcos habitos fuiſſe, quandoquidem eos, ſi ad Græcos ſe adjunxiſſent, denuò Chriſmate inungebant. Sed perperàm interpretatus eſt Canonem, qui manifeſtè intelligitur de hæreticis non confirmatis. Propterea enim hæretici illi confirmabantur, quòd in baptiſmate Sacramentum unguenti negligerent, ut teſtatur Theodoretus de Novatianis (quorum Canon meminit) lib. 3. de fabulis hæreticorum, his verbis: καὶ τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρῖσμα. διατοι τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς δὲ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένοις, χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν. Iis, qui ab ipſis Novatianis baptizantur, unguentum ſacrum non exhibent. Quocirca eos, qui ex hac hæreſi cum Eccleſiæ corpore ſe conſociant, omni laude digni patres ungi juſſerunt. Sic ille.

Et Leo Pontifex Epiſt. 35. c. 2. de ſimilibus hæreticis ait, non eſſe rebaptizandos, ſed hoc eis eſſe conferendum, quod ibi defuit, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem ſancti Spiritus conſequantur.

Alterum fundamentum pro confirmandis iis, qui Chriſtum deſeruerint, eſt auctoritas Ritualis Græci per totam Græciam ab omnibus recepti: ſiquidem in Euchologio Græco extant nonnullæ εὐχαὶ ἱλασθητικαὶ, precationes expiatrices, ſeu reconciliatrices cujuſdam Methodij Patriarchæ Conſtantinopolitani. Modus item recipiendi, τοὺς ἀπ᾽ ἀρνήσεως πρὸς τὴν ὀρθόδοξον, καὶ ἀληθινὴν πίστιν ἐπιστρέφοντας, ìà Chriſtianiſmo transfugas, ſi quando eos reſipiſcere, & ad fidem Catholicam redire contingat. Ibi inter alia in rubrica dicitur, χριέσθω μύρῳ καθάπερ οἱ βαπτιζόμενοι, ungatur converſus unguento, baptizatorum inſtar. Et precationibus peractis, & abſolutis, in calce ubi præſcribitur ratio unctionis, & in quibuſnam partibus ungi debeat converſus, recitatur forma hujus Sacramenti. Unde Græci hoc tempore, ut diximus, ſine ulla religione iterant hoc Sacramentum. Eſt autem obſervandum in Catalogo Patriarcharum, duos reperiri hujus nominis Patriarchas: alterum qui proximè anteceſſit ſanctiſſimum virum. Ignatium à σκοτεινῷ Photio vehementer vexatum circa annum Domini 840. Is verò veluti ſanctus Confeſſor, qui multa paſſus ſit pro tuendo cultu imaginum, ab hiſtoricis celebratur. Alterum ſine dubio ſchiſmaticum circa annum 1240. Cujuſnam ſint illæ precationes, incertum eſt.

Sed neque hoc fundamentum Græcos juvat. Nam in primis Methodius, quicumque tandem ille sit, qui illas precationes composuit, certè non est tantæ auctoritatis, ut contra sanctam Scripturam decernat, quod per octingentos, vel mille ducentos, & amplius annos Orientis Ecclesia in usu non habuit. Et supposito modum illum recipiendi negantes Christum, à principio sic fuisse institutum, ut modò extat in Euchologio, hoc est cum forma Sacramenti Confirmationis, certum est auctorem illius non posse esse Methodium primum, virum sanctum, & doctum. Neque enim videtur mihi verisimile, eum non observasse locum Pauli ad Hebræos 6. simulque illius loci Græcos expositores Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, & alios clarissimè affirmantes talia fundamenta, baptismum, & ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν, & μετοχὴν πνεύματος, & σφραγῖδα. Quæ omnia idem sunt, hoc est, Confirmationem nonnisi semel jaci posse, quem locum infrà enucleatiùs, & uberiùs explicabimus. Deinde verisimile est rubricas à principio hujus cerimoniæ de ungendo, & abluendo, & in fine post precationes appendicem formæ à posterioribus Græcis additas fuisse. Argumento est, quòd ea omnia, potissimum appendicem nonnulla exemplaria manuscripta minimè habeant. Cujus rei sanè tum plerique alij studiosi Doctrinarum, Collegij Græcorum in Urbe alumni, tum verò in primis egregius Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ Doctor, cæterisque disciplinis excultus, & Græcis litteris, & Latinis perpolitus Joannes Matthæus Caryophilus Cydonius, totius Græciæ ornamentum, & decus, optimi testes esse possunt, qui ea viderunt, atque legerunt. Illud quoque majorem fidem mihi facit, rem ita se habere, quòd etiam in Euchologio manu scripto toties citato Patriarchali, Monasterij Cryptæ Ferratæ, quod postea nactus sum, nihil de forma reperiatur. Immo neque omnes orationes, quæ in impresso extant, nisi primæ quatuor ibi legantur. Cùm alioquin in eodem Euchologio manu scripto, ubi recensetur Canon 7. secundi Concilij de uno aliquo ex illis hæreticis jam converso habeatur, quòd Sacerdos, χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ καθὼς καὶ τοῖς νεοφωτίστοις, τὴν αὐτὴν ἐπίρρησιν καὶ ἐπ' αὐτῷ ποιούμενος. Inungit eum unguento quemadmodum & recenter illuminatos, eadem verba & super ipsum faciens, hoc est, eandem formam enuncians. Quod tamen non dicitur, nec habetur in hac altera cerimonia. Et certè, ut verum fatear, lotio illa corporalis in balneo, qua non purgatur spiritus, superstitionem quandam potiùs, & antiquæ legis cerimonias, quàm aliquid aliud sapere mihi videtur. Unde dicendum est, vel penitus olim non fuisse adhibitum unguentum, nisi solis hæreticis non confirmatis, vel adhibitum dumtaxat materialiter, & extra Sacramentum. Quòd enim aliquando consuetudo fuerit quorumdam Chrismate ungendi conversos hæreticos extra Sacramentum, probat locupletissimus auctor Suarez in 3. p. q. 72. art. 11. disp. 36. sect. 1. & 3. ex Concilio Arausicano 1. can. 2. ubi dicitur: hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placet. Hoc testimonium, inquit Suarez, non potest intelligi de Sacramento Confirmationis: alioquin non fuisset limitandum ad solos hæreticos, sed majori ratione extendendum ad omnes fideles in mortis discrimine positos, quando non adest Episcopus, qui eos confirmet. Ideò ergo (inquit Suarez) Concilium illud de hæreticis specialiter loquitur, quia non agit de Sacramento Confirmationis, sed de reconciliatione solemni, qua olim ad Ecclesiæ gremium recipiebantur hæretici, qui ab hæresi convertebantur: in qua inter alias ceremonias in aliquibus regionibus, seu provinciis adhiberi solebat quædam unctio, seu consignatio chrismatis. Et in sect. tertia, hujus signum apertum esse ait, quod etiam fieret à simplici Presbytero, cùm alioquin Romana Ecclesia raro admodum potestatem faciat Presbytero Confirmationis administrandæ. Quod si alicubi Concilia in absentia Episcoporum Presbytero passim facultatem conce-

dunt, ut Tolet. l. 1. c. 20. ubi dicitur: statutum est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo: præsente verò, nonnisi ab ipso fuerit præceptum. Illud intelligendum est de chrismate in vertice, non in fronte: quippe antiquitus omnes unctiones chrismatis spectabant ad Pontificem, ex quibus nonnullas absentibus Episcopis permittebant Presbyteris. Ita Leo Pontifex epist. 88. & Damasus Papa in epist. 5. Eodem modo Suarez interpretatur Innocentium primum epist. 1. c. 6. qui hoc idem planè docet de energumenis, videlicet si non possint ad Episcopum adduci, posse Episcopum auctoritatem dare Presbytero consignandi illos, seu imponendi illis manus. Quippe indicatur eo loco aliqua cerimonia, quæ olim fuit in usu, qua soli Episcopi utebantur ad expellendos dæmones: Presbyteri autem, & inferiores Clerici solùm ex licentia Episcopi. Alioquin Sacramentum Confirmationis nunquam applicatum fuit energumenis in remedium: de quo ibi est sermo. Ita docet Suarius.

Auctor itaque hujus cerimoniæ, modò fuerit orthodoxus, fortassis chrisma non per modum Sacramenti conversis ad fidem administrandum censebat; ut ex nonnullis verbis Euchologij innuere videtur. Nam in Euchologio (si rubricæ veræ sunt) ejusmodi homines ad fidem conversos priùs in balneo ablui, & albis indui post pœnitentiam jubet: ὁ τοιοῦτος λαμβανέτω ἱλασθητικὰς εὐχὰς ἐπὶ ἡμέρας ἑπτά, καὶ τῇ ὀγδόῃ λουέσθω, καὶ ἀπὸ τοῦ λουτροῦ λεντίῳ περιζωσθεὶς χριέσθω μύρῳ καθάπερ οἱ βαπτιζόμενοι, καὶ βαλέσθω ἱμάτια καινὰ κατὰ τὸν τύπον τῶν βαπτιζομένων. Iste talis, qui se ad fidem convertit, precationes reconciliatrices septem diebus suscipiat, octavo die abluatur, & à balneo linteo accinctus, unguento inungatur, veluti qui baptizantur, ac juxta exemplar baptizatorum novas vestes induatur. At hoc non est iterare baptismum; sed reminiscentia quædam illius puritatis adeptæ in sacro fonte baptismatis; ergo unctio illa quoque non est Sacramentum. Postremò hoc idem non obscurè colligitur ex ipsismet precationibus, ubi ante unctionem in tertia oratione sic habetur, καταύγασον αὐτοῦ τὴν διάνοιαν τῇ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. ὥστε τὸν ἐναποκείμενον τῇ ψυχῇ αὐτοῦ σπινθῆρα τοῦ σωτηριώδους βαπτίσματος, ταῖς αὔραις τῆς χάριτος ἀναρριπισθέντα εἰς φλόγα πνευματικὴν νοητῶς ἐξαφθῆναι, καὶ τὴν ἐνσημανθεῖσαν αὐτῷ σφραγῖδα ἐκτυπώτερον ἐμφαίνεσθαι. Illustra ipsius mentem virtute, & efficacitate Spiritus sancti tui; adeo ut ipsius animo inclusus igniculus salutaris baptismatis, aurâ gratiæ in flammam spiritualem excitatus, intelligibiliter accendatur, & quod impressum est ipsi signaculum (scilicet per Baptismum & Confirmationem) expressius, ac manifestius appareat. Quibus verbis significat auctor illius precationis, characterem non esse planè deletum, atque obliteratum, sed obrutum quodammodo peccatis, atque obscuratum; hoc est dicere, characterem esse nudum sine gratia comitante. Unde neque est opus eum amplius imprimi.

His testimoniis possimus quidem defendere usum Græcorum, quod attinet ad chrismatis unctionem, & tunc forma hujus Sacramenti, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, signaculum doni Spiritus sancti, nullomodo est adhibenda. Unde maxime optarem, ut æquè rituale Græcum, atque cæteri libri Ecclesiastici, doctissimorum virorum, piorumve censurâ castigati, & in Latinum conversi, beneficio alicujus Principis, quàm emendatissimi in lucem Græco-latinè prodirent. Sunt in his non pauca, potissimùm vetera, adeo excelsa, atque magnifica, ut maximam in animis legentium admirationem efficere, ac pietatem excitare facilè valeant. At verò ut modò sese res habent, ut omittam cætera, hæreticum planè, minimèque ferendum continent errorem, quæ in Euchologio typis excusso traduntur circa hanc cerimoniam de forma Confirmationis recitanda. Sed præstat quæ pressiùs diximus de hac Græcorum cerimonia, eadem latiùs exponere, subjectis, ac refutatis recentiorum Græcorum sententiis.

Refellitur Iob Monachus circa iterationem Confirmationis.

Caput XIX.

IObMonachus in tractatu de Sacramentis morem Græcorum refert his verbis: ἔτι τῶν ἱερῶν ἑπτὰ μυστηρίων ἓν μόνον, τὸ πρῶτον. λέγω δὴ τὸ θεῖον βάπτισμα, ἓν ὡς ἀληθῶς μόνον, καὶ μοναδικῶς ἡμῖν καὶ μονοτρόπως ἐπιτελούμενόν ἐστι. τὰ δ᾽ ἄλλα καὶ πλεονάκις ἔν τισι κατὰ καιρὸν ἐπιγινόμενα βλέπομεν, ἢ ἐξ ἀνάγκης, καὶ τάξει τινὶ, ἢ τοῦ δικαίου καὶ πρέποντι, καὶ βαθμῶν ὑπαλλαγῇ, ἢ ζημίᾳ θανάτου. τυχὸν δὲ καὶ περιστάσει τινὶ, ἢ γνώμης οἰκείας ὁρμῇ, καὶ προαιρέσεως βουλήσει θερμῇ. οἷον ἐξ ἀνάγκης, ἢ τάξει τινὶ ὡς ἐπὶ τοῦ θείου μύρου. τοῖς γὰρ ἢ μοχθηρίᾳ γνώμης, καὶ ῥαθυμίᾳ, ἢ βίᾳ βασάνων πρὸς τὴν τῆς πίστεως ἄρνησιν ἐκπεσοῦσιν, ἐπιχρίοντες αὖθις μύρον ἅγιον, καὶ τὴν ἱερὰν ἐγκαινίζοντες τούτοις σφραγῖδα, καὶ τὴν ἀποβάλλουσαν (fortassis τὴν ἀποβληθεῖσαν, vel τὴν ἀπέβαλον, vel τὴν ἀποβολὴν τῆς χάριτος, vel aliquid simile ponendum est. Nam dicere ἀποβάλλουσαν, non facit sensum, neque redolet phrasim Græcam) χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπανακαλούμεθα, καὶ αὖθις οἰκειοῦμεν θεῷ, καὶ συνιστῶμεν ὡς τὸ πρότερον. ταὐτὸ δὲ τοῦτο ποιοῦμεν, καὶ τοῖς ἐξ αἱρέσεως οἵας οὖν ἐπιστρέφουσι, καὶ τῇ καθολικῇ ὀρθοδόξῳ ἐκκλησίᾳ προσερχομένοις. τάξει δέ τινι, ὡς ἐν τῇ τελετῇ τῆς βασιλικῆς διαφημοσείας, ἢ ἔν τισι καὶ ἱεραρχικῆς προεδρείας ἄνωθεν εἴωθεν γίνεσθαι. καὶ τούτοις γὰρ προκεχρισμένοις πάντως, ὡς ἔθος, πᾶσι μετὰ τὸ βάπτισμα, ὅμως αὖθις θείου μύρου σφραγὶς περιχρίεται.

Præterea sacrorum mysteriorum unum duntaxat primum, divinum inquam, baptisma, unum re vera, idque solum, singulariter absoluitur ; reliqua verò sæpè in nonnullis opportunè iterari videmus, vel ex necessitate, & ordine quodam (dignitatis) vel ob justum atque decorum. Item graduum mutatione, vel pœnâ mortis, forsan etiam adverso aliquo casu, seu animi proposito, & affectu voluntatis. Exempli causâ ex necessitate, vel ordine quodam (dignitatis) velut in divino unguento. Siquidem eos, qui vel improba voluntate, atque ignavia, vel vi cruciatuum lapsi, Christi fidem negarunt, denuò divino unguento ungentes, & sacrum in ipsis signaculum renovantes, amissam gratiam Spiritus sancti revocamus, & Deo rursus eos conjungimus, & conciliamus. Quod ipsum quoque iis præstamus, qui ex quacunque hæresi se convertunt, & ad Catholicam rectè sentientem Ecclesiam accedunt. Ordine verò quodam dignitatis, ut cùm inaugurantur Reges, atque in sede collocantur, vel in nonnullis cùm Pontifices consecrantur. Quippe denuò sic fieri solitum est. Quamvis enim commemorati (Pontifices, ac Imperatores) ante planè fuerint uncti, ut moris est, statim videlicet post baptismum, nihilominus tamen rursus divini unguenti signaculo inunguntur. Sic ille.

Pergit deinde Job explicare, qua ratione reliqua Sacramenta juxta membra posita divisionis, sæpius iterentur. Itaque docet hoc loco Job Confirmationem, non tantùm in Apostatis à fide Christi perfugis, & hæreticis, verùm etiam in regibus, & Sacerdotibus sæpius duplicari ; quod falsissimum est. Ecquis unquam vidit Reges eo genere unctionis delibutos esse ? non enim inungitur illorum frons, neque forma hujus Sacramenti recitatur. Extat modus consecrandi Imperatores apud Simeonem Thessalonicensem, & in nonnullis Euchologiis Græcorum manu scriptis. Nihil ibi de hoc Sacramento : μετὰ τὴν πρώτην εὐχὴν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ (τοῦ βασιλέως) σταυροειδῶς ἐκχέει (ὁ ἱεράρχης) τὸ μύρον, δεικνὺς ὡς ὁ Χριστὸς αὐτὸν ἔχρισε. καὶ ὁ νικήσας διὰ σταυροῦ, νικητὴν αὐτὸν εἶναι παρασκευάζει, καὶ ὁ τὸ κράτος ἔχων αἰώνιον, καὶ τὸ στέφος ἔχων τῆς δόξης, κράτος καὶ τούτῳ νέμει, καὶ κεφαλὴν πάντων δείκνυσι. διὰ τοῦτο γὰρ μόνην χρίει τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ ἅγιος ἀνακράζει, δεικνὺς ὅτι ἐκ τοῦ ἁγίου καθαγιάζεται, καὶ καθιεροῦται βασιλεὺς τῶν ἡγιασμένων εἶναι λαχόντων ἀπὸ Χριστοῦ. Post primã (inquit Simeon) precationem Pontifex super caput Imperatoris per modum Crucis effundit unguentum, ostendens nimirum, quòd Christus eum inunxit. Et qui per Crucem vicit, ad victoriam ipsum instruit, quique imperium habet æternum, & sertum gloriæ, ipsi quoque imperium impertit, & caput omnium ef-

ficit, idcirco solum caput ungit, & Sanctus acclamat, declarans eum à sancto sanctificatum, & consecratum esse Imperatorem eorum, qui suam sanctitatem à Christo Domino sunt sortiti (hoc est Christianorum.) Sic ille.

Deinde cum eodem modo inungantur Imperatores Occidentis, ac Reges ritus Latini, & ea Unctio non sit sacramentum, non est verisimile apud Græcos fuisse diversam. Quod idem dicendum est de Pontificibus.

Quocirca Job unctiones istas potiùs accipit materialiter; & tunc non rectè concludit, iterari Sacramentum. Sed potiùs conjecturam nostram probat exhibitionis Chrismatis citra Sacramentum.

Si roges, censeat-ne Job sacrum ordinem iterandum esse, quandoquidem ab iteratione unum excipit Sacramentum Baptismatis?

Respondeo, eum non in hoc errore versari, utpote qui rectè explicat, quamvis impropriè loquatur, qua ratione iteretur sacer ordo, his verbis: ἔτι βαθμῶν ὑπαλλαγῇ, ὡς ἐπὶ τῆς θείας ἱερωσύνης. τῷ αὐτῷ γὰρ, καὶ ἑνὶ προσώπῳ ἱερωσύνης ὑπαλλαγὴ πολλάκις ἐπιτελεῖται. εἰ καὶ μὴ πλεισάκις ὁ αὐτὸς βαθμὸς ἐνί τινι καὶ τῷ αὐτῷ. οἷον διάκονος μὲν, καὶ πρεσβύτερος ὁ αὐτὸς πολλάκις χειροτονηθῆναι οὐκ ἐνδέχεται. ἅπαξ γὰρ ἐν ἑκάστῳ τετελέωται. ἀπὸ δὲ τοῦ ἐλάττονος πλεισάκις χειροθετούμενος προβαίνει ἐν τῇ ἱερωσύνῃ πρὸς τὸ τελειώτερον. οἷον ἀπὸ ἀναγνώστου εἰς ὑποδιάκονον, ἀπὸ τούτου εἰς διάκονον, ἀπὸ διακόνου εἰς πρεσβύτερον, καὶ ἀπὸ τούτου εἰς ἐπίσκοπον. καὶ κατὰ τοῦτον λοιπὸν τὸν λόγον, πολλάκις ἐν τῷ αὐτῷ τελεῖται προσώπῳ τὸ τῆς ἱερωσύνης χάρισμα καὶ μυστήριον. Præterea graduum subordinatione iterantur Sacramenta, velut in divino Sacerdotio. Quippe uni, eidemque personæ sæpe provectio sacri ordinis exhibetur, etsi non idem gradus. Uerbi gratiâ Diaconus ac Presbyter, ut idem sæpe ordinetur, fieri non potest. Siquidem hujusmodi gradus semel in unoquoque absolutus est. At verò qui sacris initiatur, sæpenumero in sacris Ordinibus à minori ad perfectius progreditur, velut à lectore promovetur in subdiaconum, ab isto in Diaconum, inde in Presbyterum, tandem in Episcopum. Itaque secundùm hanc rationem donum ac mysterium sacri Ordinis in eadem persona frequenter peragitur.

Illud præterea in hoc Auctore notandum, & improbandum, quòd dicat, iterari extremam unctionem, non eo modo quo docent communiter Latini, & Græci, sed quotiescumque fuerint peccata; quippe qui confundit Extremam Unctionem cum Sacramento pœnitentiæ. Unde sani, si sint peccatis obnoxij, secundùm ejus doctrinam possent, ac necessariò deberent suscipere Extremam Unctionem per modum Sacramenti Pœnitentiæ: ἔτι προαιρέσεως βουλήσει θερμῇ ὡς ἐπὶ τοῦ εὐχελαίου, ὅ ἐστιν ἡ διὰ μετανοίας καὶ ἐξομολογήσεως συγχώρησις. καὶ τοῦτο γὰρ πολλάκις ἡμῖν ἐπιτελεῖσθαι πέφυκε, τῶν κακῶν ἐξαλειφομένων καθάπαξ, κἂν πολλάκις ἡ πτῶσις γίνηται, ἀλλὰ καὶ τοσαύτη πάλιν ἡ ἐπανόρθωσις. Iterantur etiam (inquit) Sacramenta ob feruens studium voluntatis, velut in Euchelæo (hoc est Extrema Unctione) quod nihil aliud est, quàm venia delictorum per pœnitentiam, & exomologesim, utpote quod sæpè nobis exhiberi solet, deletis omnino maculis. Et si frequenter fiat lapsus, frequenter quoque fit emendatio. Sic ille.

Rejicitur opinio Simeonis Thessalonicensis de iteratione Chrismatis.

CAPUT XX.

Simeon Archiepiscopus Thess. non tractat quidem directè hanc quæstionem, ut similiter neque respondet, ex scriptis tamen illius facile est colligere Neogræcorum sententiam. Itaque fermè à principio sui operis sic habet: τὸ χρῖσμα τὴν σφραγῖδα τὴν πρώτην, καὶ τὸ κατ' εἰκόνα (addit non malè Hieremias Patriarcha Constant. in sua censura c. 7. qui eadem verba mutuatur est à Simeone, καὶ ῥώμην τῇ ψυχῇ) ἀνατίθησιν. ὅπερ (Hieremias ἅπερ) διὰ παρακοῆς ἀπωλέσαμεν. ἔτι δὲ καὶ τὴν χάριν, ἣν ἐν τῇ ψυχῇ τῇ θείᾳ ἐμπνεύσει ἐλάβομεν. διὸ καὶ τὴν τοῦ πνεύματος φέρει δύναμιν, καὶ τὴν εὐωδίαν αὐτοῦ

» πλουτεῖ, καὶ σημείωσις ἐστι Χριστοῦ, καὶ σφραγίς. » Chrisma signaculum primum, Deique imaginem (& robur in anima) imprimit, quam (quæ) ob inobedientiam amiseramus. » Præterea gratiam confert quam in anima, divina inspiratione acceperamus, ideoque spiritus vim obtinet, suavique odore illius ditatur, & nota est Christi, atque signaculum. Ita Simeon, qui neque signatum solo baptismo putat esse Christianum, si deinde desit Confirmatio. Quocirca invehitur in Latinos, qui non statim infantes in baptismate consignant: οἱ βαπτιζόμενοι πιστοὶ τούτῳ ὀφείλουσι χρίεσθαι τῷ μύρῳ ἐν τῷ βαπτίσματι. καὶ μὴ ὡς τὰ τῶν Λατίνων, ἢ τινῶν ἄλλων βρέφη ἀτελεῖς μένωσι, καὶ ἀσφράγιστοι, τὴν χάριν τοῦ πνεύματος μὴ λαμβάνοντες. μηδὲ σημειούμενοι τῇ σημειώσει Χριστοῦ. σφραγὶς γάρ ἐστι τὸ μύρον τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ πνεύματι. καὶ ὁ ἱερεὺς τοῦτο ἐκβοᾷ ἐν τῷ σφραγίζειν τῷ μύρῳ λέγων, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, ἀμήν. ἀχάριτος ἄρα καὶ ἀσφράγιστος τῷ Χριστῷ, ὁ μὴ τὸ μύρον δεξάμενος. » Qui baptizantur, inquit, fideles hoc unguento in baptismate debent inungi; ne ut Latinorum, vel quorundam aliorum infantes sine signaculo imperfecti remaneant, dum gratiam Spiritus sancti non consequuntur, neque Christi notâ consignantur. Quippe signaculum Christi est unguentum in spiritu, idque Sacerdos, dum unguento consignat, proclamat, signaculum, inquiens, doni Spiritus sancti. Amen. Quocirca sine gratia, & sine nota Christi est, qui unguentum nondum est nactus.

Hanc sententiam explosimus in materia de Baptismate, quæ videtur sentire Baptismum non imprimere characterem, & planè otiosum esse, si non confert gratiam, ideo hîc de Confirmatione Simeon ait, quòd imprimat primum signaculum. Quia verò valde confusè loquitur Simeon, videndum est quid ex illius verbis sit amplectendum, quid item respuendum, ac repudiandum. Illud probè, τὸ χρίσμα ἐντίθησι τῇ ψυχῇ τὴν σφραγίδα. ἔτι δὲ καὶ τὴν χάριν. Uidetur enim his verbis duplicem effectum, quem producit hoc Sacramentum, exprimere voluisse, primarium gratiam justificantem, secundarium characterem. Malè addit τὴν πρώτην. Quòd verò dicit nos amisisse in Adamo propter peccatum, primum signaculum, quod interpretatur imaginem Dei, tametsi oppositum tradunt Origenes libro 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. Basilius Hom. 10. in Genesim. Ambrosius libro 6. Exemeron c. 7. & 8. Nyssenus in Hom. de creatione hominis, Eucherius libro 1. Commentariorum in Genesim, Uictorinus sancti Hieronymi in Rhetoricis præceptor in disputatione, quam scripsit adversus Arium. Theodoretus in quæstionibus in Genesim quæst. 20. Rupertus lib. 2. de Trinitate, & operibus ejus cap. 3. & 5. B. Thomas prima parte q. 93. Magister sententiarum in 2. distinct. 16. ibidem Scholastici, denique complures alij, qui hoc discriminis inter imaginem, & similitudinem ponunt, imaginem ad naturalia bona referri docent. Quæ nullo modo, ut & natura ipsa, perdi possunt. Qualia sunt in natura humana intellectus, voluntas, memoria, liberum arbitrium, cæteræque proprietates cum hominis animo naturaliter, & necessariò conjunctæ. Rationem verò similitudinis in donis gratuitis, & supernaturalibus consistere putant; uti sunt justitia, sanctitas, innocentia, & id genus, quæ peccato infuscantur, atque delentur. Quamvis, inquam, juxta sententiam horum doctorum imago Dei in homine amitti peccato minimè possit, sed similitudo duntaxat; cùm tamen in divinis litteris non semel vocabulum imaginis usurpetur pro similitudine, ut egregiè observavit doctissimus, & eloquentissimus Pererius in suis lucubratissimis Commentariis in Genesim, posset aliquis dicere Simeonem cum multis veteribus, qui docent Adamum propter peccatum, quod admisit, imaginem Dei, ad quam erat conditus, perdidisse, intellexisse dona supernaturalia, & gratiam gratum facientem. Sic Paulus ad Corinth. c. 15. Sicut portavimus, inquit, imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Et ad Coloss. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem Dei secundùm imaginem

ejus, qui creavit illum. Sic possèt aliquis Simeonem excusare. At non ea est mens Simeonis, sicut neque Hieremiæ Patriarchæ, quippe qui distinguunt inter imaginem, & gratiam illam justificantem, quam infuderat Deus in animum Adami, dum eum procrearet, & planè, ut res distinctas eas commemorant, ἔτι δὲ καὶ τὴν χάριν. Præterea, inquiunt, & gratiam. Itaque per imaginem intelligunt ipsi dotes naturæ, quæ cùm amitti minimè possint, falsum est, quod aiunt, nos eas per Confirmationem acquirere.

Deinde Simeon, & unà cum Simeone Hieremias Patriarcha per imaginem, vel intelligunt dona naturalia, ea verò cùm propter peccatum non perdantur, neque denuo reparantur: Uel supernaturalia, quæ sanè peccato amitti possunt, & re ipsa ob inobedientiam Adamus ea perdiderat, ut probabilius esset eos intelligere, quippe & Sacramenta res supernaturales nobis conferunt. Igitur si Chrisma talem imaginem imprimit, quæ peccato destrui potest, certè characterem delebilem esse necesse est, idque in quovis peccatore. Præterea character, & gratia justificans sunt res distinctæ; quippe character potest esse in homine omnis gratiæ divinæ experte. Sive ergo per imaginem Dei Simeon intellexerit dona naturalia, sive supernaturalia, malè interpretatus est characterem.

Sed objiciet nobis aliquis in gratiam Simeonis, Quòd ubi imprimitur character, ibi solet reperiri gratia, secundùm quam similes evadimus Deo: est enim character præter alia signum gratiæ, quæ vel adest, vel adesset, nisi poneretur impedimentum. Itaque non ineptè dixit Simeon, unguentum imprimere signaculum, & præterea imaginem, scilicet Dei: articulus enim τὸ καθ᾽ εἰκόνα, per excellentiam eam indicat, hoc est virtutes supernaturales, & divinam gratiam. Sic Nazianzenus in oratione de Baptismo non dissimili phrasi utens, si luminis insequutor, inquit, per avaritiam te oppugnet, ἐπὶ τῇ σφραγῖδι θαῤῥήσας, εἰκών εἰμι καὶ αὐτὸς Θεοῦ, τῷ ἄνω δόξης οὔπω δι᾽ ἔπαρσιν, ὥσπερ σύ, καταβέβλημαι.
» Dic signaculo fretus, ipse quoque Dei imago sum, nondum ut tu à superna gloria «
propter superbiam dejectus sum; ubi per «
imaginem intelligit Theologus, tum characterem, tum similitudinem Dei secundùm gratiam. At si ita est, non ergo debuit Simeon addere gratiam, quasi rem distinctam, quam dum addit, signum est eum aliud intelligere per gratiam, aliud per imaginem.

Sed decepit eum nomen σφραγῖδος, quæ formam aliquam, seu figuram significat, qua similiores evadimus illi, cujus est character, quàm sint alij, qui non habent characterem. Nam & sigillum cujusvis Principis imaginem quandam, eamque propriam principis, seu ejusdem insignia in se gerit. At cùm nesciret Simeon, qua in re consistat ea similitudo, ad imaginem Dei confugit. Et rectè quidem, si non addidisset gratiam veluti rem distinctam ab imagine. Quippe character propter comitem, & sociam gratiam, quæ principem locum inter effectus obtinet Sacramenti, imago Dei appellari meritò potest. Seclusâ verò gratiâ, adhuc similitudinem quandam gerit cum eo, cujus est character, eo quòd participatio quædam sit, & potestas activa, vel passiva Sacerdotij Christi, quam dum participamus, sumus apti ad cultum divinum, Christoque configuramur, & similes evadimus ipsi, & per consequens distinguimur ab aliis, qui non habent idgenus insignia. Sic baptizati distinguuntur à non baptizatis confirmati à non confirmatis, & sacris initiati à laïcis, & sæcularibus.

Alterum quoque in Simeone rejiciendum, quòd dicat, illam gratiam, utique primam, & imaginem nos denuò nancisci per Confirmationem. Unde & ἀχαρίτους τῷ χρισῷ, vocat non confirmatos, cùm tamen certò certius sit, primam gratiam nos obtinere beneficio baptismi, secundùm quam similes evadimus Deo, utpote qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nascimur. Explosâ itaque sententiâ Simeonis videamus quid alij censeant.

Exploditur Cabasilas in iteranda Confirmatione.

Caput XXI.

Nicolaus Cabasilas in 2. oratione de vita in Christo, movet hoc dubium, & conatur reddere rationem, seu potiùs congruentiam, falso fundamento supposito; Cur Confirmatio, non autem Baptismus iteretur? Sic igitur habet: ταῦτα δὲ καὶ πρὸς ἕτερον φέρει ζήτημα, δίκαιον ὂν μὴ περιῶφθαι. εἰ γὰρ τὸ μὲν ἐθέλειν καὶ πιστεῦσαι, καὶ προσελθεῖν, τῶν τοῦ βαπτίσματος δώρων ἐπιτυχεῖς γενέσθαι, παρασκευάζει. τὸ δὲ ταῦτα φεύγειν, καὶ τὴν μακαριότητα πᾶσαν ἐκείνην φεύγειν ἐστί. τοῖς μετὰ τὸ λαβεῖν ῥίψαντας, καὶ τῆς γνώμης τῆς προτέρας αὐτοῖς μεμψαμένοις, καὶ τὸν Χριστὸν ἠρνημένοις, ἐπειδὰν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐφ᾽ οἷς λελύμανται, αὐτομολῶσιν, ὁ ἱερὸς θεσμὸς, ἀκόλουθον ὂν ἐπὶ τὸ λουτρὸν εὐθὺς αὐτοὺς ἄγειν, καὶ τὰ μυστικὰ τελεῖν ἐξ ἀρχῆς, ὡς ἂν τὸ ἀπολωλεκότας, ὁ δὲ τῷ θείῳ μύρῳ τὰ σώματα αὐτοῖς ἀποσημηνάμενος, καὶ μηδὲν πλέον προσθεὶς, τῷ κύκλου γράφεται τῶν πιστῶν. τί οὖν πρὸς ταῦτα εἴποι τις ἄν; ἢ δυοῖν τούτων ἡμῖν τὴν πρὸς θεὸν εὐσέβειαν δυναμένων, τοῦτε λαβεῖν ὀφθαλμὸν ἀπὸ τῶν μυστηρίων, τοῦτε χρῆσθαι καὶ πρὸς τὴν ἀκτῖνα ἐκείνην ὁρᾶν, τοῖς προδεδωκόσι τὸν χριστιανισμὸν, τὸ μὲν ἀπόλλυται, τὸ δεύτερον, ἐκεῖνο δὲ μένει, λέγω δὴ τὴν πρὸς τὸ βλέπειν ἐπιτηδειότητα, καὶ παρασκευήν; αἴτιον δὲ, ὅτι τὸ μὲν ἀποβαλεῖν, ἔξεστι βουλομένοις. ἡμέτερον γὰρ ἢ στέρξαι τὸν ἥλιον, ἢ πρὸς τὴν ἀκτῖνα μύσαι τὸν ὀφθαλμόν. τόγε μὴν αὐτὸν ἐκκόψαι τὸν ὀφθαλμὸν, καὶ τὴν πλάσιν ἐκείνην παντάπασι διαφθεῖραι, τῶν ἀμηχάνων ἡμῖν. εἰ γὰρ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ δυνάμεων, μεθ᾽ ὧν ἡμᾶς ἡ φύσις ἐγέννησεν, οὐδ᾽ ἡντινοῦν δυνάμεθα λύειν. ἥκιστα δὴ πάντων, ἣν ἡμῖν ἀναγεννῶν αὐτὸς ἀμέσως ἐνέθηκεν ὁ θεός. ἐπεὶ καὶ αὐτὸ τὸ ἐν ἡμῖν ἡγούμενον, ὅ, τι ποτέ ἐστι, πλάττει καὶ διατίθησι τὸ λουτρόν. εἴτε λόγου, καὶ γνώμης αὐτονομίαν, εἴθ᾽ ἕτερον ὅτι οὖν χρή. τοῦτο νομίσαι, ᾧ πάντα μὲν εἴκει δυνάμεις τῆς ψυχῆς, καὶ πρὸς τὴν ἐκείνου φέρεται κίνησιν. ἐπιτάττει δὲ οὐδὲν, οὐδὲ δύναται μεταβάλλειν, ἀλλ᾽ οὐδὲ αὐτὸ ἑαυτό. κρεῖττον γὰρ γένοιτ᾽ ἂν οὐδὲν ἑαυτοῦ, καὶ μὴν οὐδὲ τὸν θεὸν εἰκός. οὐ γὰρ ἀφέλοιτ᾽ ἂν, ὧν ἡμῖν κατέθετο δώρων οὐδέν. ἀμεταμέλητα γάρ φησι τὰ χαρίσματα τοῦ θεοῦ. καὶ ὅλως ἄπειρος ἀγαθότητος ὢν, βούλεται πᾶν ἡμῖν ἀγαθὸν, καὶ δίδωσί γε, ἀλλ᾽ ὅτε τῆς τοῦ αὐτεξουσίου προεδρείας ὑποκειμένης. τοιοῦτον δὲ τὸ τοῦ βαπτίσματος ἀγαθόν. οὐ γὰρ ἄγχει τὴν γνώμην. οὐδὲ κατέχει. ἀλλὰ δύναμις οὖσα, τοῖς μὲν χρωμένοις ὤνησε, τοῖς δὲ μὴ χρωμένοις, οὐδὲν ἐκώλυσε μεῖναι πονηροῖς. καθάπερ καὶ τὸ ζῶον ἔχειν ὀφθαλμὸν, οὐκ ἂν προστείη τοῖς ἐν σκότει ζῆν βουλομένοις. καὶ δῆλον αὐτόθεν. αὐτοὶ γὰρ οὗτοι μάρτυρες σαφεῖς, οἱ μετὰ τὸ λούσασθαι, καὶ τὰ ἐκεῖθεν πάντα λαβεῖν, εἰς τὴν ἐσχάτην ἀσέβειαν, καὶ μοχθηρίαν ἐξενεχθέντες. διὰ ταῦτα τοίνυν, τῷ μὴ τὰς ἐντεθείσας ἀποθέσθαι δυνάμεις, πλάσεως δευτέρας οὐ δεομένοις, ὁ ἱερεὺς λούει μὲν οὐδαμῶς. χρίων δὲ πνευματικὴν ἐνίησι χάριν, εὐσεβείας οἶμαι, καὶ φόβου θεοῦ, καὶ ἀγάπης, καὶ τῶν τοιούτων. ἃ τὴν προτέραν αὐτοῖς ἀνακαλεῖσθαι δύναται γνώμην. τοιαῦτα γὰρ τοῖς τελουμένοις ἔχει τὸ μύρον. καὶ ταῦτα μὲν εἰς τοῦτον. Hęc verò, inquit, & ad aliam quæstionem ducunt, quam haud par est negligere. Si enim velle credere, & accedere, parant nos ad consequenda dona baptismatis, hæc autem fugere idem est, atque ipsam beatitudinem fugere, eos qui talia dona postquam assequuti fuerint, abjecerint, & seipsos de priori sententia redarguerint, Christumque ipsum rejecerint, & negaverint, ubi deinde resipuerint, & ad Ecclesiam redierint, consequens cùm sit, statim ad lavacrum adducere, ac denuo res mysticas peragere, tanquam qui totum perdiderint; tamen lex sacra divino unguento eorum corpora obsignans, addens præterea nihil, eos in numerum fidelium adscribit. Quid igitur ad hæc dixerit aliquis? An duo cùm sint, quæ nobis erga Deum pietatem præstant, videlicet tum oculum accipere beneficio Sacramentorum, tum eo uti, atque ad illos radios eum convertere; qui Christianismum deserunt, posterius amittunt, non primum, & illam, inquam, habilitatem ad videndum, quæ remanet. Causa verò est, quoniam qui volunt, possunt amitterte. Siquidem nostrum est vel amare Solem, vel ad solares radios claudere oculum. At verò ipsum eruere oculum, & illam formationem penitus corrumpere, ejusmodi est, ut illud efficere nequeas: si enim vel minimam potentiarum, quæ sunt in anima, & unà cum

quibus nos natura procreavit, minimè destruere possumns, sané quidem multò minùs eam, quam ipse immediatè Deus per regenerationem in animis nostris inseruit. Etenim ipsum etiam in nobis animi principatum, quicumque tandem sit, sive rationis, & mentis libertatem suis utentem legibus, sive quidpiam aliud deceat eum existimare, baptismus format, atque componit. Cui quidem cunctæ animi potentiæ cedunt, & ad illius motum feruntur, ipsi nihil imperat, neque eum immutare potest. At neque ipse seipsum. Nihil enim se ipso fieret præstantius. Quinetiam neque Deum velle eum immutare consentaneum est. Neque enim ullum beneficium eorum auferret, quæ in nos contulisset: quippe Dei dona ejusmodi sunt, ut eorum auctorem minimè Deum pœniteat. Et omnino cùm infinita sit præditus bonitate, cuncta bona nobis vult, atque impertit supposita liberi arbitrij præeminentia indissolubili. Tale verò est bonum baptismi. Non enim suffocat, neque coërcet voluntatem: sed cùm sit quædam vis, & facultas, ea utentibus utilitatem affert, non utentes verò nihil vetat, quominus remaneant malitiosi. Quemadmodum neque integrum habere oculum iis obstat, qui in tenebris vivere nolunt, idque ex hoc ipso patet. Iidem enim ipsi locupletissimi sunt testes, qui postquam abluti, & omnia inde bona adepti fuerint, ad summam impietatem, ac malitiam rapiuntur. Propterea igitur secunda formatione non indigentes, insertis potentiis videlicet non amissis, Sacerdos minimè abluit, ungens verò spiritualem infundit gratiam, pietatis opinor, timoris Dei, atque amoris, & similium. Quæ pristinam ipsis mentem revocare possunt. Talia enim initiatis unguentum præstare potest. Et hæc hactenus. Sic ille.

Ut meliùs explicemus, simul & confutemus sententiam Cabasilæ, referendum est fundamentum ipsius, quo ex parte destructo, cætera facilè corruunt. Illud ejusmodi est, per Baptismum nos habere esse spirituale, per unguentum motum, & usum, sive operationem hujus esse spiritualis; per sacratissimam Eucharistiam illud nos conservare. Hoc aliquoties repetit. Et ad hæc tria Sacramenta illud applicat Pauli: In ipso vivimus, movemur, & sumus; vivimus per Eucharistiam, movemur per sacram Chrismatis unctionem, sumus per Baptismum: τὸ μὲν βάπτισμα τὸ εἶναι δίδωσι, καὶ ὅλως ὑποστῆναι κατὰ Χριστόν. τοῦτο γὰρ νεκροὺς καὶ διεφθαρμένους παραλαβὸν εἰς τὴν ζωὴν πρῶτον εἰσάγει. ἡ δὲ τοῦ μύρου χρίσις, τελειοῖ τὸν γεγεννημένον, τῇ τοιᾷδε ζωῇ προσήκουσαν ἐνέργειαν ἐντιθεῖσα. ἡ δὲ θεία εὐχαριστία τὴν ζωὴν ταύτην, καὶ τὴν ὑγείαν συντηρεῖ καὶ συνέχει. τὸ γὰρ σῶσαι τὰ κτηθέντα, καὶ διατελέσαι ζῶντας ὁ τῆς ζωῆς δίδωσιν ἄρτος. διὰ ταῦτα τούτῳ μὲν τῷ ἄρτῳ ζῶμεν, κινούμεθα δὲ τῷ μύρῳ, ἀπὸ τοῦ λουτροῦ τὸ εἶναι λαβόντες, καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἐν τῷ Χριστῷ ζῶμεν. Baptismus quidem dat esse, & omnino denuo secundùm Christum producit: is enim mortuos nos, atque corruptos curandos suscipiens, primùm vivere facit. At unguenti unctio eum, qui natus sit, perficit, ejusmodi vitæ convenientem actionem inserens. Divina verò Eucharistia vitam hanc, atque incolumitatem conservat & continet. Siquidem parta servare, ac deinceps vivere, vitæ panis hæc nobis suppeditat. Quamobrem hoc pane quidem vivimus, movemur autem unguento, à lavacro esse prius accepto, atque hunc in modum in Christo vivimus.

Et in secunda oratione, τὸ μὲν βάπτισμα γέννησις. τὸ δὲ μύρον ἐνεργείας, καὶ κινήσεως ἐν ἡμῖν ἔχει λόγον. ὁ δὲ τῆς ζωῆς ἄρτος, καὶ τὸ ποτήριον τῆς εὐχαριστίας, βρῶσίς ἐστι καὶ πόσις ἀληθινή. οὐκ ἔστι δὲ κινηθῆναι, ἢ τραφῆναι, πρὶν γεννηθῆναι. Baptisma quidem est nativitas, unguentum verò est nobis actionis instar, & motus. Porro vitæ panis & poculum Eucharistiæ verus est cibus, & potus. Fieri autem non potest, ut quispiam moveatur, seu nutriatur, antequam nascatur.

Ex hujusmodi fundamento Cabasilas duo quæsita nititur soluere: alterum, cur non iteretur Baptismus: Alterum, cur iteretur unguentum & Confirmatio. Ad primum respondet, Baptismi bonum esse quandam facultatem, seu potentiam immediatè à Deo in præstantiori animi par-

te, quæcumque tandem illa ſit, impreſſam; quam deſtruere haud eſt in noſtra poteſtate. Nam & cæteras naturales, nedum ſupernaturales potentias animo inſitas, atque innatas, minimè deſtruere poſſumus. Huic addit alterum exemplum de oculo. Sed ſi externum oculum intelligat, ut intelligere videtur, non ad rem loquitur. Siquidem eruere ſibi oculum poteſt qui vult.

Porro per potentiam illam, fortè Cabaſilas characterem intelligit, quamvis nimis obſcurè loquatur; & certè poterat clariùs ſe explicare, præſertim cùm de Baptiſmo ipſemet in eadem oratione dicat: ἐπεὶ καὶ αὐτὸ ὅ, τί ποτέ ἐστιν ἐν ἡμῖν τὸ τοῦ βαπτίσματος ἔργον, εἶδός ἐστι καὶ μορφή. καὶ γὰρ τινα εἰκόνα ἐγχαράττει, καὶ μορφὴν ἐντίθησι ταῖς ψυχαῖς συμμόρφους ἀποφαῖνον τοῦ θανάτου καὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος. ὑπὲρ οὗ καὶ σφραγὶς καλεῖται πρὸς τὴν βασίλειον πλάττον εἰκόνα, καὶ τὸ μακάριον
» εἶδος. Quoniam & ipſum, quodcunque
» tandem ſit: opus Baptiſmi, quædam ſpe-
» cies, & forma eſt, quippe Baptiſmus ima-
» ginem quandam inſculpit, atque formam
» inſerit animis, morti & reſurrectioni Sal-
» vatoris, conformes nos reddens, & effi-
» ciens. Quo nomine ſignaculum quoque ap-
» pellatur, quod ad imaginem regiam, &
» beatam illam ſpeciem nos effingit. Ex hiſce ſuis propriis verbis poterat, inquam, Cabaſilas clariùs dicere Baptiſmi eſſe proprium officium & munus imprimere ἀνεξάλειπτον, ſeu ἀνεπιχείρητον, ut Baſilius loquitur σφραγῖδα; quamobrem non iterari. At cur iteretur unguentum? propterea, inquit, quod ea uti potentia, vel non uti, quæ eſt à Deo in animo impreſſa, in noſtra eſt poſitum poteſtate. Quemadmodum poſſumus aperire oculum lumini, & poſſumus non aperiendo vivere in tenebris. Quia ergo per infidelitatem ea non utimur, veluti amiſſa illius potentiæ actio iteratur. Siquidem omnem motum, uſum, & actionem in nobis unguentum efficit. Hoc totum ex illo fundamento commemorato pendet. Profectò apparet quantùm intereſt inter antiquos illos Græciæ veros Theologos, & ejuſdem Græciæ poſteriores Theologaſtros. En per quos anfractus, & ambages egregius Cabaſilas nobis characterem deſcribit, & explicat, immo potiùs obſcurat. Errat imprimis turpiter, dum exiſtimat actiones honeſtas, & bonas ex illa potentia, hoc eſt charactere Baptiſmi emanare. Nam character eſt qualitas quædam, & potentia in anima, & quidem paſſiva moralis, & ſpiritualis, ad cujus poſitionem, & infuſionem quaſi ex quodam interpoſito pacto Deus operatur, non autem phyſica. Unde neque fundamentum bonorum operum eſt character, ſed tum divina gratia, quam producit Sacramentum Baptiſmi, tum etiam liberum arbitrium noſtrum: character verò eatenus dicitur paſſiva potentia, qualis eſt Baptiſmi, vel activa, cujuſmodi eſt ſacri ordinis, quatenus ſculpto in animo charactere efficimur apti ad cultum divinum, ſuſcipiendo, vel adminiſtrando reliqua Sacramenta, quæ alioqui non ſuppoſito charactere, irrita prorſus, & nulla forent; nam & Chriſtus Dominus, ubi non eſt in animo fixus character, minus ad agendum concurrit.

Deinde iterum errat, cùm dicit nos per ſolam infidelitatem amittere uſum illius potentiæ. Demus enim uſum illius eſſe potentiæ, præclarè agere, cur eundem non æquè amittimus per alia peccata lętifera, quæ corrumpunt dona Spiritus ſancti? Immo verò amittimus, & tunc cur ſimiliter non geminamus unguentum? Fundamentum quoque illius hac ex parte falſiſſimum eſt: non enim baptiſmus eſt planè otioſus, ut per eum nullam prorſus ἐνέργειαν præſtare poſſimus, quamvis Confirmatio ad fortiùs & meliùs agendum conducat.

Quin hoc modo loquendi Cabaſilas innuere videtur Baptiſmum nihil aliud eſſe, quàm ſolum imprimere characterem: Confirmationem autem, & characterem non imprimere, & eam ſolam gignere in nobis dona Spiritus ſancti, quæ amiſſa per infidelitatem, ſeu hæreſim denuo iteratione Chriſmatis recuperantur. Cùm tamen Theologi rectè doceant Baptiſmum producere tres nobiliſſimos effectus, remiſſionem totius culpæ & pœnæ, collationem gratiæ, characteriſque impreſſionem.

Quocirca si in hunc modum Cabasilas proposuisset difficultatem: amissa fide, & cæteris bonis beneficio Baptismi acceptis, (fac nos loqui de homine duntaxat baptizato, non confirmato) cur non iteretur Baptismus? bene quadrassent illius exempla de potentia, & oculo. Et tunc quod de Baptismo affirmasset, idem quoque firmiter asseverare in homine Chrismate inuncto de Confirmatione debuisset. At unum exemplum ad res diversas, & disparatas, qualis est Baptismus, & Confirmatio accommodare, prorsus est, quod aiunt, mutare quadrata rotundis. Quæ autem sit, ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος θεσμός, Lex illa sacra, quæ permittat iterari Confirmationem, ipse non explicat, immo Paulus oppositum docet, ut paulò pòst clarè ostendam.

Sed enim decepit Cabasilam præsens usus Græcorum, quem fortè sacram legem appellat, eò quòd de rebus sacris tractet. Cùm enim ita in more positum esse Orientalis Ecclesiæ animadverteret, & hunc morem defendere, & explicare vellet, in has devenit similitudines. Sed consuetudo contra rationem, seu sacras paginas introducta, nulla ratione excusari, nedum defendi potest.

Cæterùm ex scriptis Cabasilæ possumus colligere non solùm Baptismum, sed etiam Confirmationem non esse iterandam. Si enim Baptismus propterea dicitur σφραγίς, quod formam quandam, & imaginem, eamque indelebilem effingat in animo, & idcirco non geminatur; cùm & Confirmatio σφραγῖδος nomine à sacris Doctoribus appelletur, idem prorsus efficiet, & similem effectum producet, adeò ut ea quoque minimè sit iteranda.

Præterea Cabasilas in illa secunda oratione varia recenset Baptismi nomina, inter alia Baptismum Chrismatis nomen obtinere contendit, & rationem reddit: χρῖσμα δὲ (τὸ βάπτισμα) ὅτι τὸν δι' ἡμᾶς χρισθέντα, τὸν Χριστὸν ἐγγράφει τοῖς τελουμένοις. καὶ σφραγίς ἐστιν αὐτὸν ἐνσημαίνουσα τὸν σωτῆρα. τὸ γὰρ χρῖσμα πανταχοῦ διὰ πάσης ἀκριβῶς τῆς μορφῆς ἀφιγμένον τοῦ σώματος τοῦ δεξαμένου, καὶ προσαρμόσαν αὐτὸν ἐν αὐτῷ φέρει τὸν ἀληλιμμένον ἐνσημανθέντα. καὶ τὸ εἶδος δείκνυσι, καὶ σφραγίς ἐστιν ἀκριβῶς. Unguentum (appellatur Baptismus) quoniam eum, qui propter nos unctus est, initiatis imprimit Christum. Et sigillum est, quod Salvatorem ipsum in animo insculpit. Quippe unguentum ubique planè in totam suscipientis corporis penetrans formam, cum eaque se conglutinans, ipsum unguento delibutum Christum in seipso insculptum gerit, ejusque speciem repræsentat, & omnino signaculum est. Sic ille.

Sed hæc omnia egregius Cabasilas vero unguento longè veriùs dignetur accommodare, & eandem de utroque Sacramento ferat sententiam.

Detegitur fraus Philadelphiensis circa Confirmationem.

Caput XXII.

Gabriel Philadelphiensis Sacramenta, quæ imprimunt characterem indelebilem, duo recenset, baptismum, & sacrum ordinem: τὰ μυστήρια τὰ παρέχοντα τοῖς αὐτὰ λαμβάνουσι χαρακτῆρας ἀνεξαλείπτους, ἐστὶ τὸ θεῖον δηλαδὴ βάπτισμα, καὶ ἡ ἱερωσύνη. Mysteria quę præbent characterem indelebilem ea suscipientibus, sunt divinum Baptisma, & Sacerdotium. Deinde addit Gabriel quasi in gratiam Latinorum: ἕτεροι δὲ καὶ τὸ θεῖον μύρον εὐσεβῶς καὶ ὀρθῶς λέγουσιν. Alij verò divinum etiam unguentum (quod videlicet indelebilem præbeat characterem) piè; & rectè asserunt esse. Quibus verbis indicat esse hanc opinionem piam, quæ possit defendi. Cæterùm si piè, rectéque quidam asserunt Confirmationem imprimere characterem, malè utique Græci nostri temporis, atque impiè iterant istud Sacramentum. Non enim est ἀδιάφορον, ut nihil intersit hoc, vel illo modo quis faciat. Sed ut est sacrilegum iterare Baptismum, ita etiam Confirmationem. Quare Gabriel cum Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. immo cum Apostolo Paulo absolutè, ac necessariò debuisset affirmare, Confirmationem imprimere characterem, & nullo modo esse iterandam: eos verò, qui hoc inficiantur, anathemati

subjectos

ſubjectos eſſe. Quamvis autem Philadelphienſis hoc tacuerit, nihilominus tanta eſt vis veritatis, ut ſimiliter ex ſcriptis illius facilè hoc concludi poſſit. De nominibus Baptiſmi dum agit, τὸ βάπτισμα καλεῖται σφραγὶς, ὡς τήρησις, καὶ τῆς δεσποτείας τοῦ κυρίου σημεῖον. Baptiſmus, inquit, vocatur ſignaculum, tanquam tutela, utque ſignum Domini poteſtatis, ac dominatus. Hoc eſt, ſignum illud ſignificat Domini principatum, cujus tutelæ ſubjicitur res ſignata, eaque ratione conſervatur; quæ verba planè deſumpſit à Nazianzeno. At Confirmatio eodem nomine appellatur. Porro animantibus nimirum equis, ovibus, mancipiis, & ſimilibus adeo altè Domini ſua inſignia inurunt, ut nulla ratione deleri poſſint. Immo Gabriel Philadelph. locum Joannis 7. Apocal. de Confirmatione intelligit: ταύτην τὴν σφραγῖδα οἶμαι εἶναι, ἣν ἑώρακεν ὁ τῆς βροντῆς υἱὸς, ἐπὶ τὸ μέτωπον τῶν δούλων τοῦ θεοῦ σφραγιζομένην. Hoc, inquit, ſignaculum puto eſſe illud, quod filius tonitrui vidit in fronte ſervorum Dei obſignatum. Qui locus tametſi probabiliùs de ſigno Crucis, quàm de Confirmatione accipi poteſt, tamen quovis modo accipiatur, indelebilem rem ſignificat. Probemus hoc idem ex ſacris litteris.

Probatur veritas Catholica, nimirum non eſſe iterandam Confirmationem.

Caput XXIII.

PAulus itaque veraciſſimum os Chriſti, tertiique Theologus cœli c. 6. ad Hebræos Confirmationem iterari æquè atque Baptiſmum vetat. Sic igitur habet, διὸ ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα, μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, καὶ πίστεως ἐπὶ θεόν, βαπτισμῶν διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν. Quapropter relicto initij Chriſti ſermone ad perfectionem feramur, non rurſus fundamentum jacientes pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum. Hortatur Apoſtolus eos, ad quos ſcribit, debere tendere ad perfectionem, & non rurſus jacere fundamenta, qualia ſunt Baptiſmus, & manuum impoſitio.

Deinde cum ſuperioribus contexit, ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, &c. πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. Nam fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum cœleſte, & participes facti fuerint Spiritus ſancti, &c. denuo renoventur per pœnitentiam; rurſus crucifigentes ſibimetipſi filium Dei, & oſtentui exponentes. Sic Apoſtolus.

Porro autem Patres tam Græci, quàm Latini, & ſacri Canones quotquot docent Baptiſmum non eſſe iterandum, cùm ex aliis locis Apoſtoli, unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, tum ex hoc potiſſimùm fonte Paulino iſtud hauriunt. Igitur ſi per impoſitionem manuum, & participem fieri Spiritus ſancti, Sacramentum Confirmationis intelligitur, Confirmatio pariter nulla ratione iteranda erit. Quandoquidem Paulus, & cum Doctore Gentium ejus interpretes eandem planè ſententiam pronunciant de Baptiſmo, atque de impoſitione manuum, ſeu participatione Spiritus ſancti.

At Confirmationem illis verbis intelligi certò certius eſt. Siquidem antiqui Interpretes per hanc impoſitionem manuum dari Spiritum ſanctum teſtantur, & eandem prorſus intelligendam, & ejuſdem generis cum illa Apoſtolica exiſtimandam eſſe aſſerunt, quam recenſet Lucas Act. 8, & 19. Sed impoſitionem illam Apoſtolorum, vel ipſimet Græci, qui vigente ſchiſmate floruerunt, Sacramentum Confirmationis eſſe acriter contendunt, ut Simeon Archiepiſcopus Theſſalonices, & Nicolaus Cabaſilas, quorum teſtimonia integra retulimus in 4. capite. Et meritò ſanè, alioquin ſine neceſſitate alteram impoſitionem temerè fingere neceſſe erit. Nam Apoſtoli per impoſitionem manuum

baptizatis conferebant Spiritum ſanctum, quem nos aliis verbis dicimus conferri per Confirmationem, ſeu per ſignaculum ſacri unguenti. Probemus modo quæ diximus.

Quòd igitur per impoſitionem manuum, quam recenſet Paulus, fideles participes fierent Spiritus ſancti, omnes interpretes affirmant. Adeo ut illa verba Pauli, μετόχοις γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, ad ſuperiora, ἐπιθέσεως χειρῶν, neceſſariò ſint referenda. Sic Gennadius teſte Oecumenio: διὸ ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ θεοῦ λόγον. ποῖον δὴ τοῦτον; τὸν τῶν βαπτισμῶν, καὶ διδαχῆς, καὶ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν, δι᾽ ὧν τὸ πνεῦμα, φησὶν, ἐλάβετε.
» Quapropter intermittentes inchoationis
» Chriſti ſermonem. Quis autem ille eſt?
» qui de Baptiſmatibus, & de doctrina, & im-
» poſitione manuum, per quæ Spiritum, in-
» quit, accepiſtis. Et ipſe Oecumenius, καὶ μετόχοις γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν, καθὼς ἄνω φησίν. Et participes
» facti fuerint Spiritus ſancti, per manuum
» impoſitionem, ut ſuprà dixit Apoſtolus.

Quòd etiam eadem ſit impoſitio cum illa Apoſtolica teſtimoniis Sanctorum Patrum in medium allatis probare non eſt difficile. Chryſoſtomus, ἐπιθέσεως χειρῶν. οὕτω γὰρ τὸ πνεῦμα ἐλάμβανον, ἐπιθέντος αὐ-
» τοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας φησιν. Impoſitio-
» nis manuum. Sic enim accipiebant Spiri-
» tum ſanctum, cùm Paulus eis, inquit, im-
» poſuiſſet manus: quod eſt in Actibus Apoſtolorum c. 19. Theophylactus, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν, δι᾽ ὧν τὸ πνεῦμα ἐλάμβανον, ὥστε προφητεύειν, καὶ θαύματα ποιεῖν. ἐπιθέντος γάρ φησιν αὐτοῖς Παύλου τὰς χεῖρας ἔλαβον πνεῦ-
» μα ἅγιον. Impoſitionis quoque manuum,
» per quas ſcilicet Spiritum ſanctum acci-
» piebant, cujus gratia fulti & futura præ-
» dicerent, & miracula ederent. Ait enim
» & alibi, cùm manus eis Paulus impoſuiſ-
» ſet, acceperunt Spiritum ſanctum. Idem Theophylactus paulò pòſt: καὶ μετόχοις γενηθέντας πνεύματος ἁγίου. μετὰ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, τότε ἡ μετοχὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος. οὐ γὰρ οἰκεῖ ἐν σώματι καταχρέῳ ἁμαρτίαις. διὰ δὲ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν ἐδίδοτο, ὡς καὶ ἀνωτέρω
» εἴρηται. Participéſq; facti ſunt Spiritus ſancti.
» Poſt dimiſſionem peccatorum, tum eſt participatio Spiritus ſancti. Non enim habitat in corpore obnoxio peccatis. Per impoſitionem autem manuum dabatur, ut & antè memoratum eſt. Sic probatum ſit, eandem eſſe cum illa Apoſtolica, & illud conſequens eſt, ut ejuſmodi impoſitio ſit planè Confirmatio.

Et confirmatur. Nam nonnulli Græci interpretes Pauli clariùs fatentur hanc impoſitionem fieri, cùm adminiſtratur Baptiſmus. Quippe abſoluto baptiſmate Græci ſtatim conferunt Confirmationem. Theodoretus ſuper illis verbis: non rurſus jacientes fundamenta. Qui enim crediderunt, eorum operum tetrum odorem abhorrentes, & pœnitentiâ utentes, accedunt ad divinum Baptiſmum, & per manum Sacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt. Oecumenius, λέγει δὲ, οὐχ ὡς αὐτοὺς τελείους ἐκάλεσεν, οὐ γὰρ ἴσχυον ἀκοῦσαι, ἀλλ᾽ ἑτέρως μεθοδεύει τὸν λόγον. ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν καὶ σφραγῖδα. Loquitur autem Apoſtolus non «
eo modo quo priùs vocavit perfectos, ne- «
que enim audire poterant: ſed alio modo «
artificioſè tractat ſermonem, vocans qui- «
dem principium Baptiſma, & manuum «
impoſitionem, ac ſignaculum, quæ in ba- «
ptiſmate exhibentur. Explicat Oecume- «
nius impoſitionem addens καὶ σφραγῖδα, quæ in baptiſmate fit. At nulla impoſitio eſt in baptiſmate annexa ſignaculo præter eam, quam exhibemus dum ungentes dicimus, ſignaculum doni Spiritus ſancti. Quæquidem eſt forma Confirmationis. Et infrà; ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν, τῶν ἐν τῷ βαπτίσματι γινομένων. ἢ ἔνθα ἐπιτιθέντες χεῖρας οἱ ἀπόστολοι, τὸ πνεῦμα ἐδίδοσαν, ὅπερ Σίμων ὤνιον ἐζήτει. Impoſitionis manuum, quæ in baptiſmate «
fiunt. Vel tum cùm Apoſtoli manibus im- «
poſitis Spiritum ſanctum dabant, quem «
venalem ſibi eſſe Simon volebat. Ubi Oecumenius per particulam (ἢ) quæ videtur eſſe diſiunctiva, non quaſi rem diverſam refert, ſed potiùs exemplo Apoſtolorum idem confirmat. Adeò ut ſit potiùs particula illa copulativa, idémque valeat quod καὶ. Alioquin ſi non eadem eſſet impoſitio, aliam ſibi fingere Oecumenius cogeretur, & contra Chryſoſtomum, alioſque interpretes ſentiret.

Eodem modo loquendi utitur Innocentius primus in Epistola 29. ad Decentium. Hæc, inquit, Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, &c. Cùm tamen consignare, & Paracletum Spiritum tradere, idem omnino sit.

Porro hanc impositionem manuum, seu (quod idem est) Confirmationem nullo modo posse iterari disertè probant expositores ex verbis Pauli. Chrysostomus, διατί δὲ ταῦτά φησιν; ἐπειδὴ εἰκὸς ἦν αὐτοὺς ἢ παρασαλεύεσθαι ἤδη πεπιστευκότας, ἢ κακῶς βιοῦν καὶ ῥαθύμως. λέγει οὖν νήψατε. οὐκ ἔνι εἰπεῖν, ἐὰν ῥαθύμως ζήσωμεν, πάλιν βαπτισθησόμεθα, πάλιν κατηχησόμεθα, πάλιν ληψόμεθα πνεῦμα; κἂν νῦν τῆς πίστεως ἐκπέσωμεν, πάλιν δυνησόμεθα βαπτιζόμενοι τὰ ἁμαρτήματα ἀπολούσασθαι καὶ τῶν αὐτῶν τυχεῖν, ὧν περ καὶ πρότερον. σφάλλεσθέ, φησι, ταῦτα νομίζοντες. Cur autem hæc dicit? Quoniam erat verisimile eos, vel cùm jam credidissent, vacillare, vel malè, & dissolutè vivere. Dicit ergo, Expergiscimini: Non licet dicere, si dissolutè, & negligenter vixerimus, rursus baptizabimur, catechesi rursus instituemur, accipiemus rursus Spiritum. Et si à fide nunc exciderimus, rursus poterimus baptizati peccata abluere, & eadem assequi, quæ priùs. Erratis, inquit, hæc existimantes. Impossibile enim est, eos qui semel sunt illuminati, &c. ὅρα πῶς ἐντρεπτικῶς, καὶ ἀπαγορευτικῶς ἄρχεται. ἀδύνατον, μηκέτι, φησὶ, προσδόκα τὸ μὴ δυνατόν. οὐ γὰρ εἶπεν, οὐ πρέπει, οὐδὲ συμφέρει, οὐδὲ ἔξεστιν. ἀλλ' ἀδύνατον, ὥστε εἰς ἀπόγνωσιν ἐμβαλεῖν. Uide quomodo (Paulus) incipiat abducens eos ab hoc, & futurum negans. Impossibile. Ne ampliùs, inquit, expectes quod non potest fieri. Non enim dixit, non decet, neque expedit, neque licet, sed est impossibile: ut eos omnino injiciat in desperationem. Theophylactus: οὐκ εἶπεν, ὅτι οὐ συμφέρει, ἢ ἀπρεπές, ἀλλ' ἀδύνατον. Non dixit quòd est inutile, vel indecorum, sed impossibile. Oecumenius, οὐκ εἶπεν δυσχερές, ἀλλ' ἀδύνατον. Non dixit arduum, sed impossibile. Theodoretus: omnino, inquit Apostolus, fieri non potest, ut qui ad sanctissimum Baptismum accesserunt, & gratiæ divini Spiritus fuerunt participes, & cæterorum bonorum figuram acceperunt, rursus accedant, & alium baptismum assequantur. Hoc enim nihil est aliud, quàm Filium Dei rursus crucifigere, & eadem, qua priùs affectus est, rursus ignominia afficere, & infrà. Divinum enim mysterium ignominia afficere, est ejusdem bis esse participem. Ergo Confirmatio, non dicam difficile, non inutile, non indecorum, ut rectè ponderant Apostoli verba interpretes, sed impossibile ut iteretur. Quemadmodum impossibile est denuò Christum crucifigi, mori, in tumulo condi, & resurgere, quod significat Baptismus, & rursus mittere Spiritum sanctum, ut factum est in die Pentecostes.

Præterea Paulus ait, ἀδύνατον, bis participes fieri Spiritus sancti: sed Confirmatio si geminaretur, bis participaremus per illam Spiritum sanctum: igitur Confirmatio non duplicatur.

Post testimonium Apostoli, clarius extare arbitror nullum, quàm Cyrilli Hierosolymitani, quem auctorem cùm in Russia degerem, habere præ manibus sæpius (sed frustra) optavi, cùm difficulter crederem, tantum Doctorem, ubi hoc argumentum cum Catechumenis tractat, nihil ea de re indicasse. Sed ecce tibi, dum Romæ illius Catecheses avidè voluo, in fine procatecheseos, hæc ab illo dicta reperio: πνεύματος ἁγίου σφραγῖδα δῴη ἀνεξάλειπτον εἰς τοὺς αἰῶνας. Det, inquit, vobis Deus Spiritus sancti signaculum indelebile in sempiternum. Quibus verbis parum abest, quin formam hujus Sacramenti recitet, cujus signaculum esse ἀνεξάλειπτον, indelebile enunciat.

Quamvis enim ea verba de Baptismo intelligi possint, quia Baptismus sit secundum Cyrillum in eadem Catechesi, σφραγὶς ἁγία καὶ ἀκατάλυτος, signaculum sanctum, quodque minimè destrui potest; multò tamen magis de Confirmatione intelliguntur, quæ à Græcis per excellentiam σφραγὶς vocatur, & eodem tempore administratur. Unde Cyrillus eo nomine aliquando utrumque Sacramentum com-

plectitur, ut Catechesi 3. μέλλει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σφραγίζειν ὑμῶν τὰς ψυχάς. μέλλετε στρατολογεῖσθαι τῷ μεγάλῳ βασιλεῖ. Spiritus sanctus obsignaturus est animas vestras. Deligendi estis in militiam Magno Regi. Qui effectus etsi Baptismo convenit, multò magis in Confirmationem quadrat, cujus munus est militem deligere, armis ornare, & cum hoste bellum gerere.

Præterea Spiritum sanctum conferebant baptizatis Apostoli per impositionem manuum, idque ordinariè, obsignando, & unguendo. Unde Chrysostomus in 2. ad Corinth. c. 1. hom. 3. τί δέ ἐστι χρίσας καὶ σφραγισάμενος; τὸ πνεῦμα δούς, δι' οὗ ταῦτα ἀμφότερα ἐποίησεν ὁμοῦ, προφήτας, καὶ ἱερέας, καὶ βασιλέας ἐργαζόμενος. ταῦτα γὰρ τὸ παλαιὸν ἐχρίετο τὰ γένη. ἀλλ' ἡμεῖς τὰ τρία μεθ' ὑπερβολῆς ἔχομεν ἀξιώματα νῦν. καὶ γὰρ βασιλείας μέλλομεν ἀπολαύειν, καὶ ἱερεῖς γινόμεθα προσφέροντες θυσίαν τὰ σώματα ἡμῶν. παραστήσατε γὰρ τὰ μέλη ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν εὐάρεστον τῷ θεῷ φησι. καὶ μετὰ τούτων καὶ προφῆται καθιστάμεθα. ἃ γὰρ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, ταῦτα ἐκκεκαλυμμένα ἡμῖν ἐστι. Quid est, inquit, qui unxit, & signavit? hoc est, qui Spiritum dedit, per quem utrumque horum effecit, simul Prophetas, & Sacerdotes, & Reges constituens. Hæc enim hominum genera olim ungebantur. At nos non unam, sed tres istas dignitates præstantiore conditione nunc obtinemus. Nam & Regno potituri sumus, & cùm victimæ loco corpora nostra offerimus, Sacerdotes efficimur; exhibete enim, inquit, membra vestra hostiam viventem, placentem Deo. Atque insuper Prophetæ constituimur; quæ enim oculus non vidit, nec auris audivit, ea nobis patefacta sunt. Quæ verba Chrysostomi, ut mox dicam, omnino de Confirmatione intelligenda sunt.

Ergo impositio, & unctio, per quæ Apostoli conferebant Spiritum sanctum, vel sunt unum, & idem Sacramentum, & tum sicut impositio non iteratur, ita neque Confirmatio. Uel ad varia Sacramenta referri debent. Cùm ergo unctio pertineat ad Sacramentum Confirmationis, impositio manuum ad quod spectabit? An ad sacros Ordines, aliquis dixerit? At non omnes fideles sacris Ordinibus initiabantur, quemadmodum per impositionem manuum participes fiebant Spiritus sancti. Unde Gennadius, referente Oecumenio, ex verbis Apostoli c. 6. ad Hebræos, hunc recenset, & colligit ordinem pro omnibus, qui Christo dant nomina: βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι τοῖς νῦν πρῶτον προσιοῦσι τῇ πίστει, τὴν περὶ τούτων διδασκαλίαν οἱονεὶ θεμέλιον προκαταβαλλόμεθα. μετανοεῖν μὲν ἀπὸ τῶν νεκροποιῶν ἔργων εἰκότως πρῶτον αὐτοὺς προτρεπόμενοι. μετανοοῦντας δὲ, πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεόν. πιστεύοντας δὲ, βαπτίζεσθαι, βαπτιζομένοις δὲ τῇ τῶν ἱερατικῶν χειρῶν ὑπάγειν ἑαυτοὺς ἐπιθέσει πρὸς μετουσίαν τοῦ πνεύματος. Vult autem dicere Apostolus; quod nunc primum ad fidem accedentibus harum rerum doctrinam, tanquam fundamentum proponimus. Meritò ipsos primùm adhortantes, ut à mortiferis operibus resipiscant, resipiscentes autem in Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant impositioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus.

Quòd autem verba Pauli, χρίσας καὶ σφραγισάμενος, secundùm Chrysostomum de Confirmatione intelligantur, hæc illius aurea verba ex eadem hom. 3. in 2. ad Corinth. in fine digressionis moralis, satis clarum faciunt, qui sanè locus directè destruit corruptum usum Græcorum in iteranda Confirmatione: οὕτω καὶ σὺ γίνῃ βασιλεὺς, καὶ ἱερεὺς, καὶ προφήτης ἐν τῷ λουτρῷ. βασιλεὺς μὲν πάσας χαμαὶ ῥίψας τὰς πονηρὰς πράξεις, καὶ τὰ ἁμαρτήματα κατασφάξας. ἱερεὺς δὲ ἑαυτὸν προσενεγκὼν τῷ θεῷ, καὶ καταθύσας τὸ σῶμα, καὶ σφαγεὶς καὶ αὐτός. εἰ γὰρ συναπεθάνομεν αὐτῷ, φησι, καὶ συζήσομεν αὐτῷ. προφήτης δὲ τὰ μέλλοντα μανθάνων, καὶ ἔνθους γινόμενος, καὶ σφραγισάμενος. καθάπερ στρατιώταις σφραγὶς, οὕτω καὶ τοῖς πιστοῖς τὸ πνεῦμα ἐπιτίθεται. κἂν λιποτακτήσῃς, κατάδηλος γίνῃ πᾶσιν. Ἰουδαῖοι μὲν γὰρ εἶχον σφραγῖδα τὴν περιτομήν. ἡμεῖς δὲ τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος. Ad eundem, inquit, modum tu quoque in Baptismo Rex, & Sacerdos, & Propheta efficeris. Rex, cùm omnes pravas actiones in terram abjecisti, ac peccata interemisti. Sacerdos cùm teipsum Deo obtulisti, & corpus sacrificasti, atque adeò ipse quoque mactatus es. Si enim ei commortui sumus,

inquit, & convivemus ei. Propheta denique, cùm futura prædicis, ac divino numine afflaris, atque obsignaris. Quemadmodum enim nota quædam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit, ut si ordinem deserueris (nota) omnibus perspicuus fias. Judæi enim signaculi loco circuncisionem habebant, nos autem pignus Spiritus. Hactenus Chrysostomus, qui clarissimè docet signaculum Spiritus sancti (quòd nimirum imprimitur fidelibus per Baptismum, & multo magis per Confirmationem in ipso Baptismate juxta ritum Græcorum) instar circumcisionis esse indelebile. Quo fit ut agnoscantur ea nota regia, qui militiam Christi deserunt.

Si objicias, Apostolos per impositionem manuum dedisse quidem fidelibus Spiritum: At non quo justi evaderent, hoc enim efficiebat Baptismus; sed quo signa, & miracula ederent. Igitur dona gratis data, non gratum facientia, per illam cerimoniam fideles recipiebant, & consequens illud est, ut impositio manuum non fuerit Sacramentum. Sic enim loquitur Chrysostomus in Actibus Apostolorum octavo capite: τί οὖν; οἱ βαπτισθέντες ὑπὸ Φιλίππου οὐκ ἔλαβον πνεῦμα ἅγιον; πνεῦμα μὲν ἅγιον ἔλαβον, τὸ τῆς ἀφέσεως, τὸ δὲ τῶν σημείων οὐκ ἔλαβον. Quid ergo? An à Philippo baptizati non acceperant Spiritum sanctum? Spiritum sanctum acceperant quidem quoad peccatorum remissionem, sed non acceperant quantum ad signorum editionem. Et cap. 19. τὸ πνεῦμα λαμβάνουσι τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν Παύλου. ἐπιθέντος γὰρ αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας, ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς. ὥστε εἴ τις ἐπετίθει τὰς χεῖρας, τὸ πνεῦμα ἐλάμβανον. εἰκὸς τοίνυν καὶ πνεῦμα μὲν αὐτοὺς ἔχειν, μὴ φαίνεσθαι δὲ, ἀλλ' ἐκ τῆς ἐνεργείας, καὶ τὰ ἀφ' ὧν γλώσσαις ἐλάλουν, τοῦτο ἐνέφαινον. Spiritum accipiunt impositione manuum Pauli. Impositis enim illis Pauli manibus venit Spiritus sanctus super illos. Et ita hi, quibus manus imponebat, Spiritum accipiebant. Verisimile igitur illos Spiritum habere, non verò apparere, sed actibus, & linguarum loqutione hunc se habere declarabant.

Respondeo, rectè dicere Chrysostomum per impositionem manuum non accepisse fideles Spiritum remissionis. Hunc enim assequebantur beneficio Baptismi, qui sanè totam culpā, & pœnam remittit. Dum tamen ait, eos accepisse illa cerimonia Spiritum patrandi miracula, non excludit gratiam justificantem, quod inde probo. Nam Chrysostomus explicans illa verba Pauli ad Ephes. c. 1. in quo & credentes signati estis, probat hunc Spiritum accepisse Apostolos jam baptizatos in die Pentecostes ex pollicitatione Christi, qui eum se missurum discipulis promiserat. Et eundem Spiritum probat Chrysostomus ex testimonio Joëlis effundendum esse super omnem carnem. ἐσφραγίσθησαν καὶ οἱ Ἰσραηλῖται, ἀλλὰ περιτομῇ, καθάπερ τὰ βοσκήματα καὶ τὰ ἄλογα. ἐσφραγίσθημεν καὶ ἡμεῖς, ἀλλ' ὡς υἱοὶ πνεύματι. τί ἐστι πνεύματι ἐπαγγελίας; ἤτοι ὅτι κατ' ἐπαγγελίαν αὐτὸ ἐλάβομεν. δύο γάρ εἰσι ἐπαγγελίαι. μία μὲν διὰ τῶν προφητῶν. ἑτέρα δὲ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. διὰ τῶν προφητῶν, ἄκουε Ἰωὴλ λέγοντος. ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν, καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν, καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται. καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται. ἄκουε δὲ πάλιν τοῦ Χριστοῦ λέγοντος, καὶ λήψεσθε δύναμιν, ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ, καὶ πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. Signati fuerunt, inquit, etiam Israëlitæ, sed circumcisione, sicut oves, & bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filij Spiritu. Quid est Spiritu promissionis? videlicet quod ex promissione ipsum accepimus. Duæ enim sunt promissiones, una quidem per Prophetas, audi Joëlem dicentem, Effundam ex Spiritu meo super omnem carnem, &c. Altera verò per Filium. Audi rursus Christum dicentem, Et accipietis virtutem supervenientis sancti Spiritus super vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & tota Judæa, & Samaria, & usque ad extremum terræ. Sic Chrysostomus.

At certè Apostoli illo die celeberrimo Pentecostes, non tantùm Spiritum ad signa facienda, sed unà cum illo, ejus quoque divina Charismata cumulatissimè gratum facientia susceperunt. Reliqui verò,

qui eum acceperant, omnino etiam illius dona, quæ ornant animam acceperant, sed non omnes donum miraculorum acceperant. Unde signa, non solum tempore Chrysostomi, sed ipsorum etiam Apostolorum in multis cessaverant. Numquid omnes linguis loquuntur, ait Paulus? Immò Joël qui dixerat, effundam ex spiritu meo super omnem carnem: non tamen addidit, & prophetabunt omnes filij vestri, & filiæ. Igitur si sola signa sanctissimus Doctor intelligat, cùm illa desierint, non adimpletur, quod Joël prædixerat. Deinde Chrysostomus non poterat ignorare decreta Concilij Oecumenici Constantinopolitani primi. At in septimo Canone dicitur per Unctionem conferri Spiritum sanctum, non utique remissionis, non signorum, & miraculorum, quæ illo ævo, ut minus necessaria cessaverant. Igitur Spiritum gratiæ gratum facientis. Præterquam quod Apostolus gratias gratis datas non tanti faceret, neque inter fundamenta Christiani hominis enumerasset.

Præterea 2. ad Corinth. cap. 1. explicans Chrysostomus illa verba, Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. πάλιν ἀπὸ τῶν παρελθόντων τὰ μέλλοντα βεβαιοῦται. εἰ γὰρ αὐτός ἐστιν ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς εἰς Χριστόν, τουτέστιν, ὁ μὴ ἐῶν ἡμᾶς παρασαλεύεσθαι ἐκ τῆς πίστεως τῆς εἰς Χριστόν, καὶ αὐτὸς ὁ χρίσας ἡμᾶς, καὶ δοὺς τὸ πνεῦμα ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, πῶς τὰ μέλλοντα οὐ δώσει; εἰ γὰρ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἔδωκε καὶ τὴν ῥίζαν καὶ τὴν πηγήν, οἷον τὴν ἀληθῆ περὶ αὐτοῦ γνῶσιν, τὴν τοῦ πνεύματος μετάληψιν, πῶς τὰ ἐκ τούτων οὐ δώσει; Rursus, inquit, per præterita fidem futuris conciliat. Nam si ipse est, qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos à fide, quæ in Christo est, dimoveri non sinit, atque ipse etiam est, qui nos unxit, & Spiritum in cordibus nostris dedit, quî tandem non futura quoque daturus est? Nam cùm principia, & materiam, & radicem, & fontem, hoc est veram ipsius cognitionem, ac Spiritus participationem largitus sit, quî fieri potest, ut non etiam largiatur, quæ ex his oriuntur? Quibus verbis Chrysostomus, tum effectum Confirmationis describit, dum ait, ipse est, qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos à fide quæ in Christum est, dimoveri non sinit: tum hanc ipsam per unguentum obsignationem Spiritus, principium, & fundamentum vocat. Ut inde manifestè appareat secundum Chrysostomum idem esse plane unctionem unguenti, cum illa manuum impositione, & participatione Spiritus sancti, quam fundamentum appellat Apostolus.

Superioribus argumentis addamus alterum ex convenientia Chrismatis antiquæ legis desumptum. Ut enim Theodoretus, & Oecumenius rectè annotarunt, Judæi ad fidem Christi conversi, ad quos nimirum scribit Apostolus, ἰουδαϊκώτερον φρονοῦντες, putabant in nova lege instar veteris, multa, variaque fore baptismata: idcirco Apostolus edicit, ne quid eiusmodi sperent. Non enim, ut egregiè iidem interpretes exponunt, quemadmodum Baptismus Christi, ita etiam veteris legis baptismata sordes, ac maculas hominum eluebant. Quocirca non est mirum, si ea multiplicabantur. Ergo à simili, quamvis in veteri testamento unctio Chrismatis multiplicata fuisset, nostra tamen, quæ Spiritum sanctum elargitur, nulla ratione iteranda esset. Nunc multo magis hoc idem asseverandum est, quando & in veteri lege antiqua unctio Chrismatis, quæ figuram nostræ gerebat, nonnisi semel administrabatur. Semel enim Sacerdotes, Prophetæ, ac Reges in aliquod Regnum assumpti ungebantur. Et profectò si alicui Regi exulem fieri contigisset, deinde reversus in suo Regno receptus, atque admissus fuisset, non propterea eum denuò inunxissent.

Præterea Nazianzenus in adhortatione ac sacrum lavacrum, signaculum, quod imprimitur chrismate, & quod vocat κάλλιστον βοήθημα, clarissimè docet manere post mortem. Ergo innuit esse indelebile: τοῦτό σοι καὶ ζῶντι μέγιστον εἰς ἀσφάλειαν. πρόβατον γὰρ ἐσφραγισμένον οὐ ῥᾳδίως ἐπιβουλεύεται· τὸ δὲ ἀσήμαντον κλέπταις εὐάλωτον, καὶ ἀπελθόντι δεξιὸν ἐντάφιον. Hoc & viventi tibi maximum est tutamentum. Ovis enim quæ

ſigillo inſignita eſt, non facilè patet inſidiis; quæ verò ſignata non eſt, facilè à furibus capitur; & vita functo res eſt accommoda, quæ ſepulturam comitetur. Item cruentam illam unctionem poſtium in Ægypto accommodat chriſmati; & quidem meritò. Ut enim poſtes ſanguine tincti ſunt, & ſignati; ita baptizatus ungitur chriſmate, & veluti ſigillo Regio conſignatur: σημειωθεὶς, inquit, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι καὶ τῷ πνεύματι. Porrò tam cruorem illum poſtium, quàm unguentum ibidem appellat φυλακτικόν, aptum ad conſervandum, ſeu conſervativum: quod videlicet ſanguis ille tueretur primogenita, ne ab Angelo perimerentur, & Chriſma tueatur baptizatos. At quomodo ſignaculum Confirmationis eſt φυλακτικὸν, ſi aliquo peccato obliteratur? Ut enim Baptiſmus φυλακτικός, appellari poteſt, & à Baſilio magno vocatur, σφραγὶς ἀνεπιχείρητος, ſignaculum inviolatum, cuive inſidiæ ſtrui non poſſunt: non quod baptizatus peccata committere minimè poſſit; ſed quod illius character ſit incorruptus. Et Chriſtus Dominus in baptizatum, tanquam Dominus in ſervum nota inſignitum perpetuo jus dominij habeat; profectò ita etiam unguentum conſervativum dici poteſt ob novum inſculptum ſignaculum. Quod utique ad majorem cuſtodiam rei partæ, & conſervationem imprimitur.

Similem doctrinam tradit Baſilius ſimiliter in adhortatione ad Baptiſmum, οὐδεὶς ἐπιγνώσεταί σε εἰ ἡμέτερος εἶ, ἢ τῶν ὑπεναντίων, ἐὰν μὴ τοῖς μυστικοῖς συμβόλοις παράσχῃ τὴν οἰκειότητα. Nemo te, inquit, agnoſcet, an noſter ſis, aut hoſtium, ſi myſticis ſignis quod noſter ſis non oſtendaris. Multitudinis numero ait, myſticis ſignis, cum propter Baptiſmi, tum propter Confirmationis ſigna, & ſignacula: ἐὰν μὴ σημειωθῇ ἐπὶ σὲ τὸ φῶς τοῦ προσώπου κυρίου. Si non, inquit, ſignatum fuerit ſuper te lumen vultus Domini. Quæ verba Davidis S. Ambroſius libro primo de Spirrtu ſancto c. 6. & Theodoretus in c. 1. ad Epheſ. de Confirmatione intelligunt. Et ne putaremus Baſilium tantùm loqui de charactere, & ſigno Baptiſmatis, idcirco addidit: πῶς ἀντιποιηθῇ σου ὁ ἄγγελος; πῶς δὲ ἀφέληται τῶν ἐχθρῶν, ἐὰν μὴ ἐπιγνῷ τὴν σφραγῖδα; πῶς δὲ σὺ ἐρεῖς, τοῦ θεοῦ εἰμι, μὴ ἐπιφερόμενος τὰ γνωρίσματα; ἢ ἀγνοεῖς ὅτι τὰς ἐσφραγισμένας οἰκίας ὁ ὀλοθρευτὴς ὑπερέβαινεν, ἐν δὲ ταῖς ἀσφραγίστοις κατεφόνευε τὰ πρωτότοκα; Quomodo curam geret, tanquam ad ſe pertinentis Angelus? quomodo eripiet ex hoſtibus, ſi non agnoverit ſignaculum? Quomodo verò tu dices, Dei ſunt, ſi notas non produxeris? An ignoras, quod ſignatas domos devaſtator præteriit, in non obſignatis verò primogenita interimebat? Tandem concludit, ἀσφράγιστος θησαυρὸς, εὐεπιχείρητος κλέπταις. πρόβατον ἀσημείωτον, ἀκινδύνως ἐπιβουλεύεται. Theſaurus non obſignatus, expoſitus eſt furum prædæ; oviculæ non ſignatæ citra vllum periculum inſidiæ ſtruuntur. Hactenus Baſilius. Quid ergo ſi theſaurus fuerit, ἐσφραγισμένος obſignatus? erit plane ἀνεπιχείρητος, ut paulò póſt de Baptiſmo infert. Alioquin neque eſſet conſignandus, ſi deleri poſſet ſignaculum.

Præterea quærendum eſt à Græcis, cùm Baptiſmus, & ſacer ordo imprimant characterem, & multo magis (ſi per Græcos dicere licet) Confirmatio; nam de illis Sacramentis non ita clarè dicitur, ut de Confirmatione, σφραγὶς δωρεᾶς: immò Simeon Theſſal. per ſolum Baptiſmum vult eſſe baptizatum, ἀσφράγιστον τῷ πνεύματι, per Confirmationem ἐσφραγισμένον. Quærendum, inquam, cur illorum Sacramentorum characteres ſint indelebiles, non autem Confirmationis? Si dixerint à poſteriori, quia Eccleſia Græca iterat. At hoc illud eſt controverſum, non enim iterare debet, ut olim non iterabat.

Præterea ſi recentiores Doctores novæ Græciæ rationem reddere volunt, cur character Baptiſmi, & ſacri ordinis violari non poſſit, niſi velint nugari, opus eſt, eos ad fundamenta, & rationes Theologorum confugere. Eæ ſumuntur, vel ex eo, quod character non habeat contraria, quibus corrumpatur ſive dicas phyſicè, cùm ſit qualitas ſpiritualis, ſive moraliter, cùm non ſit ſicut habitus fidei, aliorumque virtutum, qui per actus contrarios tolluntur: ſed poſito etiam quovis peccato, infuſio

characteris necessariò subsequatur, modò Sacramentum ritè perficiatur. Vel quia est in subjecto incorruptibili, cùm character spiritualis sit, & non pendeat à corpore, sed perpetuò maneat in anima. Vel quia est consecratio quædam animæ, quæ tamdiu durat, quamdiu durat res consecrata. Vel quia effectivè pendet à Deo, & manat à Sacerdotio Christi, quod est æternum: Vel quia non est in potestate hominis posse eum perdere. Non enim pendet à voluntate hominis, sed adeo est conjunctus character cum Sacramento, cujus est character, velut umbra cum corpore, seu effectus instar alicujus necessarij cum sua causa, ut quicunque sponte suscipit Sacramentum, velit, nolit, characterem quoque suscipiat. Sit enim aliquis qui hæc inter se quomodocumque discernat, ac dividat, cupiatque Sacramentum, non characterem, an propterea non erit insignitus ? Unde quemadmodum ad imprimendum characterem, voluntas non requiritur, modò velit quis suscipere Sacramentum : ita etiam per contrariam voluntatem character non obliteratur. Non secus atque si quis sponte seipsum servum constituat, & sigillo Domini consignetur, si deinde eum facti pœniteat, profectò per actionem contrariam haud poterit notas servitutis delere. Quæ omnes rationes æquè uni, atque alteri characteri conveniunt, ac non dissimili robore militant; ut propterea opus sit, vel omnes characteres corruptioni subjectos esse affirmare, vel stabiles, & immutabiles asserere.

Præterea hæresis non tollit characterem Baptismi, neque Ordinis, ergo neque Confirmationis. Immo hæresis cùm directè destruat fidem, si aliquem characterem delere deberet, potiùs primum, & fundamentum, quàm alium. Alioquin reddant rationem adversarij, cur non characterem Baptismi, sed alium. Quòd autem hæresis non destruat characteres Baptismi, & Ordinis, & ipsimet Græci concedunt, & ex eo facilè probari potest, Quòd secunda Synodus Oecumenica in 7. Canone Baptismum hæreticorum non respuat, sed eum admittendum esse decernat. Item quòd Episcopi orthodoxi Orientis, Episcopos hæreticorum ad fidem Catholicam redeuntes sine ulla tum Confirmatione, tum ordinatione in suam communionem receperint. Sic enim habet Canon 48. Concilij Sardicensis, ἀναβαπτήσεις, καὶ ἀναχειροτονήσεις, καὶ μετακινήσεις ἐπισκόπων μὴ γινέσθωσαν. Rebaptizationes, & iteratæ ordinationes, & remotiones Episcoporum ne fiant. Et Canon 8. primæ Synodi ex Epitome Armenopuli, οἱ καθαροὶ λεγόμενοι, προσερχόμενοι, ὁμολογήσαντες, ὅτι διγάμοις κοινωνήσουσι, καὶ συγχωρήσουσι τοῖς παραπεπτωκόσι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι συνθήσονται δόγμασι τῆς ἐκκλησίας, ἐπὶ τοῦ βαθμοῦ καὶ τῆς ἀξίας τῆς ἱερωσύνης ἕκαστος μενέτω. Qui puti dicuntur, si accedant, & professi fuerint se cum digamis communicaturos, & lapsis veniam daturos, & omnibus aliis Ecclesiæ dogmatibus assensuros, quilibet eorum in gradu, & dignitate Sacerdotij sui maneat.

Et Canon 68. Carthaginensis, οἱ ὑπὸ Δονατιστῶν χειροτονηθέντες, ἐπιστρέφοντες ἐν ταῖς οἰκείαις τιμαῖς δεχέσθωσαν. Qui à Donatistis ordinati sunt, si convertantur, ad honores suos admittantur. Sic etiam tradit Basilius Magnus in calce secundi Canonis Epistolæ ad Amphilochium : οἶδα δὲ ὅτι τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς περὶ Ζώϊον καὶ Σατουρνῖνον ἀπ' ἐκείνης ὄντας τῆς τάξεως (τῶν Ἐγκρατιτῶν) προσεδεξάμεθα εἰς τὴν καθέδραν τῶν ἐπισκόπων. ὥστε τοὺς τῷ τάγματι ἐκείνων συνημμένους, οὐκέτι δυνάμεθα διακρίνειν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, οἷον κανόνα τινὰ τῆς πρὸς αὐτοὺς κοινωνίας ἐκθέμενοι, διὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων παραδοχῆς. Scio fratres Zoïum, & Saturninum, qui erant ex illo (Encratitarum) ordine, in Episcoporum cathedram à nobis susceptos fuisse. Quare eos, qui illorum ordini conjuncti sunt, non amplius possumus ab Ecclesia separare, utpote tanquam Canone aliquo communionis cum ipsis edito per Episcoporum susceptionem. Sic Basilius. Cujus auctoritas, ut etiam alicujus Concilij, quamvis possit intelligi de iis, qui prius in fide Catholica fuissent creati Episcopi, tamen poterant ipsi modò fuissent Episcopi, in hæresi ordinare alios, & eodem modo recepti fuissent.

Et certè mirum esset, si antiqui Patres hæreticorum

hæreticorum initiatione ad sacros ordines minimè repudiata, illorum Confirmationem penitus aspernati fuissent.

Quòd si sancti Patres Græci nonnullos hæreticos statuunt esse Chrismate inungendos, eos intelligas, ut sæpius dictum est, qui antea nunquam essent confirmati. Si autem alicubi hæreticorum χειροτονίαν, ut minus ritè factam aspernantur, & rejiciunt, eam intelligas, ubi non sit verum Sacerdotium. Ut non est modò apud Lutheranos, & Calvinistas ex defectu Episcopalis characteris. Unde Canon Apostolicus 64. ὁ δὶς χειροτονηθεὶς καθαιρείσθω σὺν τῷ χειροτονήσαντι, εἰ μὴ αἱρετικὴ χεὶρ ἡ πρώτη. Bis ordinatus per manuum impositionem, unà cum eo, qui ordinavit deponitor, nisi manus prior hæretica fuerit.

Præterea, fac Presbyterum aliquem nuncium remisisse Christo, si dein eum pœniteat, & ad fidem redeat, secundum hanc Neogræcorum sententiam denuo Chrismate consignari debet. Quippe qui Confirmationis signaculum perdiderit. Atqui hoc mirum esse videtur, si quis sit verus Sacerdos, & tamen signaculum Confirmationis amiserit. Cùm alioquin character ordinis supponat προηγουμένως, characterem Confirmationis. Non enim licet isto non præcedente, suscipere Sacramentum ordinis, (quamvis si conferatur ordo, teneat) præsertim secundum Græcos, qui neque fas esse ducunt, non confirmato sumere sacratissimam Eucharistiam, nedum eam conficere, & aliis administrare. Vel itaque neuter est corruptibilis, vel uterque. At ordinis certum est characterem non deleri, & Philadelphiensis non solùm ad mortem usque durare, sed etiam post mortem eum minimè perire contendit. Et communiter cum Theologis optimè sentit. Hæc sunt illius verba: εἰ δέ τις ἐξ ἀνθρώπων γένοιτο, καὶ αὖθις ἀνασταίητο (barbarizat, dele ultimam syllabam το.) οὐκ ἂν ἐδεήθη, (corrige οὐκ ἂν δέοιτο, vel δεηθείη.) ἀναβαπτισμοῦ, οὔτε μὴν ἀναχειροτονήσεως, ἀνεξαλείπτων μενουσῶν τῶν ἐπ᾽ αὐτῷ σφραγίδων. Quòd si quis, inquit, ab hominibus " demigraret, & rursus à mortuis revocare- " tur, nequaquam anabaptismo, ut neque nova ordinum initiatione indigeret, ma- " nentibus in ipso indelebilibus signaculis. "

His adde, quî fieri possit, ut aliquis ob fœdissimam labem peccati, præstantiore charactere, qualis est ordinis, non amisso, minus præstantem amittat? & tunc cur non etiam Baptismi?

Ad extremum, si Confirmatio exhibetur his, qui denuo redeunt ad Christi fidem; ergo est iterabile Sacramentum, ergo non solùm iis, sed & cæteris peccatoribus conversis ad pœnitentiam posset dari. Quæ enim major est ratio, ut illis, non istis exhibeatur? vel illi tantùm amittant, non isti? Et in summa, vel est iterabile hoc Sacramentum natura sua, vel non: hoc posterius facit pro nobis. Si verò est iterabile, ergo quicumque illud iterat non solùm non peccat, sed rectè facit, & tamen communiter non ab omnibus iteratur. Certè alios peccatores priùs confirmatos Methodius ab unctione chrismatis arceret.

Postremò illud urgendum. In septimo Canone Concilij Constantinopolitani, unde occasionem errandi Græci arripuerunt; recensentur nonnulli hæretici, qui ad Catholicam fidem conversi, non quidem denuò, sed absolutè priùs non uncti, semel chrismate inungebantur. At in eo Canone desertores fidei non enumerantur. Neque illi sanctissimi Patres poterant istud ignorare. Quo igitur jure Methodius Patriarcha, & eum imitati cæteri Græci, denuò eos per modum Sacramenti unguento consignant? Immò de hujusmodi hominibus, qui Christo Domino nuncium remittebant, atque idolis sacrificabant, vel sacrificiis Gentilium se polluebant, extant Canones Conciliorum Nicæni, & Ancyrani, extant Petri Alexandrini sanctissimi Martyris, extant Basilij Magni, Gregorij Nysseni, & aliorum. In quibus sanè Canonibus, sacri Doctores præscribunt modum eos recipiendi, & mulctas injungendi pro varietate, qualitatéque criminum. At quod sint denuò Chrismate inungendi, ea de re οὐδὲ γρύ. ut plane καινοτομίαν, id esse appareat.

Canones Concilij primi Nicæni ex Epitome Armenopoli deprompti.

ια'. Οἱ χωρὶς ἀνάγκης παραπεσόντες, ἀσύγγνωστοι παντάπασιν ὄντες, ὅμως διὰ φιλανθρωπίαν, γνησίως μετανοήσαντες, τρία ἔτη ἐν τοῖς ἀκροωμένοις μενέτωσαν, ἑπτὰ δὲ ὑποπιπτέτωσαν καὶ δύο χωρὶς προσφορᾶς τῆς εὐχῆς κοινωνείτωσαν.

ιβ'. Οἱ τῇ πλάνῃ δόξαντες ἀντιστῆναι, εἶτα δωρεαῖς ἐπὶ ταύτην ἀναδραμόντες, δεκαετίαν ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον. πλὴν ἐφ' ἅπασι τὸ τῆς μετανοίας εἶδος ἐξεταστέον, καὶ τῷ θερμοτέρως μετανοήσαντι φιλανθρωπότερος ὁ ἐπίσκοπος διακείσθω.

Qui absque vi, & necessitate lapsi sunt, licet omnino veniam nullam mereantur, tamen ut benigniùs cum illis agatur, si verè pœnitentiam egerint, triennium inter auditores maneant, septennium succumbant, & biennium absque oblatione precum participes sunto.

Qui visi sunt errori obstitisse, si deinde ad eum propter munera recurrerint, absoluto triennij spatio inter audientes, decennio succumbant. In omnibus tamen pœnitentiæ modus examinandus est, & in eum, qui ardentiùs pœnitentiam egerit, Episcopus se humaniorem gerat.

Canones Concilij Ancyrani ex eadem Epitome.

α'. Πρεσβύτερος ὁ δι' ἀνάγκην τοῖς δαίμοσι θύσας, εἶτα ἀναπαλαίσας, τῆς μὲν τιμῆς μετεχέτω, καὶ τῆς καθέδρας, μηδὲν δέ τι τῶν ἱερατικῶν λειτουργείτω.

β. Ὡσαύτως καὶ διάκονος. ἐπιτεινέτω δὲ ὁ ἐπίσκοπος, ἢ ἀφαιρείτω πρὸς τὴν τούτου μετάνοιαν.

δ'. Ὁ βίᾳ θύσας, καὶ δειπνήσας ἐν τοῖς εἰδωλείοις. εἰ μὲν ἀπαγόμενος καὶ σχήματι φαιδροτέρῳ, καὶ ἐσθῆτι λαμπροτέρᾳ ἐχρῆτο, καὶ ἀδιαφόρως τοῦ δείπνου μετέσχε, δι' ἑξαετίας τοῦ τελείου τυγχανέτω.

ε'. Εἰ δὲ πᾶν τοὐναντίον, φαγὼν μὲν, διὰ τριετίας, μὴ φαγὼν δὲ, διὰ διετίας.

ς'. Ὁ ἀπειλῇ μόνον εἴξας, εἶτα μετανοήσας, διὰ πενταετίας τοῦ τελείου τυγχανέτω.

ζ'. Ὁ τοῖς ἐθνικοῖς ἐν ταῖς ἑορταῖς αὐτῶν, καὶ μετὰ ἰδίων βρωμάτων συνεστιαθεὶς, διετίαν ὑποπιπτέτω.

η'. Ὁ δὶς καὶ τρὶς δι' ἀνάγκην θύσας, διὰ ἑπταετίας τοῦ τελείου τυγχανέτω.

θ'. Ὁ μὴ μόνον ἀποστὰς, ἀλλὰ καὶ ἄλλους καταναγκάσας, διὰ δεκαετίας τοῦ τελείου τυγχανέτω.

1 Presbyter, qui per coactionem dæmonibus immolaverit, ac deinde rursus certamen iniverit, honoris quidem ac sedis particeps esto, sed nihil obeat eorum, quæ ad sacerdotale munus pertinent.

2 Similiter & Diaconus: intendat autem pœnam Episcopus, vel minuat pro ipsorum pœnitentiæ ratione.

4 Qui ob vim adhibitam sacrificavit, & cœnavit in idolorum templis, siquidem, cùm abduceretur, & facie lætiore & splendidiore vestitu utebatur, atque indifferenter cœnæ particeps fiebat, sexennio perfecti (hoc est, Eucharistiæ) potiatur.

5 Sin totum contrarium, siquidem manducaverit triennio, si non manducaverit, biennio.

6 Qui comminationi duntaxat cessit, ac deinde pœnituit, quinquennio perfectum assequatur.

7 Qui cum Ethnicis in festis eorum & suis quidem cum cibis convivium habuit, biennio succumbat.

8 Qui bis, & ter ob necessitatem sacrificavit, septennio absoluto perfectum consequatur.

9 Qui non modò defecit, verùm etiam coëgit alios, post decennium perfecto fruatur.

Petri Alexandrini ex eodem Compendio.

α'. Οἱ μετὰ πολλὰς αἰκίας τῶν βασάνων ἡττηθέντες, καὶ τῷ χεῖρον ἀφιστάμενοι, ἔπειτα μεταγνόντες καὶ πενθοῦντες, τεσσάρων ἐτῶν ἤδη τοῦ διωγμοῦ παρελθόντων, καὶ ἄλλας ἡμέρας ἐπιτιμάσθωσαν τεσσαράκοντα.

β'. Οἱ δὲ μετὰ τὸ φυλακισθῆναι μόνον παραπεσόντες, καὶ ἕτερον ἐνιαυτὸν ἐπιτιμάσθωσαν.

γ'. Οἱ δὲ πρὸς τὴν ἀπώλειαν χωρὶς ἀνάγκης αὐτομολήσαντες, εἶτα μετανοήσαντες, ἐπὶ τριετίαν.

ε'. Οἱ δὲ ὑποκρινάμενοι, καὶ διαπαίξαντες τοὺς βιάσαντας, καὶ θῦσαι διαφυγόντες, ἑξάμηνον ἐπιτιμάσθωσαν.

ς'. Οἱ δὲ δούλοις ἀνθ' αὑτῶν θῦσαι καταναγκάσαντες, αὐτοὶ μὲν τριετίαν.

ζ'. Οἱ δὲ καταναγκασθέντες δοῦλοι ἐνιαυτόν.

η'. Οἱ παραδοθέντες, καὶ δι' ἀνάγκην μὲν ἀρνησάμενοι, εἶτα τὴν ἧτταν ἀνακαλεσάμενοι, ἐν ἅπασι μετὰ χαρᾶς κοινωνείτωσαν.

ια΄. Τοῖς αὐθαιρέτως μὲν τὸν ἀγῶνα ὑπεισελθοῦσι, διὰ δὲ πολλὰς αἰκίας ἀρνησαμένοις, εἶτα μετανοήσασι, καὶ τὸ πραχθὲν ἀποδυρομένοις, ἄξιον ἐπινεῦσαι, καὶ συνεύχεσθαί τε ὑπὲρ αὐτῶν, καὶ τὸ θεῖον ἐξιλεοῦν.

1 Qui post multos cruciatus tormentis victi, Christum negaverint, ac deinde mutatâ sententiâ luxerint, cùm jam quatuor anni persecutionis præterierint, etiam alios quadraginta dies puniuntor.

2 Qui verò lapsi sunt postquam duntaxat carcerati fuissent, altero etiam anno puniuntor.

3 Qui verò ad interitum absque necessitate sua sponte perrexerint, ac deinde pœnituerint, ad triennium.

5 Qui dissimulationem adhibuerint, & irriserint eos, á quibus cogebantur, atque ita quominus sacrificarint, effugerint, sex mensibus castigantor.

6 Qui servos pro se sacrificare coëgerint, ipsi quidem triennio.

7 Servi verò coacti, annuo spatio.

8 Qui traditi sunt, & propter necessitatem (Christum) abnegarunt, verùm postea victoriâ revocatâ, fortiter decertarunt, in omnibus cum lætitia communicent.

11 Iis, qui sponte quidem certamen obierunt, verùm propter varios cruciatus abnegarunt, ac deinde rursus pœnituerunt, factumque suum deplorarunt, æquum est annuere, ac pro ipsis tum preces fundere, tum Numen divinum placare.

Basilij Magni Canon 73. non ex Compendio.

Ὁ τὸν Χριστὸν ἀρνησάμενος, καὶ παραβὰς τὸ τῆς σωτηρίας [τουτέστιν, ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἵστασθαι, καὶ δέεσθαι τῶν εἰσιόντων ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι.] μυστήριον, ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτοῦ προσκλαίειν ὀφείλει, καὶ ἐξομολογεῖσθαι χρεωστεῖ, ἐν τῷ καιρῷ, ᾧ ἐκβαίνει τοῦ βίου τοῦ ἁγιάσματος ἀξιούμενος, πίστει τῆς παρὰ θεοῦ φιλανθρωπίας.

Qui Christum negavit, & salutis mysterium violavit, toto vitæ suæ tempore pro foribus Ecclesiæ flere, & peccatum suum confiteri debet, eo duntaxat tempore ad sacratissimam Eucharistiam participandam admittendus, quo ex hac vita migrat, divinæ benignitatis fiducia impetrandæ.

Zonaras interpres in hunc Canonem.

Ὁ μὲν ἅγιος οὗτος ἀδιακρίτως πάντας τοὺς ἀρνησαμένους τὸν χριστιανισμὸν, διὰ βίου ἀκοινωνήτους εἶναι κελεύει, καὶ προσκλαίειν. ὁ δὲ Ἀλεξανδρείας ἀρχιερεὺς ἱερομάρτυς Πέτρος πολλὰς διακρίσεις τῶν ἀρνησαμένων τὴν πίστιν ποιεῖται ἐν τοῖς αὐτοῦ κανόσι. καὶ διαφόρους τοὺς τῶν ἐπιτιμίων χρόνους ἐπ᾽ αὐτοῖς ὁρίζει. διὰ βίου δὲ οὐδένα ποιεῖ ἀκοινώνητον. καὶ ἡ ἐν Ἀγκύρᾳ δὲ σύνοδος ἀρχαιοτέρα οὖσα καὶ τοῦ ἱερομάρτυρος καὶ ἁγίου Πέτρου, διαιρέσεις πολλὰς τῶν ἐπιθυσάντων ποιεῖται, καὶ καιροὺς ἐπιτιμίων ἄλλοις ἄλλους ὁρίζει, μέχρι δὲ τελευτῆς οὐδένα ὥρισεν εἶναι ἀκοινώνητον. εἴποι δέ τις, ὅτι ἀνάλογα τὰ ἐπιτίμια ἔθεντο οἱ πατέρες πρὸς τοὺς ἰδίους καιρούς. οἱ μὲν γὰρ ἦσαν ἐν καιροῖς σφοδρῶν διωγμῶν, ὅτε ἔτι καὶ ἡ πίστις ἀστήρικτος ἦν. καὶ διὰ τοῦτο τοῖς παραπίπτουσι μετριώτερον προσεφέροντο, συγκαταβαίνοντες διὰ τὴν ἀνάγκην τῶν διωκτῶν. ὁ δὲ μέγας Βασίλειος ἐν καιρῷ τυγχάνων, ὅτε ἡ πίστις ἐπλατύνθη, καὶ βεβαιοτέρα ἐγένετο, τὰ δὲ τοῦ ἑλληνισμοῦ εἰς στενὸν κατήντησε κομιδῆ, τοῖς ἀρνουμένοις τὴν πίστιν σφοδρότερον προσεφέρετο, ἑκουσίας καὶ βίας χωρὶς παραπίπτουσι, καὶ διὰ τοῦτο ἀκοινωνήτους διὰ βίου μένειν ὡρίσατο.

Iste quidem sanctus sine vllo discrimine omnes qui Christianismo nuncium remiserint, totâ vitâ communionis expertes esse, ac insuper assiduè plorare mandat. Alexandrinus verò Pontifex sacratissimus Martyr Petrus multas distinctiones negantium fidem in suis Canonibus facit: & varia tempora haud æqualia mulctæ ipsis præscribit. Neminem verò toto curriculo vitæ à divina communione arcet. Sed & Synodus Ancyrana, quæ & ipsomet sancto Martyre Petro antiquior est, idolis sacrificantium divisiones complures facit, & alia tempora pœnarum aliis constituit. Nemini tamen ad obitum usque participationem Eucharistiæ interdixit. Itaque diceret aliquis, sanctos Patres ut ratio suorum temporum postulabat, mulctas pœnitentibus imposuisse. Siquidem & Ancyranum Concilium, & Petrus sanctissimus Martyr illo ævo floruerunt, cùm fideles sævissimas persecutiones paterentur, & nondum esset firmata fides. Idcirco lapsos mitiùs tra-

ctabant, ad illorum usum se accommodantes, & demittentes propter vim tormentorum à persecutoribus illatam. At verò Basilius Magnus cùm eo tempore vixerit, quando fides longè lateque dilatata, magis roborata est, paganismus verò in angustias planè redactus, cum fidem negantibus duriùs se gerebat, tanquam cum iis qui sponte, ac sine vi prolapsi forent, & ideo totâ vitâ cœlesti cibo ut se abstinerent mandavit.

Canon ejusdem Basilij 80.

Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν τῇ τῶν βαρβάρων καταδρομῇ παρέβησαν τὴν εἰς Θεὸν πίστιν, ὅρκους ἐθνικοὺς τελέσαντες, καὶ ἀθεμίτων τινῶν γευσάμενοι τῶν ἐν τοῖς εἰδώλοις [μαγικοῖς δηλονότι τελεταῖς τεθυμένων] μαγικῶν προσενεχθέντων αὐτοῖς, οὗτοι κατὰ τοὺς ἤδη παρὰ τῶν πατέρων ἐξενεχθέντας νόμους καὶ κανόνας οἰκονομείσθωσαν. οἱ μὲν γὰρ ἀνάγκην χαλεπὴν ἐκ βασάνων ὑπομείναντες, καὶ μὴ φέροντες τοὺς πόνους, καὶ ἑλκυσθέντες πρὸς τὴν ἄρνησιν, ἐν τρισὶν ἔτεσιν ἄδεκτοι ἔστωσαν, καὶ ἐν δυσὶν ἀκροάσθωσαν, καὶ ἐν τρισὶν ὑποπεσόντες, οὕτω δεκτοὶ γινέσθωσαν εἰς τὴν κοινωνίαν. οἱ δὲ ἄνευ ἀνάγκης μεγάλης προδόντες τὴν εἰς Θεὸν πίστιν, ἁψάμενοι τῆς τραπέζης τῶν δαιμονίων, καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἑλληνικοὺς, ἐκβαλλέσθωσαν μὲν ἐν τρισὶν ἔτεσι, καὶ ἐν τρισὶν ἀκροάσθωσαν. ἐν ὑποπτώσει δὲ εὐξάμενοι ἐν τρισὶν ἔτεσι. καὶ ἐν ἄλλοις τρισὶ συστάντες τοῖς πιστοῖς εἰς τὴν δέησιν, οὕτω δεκτοὶ ἔστωσαν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ κοινωνίᾳ.

Quoniam multi incursionem facientibus barbaris, fidem in Deum violaverunt, quippe qui jure jurando Ethnicorum se obstrinxerunt, & quæ idolis magica immolantur, quæ contingere nefas est ipsis, oblata gustarunt, hi sanè secundùm sancitas leges, & Canones editos Patrum instituantur. Qui enim vim molestam quæstionum sustinuerunt, & cum ampliùs tormenta ferre non possent, ad Christi fidem negandam impulsi sunt, triennio non recipiantur, & biennio inter auditores versentur, ac triennio cùm succubuerint (hoc est in oratione cæteris stantibus ipsi genua flexerint) tum demum ad communionem admittantur. Qui verò sine vi magna Christianam fidem prodiderunt, & dæmoniorum mensâ se polluerunt, præterea Sacramenta Gentilium jurarunt, triennio extra fores Ecclesiæ ejiciantur. Item triennio auditorum locum obtineant. Et triennio succumbentes fundant preces, & insuper triennio unà cum fidelibus in oratione stent, ita tandem divinorum mysteriorum fiant participes.

Zonaras interpres.

Ἐν τῷ ογ΄. κανόνι τὸν ἀρνησάμενον τὸν Χριστὸν, καὶ παραβάντα τὸ τῆς σωτηρίας μυστήριον, διὰ βίου προσκλαίειν ὁ ἅγιος ὥρισε. θνήσκοντα δὲ, ἀξιοῦσθαι τῶν ἁγιασμάτων. ἔστιν οὖν εἰπεῖν, ὅτι οὐ ταυτόν ἐστι τὸ ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, καὶ τὸ θῦσαι τοῖς δαιμονίοις, καὶ τὸ εἰδωλοθύτων γεύσασθαι, καὶ ὅρκους ἑλληνικοὺς ὀμόσαι. τὸ μὲν γὰρ τῆς πίστεως ἀθέτησις παντελής. τὸ δὲ μίασμα καὶ δόκησις ἀθετήσεως. καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον τὸ πρῶτον κεκόλασται. ἢ ὅτι ἐν ἐκείνῳ μὲν τῷ κανόνι περὶ τῶν αὐτομολησάντων εἰς τὴν ἄρνησιν, καὶ ἄνευ ἀνάγκης ἀθετησάντων τὴν πίστιν διετάξατο. ἐν τούτῳ δὲ περὶ τῶν ἡττηθέντων τῆς τῶν βασάνων σφοδρότητος, καὶ τῶν βίαν παθόντων, κἂν μὴ πάνυ σφοδρὰν, καὶ ἐνδεδωκότων. καὶ διὰ τοῦτο μετριώτερα αὐτοῖς ἔταξε τὰ ἐπιτίμια.

In 73. Canone eum, qui Christum negaverit, & salutis mysterium violaverit, totâ vitâ plorare, obeuntem verò mortem ad divinorum donorum perceptionem admittendum esse sanctus sancivit. Itaque dici potest non idem esse negare Christum, atque dæmoniis sacrificare, & quæ idolis immolantur gustare, ac jura juranda Gentilium jurare. Illud enim fidem est penitus improbare. Hoc posterius scelus est, & abrogationis species quædam, & existimatio. Propterea illud primum magis mulctatur. Vel dicendum est in eo Canone de iis sanxisse, qui sponte ad negationem deficiunt, ac sine necessitate improbant fidem. In hoc verò agit Basilius de iis, qui vehementissimis cruciatibus cesserunt, iis item qui vim passi sunt, quamvis non adeò ingentem, & tamen succubuerunt, & ideo mitiorem ipsis constituit pœnitentiæ mulctam.

In istis Canonibus sancti Patres, & Concilia Christi perduellibus ad fidem orthodoxam conversis præscribunt loca, tempora, atque adeò ipsas pœnitentias. Un-

ctionem chrismatis ne quidem nominant, nec tantum ipsi, sed nec eorum interpretes, qui alioquin alias dubitationes ingeniosè dissoluunt. Rectè itaque Armenopolus in sua Epitome recensito 73. Canone Basiliano de negantibus Christum, quem eundem Canonem ait primum esse in ordine Gregorij Nysseni, eiusmodi statim contexuit.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

Η τοῦ πατριάρχου Μεθοδίου διατύπωσις τοὺς παραπεσόντας καὶ ὑποστρέψαντας, νηπίους μὲν αἰχμαλωτισθέντας, καὶ φόβῳ ἢ ἀγνοίᾳ καθυπαχθέντας, συγγνώμης ἀξιοῖ τῷ ἁγίῳ μόνον χρίουσα μύρῳ· τελείους δὲ τὴν ἡλικίαν ὄντας, καὶ ἀνάγκῃ καθυπαχθέντας, συγγνώμης μὲν καὶ αὐτοὺς ἀξιοῖ τῷ ἁγίῳ χρίουσα μύρῳ, νηστεῦσαι δὲ ὅμως τεσσαρακοστὰς ἡμερῶν δύο προστάττει, κρεῶν ἀπεχομένοις, ἐκτενεῖς τε δεήσεις, καὶ γονυκλισίας ποιεῖν ὅπόση δύναμις. τοὺς δὲ ἐκ προαιρέσεως αὐτομολήσαντας ἐπὶ δύο ἐνιαυτοὺς νηστεύειν προστάττει παραπλησίως τοῖς ἄνω δεδηλωμένοις, καὶ γονυκλισίας ἑκάστης ἡμέρας ποιεῖν. ρʹ. ἢ σʹ. εἶθ᾽ οὕτω τῷ ἁγίῳ χρίεσθαι μύρῳ.

Methodij Patriarchæ lapsos, & conversos pueros quidem in captivitatem abductos, & metu, vel ignoratione subactos, veniâ dignatur, sacro duntaxat eos unguento inunguens; adultos verò, & vi subactos veniâ quidem & illos dignatur, sacro inungens unguento, sed jejunare tamen eos binas dierum quadragesimas à carnibus abstinentes, intentásque preces, & genuflexiones pro viribus facere jubet. Qui verò scientes, prudentésque à Christianismo transfugerint, biennium jejunare jubet, perinde ut indicatum suprà, quotidiéque centies, vel ducenties genuflectere, atque ita unguento sacro inungi. Sic de Methodio Armenopolus.

Quibus verbis clarissimè indicat, hanc peculiarem esse constitutionem Methodij, quæ si aliter intelligatur, quàm probabiliter intelligi posse suprà explicavi, tanquam nova, doctrinæ Patrum minùs consentanea, & sacris paginis planè contraria omnino rejicienda est.

Ubi etiam notandum in Euchologiis excussis factam esse mutationem; quippe in manuscriptis de his postremis, qui suapte sponte Christum abjiciunt, deinde ad fidem redeunt, Methodius ait, ut etiam refert Armenopolus: οἱ τοιοῦτοι κανόνα μὲν φοβερὸν ἔχουσιν, ἀλλὰ διὰ συμπάθειαν ἐπὶ δύο ἐνιαυτοὺς νηστευέτωσαν. Hujusmodi homines Canonem quidem horrendum habent, (nimirum Basilianum, hoc est, pœnitentiam agere debent valdè austeram, & rigidam, & flere per totam vitam,) sed propter commiserationem per biennium jejunent, &c. In Euchologiis verò excussis habetur, ἐπιστρέφοντας μὲν τούτους δεχόμεθα, τῶν δὲ θείων μυστηρίων οὐ μεταλαμβάνουσιν, εἰ μὴ μόνον ἐν τῷ τέλει τῆς ζωῆς αὐτῶν. κατὰ τὸν ἑβδομηκοστὸ τρίτον κανόνα τοῦ μεγάλου Βασιλείου. Hos quidem ad fidem redeuntes recipimus, sed ad divina mysteria participanda non admittimus; nisi tantùm in fine vitæ secundùm Canonem septuagesimum tertium Magni Basilij. Sic ibi. Non ergo mirum si etiam nonnulla alia sunt immutata, & addita.

Quid? quod & ipse Photius schismaticorum antesignanus, qui tertius est in ordine à sancto Methodio Confessore, & alterum Methodium longè antecedit, in Epistola illa Encyclica suprà citata, quamvis Confirmationem Presbyterorum mordicus defendat, ibidem tamen Latinos vehementer redarguit, quòd eam iterare, ut ipse loquitur, non horruerunt. Et statim subjungit: ἆρ᾽ ἐστιν, εἰς τηλικαύτην ἀκοὴ παρείληφεν ἄνοιαν; ἣν κατατολμᾶν οἱ παράφρονες οὐκ ἐνάρκησαν; τοὺς ἅπαξ μύρῳ χρισθέντας ἀναχρίοντες ἔτι, καὶ τὰ τῶν χριστιανῶν ὑπέρφυῆ καὶ θεῖα μυστήρια εἰς λῆρον μακρὸν, καὶ πλατὺν ἐξορχούμενοι γέλωτα; Num reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capti audere non dubitarunt? illos videlicet, qui semel tincti sunt Chrismate, iterum chrismantes, & Christianorum excelsa, & divina mysteria in magnas nugas, & derisum ingentem convertentes? Et infrà in eadem Epistola: ὁ ἀναμυρισμὸς τῶν ἤδη βεβαπτισμένων, καὶ μεμυρισμένων, οὐδὲ καινότερον οἶμαι δεήσεται εἰς κατάγνωσιν, αὐτόθεν καὶ μόνης διηγήσεως πάσαν ὑπερβολὴν ἐκνικώσης δυσσεβήματος. Iterata chrismatio illorum, qui baptizati

,, sunt, & Chrismate tincti, neque Canonum ,, auctoritate indiget, credo, ut damnetur, ,, cùm vel ipsa sola rei narratio superet om- ,, nem impietatis excessum.

Itaque secundùm Photium iterare Confirmationem, est planè Christianorum divina mysteria in nugas, & derisum convertere, ac omnem impietatis excessum superare. Sic Deus per asinam Balaam quandoque vera loquitur, & per eundem impium prophetam Israëli benedicit. Neque potest dici, Photium non intelligere in eo casu conversos hæreticos, vel à fide Christi transfugas. Nam Photius Latinos hæreticorum instar habebat, & idem sentire Latinos de Græcis juxta suam mentem, facilè poterat existimare.

A Photio edoctus Joannes quidam Metropolita Moscoviç in Epistola quadam ad Romanum Pontificem, teste Sigismundo libro de rebus Moschoviticis, inter alios, ut ipse putat, hunc etiam Latinis adscribit errorem, quòd à Presbyteris confirmatos, denuò confirmarent, & Sacramentum ge- ,, minarent. Item, inquit, qui à Presbyteris ,, in baptismate inuncti sunt, illos vos jam ,, denuò inungitis, dicentes, illa simplicibus ,, Sacerdotibus facere non licere, sed solis ,, Episcopis. Deinde istud confutans sic ra- ,, tiocinatur. Nonne ubique dicitur in Syno- ,, dis; Confiteor unum Baptisma in remissio- ,, nem peccatorum? Si ergo est unum Baptisma, erit etiam unum Chrisma. Quibus verbis significat non secus posse iterari Chrisma, atque Baptisma. Et quia Chrisma in baptismate more Græcorum administrabatur, unum probat per alterum.

Cæterùm quod deinde in eadem Epistola sequitur, (& virtus eadem tam Episcopi, quàm Sacerdotis) quis non videat esse falsum? alioquin liceat Presbytero etiam alios Clericos sacris imbuere. Demus enim Presbyterum consecrare alium Presbyterum; An propterea rata erit consecratio, quòd ea bis fieri nequeat, & eadem virtus erit Episcopi, & Sacerdotis? Nonne ut minimè ritè facta, denuo repeti debet? Non ergo quia Chrisma unum est, & illud iterare nefas est, ut & Baptisma, propterea convenit Presbytero confirmare; Quippe eadem ratione posset etiam alios consecrare. Sed quia illi ex gratia singulari posse chrismate tingere delegatum est, cùm à summo Pontifice utique istud possit delegari. Quod tamen in sacris ordinibus minimè accidere potest.

Atque hæc sufficiant de præsenti Græcorum errore in hac cerimonia.

Itane verò (dixerit aliquis) reconcilias Ecclesiam Græcam cum Latina? egregia sanè concordia. Ego verò satis, supérque habeo, si sacri Doctores Græci cum Romana Ecclesia sint concordes. Quorum vestigia si sequatur noua Græcia, ut sequi se jactat, en nobiscum est. Sin doctrinam eorum respuat, jam non est amplius prisca illa florentissima, & eloquentissima Græcia, ubi tot sacra Concilia celebrata sunt, tot sanctissimi, & doctissimi viri, ac omni genere virtutum ornatissimi, solis alterius instar splenduerunt.

Sed de Confirmatione satis. Transeo ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.





DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ. LIBER TERTIUS.

De Nomine, ac præstantia huius Sacramenti.

CAPUT I.

INter maxima, innumerabiliaque beneficia, quæ Christus Dominus in genus humanum liberalissimè contulit, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, facilè principem obtinet locum. Nam sive rem ipsam, quæ in eo continetur, consideres, sive modum existendi contempleris, sive affectum animi quo traditum est animo agites, sive effectum, quem in animis corporibúsque nostris producit, diligenter perpendas, nihil non excelsum, singulare, divinum reperias; quodque in admirationem sui, ac stuporem non solùm mortales, sed etiam purissimas illas mentes rapiat. Quinetiam hujus excellentia, dignitas, & majestas tanta est, ut præ illo neque bona censeantur esse cætera. Quid
» enim (inquit sacer ille vates Zacharias)
» bonum ejus est, & quid pulchrum ejus,
» nisi frumentum electorum, & vinum ger-
» minans virgines? In alia quippe Sacramenta influit quidem Christus Dominus, atque concurrit ad producendam gratiam, cæterùm universalis instar causæ, quæque in cœlo existit, non adeo immediatè attingit effectum; hîc præter illam τελεταρχὸν δύναμιν, divinam vim effectricem, quam impartit aliis Sacramentis, ipsemet auctor virtutis est præsens, & cum suscipiente mediis speciebus mira conjunctione sese devincit. Unde in aliis mysteriis veluti per rivulos quosdam cœlestem gratiam à capite ductam participamus, hîc in proprio fonte auctorem bonorum spiritualium uberrimè degustamus. Quanta igitur dignitas inde in hominem derivetur, qui honos, quæ nobilitas, quæ divitiæ, quod pignus amoris, quæ emolumenta inde manare soleant, quis mortalium aut verbis explicare, aut mente assequi poterit? Ut enim hominem animi sordium, ac scelerum plenum salutari fonte Baptismatis abluit; Unguento ad reportandas de hostibus victorias, quasi militem, & perfectum athletam inungit, & armat: Ita demum cœlesti pabulo pascit, recreat, conseruat, immo alterum seipsum efficit, & ad ultimam usque perfectionem perducit. Unde meritò Dionysius in cap. 3. de Eccl. Hier.

ex Hierotheo peritissimo sacrorum antistite, vocat hoc Sacramentum τελετῶν τελετῶν, Sacramentum Sacramentorum. Quo modo loquendi præstantissima quæque significantur, veluti cùm dicitur, βασιλεὺς βασιλευόντων, κύριος κυριευόντων, ἅγια ἁγίων, ᾄσματα ᾀσμάτων, ἑορτὴ ἑορτῶν, πανήγυρις πανηγύρεων. Rex regnantium, Dominus dominantium, Sancta Sanctorum, Cantica Canticorum, festivitas festivitatum, celebritas celebritatum; sic etiam τελετὴ τελετῶν, quasi dixeris, Sacramentum omnium excellentissimum.

Porro duplex est significatio, & effectus hujus Sacramenti, unde & nomina varia nactum est. Prior est significatio internæ refectionis, & ob eam causam in institutione hujus Sacramenti Christus Dominus panem, & vinum elegit, ut lotioni internæ Baptismi, aquam externam adhibendam esse sanxit. Hinc vocatur cibus, & potus Ioan. 9. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & panis vitæ, panis vivus, panis cœlestis, panis Angelorum.

Notandum autem in spirituali refectione non distingui cibum à potu, unde aliquando Salvator effectum communem utriusque adscribit uni soli. Ubi enim ait, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; ibidem dixerat, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; &, qui manducat me, vivit propter me; &, ego sum panis vitæ: deinde assignans effectus hujus panis, qui venit, inquit, ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam. Cùm tamen idem sit, venire ad eum, & credere in eum. Ut propterea etiam in sacris literis justitia, & sapientia, dicantur esuriri, & sitiri, quòd eædem res sint cibus, & potus. Matth. 5. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Et Ecclesiast. 24. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, ad huc sitient.

At quoniam non qualiscumque cibus, & potus est, sed ipsum verum corpus Christi, & verus sanguis Christi, idque non seorsim, quando & Christus non dividitur, adeo ut idem sit dicere, sumere corpus Christi, & sumere Christum, qui est primarium caput totius corporis mystici; inde oritur posterior effectus, ut hoc Sacramentum significet, & efficiat unionem cum Christo, & per consequens fidelium inter sese. Quippe membra conglutinantur cum capite & inter se, & quidem cum capite, non solùm per caritatem & gratiam, sed verè, realiter, & corporaliter. Hanc conjunctionem videtur mihi Propheta Eliseus adumbrasse, qui incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri, & revixit. Utique ex spiritu Elisei calefacta corpore applicato revixit. Ita Christus Dominus totus toto corpore suo totam animam penetrando vivificat, & utique ex spiritu & virtute divina corporis, hoc est deitate conjuncta cum corpore deificat, & vivificat. Nec tantùm animum, sed & immortale corpus suum cum mortali corpore nostro verè conjungens, illud immortalitatis munere donat; quippe vi hujus Sacramenti gloriosum resurget. Quòd igitur attinet ad conjunctionem fidelium cum Christo, hæc illa sunt ipsiusmet Christi vitæ verba, quæ ipsam exprimunt. Joan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum, sanguinem in me manet, & ego in illo. Ubi notandum ex Hilario libro 8. de Trinitate, Christum esse in Patre naturaliter per naturam divinitatis, quippe una utriusque natura est: Nos contra esse in eo naturaliter per corporalem ejus nativitatem, hoc est per naturam nostram, quam sibi hypostaticè univit: & illum rursus inesse in nobis naturaliter per Eucharistiæ mysterium, quia naturam assumptam iterum nobis unit. Unde ex similitudine unitatis divinarum personarum inter se, ac mysterij incarnationis, apparet, quanta hæc nostra sit in Sacramento Eucharistiæ naturalis cum Christo conjunctio. Idem sanctissimus Doctor in eodem libro, Si enim, inquit, verè Uerbum caro factum est, & nos verè Uerbum carnem verbo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter

manere in nobis existimandus est? Et alibi in eodem libro, Non enim, inquit, quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit; ejus tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Et Cyrillus Alex. lib. 10. in Joannem cap. 13. In me manet, & ego in eo: ὥσπερ γὰρ εἴ τις κηρὸν ἑτέρῳ συναναπλέξας κηρῷ, καὶ πυρὶ συγκατατήξας ἕν τι τὸ ἐξ ἀμφοῖν ἐργάζεται, οὕτω διὰ τῆς μεταλήψεως τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, αὐτὸς μὲν ἐν ἡμῖν, ἡμεῖς δὲ αὖ πάλιν ἐν αὐτῷ συνενούμεθα. Sicut enim si quis ceram alterâ cerâ permixtè implicet, & igne simul liquefaciat, unum quid ex ambabus efficit; ita per participationem corporis Christi, & pretiosi sanguinis, ipse quidem in nobis, nos verò rursus in ipso conjuncti manemus. Addit aliam similitudinem. Simile quodammodo apud Matthæum comperies. Simile est, inquit, regnum cœlorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinæ satis tribus, sicut parum, ut Paulus ait, fermenti totam massam fermentat. Sic parvula benedictio totum hominem in seipsam attrahit, & sua gratia replet, & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. Et certè hanc affinitatem quis negare potest, si corpus ejus sumimus, & ut ita dixerim incorporamur? Unde Chrysostomus Hom. 61. ad populum Antioch. & Hom. 46. in Joannem: ἓν σῶμα καὶ μέλη ἐσμὲν ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. Unum, inquit, corpus sumus, & membra ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Et paulò pòst, διὰ τοῦτο ἀνέμιξεν ἑαυτὸν ἡμῖν, καὶ ἀνέφυρε τὸ σῶμα αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς, ἵνα ἕν τι γενώμεθα, καθάπερ σῶμα κεφαλῇ συνημμένον. τῶν γὰρ σφόδρα ποθούντων ἐστὶ τοῦτο δεῖγμα. Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos instar fermenti in massam contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum. Ardenter enim amantium hoc est argumentum. Et Homilia 24. in priorem ad Corinthios dicit, amantes consuevisse personis amatis donare vestes, pecunias, & alia id genus. At carnem suam, vel sanguinem non posse dare; Christum autem invenisse rationem per hoc mirabile Sacramentum, qua se nobis verè donaret: οἱ ἐρῶντες μὲν ἐν κτήμασι καὶ χρήμασι καὶ ἱματίοις ταύτην ἐπιδείκνυνται τὴν φιλοτιμίαν, ἐν αἵματι δὲ οὐδεὶς οὐδέποτε. ὁ δὲ Χριστὸς καὶ ἐν τούτῳ τὴν κηδεμονίαν ἐπεδείξατο, καὶ τὴν θερμὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην.

De eadem conjunctione Paulus in 1. ad Corinth. cap. 10. sic tradit: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Ubi Chrysostomus Homilia 24. citata: διατί μὴ εἶπε μετοχή; ὅτι πλέον τι δηλῶσαι ἠβουλήθη, καὶ πολλὴν ἐνδείξασθαι τὴν συνάφειαν. οὐ γὰρ τῷ μετέχειν μόνον, καὶ μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑνοῦσθαι κοινωνοῦμεν. καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ Χριστῷ, οὕτω καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τοῦ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα. Cur non dixit participatio? quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare conjunctionem. Non solùm enim communicamus eò quod sumus participes, & sumimus, sed etiam eo quod uniamur. Quemadmodum enim corpus illud unitur Christo, sic & nos ei per panem hunc unimur.

Itaque notat Chrysostomus propterea noluisse Paulum dicere μετοχὴν, participationem, sed κοινωνίαν, communicationem, ut indicaret per hoc Sacramentum ita participari corpus, & sanguinem Domini, ut fiant unum participans, & res participata, intima quadam, & vera conjunctione. Quomodo certè conjuncta sunt per incarnationem Verbum Dei, & caro, cui unioni comparat Chrysostomus unionem, quæ fit per Eucharistiam. Et secundam sententiam Chrysostomi, qui μετέχει participat, in rigore sermonis partem aliquam sibi vendicat. Qui autem κοινωνεῖ, communicat, totius particeps est. Unde proverbium, κοινὰ τὰ τῶν φίλων, communia sunt amicorum.

Conjunctio verò inter se fidelium necessariò ex conjunctione Christi consequitur. Quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem & inter se. De qua sic ibidem idem Apostolus: Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Et ibidem Chrysostomus: ἐπειδὴ εἶπε κοινωνία τοῦ σώματος, τὸ δὲ

κοινωνοῦν ἕτερόν ἐστιν ἐκείνου, οὗ κοινωνεῖ, καὶ ταύτην τὴν δοκοῦσαν εἶναι μικρὰν διαφορὰν ἀνεῖλεν. εἰπὼν γὰρ, κοινωνία τοῦ σώματος, ἐζήτησε πάλιν ἐγγύτερόν τι εἰπεῖν. διὸ καὶ ἐπήγαγεν. ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα ἐσμὲν οἱ πολλοί. τί γὰρ λέγω κοινωνίαν φησὶν, αὐτὸ ἐσμὲν ἐκεῖνο τὸ σῶμα. τί γάρ ἐστιν ὁ ἄρτος; σῶμα Χριστοῦ. τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα Χριστοῦ. οὐχὶ σώματα πολλὰ, ἀλλὰ σῶμα ἕν. καθάπερ γὰρ ὁ ἄρτος ἐκ πολλῶν συγκείμενος κόκκων ἥνωται, ὡς μηδαμοῦ φαίνεσθαι τοὺς κόκκους, ἀλλ᾽ εἶναι μὲν αὐτοὺς, ἄδηλον δὲ αὐτῶν εἶναι τὴν διαφορὰν τῇ συναφείᾳ, οὕτω καὶ ἀλλήλοις καὶ τῷ Χριστῷ συναπτόμεθα. οὐ γὰρ ἐξ ἑτέρου σώματος σὺ, ἐξ ἑτέρου δὲ ἐκεῖνος τρέφεται, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντες. διὸ καὶ ἐπήγαγεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. εἰ δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, καὶ τὸ αὐτὸ γινόμεθα πάντες, διατί μὴ καὶ τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἐπιδεικνύμεθα, καὶ γινόμεθα καὶ κατὰ τοῦτο ἕν; Quoniam dixit communicatio corporis, id autem quod communicat, est alterum ab eo, cui communicat, hanc quoque quæ parua esse videbatur differentia sustulit. Nam cùm dixisset, communicatio corporis, quæsivit rursus dicere aliquid propius, & ideo subjunxit, quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus. Quid enim, inquit, dico communicationem? sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? corpus Christi. Quid autem fiunt, qui sumunt? corpus Christi. Non corpora multa, sed unum corpus. Quemadmodum enim panis ex multis granis compositus, est unitus, ut nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem fit eorum differentia propter conjunctionem; ita etiam inter nos, & Christo conjungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes. Et ideo subjunxit, omnes enim ex eodem pane participamus. Si autem ex eodem, & idem efficimur omnes, cur non etiam eandem ostendimus charitatem, & ea ratione unum quoque efficimur?

Egregiè hactenus Chrysostomus expressit unionem fidelium cum Christo, & inter se. Nam panis quatenus ex multis granis in unum redactis conficitur, significat unionem fidelium: quatenus constat ex farina, & aqua significat unionem Christi cum Ecclesia. Similiter vinum, quod ex multis uvis comprimitur, unionem fidelium inter se indicat: quod autem in sacro calice aqua vino admiscetur, unionem Christi cum Ecclesia repræsentat.

Et hoc posteriori effectu conjunctionis Christi cum Ecclesia, & fidelium inter se, hoc Sacramentum nomen κοινωνίας, communionis, & συνάξεως, collectionis adeptum est, quam quidem communionem, & collectionem potissimùm de conjunctione nostra cum Deo interpretatur Dionysius in 3. cap. de Eccl. Hier. Quoniam istud Sacramentum vitam nostram caducam, quæ (utpote imperfecta) divisa est, atque varietate rerum augetur, & multiplicatur, in unum cum uno, hoc est cum Deo colligit. Et per consequens societatem, & communionem ejus nobis conciliat. Quocirca notat Pachymeres Scholiastes Dionysij, σύναξιν νοητέον οὐ τὴν τοῦ λαοῦ, καθὼς τὴν λέξιν τινὲς σήμερον ἐκλαμβάνονται, ἀλλὰ τὴν πρὸς θεὸν συναγωγὴν καὶ κοινωνίαν. Collectionem intelligendam esse, non congregationem populi, (quòd nimirum in unum locum, hoc est in Ecclesiam fideles conveniant) ut nonnulli hac tempestate vocabulum hoc accipiunt, sed conjunctionem, atque communionem cum Deo. Profectò hanc significationem, & intelligentiam ex Dionysio meritò rejicit Pachymeres.

Damascenus duplicem conjunctionem fidelium, cùm eam, quæ eorum cum Deo fit, tum quæ inter se, disertissimis verbis recenset libro 4. cap. 14. κοινωνία λέγεται καὶ ἔστιν ἀληθῶς, διὰ τὸ κοινωνεῖν ἡμᾶς δι᾽ αὐτῆς τῷ Χριστῷ, καὶ μετέχειν αὐτοῦ τῆς σαρκός τε καὶ τῆς θεότητος, κοινωνεῖν δὲ καὶ ἑνοῦσθαι ἀλλήλοις δι᾽ αὐτῆς. ἐπεὶ γὰρ ἐξ ἑνὸς ἄρτου μεταλαμβανόμεθα οἱ πάντες, ἓν σῶμα Χριστοῦ καὶ ἓν αἷμα καὶ ἀλλήλων μέλη γινόμεθα, σύσσωμοι Χριστοῦ χρηματίζοντες. Eucharistia communicatio dicitur, & est re vera, eò quòd per ipsam communicamus Christo, & participes sumus ejus carnis, ac divinitatis. Communicamus item per ipsam, & unimur inter nos. Quia enim de uno pane omnes participamus, unum corpus Christi, & unus sanguis, & inter nos membra efficimur

» cum Christo concorporati.

Neque tamen Dionysius abhorret ab hac postrema significatione nominis, aut excludit ab his nominibus conjunctionem fidelium inter se, ita enim in theoria illius cap. docet: ἡ δὲ θειοτάτη τοῦ ἑνὸς καὶ ταὐτοῦ, καὶ ἄρτου καὶ ποτηρίου κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ, καὶ τοῦ θειοτάτου δείπνου καὶ ἀρχισυμβόλου τῶν τελουμένων εἰς μνήμην ἱερὰν ἄγει. » Divinissima unius, ejusdemque & panis, & calicis communis pacificáque communicatio, divinam eis morum similitudinem, concordiamque, ut qui unà educati fuerint, lege sancit. Facitque ut divinam illam cœnam, quæ primum signum, atque exemplar fuit eorum, quæ modò perficiuntur, sacra memoria recolant. Sic ille. Si ergo hoc Sacramentum ὁμοτροπίαν, conjunctionem morum, ὡς ὁμοτρόφοις, veluti convictoribus fidelibus efficit, certè eos in unum συνάγει colligit, atque conjungit, ut meritò σύναξις, & κοινωνία, utpote κοινὴ μετάδοσις, dici possit.

Ex hac porro conjunctione morum, & animorum concordia inter se fidelium, fluxit quoque, ut communio diceretur à Dionysio quidem, ut vidimus εἰρηναία μετάδοσις pacis plena, seu pacifica communio, ab Ignatio verò in Epist. 14. pax Christi, & ut apud Cyprianum Epist. 10. 29. 30. idem sit dare pacem lapsis, quod admittere ad communionem. Olim quoque pacis, charitatisque fuit symbolum mittere Eucharistiam ad Episcopos Romam venientes, ut testatur Eusebius libro 5. Hist. cap. 24. & Nicephorus libro 4. Histor. c. 39. Ut propterea etiam in vase in columbæ (quæ symbolum charitatis est) figuram formato, olim Eucharistia fuerit asseruata.

Sed quærit loco citato Dionysius. Cùm cætera quoque Sacramenta nos cum Christo conjungant, hacque ratione κοινωνία, communio, & σύναξις, collectio appellari possint, quid est, quòd hujusmodi nomina huic dumtaxat mysterio attribuuntur? hæc sunt verba Dionysij: ὅτου δὴ ἕνεκα τὸ κοινὸν καὶ ταῖς ἄλλαις ἱεραρχικαῖς τελεταῖς, ἐκκρίτως αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς ἀνατίθεται, καὶ ἑνιαίως αὐτὴ προσαγορεύεται κοινωνία τε καὶ σύναξις. ἑκάστης ἱεροτελεστικῆς πραγματείας καὶ τὰς μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συναγούσης, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν δωρουμένης; » Cur nomen, quod etiam aliis Hierarchicis Sacramentis commune est, ei præcipuè præ cæteris attributum sit, ac prærogativa quadam, & communio, & collectio nominata: Cùm unum quodque Sacramentum etiam divisas, secretasque vitas nostras in unam cum Deo conjunctionem colligat, divinaque divisorum connexione nobis ejus, quod unum est, communionem, & unionem impertiat? «

Respondet, ὅτι ταῖς τῶν ἄλλων ἱεραρχικῶν συμβόλων μεθέξεσιν ἡ τελείωσις ἐκ τῶν ταύτης θεαρχικῶν καὶ τελειωτικῶν ἐστι δωρεῶν. οὐ γὰρ ἔνεστι σχεδόν τινα τελεσθῆναι τελετὴν ἱεραρχικὴν, μὴ τῆς θειοτάτης εὐχαριστίας ἐν κεφαλαίῳ τῶν καθ' ἕκαστα τελουμένων τὴν ἐπὶ τὸ ἓν τοῦ τελεσθέντος ἱερουργούσης συναγωγὴν. καὶ τῇ θεοπαραδότῳ δωρεᾷ τῶν τελειωτικῶν μυστηρίων τελεσιουργούσης αὐτοῦ τὴν πρὸς θεὸν κοινωνίαν. εἰ τοίνυν ἑκάστη τῶν ἱεραρχικῶν τελετῶν, ἀτελὴς μὲν οὖσα, τὴν πρὸς τὸ ἓν ἡμῶν κοινωνίαν καὶ σύναξιν οὐ τελεσιουργήσει, καὶ τὸ εἶναι τελετὴ διὰ τὸ ἀτέλεστον ἀφῄρημένη, τὸ δὲ τέλος ἁπάσης καὶ τὸ κεφάλαιον ἡ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων τῷ τελουμένῳ μετάδοσις, εἰκότως ἡ θεαρχικὴ σύνεσις ἐπωνυμίαν αὐτῇ κυρίαν ἐκ τῆς τῶν πραγμάτων ἀληθείας ἐφεῦρε. » Quoniam aliorum signorum, quæ Pontificio muneri attributa sunt, communionibus perfectionem, atque efficacitatem ex divinis hujus, perficiendique vim habentibus donis accedit. Neque enim fere licet vllum Sacramentum perfici Hierarchici muneris, nisi in summa in singulis Sacramentis divina Eucharistia ejus, qui initiatus est, cum uno conjunctionem, collectionemque sanctè efficiat, & divinitus tradito mysteriorum perficiendi vim habentium munere, ejusdem cum Deo operetur societatem, & communionem. Quòd si unumquodque Sacramentum eorum, quæ Pontificis munus attingunt, inchoatum manens, nostri cum uno conjunctionem, communionemque non perficiet, nomenque τελετῆς, quod minus perfectum sit, amittit; finis autem unicuique Sacramento propositus, atque summa est, divinorum mysteriorum cum eo, qui initiatur,

communio: Jure, ac meritò pontificia prudentia proprium ei ex rerum veritate nomen invenit. Sic Dionysius.

Unde apparet alia quoque perfectio hujus Sacramenti, quando nimirum cætera neque sunt τελετὰ, hoc est, perfecta Sacramenta, nisi istud tanquam ultima consummatio, & perfectio accesserit. Et propterea post singula conferri solet, ut hîc docet Dionysius, præsertim quando ea traduntur adultis.

Postremò tritum, & usitatum nomen est εὐχαριστία, sanè quidem aptissimum ad declarandam tum ipsius doni præstantiam, quandoquidem fontem, & auctorem gratiæ in se continet: tum ad partes nostras, & officium indicandum, quo perpetua observantia, immò potiùs pietate, ac religioso cultu obstricti sumus. Quippe Eucharistia gratam beneficiorum memoriam indicat, quam ut haberemus, hoc Sacramentum Christus Dominus instituit. Nam ut Chrysostomus in hom. 25. in cap. 8. Matth. egregiè disserit: φυλακὴ εὐεργεσίας ἀρίστη, ἡ τῆς εὐεργεσίας μνήμη, καὶ ἡ διηνεκὴς εὐχαριστία. διὰ δὴ τοῦτο καὶ τὰ φρικώδη μυστήρια καὶ πολλῆς γέμοντα τῆς σωτηρίας, τὰ καθ' ἑκάστην τελούμενα, λέγω σύναξιν, εὐχαριστία καλεῖται. ὅτι πολλῶν ἐστιν εὐεργετημάτων ἀνάμνησις. καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας ἐνδείκνυται, καὶ διὰ πάντων παρασκευάζει ἡμᾶς εὐχαριστεῖν. Optima beneficiorum custos est, ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Propterea (inquit idem Doctor) & tremenda, ac salutaria illa mysteria, quæ, inquam, in omni synaxi celebramus, Eucharistia nuncupantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos providentiæ ostendunt, nosque faciunt debitas semper gratias Deo exsoluere.

Et profectò Judæis, ut & memores, & grati essent acceptorum beneficiorum, præscripserat Deus tempora, loca, & festivitates varias: Christianis verò hac una re satisfaciendum sibi pro omnibus beneficiis præcepit, nullas angustias temporis, nullas loci nobis præfiniens; quod idem aureus Doctor his verbis observavit: ὅπερ ἐπὶ τῶν Ἰουδαίων ἐποίησεν ἀπὸ τόπων καὶ χρόνων καὶ ἑορτῶν ἀναμιμνήσκων αὐτοὺς τῶν εὐεργεσιῶν, τοῦτο καὶ ἐνταῦθα εἰργάσατο ἀπὸ τοῦ τρόπου τῆς θυσίας εἰς διηνεκῆ τῆς ὑπὲρ τούτων εὐεργεσίας μνήμην ἡμᾶς ἐμβάλλων. Quemadmodum adversus Judæos se gessit locis, temporibusque ac festivitatibus variis in memoriam illos suorum beneficiorum reducens; ita etiam adversus nos se gessit ipso genere sacrificij ad jugem nos pro beneficiis suis gratiarum incitans actionem.

Sed si aliorum divinorum beneficiorum hoc Sacramentum est memoria, quantò magis, cùm & ipsum sit præstantissimum omnium beneficium, sui ipsius erit memoria? hoc est tale, cujus oblivisci nunquam liceat. Si quid enim est, quod hominem summoperè movere debeat, ut beneficiorum & memor, & gratus sit, profectò hoc illud est. Quo enim majori beneficio quispiam alicui fuerit obstrictus, eo crescere par est, illius animi gratitudinem. Quoniam igitur hoc maximum est ob ingentia, & infinita miracula, & ut ait Dionysius, ἀπείρους καὶ μεγαλοδώρους χάριτας, immensa, innumerabiliáque beneficia, quæ in se complectitur, meritò dignum censetur, quod sempiterna memoria recolatur, & per excellentiam Eucharistia nominetur. Hinc apparet, quàm aptissimè ad declarandam hanc nominis notionem, cecinerit David Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

Tandem gratitudo animi in eo consistit, ut si non possis referre gratiam, saltem agas. Cæterùm si beneficium rependere valeas, omnino reddendum sit, alioquin desinas esse gratus. Itaque in hac etiam significatione huic beneficio nomen Eucharistiæ optimè convenit. Nam tam pro isto beneficio tam eximio, & præclaro, quàm pro aliis acceptis gratiis hoc idem quasi par pari referimus. Quocirca egregiè Chrysostomus more suo loco citato: ὃ ἦν αὐτῷ τιμιώτερον πάντων, ὁ μονογενὴς παῖς, τοῦτον ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἐχθρῶν. καὶ οὐκ ἔδωκε μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὸ δοῦναι, τράπεζαν ἡμῖν αὐτὸν παρέθηκε, πάντα αὐτὸς τὰ ὑπὲρ ἡμῶν ποιῶν, καὶ τὸ δοῦναι, καὶ τὸ εὐχαριστοὺς ὑπὲρ τούτων ποιῆσαι. Quod erat, inquit, apud eum

» omnibus pretiosius, unigenitum pro no-
» bis filium dedit, & quidem, cùm adhuc
» essemus ipsius inimici. Nec dedit solùm,
» sed & nostram illum fecit esse mensam,
» omnia faciens ipse pro nobis, & donando
» videlicet, & gratiarum actores pro bene-
» ficiis acceptis faciendo.

Hinc & sacrificium est, utque sacrificium vocatur, δῶρον donum, προσφορὰ oblatio, θῦμα victima, θυσία immolatio, ἱερεῖον sacrificium, ἱερουργία sacrificatio, λειτουργία publicum & sacrum ministerium, & τελετὴ consummatio, à τελέω, quod est consummo. Quia nimirum hoc sacrificium holocaustorum instar sit consummatissimum & absolutissimum. Itaque quæ deinceps in hoc tertio libro tractabimus, partim spectabunt ad hanc materiam, qua est Sacramentum, partim qua est sacrificium.

De admiranda mutatione panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, quam Latini Transsubstantiationem, Græci variis nominibus appellant.

CAPUT II.

IN Sacramento Eucharistiæ in primis Græci agnoscunt, & amplectuntur, quin & firmissimè credunt veram μετουσίωσιν, transsubstantiationem, ut satis constat ex antiquis, & omnium ætatum Patribus Græcis. Novissimè autem ex ipsomet Hieremia Patriarcha Constantinopolitano in cap. 10. suæ censuræ contra Lutheranos. Et quamvis eo nomine non utantur, sunt tamen auctores aliorum nominum quibus eam, quantùm fieri possit, appellant, & exprimunt. Dicunt enim, μεταβάλλεσθαι καὶ μεταβολὴν, μεταποιεῖσθαι καὶ μεταποίησιν, μεταβαίνειν καὶ μετάβασιν, μεταῤῥυθμίζειν, μετασκευάζειν, μεταστοιχειοῦν, τελείωσιν καὶ τελείωσιν μετένεξιν, aliáque id genus. Affert autem hujusmodi exemplum Chrysostomus ad declarandam hanc miram mutationem homil. 5. de pœnitentia, seu de Eucharistia in Encæniis: ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας, οὐδὲν ἀπουσιάζει, οὐδὲν περισσεύει, οὕτω καὶ ὧδε νόμιζε συναναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ. Sicut cerâ igni ad- «
hibitâ, nihil substantiæ remanet, nihil su- «
perfluit, sic & hîc puta mysteria consumi, «
corporis substantiâ. «

Quod quidem notandum fuit, non propter Latinos, qui Græcos in hoc dogmate socios habent, & orthodoxè sentire judicant; sed propter hæreticos, qui propria dedecora aliis adscribere non erubescunt; Petrum, inquam, pseudomartyrem, qui in libro contra Stephanum Gardinerum objecto 128. nimiâ impudentiâ dicit, Græcos abhorruisse à transsubstantiatione. Et Kemnitium, qui similiter, ut est hæreticis familiarissimum, mentitur Græcos in Concilio Florentino admittere noluisse mutationem panis in corpus Christi. Nam in eo Concilio (quod Græcè scriptum, beneficio Græcorum extat, & licet cuilibet perspicere verum) non fuit quæstio: An panis verè, & substantialiter verteretur in corpus Domini, prout neque ullo in alio Concilio, seu tempore Latini cum Græcis hanc controversiam disceptarunt, sed quibusnam verbis illa ineffabilis mutatio fieret, in controversiam venit.

Porro Græci Patres, uno excepto Marco Ephesio, magnificè se sentire de verbis Domini, quibus solis fieret corpus Christi, professi sunt, & argumenta in contrarium ex liturgia sumpta, fortia in specie, solida solutione profligarunt. Cæterùm ne dicant hæretici, propterea non adscribi loca ex libris sanctorum Patrum, de hac miranda mutatione, quod ea in eorum scriptis non extent; pauca ex multis subjiciam.

Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi quarta mystagogica: τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας οἰκείῳ νεύματι, καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; Aquam, inquit, aliquando «
mutavit in vinum in Cana Galilææ sua vo «
luntate, & non erit dignus, cui credamus, «
quòd vinum in sanguinem transmutave- «
rit? Et in Catechesi quinta mystagogica eodem verbo utitur Gregorius Nyssenus in oratione magna Catechetica cap. 37. καλῶς καὶ νῦν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον, εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πι-

στεύομεν. Rectè, inquit, nunc etiam verbo Dei ſanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari. Chryſoſtomus in Homilia 82. in Matthæum, ἡμεῖς ὑπηρετῶν τάξιν ἐπέχομεν, ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτὰ καὶ μετασκευάζων αὐτός. Nos miniſtrorum locum tenemus, qui verò ſanctificat ea, & in aliam formam vertit, ipſe (Chriſtus) eſt. Et in ſacra liturgia, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. cùm transmutaveris Spiritu ſancto tuo. Et in ſermone de proditione Judæ, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμά φησι, τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. Hoc eſt, inquit, corpus meum, hoc verbum propoſita in alium rhitmum ſeu formam convertit, hoc eſt, transformat Quod eſt per metaphoram dictum. Damaſcenus in libro 4. de fide cap. 14. ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος, ὁ οἶνός τε καὶ τὸ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὸ αἷμα. Propoſitionis panis, vinumque & aqua per invocationem, & adventum Spiritus ſancti ſupernaturaliter transmutantur in corpus, & ſanguinem Chriſti. Theophylactus in cap. 14. Marci: τὸ μὲν εἶδος ἄρτου καὶ οἴνου φυλάττει (ὁ Χριστός.) εἰς δύναμιν δὲ σαρκὸς, καὶ αἵματος μεταστοιχειοῖ. καὶ μή τινα θροείτω τὸ τὸν ἄρτον σάρκα πιστεύεσθαι. καὶ γάρ τοι καὶ ἐν σαρκὶ περιπατοῦντος τοῦ κυρίου, καὶ τὴν ἐξ ἄρτου τροφὴν προσιεμένου, ὁ ἄρτος ἐκεῖνος ὁ ἐσθιόμενος εἰς σῶμα αὐτοῦ μετεβάλλετο, καὶ συνεξωμοιοῦτο τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ σαρκὶ, καὶ εἰς αὔξησιν καὶ σύστασιν συνεβάλλετο κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. καὶ νῦν ὁ ἄρτος εἰς σάρκα τοῦ κυρίου μεταβάλλεται. Speciem quidem panis, & vini ſervat (Chriſtus,) in virtutem autem carnis, & ſanguinis tranſelementat. Neminem verò turbet, quòd panem eſſe carnem credamus. Siquidem & in carne perambulante Domino, atque alimentum ex pane recipiente, panis ille comeſus in corpus ejus mutabatur, & ſanctiſſimæ ejus carni conſimilis reddebatur. Atque ad augmentum, & conſtitutionem (corporis) ſecundùm humanitatem conducebat. Et nunc igitur panis in carnem Domini mutatur. Idem in cap. 6. Joannis: μεταποιεῖται ἀῤῥήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας, καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς σάρκα κυρίου. Transformatur arcanis verbis panis iſte per myſticam benedictionem, & acceſſionem Spiritus ſancti in carnem Domini. Septima Synodus actione ſexta in refutatione definitionis Pſeudoſynodi iconoclaſtarum tomo 3. καθάπερ τὴν σάρκα ἣν ἀνέλαβε τῷ οἰκείῳ κατὰ φύσιν ἁγιασμῷ ἐξ αὐτῆς τῆς ἑνώσεως ἐθέωσεν, ὁμοίως καὶ τὸν τῆς εὐχαριστίας ἄρτον, ὡς ἀψευδῆ εἰκόνα τῆς φυσικῆς σαρκὸς διὰ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως ἁγιαζόμενον, θεῖον σῶμα εὐδόκησε γίνεσθαι, μεσιτεύοντος τοῦ ἐν μετενέξει ἐκ τοῦ κοινοῦ πρὸς τὸ ἅγιον τὴν ἀναφορὰν ποιουμένου ἱερέως. Quemadmodum carnem, quam aſſumpſit, ſua ſecundùm naturam ſanctificatione vi unionis deificavit; ita etiam Euchariſtiæ panem veluti veracem imaginem naturalis carnis per Spiritus ſancti adventum ſanctificatum, divinum corpus voluit fieri, nimirum interveniente Sacerdote, qui oblationem offert in tranſlatione, ſive mutatione quam in ſe continent accidentia ex pane communi ad ſanctum. Sic ibi, μετένεξιν vocabant antiqui tranſubſtantiationem, ab ἐνέχειν, quod eſt in ſe continere, & μετὰ quæ præpoſitio transmutationem ſignificat, quaſi dixeris, tranſmutationem quam in ſe continent accidentia; vel à μεταφέρω, μετενέγκω, μετένεξις, tranſlatio, quæ vox ſimiliter per metaphoram idem ſignificat. Quamvis autem hæc ſint verba hæreticorum in ea actione Concilij, non tamen in dogmate tranſubſtantiationis reprehendebantur. Quòd etiam ſit Euchariſtia imago veriſſima naturalis carnis Chriſti, ſano modo poteſt admitti, ut dicemus poſtea, quando vocem ἀντίτυπα exponemus. Non tamen inde inferri debet, non eſſe alias imagines ſuo modo adorandas, quod inferebant hæretici iconoclaſtæ, qui Euchariſtiam tantùm veram, & ſolam imaginem Chriſti adorandam eſſe contendebant.

De Materia huius Sacramenti.

CAPUT III.

QUod attinet ad materiam hujus ſacramenti, habent Græci veram materiam, prout in antiquiſſimis ſanctorum Patrum liturgiis liquidò apparet.

Materia enim eſt panis triticeus, ſive azymus ille ſit, ſive fermentatus. Videlicet juxta conſuetudinem uniuſcujuſque Eccleſiæ. Ita Concilium Florentinum in bulla Eugenij. Cùm enim divina oracula de Chriſto Domino dicant, eum accepiſſe panem, æquè autem panis ſit, & vocetur in ſacris paginis uterque; veriſimile quoque ſit Apoſtolus pro varietate locorum, gentium, & temporum modò azymo, modò fermentato uſos fuiſſe antequam diſtinctè, & ordinatè diſpoſuiſſent rem Eccleſiaſticam, meritò ex utroque corpus Dominicum fieri poteſt. Convenientiùs tamen ſit in azymo ad exemplum Chriſti ſalvatoris. Quod non in eum ſenſum dico, ut quis privata auctoritate ritum ſuum immutare debeat. Sed cùm Chriſtus Dominus neceſſariò, vel in azymo, vel in fermentato ſuum corpus conficere debuiſſet, (ſuppoſito eum in pane hoc ſacramentum inſtituere voluiſſe) & tam in azymo illud conficere potuiſſet, quàm in fermentato, de facto tamen in azymo illud confecerit, propterea dico convenientiùs fieri in azymo. Quod nihil aliud eſt, quàm dicere Latinos in hoc magis imitari Chriſtum, quamvis ea imitatio non ſit neceſſaria, cùm etiam in fermentato poſſit fieri. Cùm enim eſſent dies Paſcatis azymorum, quo tempore fermentatum reperiri in Judæa citra ingens ſcelus, & manifeſtum vitæ periculum haud poterat, adeo ut jubente lege, ne fermentatũ remaneret, etiam foramina domuum Judæi diligenter inveſtigarent, ipſeque Dominus genere Judæus obſervantiſſimus eſſet antiquæ legis (quippe qui venerat eam non ſolvere, ſed adimplere) quemadmodum & ejus diſcipuli, meritò, ut ex tribus Evangeliſtis clariſſimè colligitur, azymos panes in cœna myſtica à patre-familias more Judæorum Paſcha celebrantium appoſitos comedit. Alioquin & ipſe anticipando prævaricator legis ignaris divinitatis ejus viſus fuiſſet, & diſcipuli adhuc imperiti unà cum patrefamilias plurimùm offenſi fuiſſent, vel ſaltim interrogaſſent Dominum, cur anticiparet. Et Judas prætextum aliquem eum prodendi habuiſſet.

Quocirca Græcorum antiqui Patres numquam in hac re, ut neque in cæteris Romanam Eccleſiam, mẽbra caput, auſi ſunt reprehendere. Sed quid recentiores Græci (recẽtiores intelligo qui in ipſo ſchiſmate vixerunt, quod à Photio circa annum Domini 860. cœpit) quid inquam iſti, & tandem hac noſtra ætate Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in c. 10. primi reſponſi? δοξάζει οὖν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ὅτι μετὰ τὸν ἁγιασμὸν ὁ μὲν ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. ὁ δὲ οἶνος εἰς αὐτὸ τὸ αἷμα διὰ πνεύματος ἁγίου. ἐνζύμου ὄντος δηλαδὴ τοῦ ἄρτου, καὶ οὐκ ἀζύμου. ὁ γὰρ κύριος τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, λαβὼν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ εἶπε, λάβετε, φάγετε, οὐ τοῦτο εἰπὼν, ἐστὶν ἄζυμον. Cenſet igitur (inquit ille) Catholica Eccleſia panem poſt ſanctificationem tranſmutari in ipſum corpus Chriſti, & vinum in ipſum ſanguinem per Spiritum ſanctum. Rectè iſtud contra hæreticos noſtri ævi, ſed perge. Cùm panis videlicet fermentatus ſit, miniméque azymus. Dominus enim nocte, qua tradebatur, accipiens panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, comedite. Non hoc inquiens, eſt azymum.

Egregia ſanè ratio. Retorqueo argumentum, οὐ τοῦτο εἰπὼν ἐστὶν ἔνζυμον non hoc inquiens, eſt fermentatum. Sed uterque noſtrum inſaniret, ſi quemadmodum ille, ego quoque argumentarer. Nam cùm neutrum dixerit Dominus, & ex utroque poſſit fieri corpus Chriſti, quippe uterque ſit verus panis, ut Theodoretus in cap. 10. Danielis optimè notat: ἄρτος γὰρ λέγεται καὶ ὁ ζυμίτης, καὶ ὁ ἄζυμος. Panis enim dicitur & fermentatus, & azymus, & inſcitiæ damnat aliter ſentientes, nihil ſani colligunt, qui ita concludunt.

Idem tamen repetit Hieremias in c. 4. secundi responsi: προσφέρομεν δὲ οὐκ ἐν ἀζύμοις, ἀλλ' ἐν ἐνζύμοις, ὅ ἐστιν ἄρτος τῇ ἀληθείᾳ. οὕτω γὰρ ἐξηγοῦνται οἱ ἀνατολικοὶ ἅγιοι, καὶ ἀποδεικνύουσιν. Offerimus porro (inquit) non in azymis, sed fermentato. Quia hoc revera panis est, sicut interpretantur, atque demonstrant orientales sancti.

Ac ne putaremus recentiores nescio quos ψευδαγίους, Græcos ita sentire, statim addit, ὅτε Χρυσόστομος, καὶ οἱ λοιποί. ὅτι οὐκ ἄζυμον δεῖ προσφέρειν, ἀλλ' ἔνζυμον. Chrysostomus, & reliqui, qui nimirum censeant, non infermentatam hostiam, sed fermentatam esse offerendam.

Ubi tamen istud affirmet Chrysostomus, & reliqui Patres, mirum silentium. Enimvero quî fieri posset, ut eorum testimonia in medium preferret, quæ nusquam sunt? Fortè Hieremias memoriâ lapsus loco cujusdam Michaëlis Constantinopolitani Episcopi (is enim primus, & Leo Archiepiscopus Achridenus, Leonem Pontificem, & Latinos, tanquam azymitas circa annum Domini 1053. excommunicarunt) loco item Nicetæ Abbatis, Nicephori Callixti Xanthopuli, Matthæi Blastarij, ac cæterorum, τοῦ πονηροῦ κόμματος, ejusdemque farinæ hominum, B. Chrysostomum, & reliquos sanctos Patres, atque Doctores falsò nominare non erubuit. Nisi fortè velit fingere aliquem alium pseudo-Chrysostomum. Sed producamus nos in medium verum Chrysostomum, qui nobiscum faciat, nostræque causæ opituletur atque subscribat. Is enim sanctissimus Doctor plane ex diametro se opponens recentioribus Græcis, omnia prorsus contraria, atque illi sentiunt, dictavit. Non secus ac si aliquis propheta Spiritu sancto afflatus exstitisset, atque Græcorum non solùm objecta perspexisset, verùm etiam mentem ipsam penitus introspexisset.

Probatur ex Chrysostomo Christum Dominum eo anno quo passus est, celebrasse Pascha legale, ac debito tempore celebrasse.

CAPUT IV.

FUerunt quidam, teste Gennadio, seu potius Gregorio protosyncello in 2. cap. pro defensione Concilij Florentini, & teste Photio in bibliotheca fol. 157. primæ, & solius Græcæ editionis, qui per summam impudentiam, contra fidem omnium Evangelistarum, affirmare non dubitarēt Christum Dominum eo anno passionis Pascha Judæorum minimè celebrasse, cùm nondum tempus advenisset, sed mysterium Eucharistiæ sub pane fermentato tantummodo instituisse. Quod etiam ex illis verbis Salvatoris probare conabantur Lucæ 22. Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. At, inquiunt, legale Pascha cùm alias etiam Christus Dominus comedisset, non erat cur tantopere illud optasse diceretur. Item ex eo, quòd Evangelistæ narrent, eum cum Apostolis discubuisse: cùm tamen certum sit Pascha, jubente lege, stantes comedere debuisse.

Quid ad hæc Chrysost. hom. 81. in Matthæum: διατί, εἰ τὸ πάσχα ἤσθιον, παρανόμως ἤσθιον; οὐ γὰρ ἀνακειμένοις ἔδει φαγεῖν. ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ ἐσθίειν τὸ πάσχα ἀνέκειντο, ἀλλὰ μετὰ τὸ φαγεῖν αὐτὸ, λοιπὸν ἑστιώμενοι ἦσαν. Si Pascha comedebant, quare contra legem recumbentes comedebant? Uerùm dum comederent Pascha, minimè recumbebant, sed postquam illud comedissent, deinceps recumbentes epulabantur. Sic Chrysostomus ad primum eorum argumentum, ἕτερος δὲ εὐαγγελιστὴς φησιν, ὅτι κατὰ τὴν ἑσπέραν ἐκείνην οὐκ ἤσθιον μόνον τὸ πάσχα, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ἐσθίειν ἔλεγεν, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τὸ πάσχα τοῦτο φαγεῖν μεθ' ὑμῶν. τουτέστι κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν τοῦτον. τί δήποτε; ὅτι τότε ἔμελλε τῆς οἰκουμένης ἡ σωτηρία γίνεσθαι, καὶ τὰ μυστήρια παραδίδοσθαι, καὶ τὰ λυπηρὰ λύεσθαι διὰ τοῦ θανάτου. οὕτω κατὰ γνώμην αὐτῷ ὁ σταυρὸς ἦν. Alius autem (subjungit Chrysostomus) Evangelista

Evangelista dicit, quia vespere illo non solùm comedebat Dominus Pascha, verùm etiam comedendo dicebat, Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Quare hoc Pascha, id est, hoc anno comedere Pascha desideravit? Quia videlicet tunc salus orbi afferenda, tunc mysteria tradenda, & tristia per mortem essent fuganda. Ita sponte ad crucem accessit. Sic ad secundum.

Et hom. 82. in Matthæum: καὶ τὸ κεφάλαιον δὲ τῆς ἑορτῆς αὐτῶν καταλύει, ἐφ' ἑτέραν αὐτοὺς μεταπηδεὶς τράπεζαν φρικωδεστάτην, καὶ φησὶ, λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Præcipuam autem solemnitatem eorum dissoluit, & ad aliam eos mensam sacri horroris plenam convocans dicit, accipite, comedite, hoc est corpus meum. Ibidem: διὰ τοῦτο καὶ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα, φησι, τὸ πάσχα τοῦτο φαγεῖν, τουτέστι παραδοῦναι ὑμῖν καινὰ πράγματα, καὶ πάσχα δοῦναι, καθ' ὃ μέλλω ὑμᾶς πνευματικοὺς ποιεῖν. Hac de causa desiderio desideravi, inquit, hoc Pascha vobiscum comedere, hoc est tradere vobis res novas, & Pascha dare, quo vos spirituales faciam.

Hîc Chrysostomus non negat Christum celebrasse Pascha legale, immo affirmat, & propterea tam vehementer illud optasse dicit, ut haberet ansam nobis tradendi sacra mysteria Eucharistiæ, & ad aliud nos longè celebratissimum Pascha convocandi: eoque constituto dissolueretur illud priùs, quippe supervacaneum foret, cùm peccata per posterius tollantur. Idem Hom. de proditione Judæ, cujus initium ὀλίγα ἀνάγκη σήμερον, Paucis hodie necessarium est, super illis verbis, Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? οὐχὶ τὸ ἡμέτερον, ἀλλὰ τὸ Ἰουδαϊκὸν τέως. ἐκεῖνο μὲν γὰρ οἱ μαθηταὶ παρεσκεύασαν, τοῦτο δὲ τὸ ἡμέτερον αὐτὸς κατεσκεύασεν. ἀλλὰ καὶ αὐτὸς πάσχα ἐγένετο. ἐκεῖνο Ἰουδαϊκὸν ἦν τὸ πάσχα· ἐκεῖνο ἐν Αἰγύπτῳ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε. τίνος οὖν ἕνεκεν αὐτὸ τρώγει ὁ Χριστός; ὅτι πάντα τὰ νόμιμα ἐπλήρωσε. Non illud, inquit, quod nostrum est, sed interim Judæorum. Et illud quidem discipuli præparabant, ipsum autem quod nostrum, ipse constituit, & non solùm constituit, sed & ipse factus est Pascha. Illud Judaïcum fuit Pascha. Illud in Ægypto sumpsit exordium. Et cur illud Christus manducavit? scilicet, quia omnia quæ sunt legis, adimplevit. Sic ille.

Addamus præterea Cabasilam assentientem Chrysostomo, alioqui schismaticum, & Latinis infensissimum; qui in cap. 29. expositionis liturgiæ sic tradit: διὰ τοῦτο καὶ τὸ πάσχα ἐπιθυμεῖσθαι ἔλεγεν ἐκεῖνο, ὅτι τοῦτο ἔμελλε τηνικαῦτα παραδιδόναι τὸ ἀληθινὸν πάσχα τοῖς μαθηταῖς. Propterea & illud Pascha desiderasse aiebat, quoniam tunc hoc verum Pascha discipulis traditurus erat.

Theophylactus imitator Chrysostomi easdem dubitationes proponit, & eodem modo soluit.

Alij contra senserunt, Christum Dominum celebrasse quidem Pascha, sed non suo tempore, quæ est celebrior sententia recentiorum Græcorum. Cùm enim debuisset pati ipso die Paschatis, ut veritas responderet figuræ, & umbræ corpus, propterea uno die anticipasse; quare non esse mirum, si peracto azymis Paschate, redierit ad fermentatum. Et secundùm hanc sententiam Judæi passim nondum celebraverant Pascha.

Num ita Chrysostomus? Minimè verò, sed oppositum planè docet Hom. 82. in Matthæum: διάτι τοῦτο οὐδὲ πρὸ τούτου παρέδωκε τὸ μυστήριον, ἀλλ' ὅτε λοιπὸν παύσασθαι ἔδει τὰ νομικά. Propterea neque antea tradidit mysterium, sed cùm deinceps cessare debebant legalia. Non antea (inquit Chrysostomus) Christus tradidit mysterium. Sed illa vespera, quando Judæi comedebant Pascha. Quam etiam vesperam ait fuisse indicium, quòd res antiquæ legis ad finem devenerant: ἡ δὲ ἑσπέρα τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν τεκμήριον ἦν, καὶ τοῦ πρὸς αὐτὸ λοιπὸν ἥκειν τὸ τέλος τὰ πράγματα.

Et Hom. 83. in Matthæum, ubi sic habet: καὶ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, καὶ ἐκράτησαν, κατ' αὐτὴν τὴν νύκτα, καθ' ἣν τὸ πάσχα ἔφαγον. οὕτως ἔζεον, καὶ ἐμαίνοντο. Et immiserunt in eum manus, & tenuerunt illum ipsa nocte, in qua comederunt Pascha: tanta insamia, tantoque furore agitabantur. Et hom. 81. in Matthæum: τίνος δὲ ἕνεκεν τὸ πάσχα ἐπετέλει; ἀεὶ διὰ πάντων δει-

κνὺς μέχρι τῆς ἐσχάτης ἡμέρας, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐναντίος τῷ νόμῳ. Cujus rei gratiâ, inquit (Christus) peragebat (Judaicum) Pascha? Semper in omnibus ostendens usque ad extremum Passionis diem, se non esse adversarium legi. At quomodo, ἀεὶ διὰ πάντων, καὶ μέχρι τῆς ἐσχάτης ἡμέρας, si tempus anticipavit? Anticipare enim, seu postponere, non est satisfacere legi tempus præscribenti, præsertim cùm 14. luna adeo fuerit necessaria, ut necessitate flagitante permiserit quidem Deus Judæis celebrationem Paschatis post unum mensem, modò dies decimæ quartæ lunæ servatus fuisset, Numer. cap. 9. Quo etiam nomine Chrysostomus accusat primores, & Pontifices Judæorum hom. 84. in Matthæum. Quoniam enim Joannes Evangelista de principibus sacerdotum enunciat, eos non introivisse in prætorium ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. De Christo autem Domino dicit: Ante diem festum sciens Jesus, quia venit hora, &c. quare certum sit Christum Dominum præcedenti die celebrasse Pascha, & ex sententia Chrysostomi uno die antequam celebrassent Judæorum Pontifices: præsentem quæstionem movens Chrysostomus, quærit, Utrum Christus, an Pontifices præscriptum legis tempus contempserint? de illis affirmat, & cur id fecerint causam reddit, de Christo negat, nec immeritò; sed audiamus ipsum Chrysostomum: διατί ἐκεῖ ἀπήγαγον αὐτὸν, ἔνθα πάντες ἦσαν συνηγμένοι; ἵνα μετὰ γνώμης πάντα ποιήσωσι τῶν ἀρχιερέων. ἐκεῖνος γὰρ ἦν τότε ἀρχιερεὺς, καὶ πάντες ἦσαν αὐτὸν ἀναμένοντες. οὕτω διενυκτέρευον καὶ ἠγρύπνουν ἐπὶ τούτῳ. οὐ γὰρ ἔφαγον τότε τὸ πάσχα φησὶν, ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἠγρύπνουν. εἰπὼν γὰρ ὅτι πρωΐα ἦν ὁ Ἰωάννης, ἐπήγαγεν, οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. τί οὖν ἐστιν εἰπεῖν; ὅτι ἐν ἑτέρᾳ ἔφαγον καὶ τὸν νόμον ἔλυσαν διὰ τὴν ἐπιθυμίαν τὴν περὶ τὴν σφαγὴν ταύτην. οὐδὲ γὰρ ἂν ὁ Χριστὸς παρέβη τὸν καιρὸν τοῦ πάσχα φαγὼν αὐτὸ πρὸς ἑσπέραν, ἀλλ' ἐκεῖνοι οἱ πάντα τολμῶντες, καὶ μυρίους καταπατοῦντες νόμους, ἐπειδὴ γὰρ σφόδρα ἔζεον τῷ θυμῷ, καὶ πολλάκις ἐπιχειρήσαντες ἀνελεῖν οὐκ ἴσχυσαν, τότε λαβόντες αὐτὸν ἀπροσδοκήτως, προείλοντο καὶ τὸ πάσχα ἀφεῖναι, ὑπὲρ τοῦ τὴν φονικὴν αὐτῶν ἐμπλῆσαι ἐπιθυμίαν. Cur autem ipsum Christum eo ubi omnes erant congregati, duxerunt? ut consilio Pontificum cuncta efficerent. Siquidem ille (Caiphas) eo anno summum Pontificatum gerebat, & omnes eum expectabant, adeo in hoc negotio pernoctabant, & vigilabant. Non enim inquit, tum Pascha comederunt, sed propter hoc facinus vigilabant. Cùm enim dixisset Joannes, mane autem facto: statim intulit, non intrarunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha. Quid igitur dicendum est? Videlicet cupiditate interficiendi Christum eos legem dissoluisse, & alia die Pascha comedisse. Neque enim Christus tempus Paschatis violasset, qui sub vesperam illud comederit, sed illi audacissimi homines, & vel sexcentarum legum conculcatores. Cùm enim ira accensi valde essent, & sæpe conati occidere ipsum minimè potuissent, ex insperato cùm eum cepissent, tempus Paschatis negligere maluerunt, modò ardentes cæde animos suos explerent.

Cæterùm hoc in loco tollenda est quædam apparens Chrysostomi contradictio. Nam hom. 83. in Matth. ut vidimus, affirmat, Judæos injecisse manus Christo Domino ea ipsa nocte, qua comederant Pascha. Hîc autem docet, eos non comedisse Pascha præ nimio desiderio capiendi, & occidendi Christum.

Verùm non est contradictio, sed varia expositio. Quia enim Christus Dominus decima quarta luna primi mensis ad vesperam, hoc est, debito tempore celebraverat Pascha legale, & eadem vespera captus est, idcirco meritò ait Chrysostomus Judæos illa eadem nocte injecisse manus Domino, qua comederant Pascha: poterant enim, & comedisse Pascha, & istud fecisse, quod ego certissimum esse existimo. Et tunc Chrysostomus tam principes sacerdotum, & eorum sequaces, quàm reliquum populum comedisse Pascha intelligit. Et tamen quia Joannes de principibus sacerdotum dicit, eos non ingressos fuisse prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Paf-

cha, Chrysostomus de illis loquens, hanc aliam etiam adhibet expositionem. Eos nimirum illâ vesperâ decimæ quartæ lunæ non comedisse Pascha, quòd eorum animus valde intentus esset ad inferendam necem Domino. Et sive comederint, sive non comederint, semper eos cùm aliis de causis, tum hoc nomine culpat Chrysostomus. Quod utique non fecisset, si Christus alio, & non à lege statuto tempore celebrasset Pascha. Si enim Pontifices sacerdotum unà cum cætero populo comederant Pascha, non ergo tali nocte capere Christum debuissent, & tamen furore, atque insania obcæcati eum comprehenderunt. οὔτε τὸν καιρὸν ᾐδέσθησαν, ὅτι ἅγιος ἦν. Nec rationem temporis (inquit Chrysostomus homilia 26. in Matthęum) habuerunt, quòd sanctum erat. Si autem non comederant, utique culpandi sunt, quòd necem Domini meditantes tempus Paschatis neglexerint, & lege violata in aliud tempus remiserint.

Posset etiam dici, testimonium Chrysostomi in homilia 83. de solo populo Judæorum, non de Principibus sacerdotum esse intelligendum; populus enim passim comederat Pascha. Sed mihi magis placet prima expositio, quæ & primores sacerdotum, & reliquum populum comprehendit. Nam illa verba Chrysostomi ἐπέβαλον inierunt, ἐκράτησαν tenuerunt, ἔζεον fervebant, ἐμαίνοντο insaniebant, non ad populum, sed ad principes sacerdotum spectare videntur. Ergo & illud ἔφαγον comederunt, ad eosdem spectabit.

Idem igitur Chrysostomus juxta ea quæ diximus, easdem adhibet expositiones homilia 83. in Joann. τί δέ ἐστιν ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα; καὶ μὴν αὐτὸς ἦν αὐτὸ πεποιηκὼς τῇ μιᾷ τῶν ἀζύμων. Sed quid significat, inquit, ut manducarent Pascha? Atqui Jesus jam id fecerat prima die azymorum. Quibus verbis in primis supponit Chrysostomus, Christum convenienti tempore comedisse Pascha. Deinde hanc dubitationem dupliciter solvit: ἤτοι οὖν τὸ πάσχα τὴν ἑορτὴν πᾶσαν λέγει. Sive ergo, inquit, Pascha totam appellat solemnitatem, hoc est, quod Joannes dicit, non ingressos fuisse prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha, per Pascha non intelligit primam diem, & illam primam vesperam decimæ quartæ lunæ azymorum, qua primores sacerdotum unà cum populo comederant agnum Paschalem, sed totam solemnitatem paschalem; in qua immolabant Domino Deo varias Victimas paschales, oves, & boves, arietes, hircos & agnos. Deuter. 16. secundo Paralip. 35. Num. 28. quæ sacrificia comedere sacerdotibus non purificatis nefas erat, ut patet Levitici 22. Et ideo non ingressi fuerant prætorium. Quæ solutio est verissima. Sed quoniam in Commentariis in Matthæum aliter Chrysostomus locum Joannis explicaverat, ut jam advertimus, existimans Christum quidem comedisse agnum Paschalem suo tempore unà cum cætero populo Hebræorum; Pontifices verò tantummodo legem non observasse; Idcirco hanc etiam addit solutionem. ἢ ὅτι τότε ἐποίουν τὸ πάσχα. αὐτὸς δὲ πρὸ μιᾶς αὐτὸ παρέδωκε, τηρῶν τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν τῇ παρασκευῇ, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγένετο πάσχα. Sive, inquit, appellat Joannes Pascha, quod tunc faciebant, scilicet Principes sacerdotum. De his enim loquitur Evangelista, qui nimirum neglexerant illud comedere pridie sub vesperam, ut par erat, intenti plurimum neci Salvatoris, & illud manducaturi erant in parasceve vespere, & ideo non introierant in prætorium. αὐτὸς γὰρ πρὸ μιᾶς αὐτὸ παρέδωκεν. Ipse autem uno die antea tradidit Pascha. Christus autem (inquit Chrysost.) pridiè celebravit Pascha, hoc est quando reliquus populus ex præscripto legis pridie illud celebraverat. Idcirco addit, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγίνετο πάσχα. Quando & vetus fiebat Pascha. Nam novum erat hoc principum sacerdotum non servare 14. lunâ. Unde quamvis τὸ παλαιὸν significet olim, si seorsim sumatur: melius tamen Latinus interpres hîc vertisset vetus Pascha, ad distinctionem primorum Judæorum, qui novum celebrarent, dum 14. lunam omitterent. τηρῶν τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν τῇ παρασκευῇ, cædem suam in parasceve reservans: scilicet ob singularem celebritatem festivitatis, ut omnibus ejus passio manife-

sta fieret. Hæc verba antecedunt illa, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγίνετο πάσχα. Quando & vetus fiebat Pascha. Unde nonnulli existimarunt ex verbis Chrysostomi, Christum reservasse suam passionem, quando vetus, & verum Pascha fiebat, propterea anticipasse uno die, & per consequens non suo tempore illud celebrasse.

Sed facile est rejicere hanc interpretationem. Quippe si vera esset, Chrysostomus non sibi constaret, si modò affirmaret Christum Paschatis tempus diligentissimè observasse, principes sacerdotum prævaricatos fuisse, modò contrarium traderet. Quod de tanto Doctore nedum dicere, sed ne cogitare quidem fas est. Igitur illud, quando vetus fiebat Pascha, necessariò pertinere videtur ad illud pridie, & illud pridie, necessariò refertur ad 14. lunam, & primam diem azymorum. Et per consequens, quod erant facturi principes sacerdotum, sequentem lunam 15. respicit. Siquidem ex mente Chrysostomi hoc interest inter Christum, & Pontifices Judæorum, quòd Christus Dominus pridie, illi non pridie comederint Pascha. Quod totum ex eodem Chrysostomo evidentissimè constat. Qui proposita præsente quæstione pro fundamento rato, ac firmo jacit, Christum prima die azymorum comedisse agnum Paschalem: eoque posito, dupliciter soluit quæstionem. At si per illud pridie, non intelligeret Chrysostomus quando vetus, & proprium fiebat pascha, sed prævenisse Christum uno die verum tempus Paschatis, ac proinde non solùm principes sacerdotum, sed etiam reliquos Judæos prævenisse in edendo agno Paschali, tunc prorsus destrueret suum fundamentum, suam item doctrinam, cùm certum sit, ex sententia Chrysostomi populum Hebræorum passim prima die azymorum comedisse agnum Paschalem, & ea vespera quando comederant Pascha injecisse manus Jesu, ut ipsemet homilia 83. in Matthæum non obscurè tradit. Quare verba Chrysostomi sic sunt construenda, αὐτὸς δὲ, τηρῶν τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν τῇ παρασκευῇ, πρὸ μιᾶς αὐτὸ παρέδωκεν, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγίνετο πάσχα. Ipse verò reservans suam occisionem parasceve, ante unum diem illud tradidit, quando & vetus fiebat Pascha.

Idem in oratione prima adversus Judæos dicit legem antiquam in celebrando paschate & tempus, & locum præscipsisse, & observare jussisse: οὐ δυνήσεσθε ποιεῖν τὸ πάσχα ἐν οὐδεμιᾷ τῶν πόλεων, ὧν κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι, ἀλλ' ὥσπερ ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τοῦ πρώτου μηνὸς, οὕτω καὶ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις αὐτὸ κελεύει ποιεῖν. Non (inquit) potestis Judæi celebrare Pascha in ulla civitate, civitatum earum, quas Dominus Deus dat vobis, sed quemadmodum decimo quarto die primi mensis, ita Hierosolymis jubet illud peragi. Et quamvis Chrysostomus in ea oratione ex eo redarguat Judæos, quòd non observent locum (nam tempus Paschatis minimè præteribant) atque eos graviùs peccare dicat, quàm si omitterent tempus. Indéque illud probet, quòd quandóque tempus Paschatis legibus antiquis solutum sit: non ita locus, quod intelligendum est de primo mense, non autem de decimaquarta Luna, ut ex divina Scriptura perspicuum est. Nihilominus tamen si Judæi tempus quoque Paschatis, quemadmodum & locum Hierosolymorum neglexissent, sine dubio dupliciter à Chrysostomo reprehensi fuissent. Et ipsi Judæi potuissent opponere Chrysostomo, Cur Christus tempus Paschatis non servasset?

Unde meritò rejiciendus est Euthymius, qui in Commentario capitis 26. Matthæi, existimat, legem prohibuisse postponi, sed non anticipari diem Paschatis. Quod falsissimum est, nullôque testimonio Scripturæ, nulla auctoritate Patrum, nullo exemplo probari potest. Et certè mirandum est, cùm Euthymius scripserit commentaria in quatuor Evangelia, & ex veteribus Græcis, præsertim verò ex Chrysostomo multa collegerit, quemadmodum istud eum fugerit.

Demum Chrysostomus Hom. 81. in Matthæum clarissimè tradit, suo tempore Christum immolasse Pascha Judæorum: πρώτην τῶν ἀζύμων, τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων

φησὶν, εἰώθασι γὰρ ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἀεὶ ἀριθμεῖν τὴν ἡμέραν (οἱ Ἰουδαῖοι) καὶ ταύτης μνημονεύει, καθ᾽ ἣν ἐν τῇ ἑσπέρᾳ τὸ πάσχα ἔμελλε θύεσθαι. τῇ γὰρ πέμπτῃ τοῦ σαββάτου προσῆλθον, καὶ ταύτην ὁ μὲν τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων, πρώτην τῶν ἀζύμων καλεῖ, τὸν καιρὸν λέγων, καθ᾽ ὃν προσῆλθον. ὁ δὲ λέγει, ἦλθε δὲ καὶ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. τὸ ἦλθε τοῦτο λέγων, ἐγγὺς ἦν, ἐπὶ θύραις ἦν, τῆς ἑσπέρας δηλονότι μεμνημένος ἐκείνης, ἀπὸ γὰρ τῆς ἑσπέρας ἤρχοντο. διὸ ἕτερος προστίθησι λέγων, ὅτε ἐθύετο τὸ πάσχα. Primã azymorum eam diem vocat, quæ ante azyma erat. Judæi enim cõsueverunt à vespera semper dies numerare. Et hujus diei mentionem facit Evangelista, cujus in vespera Pascha erat immolandum. Quinta enim Sabbati accesserunt, quam hic quidam Evangelistarum primam azymorum antecedentem azyma vocat: Tempus quo accesserunt designans. Alius autem Evangelista, Venit, inquit, dies azymorum, in qua oportebat immolari Pascha. Nam venit istud, prope, & in januis fuisse Pascha significat. Vesperam videlicet illam, à qua incipiebant, commemorans. Ideo quique Evangelistarum adiiciunt, quando immolabatur Pascha.

Sic Chrysostomus, non ut Euthymius, qui illud ἦλθεν accipit, ἀντὶ τοῦ ἐπλησίασε, loco appropinquavit. Neque ad proximam vesperam illius diei, ut Chrysostomus, sed ad sequentis diei vesperam refert.

Neque advertit Euthymius, quòd paulò ante Lucas Evangelista dicit, ἤγγιζεν ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, appropinquabat festum azymorum, quod idem est, quod ἐπλησίαζε. Porro illud ἤγγιζεν, ex circunstantiis, quas reddunt tres Evangelistæ, ante biduum intelligitur. Siquidem tunc Pontifices, & Sacerdotes convenerant, & quærebant occidere Christum. Sic enim Matthæus habet: καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι. τότε συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ γραμματεῖς, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως, τοῦ λεγομένου Καϊάφα, καὶ συνεβουλεύσαντο, ἵνα τὸν Ἰησοῦν κρατήσωσι δόλῳ, καὶ ἀποκτείνωσιν. Et factum est, cùm consummasset Jesus hos sermones, dixit discipulis suis, Scitis quia post biduum Pascha fit, & filius hominis traditur ad crucifigendum. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicitnr Caïphas, & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.

Marcus verò; ἦν δὲ τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας, καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ γραμματεῖς πῶς αὐτὸν ἐν δόλῳ κρατήσαντες ἀποκτείνωσιν. Erat autem Pascha, & azyma post biduum, & quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Lucas autem, ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων ἡ λεγομένη πάσχα, καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς τὸ πῶς ἀνέλωσιν αὐτόν. Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha, & quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo eum interficerent. Quocirca, illud appropinquabat, ante biduum intelligitur. Non ergo potest verbum ἦλθεν, accipi loco ἐπλησίασε. Nam bis dixisset, sine ulla necessitate illud Lucas. Sed postquam dixerat, ἤγγιζεν, appropinquabat festum azymorum, narrans deinde, quæ consequuta fuerant, addit, Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Nec tantùm diem refert Lucas Evangelista, sed etiam horam in eodem capite: καὶ ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα ἀνέπεσε, καὶ οἱ δώδεκα ἀπόστολοι σὺν αὐτῷ. Et cùm facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

Sed fortassis illud decepit Euthymium, quòd Christus apud Matthæum dicat, post duos dies fit Pascha, & filius hominis traditur ad crucifigendum. Verùm illud, traditur ad crucifigendum, non debet, neque potest referri ad illud, biduum. Quandoquidem prius celebrandum erat Pascha idque post biduum, deinde crucifigendus Christus. At secundùm Euthymium priùs crucifigitur Christus, si post biduum crucifigitur, deinde celebratur Pascha.

Sed relicto Euthymio redeamus ad nostrum Chrysostomum, qui homilia 82. in Matth. idem affirmat his verbis: τίνος ἕνεκεν κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ πάσχα, καὶ οὐκ ἐν ἄλλῃ ἡμέ-

ρα λαβὼν τὸν ἄρτον ἔκλασε, καὶ τὰ μυστήρια ἀπετέλεσεν; ἵνα μάθωμεν πάντοθεν καὶ τῆς παλαιᾶς αὐτὸν ὄντα νομοθέτην, καὶ τὰ ἐν ἐκείνῃ διὰ ταῦτα προσκιαγραφέντα. διὰ τοῦτο ἔνθα ὁ τύπος τὴν ἀλήθειαν ἐπιτίθησι. Qua de causa, inquit, tempore Paschatis, & non alio die accipiens panem fregerit, ac mysteria Eucharistiæ peregerit? ut undique discamus etiam antiquę legis ipsum esse conditorem, & quæ in ea sunt propter hæc ante adumbrata fuisse. Idcirco ubi figura, ibi veritatem adjungit. Sic Chrysostomus de tempore Paschatis.

Porro hæc sententia Chrysostomi adeo clara est, ut etiam tenebricosum Photium Constantinopolitanum pseudo-Patriarcham hac in re illuminaverit, qui in sua bibliotheca fol. 158. dum refert cujusdam incerti auctoris librum, περὶ τῆς ἁγίας τοῦ πάσχα ἑορτῆς, censor notat, ac ita scribit: φησὶ δὲ οὗτος, ὅτι κατὰ μὲν τοὺς ἄλλους τῆς παρουσίας αὐτοῦ ἐνιαυτοὺς ὁ κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν ὁ Χριστὸς τὸ νομικὸν ἐπιτέλει πάσχα καθ᾽ ὃν δὲ παρεδόθη, οὐκέτι. καὶ σκοπεῖν χρή. ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ ἡ ἐκκλησία, τότε φησὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. Censet autem ipse in aliis quidem annis sui adventus Dominum, & Deum nostrum Christum legale peregisse Pascha. Eo verò anno, quo traditus est, minimè. Et observandum est. Nam Chrysostomus, & Ecclesia tunc aiunt eum celebrasse ante cœnam mysticam legale Pascha.

Hæc censura Photij utrasque commemoratas opiniones damnat, & quid suo tempore orientalis Ecclesia sentiret, indicat.

Valeat itaque blasphemus Nicephorus Callistus, seu verius ἄχριστος Xanthopulus, qui in συναξαρίῳ τοῦ ὄρθρου feriæ quintæ sacratissimæ hebdomadis non erubuit dicere, αἰσχυνέσθωσαν οἱ τῇ θυσίᾳ ἄζυμα προσφέροντες. Erubescant, qui sacrificio azyma offerunt. Hac enim ratione Christum Dominum jubet erubescere, qui secundùm legem illud celebraverit. Quod & ipse Nicephorus paulò ante in eodem Synaxario his verbis testatur: ἐνήργησεν οὖν αὐτὸ καὶ τότε, ὥς τινες εἶπον μετὰ τῶν μαθητῶν κατὰ τὸν νόμον, ὧν εἷς ἐστι καὶ ὁ θεῖος Χρυσόστομος, πρότερον ὀρθοστάδην, καὶ ἐζωσμένοι, τὰ ὑποδήματα περικείμενοι, βακτηρίαις ἐπερειδόμενοι, καὶ τἄλλα ὅσα ὁ νόμος διακελεύεται ἵνα μὴ παράνομος δόξῃ. Egit itaque Christus, & tunc Pascha, ut nonnulli dixerunt, quorum unus est divinus Chrysostomus, cum discipulis secundùm legem, priùs stando, & præcinctus, calceos indutus, baculo innixus, & juxta reliqua, quæ lex jubet, ne legis violator videretur. Sic ille, sed lex inter præcipuas ceremonias, & circunstantias materiam in primis, & tempus describit: quod etiam inculcat Chrysostomus. An non transgressor legis Dominus extitisset neglectâ debitâ materiâ, & convenienti tempore? adeo non sibi constat Nicephorus, ut in eodem loco contraria planè scribat & opposita. Et si B. Chrysostomus, cum non paucis aliis ita tradit, qui sunt isti sancti Patres, qui Christum anticipasse asserant? Nam & hoc Xanthopulus effutit: προλαβὼν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς οἱ θεῖοι πατέρες φάσκουσιν, ἐνεργεῖ αὐτὸ μετὰ τῶν μαθητῶν τῇ ἑσπέρᾳ τῆς πέμπτης. Anticipans Dominus noster Jesus Christus, ut sancti Patres tradunt, celebrat Pascha cum discipulis vesperâ feriæ quintæ. Viderit ergo qua fronte Nicephorus ea verba dictaverit, qua fronte cæteri Græci ea in Ecclesiis suis sacratissimo illo die recitare audeant. Et quod mirandum est, ob incuriam sancti officij Inquisitorum, qui Venetiis degunt, vel imperitiam linguæ Græcæ, ea in libro, quem τριῴδιον vocant, Græcis imprimi, hactenus permiserunt, & permittunt.

Unde corruunt quoque argumenta, quæ ex puerili etymologia Græci deducere solent, quasi verò ἄρτος, nonnisi panem fermentatum significet. Cùm in divinis literis fermentatus, & azymus eodem planè nomine exprimatur. Et Chrysostomus verè χρυσοῦς τὴν γλῶτταν, vim nominis non ignoraverit, ut propterea neque alio, quàm convenientissimo tempore legis, servatis omnibus circunstantiis Christum Dominum Pascha celebrasse tradiderit.

Neque ratio adversariorum valet. Nam figuræ satis est ad suum finem sortiendum, si respondeat rei, & veritati quocunque

tempore, quamvis non quo ipsa cœperit, vel à Deo instituta fuerit. Siquidem serpens arcus figuram gessit Christi Domini in cruce exaltati, & tamen non contendimus scire, quo momento temporis illud à Mose gestum fuerit: quod idem dico de plerisque aliis figuris, quæ circa divinam œconomiam versantur.

Sed tamen quia Paschatis tempus accuratè describitur, quasi quædam ceremonia minimè omittenda, sed valdè necessaria, propterea secundò dici potest: Immolationem, & esum agni Paschalis propriè, & primùm omnium figuram gessisse immolationis, & comestionis agni immaculati in cœna mystica, quæ eodem tempore & eadem fermè hora post umbram impleta est. Neque enim Christum cruentum comedimus. Et ideo scriptura magis in eo versatur, ut tradat potius Judæis modum comedendi, quàm immolandi. Ita Chrysostomus loco proximè citato, & Hom. de proditione Judæ Pascha Judæorum fuisse umbram nostri affirmat, & simul utrumque celebratum; hoc est eadem vespera: διὰ τοῦτο ἐν αὐτῇ τῇ τραπέζῃ ἑκάτερον γίνεται τὸ πάσχα, καὶ τὸ τοῦ τύπου, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας. καθάπερ γὰρ οἱ ζωγράφοι ἐν αὐτῷ τῷ πίνακι καὶ τὰς γραφὰς περιάγουσι, καὶ σκιαγραφοῦσι, καὶ τὴν ἀλήθειαν τῶν χρωμάτων ἐπιτιθέασιν, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἐποίησεν ἐπ' αὐτῆς τῆς τραπέζης καὶ τὸ τυπικὸν πάσχα ὑπέγραψε, καὶ τὸ ἀληθινὸν προσέθηκεν. Et ideo, inquit ille, in ipsa mensa & typi, & veritatis celebratum est Pascha. Nam sicut Pictores pingendam tabulam vestigiis quibusdam adumbrare consueverunt, atque ita colorum varietate perficere: sic etiam Christus fecit in ipsa mensa, & typum Paschæ descripsit, & Pascha veritatis adjecit.

Sed quoniam legale Pascha etiam immolationem Christi cruentam præfigurabat, ideo ut adimpleatur figura satis est Christum Dominum eodem die Paschatis, qui à præcedenti vespera incipiebat, passum esse, quamvis non continuò, & eadem hora. Quare Chrysostomus, quamvis de misterio Eucharistiæ sub eandem vesperam post agnum Paschalē tradito rectè sentiat: Non tamen ita interrogat, quare eadem vespera, vel eadē hora, vel eodem momento temporis factum sit, sed quare non alio die. Quo modo loquendi Chrysostomus existimat satis esse figuræ eodem die succedere veritatem. Atque re ipsa ita ipse tradit, ut mox videbimus. Pascha gessisse figuram etiam Christi in Cruce, & ob eam rem Christum eodem die cruenter immolatum fuisse, ut figura evacuaretur. Præsertim cùm ita expediret, ut occisio Christi non obscura nocte, sed luce meridiana in ore, atque oculis omnium, qui ad Pascha celebrandum undique Hierosolyma convenerant, palam fieret. Atque ut gravissimus auctor Leo magnus de loco ait, Christum Dominum Bethleem praelegisse Nativitati, Hierosolymam passioni; ita nos de tempore meritò possemus dicere, profundam noctem elegisse, ut nasceretur, clarissimam lucem, & maximam omnis generis hominum celebritatem, ut pateretur. Ita idem Chrysostomus hom. 83. in Matthæum: σὺ δέ μοι σκόπει, πῶς συνηλάθη τὸ πρᾶγμα, ὥστε ἐν ἑορτῇ γενέσθαι. οὕτω γὰρ ἄνωθεν προδιετετύπωτο. Tu verò, inquit, considera quomodo res ita compulsa est, ut in die festo ageretur: quippe ita jam à priscis temporibus fuerat figuris significatum. At prima dies azymorum, sive vespera illa 14. lunæ, in quo immolabant Pascha (ut hoc etiam obiter addam) non erat festum. Sic etiam intellexit Theophylactus in cap. 26. Matthæi: ἐκεῖνοι μὲν οὖν οὕτω περὶ τῆς ἑορτῆς βουλευθέντες μετὰ τὴν ἑορτὴν τάχα φονεῦσαι. ὁ δὲ δεικνὺς, ὅτι οὐχ ὅτε ἤθελον, ἀλλ' ὅτε ἠθέλησεν αὐτὸς πάσχει, συνεχώρησεν αὐτοῖς κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ πάσχα συλλαβεῖν. ἵνα ὅτε τὸ τυπικὸν πάσχα ἐγίνετο, τότε καὶ τὸ ἀληθινὸν πάσχα ἐκβαίη. Illi igitur, inquit, ante festum concilium inierunt ut vel fortè post diem festum occiderent. At verò Jesus ostendens, quòd non quando illi voluerunt, sed quando ipse voluit, patitur, se capiendum eis permisit per tempus scilicet Paschæ, ut quando typicum Pascha, tunc & verum Pascha fieret. Alioquin opposita sententia longè majori urgetur incommodo. Si enim ex sententia Græcorum, quo die Christus in cruce immo-

latus est, sub vesperam immolandus quoque fuisset agnus Paschalis, planè contrario modo veritas umbram anticipasset. multòque minùs Christus servasset figuram, & umbram implesset, quippe aliquot horis ante illam vesperam expirasset, & omnia consummasset.

Neque mirum si legale Pascha figuram gesserit & cœnæ mysticæ, in qua se ipsum Dominus immolavit (quippe qui & victima, & verus sacerdos fuit προσφέρων καὶ προσφερόμενος) & ejusdem in Cruce cruenter immolati. Non inquam, mirum est. Nam Pascha duo significat, & ipsum esum agni Paschalis multis cum ceremoniis solemnem prima die azymorum sub vesperam, & ipsam festivitatem, in qua similiter immolabant victimas, quæ item præfigurabant Christum.

Inter has duas Græcorum recitatas sententias, cùm utraque fixum & receptum habeat, Christum non potuisse pervenire ad præscriptum legis tempus, hoc est ad 14. lunam primi mensis ante passionem, ac proinde, vel non celebrasse Pascha, vel anticipando celebrasse; prima opinio, quæ alioquin minorem præ se fert probabilitatem, videtur mihi minùs absurda. Si enim nondum venerat tempus, quæ necessitas urgebat Christum eo anno Pascha Judæorum celebrandi? Quæ tamen sententia si est absurda, prout est, immo verò absurdissima, & falsissima, tribus Evangelistis directè, & manifestè reclamantibus, quid de secunda sentiendum sit, nemo non videt.

Commemoratas opiniones aliis quoque testimoniis Chrysostomi facilè confutare possumus. Nam tempore Chrysostomi quidam superstitiosi Christiani jejunabant unà cùm Judæis, & celebrabant simul Pascha: quos sanctissimus Doctor aliquot orationibus valde reprehendit, & ut eos ab hac pessima, & perniciosissima consuetudine, quàm longissimè abducat, vehementer loborat. In oratione verò, cujus titulus: εἰς τοὺς τὰ πρῶτα πάσχα νηστεύοντας, refert verba illorum, quibus se excusabant. Aiebant enim alios quoque Christianos, hoc est multos orientales ante illud tempus cum Judæis celebrasse jejunium. Et Chrysostomus quidem non negat hoc, immo & affirmat, ut titulus etiam sonat orationis, sed ait, eos postea prætulisse concordiam communem omnium Ecclesiarum, ut in Concilio Nicæno sancitum fuit. At certe si multi Christiani observabant tempus Judæorum in celebrando Paschate, id alia de causa non erat nisi ut imitarentur Christum, qui eodem tempore celebravit. Sic igitur habet Chrysostomus: ἀλλὰ τίς ὁ σοφὸς αὐτῶν λόγος, ὅταν ταῦτα αὐτοῖς ἀντιλέγωμεν; ὑμεῖς, φησιν, οὐ ταύτην ἐνηστεύετε τὴν νηστείαν πρότερον; τοῦτο οὐ σόν ἐστιν εἰπεῖν πρὸς με, ἀλλ' ἐμὲ δίκαιον ἂν εἴη πρὸς σὲ λέγειν. ὅτι καὶ ἡμεῖς οὕτως ἐνηστεύομεν πρότερον, ἀλλ' ὅμως προετιμήσαμεν τὴν συμφωνίαν τῆς τῶν χρόνων παρατηρήσεως. Sed quænam est eorum egregia ratio? Vos, inquit, nonne hoc jejunium priùs jejunastis? Hoc non tuum est, ad me dicere, sed justum esset, à me audire, scilicet quòd nos quoque sic priùs jejunavimus, sed enim observationi temporum concordiam prætulimus. Et paulo pòst: καὶ τί λέγω περὶ ἐμαυτοῦ; τριακόσιοι πατέρες, ἢ καὶ πλείους εἰς τὴν Βιθυνῶν χώραν συνελθόντες ταῦτα ἐνομοθέτησαν, καὶ πάντας ἀτιμάζεις ἐκείνους; Et quid dico de me ipso? trecenti patres, vel etiam plures Nicæam Bithyniæ urbem convenientes hæc sanxerunt, & omnes illos spernis?

Idem Doctor in eadem oratione adhuc clariùs: ὁ Χριστὸς διὰ τοῦτο μετ' αὐτῶν τὸ πάσχα ἐποίησεν, οὐχ ἵνα ποιῶμεν ἡμεῖς μετ' ἐκείνων, ἀλλ' ἵνα τῇ σκιᾷ τὴν ἀλήθειαν ἐπαγάγῃ. Christus propterea cum ipsis (Judæis) Pascha celebravit, non ut nos cum ipsis celebremus, sed ut umbræ veritatem induceret.

Alij Græcorum dum vitant Charybdim in Scyllam incidunt. Opinantur Christum Dominum statuto tempore celebrasse Pascha legale, sed tamen divinissimum mysterium Eucharistiæ, non eo tempore, sed uno die antea, vel absolutè aliquot horis ante illud tempus instituisse. Et quamvis hos omnes testimoniis scripturæ convincere facile sit; nihilominus non discedam à meo Chrysostomo, quando is à Hieremia mihi objicitur. Igitur loca citata Chrysostomi,

Chryſoſtomi, ne ſim moleſtus eadem repetendo, hujuſcemodi ordinem nobis indicant: Priùs Chriſtum comediſſe Paſcha legale, idque more Judæorum, ſive tempus, ſive ceremoniam inſpicias, hoc eſt 14. luna, & ſtantem, deinde diſcubuiſſe cum Apoſtolis, & cœnaſſe, tandem poſt cœnam accepiſſe panem, benedixiſſe, & impertiiſſe diſcipulis ſub ſpeciebus panis ſuum corpus.

Eundem ordinem refert Nazianzenus oratione in ſacrum lavacrum cùm ita ſcribit: πάλιν μυσταγωγεῖ τὸ πάσχα τοῖς μαθηταῖς ἐν ὑπερῴῳ, καὶ μετὰ δεῖπνον, καὶ πρὸ μιᾶς τοῦ παθεῖν ἡμέρας. Rurſus (Chriſtus) diſcipulos ſuos Paſchatis myſterio in cœnaculo imbuit, & à cœna, & unico ante paſſionem die.

Demum alij quidam Græcorum prodigioſi, immo verò faces Græcorum, quos vel nominare, & commemorare indignum ſit, quippe ſuperant omnem gradum imperitiæ, ſtultitiæ, & impudentiæ; non negant fuiſſe tempus azymorum, & Chriſtum Dominum comediſſe Paſcha Judæorum ſuo tempore unà cum azymis, ſed eo peracto, dum vellet efficere ſuum corpus, aiunt acceptum panem azymum virtute ſua divina priùs vertiſſe in fermentatum, deinde tranſmutaſſe in ſuum corpus. Interim nullas nobis ea de re referunt aut probare poſſunt ἀποκαλύψεις.

Atque hujuſmodi ſolent eſſe refugia miſerorum ſchiſmaticorum, & hæreticorum, qui planè ἰσχυρογνώμονες, dum nimis pervicaciter in ſuis opinionibus defixi tueri volunt, non quod divina ſcriptura ſincerè tradit, ſed quod malè ſanum eorum caput fingit, inſtar ſerpentum mox jugulandorum huc illuc ſe vertunt, & tanquam alter Protheus in varias formas ſe mutant.

Cui harum opinionum adhæreat Hieremias, ut incommoda, quæ Latini Græcis objiciunt, licet fruſtra, vitare queat (neque enim Græcorum aliquem ea declinaſſe hactenus vidi, cùm è contra Latini Græcorum frivolis rationibus millies fecerint ſatis) incertum eſt. Veriſimile tamen eſt eum ſecundam ſententiam Græcorum ſequutum fuiſſe. Cujus non ſolùm Græci, ſed etiam nonnulli Latini fautores, atque adeò propugnatores extitere. Quæ tamen ſententia meritò à nobis auctoritate Chryſoſtomi breviter exploſa eſt, & à viris doctiſſimis, qui de controverſiis ſcripſere fuſiùs, & uberiùs recenſetur, & refutatur.

Probatur eadem veritas teſtimoniis aliorum Patrum.

Caput V.

Sed quoniam Hieremias non ſolùm Chryſoſtomum, verùm etiam reliquos Patres Orientales idem ſentire cum ipſo de fermentato falsò exiſtimat, idcirco cæteri quoque Patres in medium ſunt producendi.

Omiſſis igitur Latinis Doctoribus, S. Epiphanius libro 1. hæreſi 30. agens contra Hebionæos, qui inter alios errores eſum carnium damnabant, confutat eos exemplo Chriſti, qui tempore Paſchati comedit carnes & azyma. Sic itaque tradit ultra medium: πῶς δὲ περὶ κρεωφαγίας οὐκ εὐθὺς ἡ αὐτῶν ἄνοια ἐλεγχθήσεται; πρῶτον μὲν τοῦ κυρίου ἐσθίοντος τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. πάσχα δὲ τῶν Ἰουδαίων πρόβατον ἦν καὶ ἄζυμα. κρέα προβάτου ὀπτὰ πυρὶ ἐσθιόμενα. ὡς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῷ λέγουσι, ποῦ θέλεις ἑτοιμάσομέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; καὶ ὁ κύριος λέγει. ἀπέλθετε εἰς τὴν πόλιν, καὶ εὑρήσετε ἄνθρωπον βαστάζοντα κεράμιον ὕδατος, καὶ ἀκολουθήσατε αὐτῷ ὅπου ὑπάγει, καὶ εἴπατε τῷ οἰκοδεσπότῃ, ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα ὅπου ποιήσω τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου. καὶ δείξει ὑμῖν ὑπερῷον ἐστρωμένον, ἐκεῖ ἑτοιμάσατε. πάλιν δὲ αὐτὸς ὁ κύριος λέγει. ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ᾽ ὑμῶν. καὶ οὐκ εἶπεν ἁπλῶς τὸ πάσχα, ἀλλὰ τοῦτο τὸ πάσχα. ἵνα μή τις μεθοδεύσῃ εἰς τὴν ἑαυτοῦ ὑπόνοιαν. πάσχα δὲ ἦν, ὡς εἶπον, κρέα ὀπτὰ πυρὶ, καὶ τὰ ἄλλα. Quomodo verò de eſu carnium non ſtatim ipſorum dementia redarguetur? Primùm quidem Domino edente Paſcha Judæorum. Paſcha autem Judæorum agnus erat & azyma, & edebantur carnes igne aſſatæ, velut etiam diſcipuli ejus dicunt: Ubivis ut paremus tibi ut edas Paſcha? Et ipſe Dominus dicit: Abite in Civitatem, & invenietis homi-

nem portantem amphoram aquæ, & sequimini ipsum quocumque ingressus fuerit, & dicite patrifamilias, Ubi est diversorium, ubi faciam Pascha cum discipulis meis? & ostendet vobis cœnaculum stratum, illic parate. Rursus autem ipse Dominus dicit: Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum: & non dixit simpliciter Pascha, sed hoc Pascha, ut ne quis ad suam opinionem callidè trahat. Pascha autē erat, velut dixi, carnes assatæ igne, & alia.

Origenes tract. 33. in Matth. Luna 14. Christum fuisse captum apertè docet. Theodoretus q. 24. in Exodum sub vesperam ejusdem 14. Lunæ, quando immolabatur Pascha, traditum fuisse affirmat. Idem tradit Theophilus Alexandrinus teste Beda de ratione temporum. Theophylactus compilator Chrysostomi idem habet, quod Chrysostomus, & eadem die sub vesperam Christum comedisse Pascha refert. Cujus sunt apud Matthæum hæc verba: πρώτην τῶν ἀζύμων, τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων φησὶν ἡμέραν. οἷόν τι λέγω, τῇ πέμπτῃ ἑσπέρας ἔμελλον ἐκεῖνοι φαγεῖν τὸ πάσχα, καθ' ἣν ἐπιφώσκει ἡ παρασκευή, πρώτη τῶν ἀζύμων ἐκαλεῖτο παρὰ τῷ νόμῳ, ὅτια δὴ τῆς ἑορτῆς ἀρχομένης ἀπὸ τῆς ἑσπέρας, καθ' ἣν ἐσθίονται τὰ ἄζυμα. ὁ γοῦν κύριος πέμπει τοὺς μαθητὰς τῇ πέμπτῃ, ἣν ὀνομάζει ὁ εὐαγγελιστὴς πρώτην τῶν ἀζύμων, ὡς πρὸ τῆς ἑσπέρας οὖσαν, καθ' ἣν ἑσπέραν ἤσθιον τὰ ἄζυμα. Primam azymorum diem vocat, quæ diem azymorum præcedit: ut sic dicam, quintâ feriâ manducaturi erant Pascha, postquam lucescit Parasceve: prima azymorum vocabatur in lege, eò quod festum incipiebatur à Vespera, qua vescebantur azymis. Dominus igitur mittit discipulos quintâ, quam nominat Evangelista primam azymorum, quia ante vesperam erat, qua vespera comedebant azyma. Sic habent vetustiora exemplaria, ex quibus unum extat in Bibliotheca Vaticana.

Hic verò nonnulli Græcorum (ut est videre in aliis Codicibus) corruperunt textum Theophylacti quibusdam verbis additis, nonnullis ademptis, hoc modo: πρώτην τῶν ἀζύμων, τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων φησὶν ἡμέραν. οἷόν τι λέγω. τῇ παρασκευῇ ἑσπέρας ἔμελλον ἐκεῖνοι φαγεῖν τὸ πάσχα, καὶ αὕτη ἐκαλεῖτο τῶν ἀζύμων. ὁ γοῦν κύριος πέμπει τοὺς μαθητὰς τῇ πέμπτῃ, ἣν ὀνομάζει ὁ εὐαγγελιστὴς πρώτην τῶν ἀζύμων, ὡς πρὸ τῆς παρασκευῆς οὖσαν, καθ' ἣν παρασκευὴν τῇ ἑσπέρᾳ ἤσθιον τὰ ἄζυμα. Primam azymorum diem vocat, quæ antecedit azyma: ut sic dicam, Parasceve vespera manducaturi erant Pascha, & ipsa appellabatur azymorum (ergo malè appellant Evangelistæ non ipsam, sed feriam quintam primam diem, & diem azymorum.) Dominus igitur mittit discipulos quintâ feriâ, quam nominat Evangelista primam azymorum, quia ante parasceven erat, qui parasceve vespere comedebant azyma. Egregia causa cur feria quinta vocetur prima azymorum.

Similiter apud Marcum cap. 14. textus Theophylacti reperitur corruptus, & immutatus: πρώτην ἡμέραν τῶν ἀζύμων τὴν πέμπτην λέγει, ἥτις πρὸ τῶν ἀζύμων ἦν. τὰ γὰρ ἄζυμα τῇ παρασκευῇ ἠσθίοντο. Primam diem azymorum quintam feriam vocat, quæ ante azyma erat. Nam azyma parasceve comedebantur. Sic ibi: cùm tamen verus textus potius haberet: τὰ γὰρ ἄζυμα ἑσπέρᾳ τῆς πέμπτης ἠσθίοντο. azyma enim vespera feriæ quintæ comedebantur, vel aliquid simile. Sic enim rationem reddebat, cur feria quinta vocaretur prima azymorum.

Qui autem corrupit textum, non advertit (quod sæpe mendacium componentibus accidere solet) an ea quæ antecedunt in illo capite cum hac mendosa expositione cohęrerent. Nam Theophylactus exponens illa verba Evangelistæ Marci, Erat autem Pascha & azyma post biduum, & quærebant summi sacerdotes & scribæ quomodo eum dolo tenerent, & occiderent, affirmat, Pontifices Judæorum consultasse de occidendo Christo feria quarta: τετράδι τὸ συμβούλιον ἔλαβον, καὶ διὰ τοῦτο νηστεύομεν καὶ ἡμεῖς τὰς τετράδας. Feriâ quartâ, inquit, concilium cœperunt, & propterea nos etiam illas ferias jejunamus. Quæ sententia est verissima per traditionem acceptа, ipsoque usu longissimo Ecclesiarum comprobata. Id enim Ecclesia Romana per multa sæcula observavit, Græca usque ad præsens diligenter observat. Neque aliam rationem reddere Græci

poſſunt, cur illo die à carnibus, & lacticiniis abſtineant; ergo feria quarta & feria quinta eſt illud biduum ante Paſcha. Igitur veſpera feriæ quintæ celebrarunt Paſcha: alioquin ſi veſpera paraſceves celebraſſent, non poſt biduum, ſed triduum Paſcha fuiſſet.

Et profectò dolendum eſt, quòd Theophylactus adeò mendosè ſit typis excuſſus præſertim Romę.

Verùm apud Lucam c. 22. ita diſponente divina providentia, Theophylacti locus integer eſt: νῦν δὲ ἡμῖν τίνα λέγει ἡμέραν τῶν ἀζύμων, ῥητέον. ἡμέραν οὖν ἀζύμων ἐλέγει τὴν πέμπτην, ἧς τῇ ἑσπέρᾳ ἔμελλον θύειν τὸ πάσχα. ὁ τοίνυν κύριος τῇ πέμπτῃ πρωΐας τυχὸν ἀποστέλλει τοὺς μαθητὰς Πέτρον καὶ Ἰωάννην. Nunc verò nobis, quam vocat diem azymorum dicendum eſt. Igitur diem azymorum nominat feriam quintam, in cujus veſpera paſcha immolaturi erant. Dominus itaque feriâ quintâ forſan manè mittit diſcipulos Petrum, & Joannem.

Similiter apud Joannem Theophylacti textus flagitioſam Græcorum lituram evaſit. Explicat enim quodammodo Chryſoſtomum, & eodem modo interpretandus eſt. Nam illud, ὅτε τὸ παλαιὸν ἐγίνετο πάσχα, Quando vetus fiebat Paſcha, ad illud πρὸ μιᾶς παρέδωκεν, Uno die antea tradidit, neceſſariò referendum eſt: τί δέ ἐστιν, ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα; καὶ μὴν αὐτὸ ὁ κύριος πεποίηκε τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. ἢ οὖν πάσχα τὴν ἑορτὴν πᾶσαν νοήσομεν τὰς ἑπτὰ ἡμέρας, ἢ ὅτι αὐτοὶ μὲν τότε ἔμελλον αὐτὸ φαγεῖν τῇ παρασκευῇ ἑσπέρας. αὐτὸς δὲ πρὸ μιᾶς αὐτὸ παρέδωκε, τηρῶν τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν τῇ παρασκευῇ, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγίνετο πάσχα. Quid autem eſt, ut comederent Paſcha? ſanè Dominus illud fecit primâ azymorum. Vel igitur intelligamus pro Paſcha feſtum ſeptem dierum. Vel quod ipſi quidem manducaturi erant in paraſceve veſpere (ſcilicet παραβαίνοντες τὸν νόμον) ipſe autem Dominus uno die antè tradidit illud (κατὰ τὸν νενομισμένον καιρὸν) reſervans ſui occiſionem paraſceve, quando & vetus fiebat Paſcha. Hoc eſt, ipſe Dominus reſervans ſui occaſionem Paraſceve, uno die prævenit Judæorum Pontifices prevaricatores legis, quando & vetus, hoc eſt legitimum fiebat Paſcha. Sic omni ex parte, ut & Chryſoſtomus, concordat ſibi Theophylactus.

Verùm ne Græci dicant locum Lucæ potiùs, quàm aliorum Evangeliſtarum vitioſum eſſe (nam locum Joannis manibus, pedibuſque ad ſe trahunt) probemus nos inſulſam prorſus, ipſique met Theophylacto planè contrariam reddere ſententiam locum Matthæi, ſi ita, ut ipſi volunt, exponatur. Nam propterea dicunt Paraſcevem fuiſſe, in cujus veſpera immolabatur Paſcha, ut oſtendant Chriſtum Dominum uno die prevenisse, & in fermentato Euchariſtiam conſecraſſe. Igitur Paſcha Judæorum Chriſtus non ſuo tempore celebravit, neque potuit celebrare, cùm nondum eſſet veſpera pareſceves. At non ita docet Theophylactus, quippe cum Chryſoſtomo, & ex Chryſoſtomo in eodem capite Matthæi ſic ſcribit: εἰς τὸν Καϊάφαν ἀπάγουσι τὸν Ἰησοῦν. ἐκεῖνος γὰρ ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. ἔνθα καὶ οἱ λοιποὶ διενυκτέρευον, μὴ φαγόντες τότε τὸ πάσχα. ἀλλ᾽ ἀναμείναντες, ἵνα ἀποκτείνωσι τὸν κύριον, καὶ παραβάντες τὸν νόμον. ὁ μὲν γὰρ κύριος κατὰ τὸν νενομισμένον καιρὸν ἔφαγεν. ἐκεῖνοι δὲ ἵνα μόνον ἀποκτείνωσι τὸν κύριον, καταφρονοῦσι τοῦ νόμου. Ad Caïpham ducunt Ieſum. Nam ille erat Pontifex anni illius, ubi & reliqui pernoctabant. Neque comederant tunc Paſcha, ſed expectantes, ut occiderent Dominum, perfringebant legem. Nam Dominus ipſe quidem legitimo tempore comederat, ſed illi contemnunt legem, modò occidant Chriſtum. Itaque ſecundum Theophylactum comedit debito tempore Paſcha Chriſtus, & non comedit, ut ipſi exponunt, ſi veſperam paraſceves non expectavit, quæ ſunt contradictoria. Deinde contra, Principes ſacerdotum tranſgreſſi ſunt legem non comedentes Paſcha, quando Chriſtus comedit, ut hîc docet Theophylactus, & tamen non ſunt tranſgreſſi, quia nondum venerat veſpera paraſceves, qua manducaturi erant Paſcha, quæ item planè contradictoria ſunt. Concordent igitur iſta priùs Græci.

Ad hæc, Theophylactus docet Chriſtum ipſo die Paſchatis paſſum fuiſſe. At

poſitâ Græcorum ſententiâ, id probari minimè poteſt. Nam paraſceve, ſi veſperâ illius comedebantur azyma, non fuit Paſcha, & Chriſtus Dominus ante Paſcha paſſus fuiſſet, cùm nondum veniſſet veſpera paraſceves.

Porrò inſulſam, atque incomptam Evangeliſtæ reddit ſententiam expoſitio minùs germana corrupti Theophilacti. Nam feriam quintam etiam ſecundùm Græcos Evangeliſtæ nominant, πρώτην τῶν ἀζύμων, καὶ ἡμέραν τῶν ἀζύμων, primam azymorum, & diem azymorum. Reddant ergo rationem Græci, cur vocetur ab Evangeliſtis prima, & dies azymorum, ſi nihil commune habet cum azymis. Chryſoſtomus enim propterea dicit vocari primam, quia in ejus veſpera immolabatur agnus Paſchalis, & comedebantur azyma, Judæis feſtum à veſperis inchoantibus, quando & luna oriebatur. At ſi ſecundùm Græcos feriâ quintâ veſpere nihil tale fiebat, quare vocatur prima, & dies azymorum? Dicere enim quia antecedit paraſceven, in cujus veſpera comeduntur azyma, eſt dicere paraſceven eſſe primam diem azymorum, non feriam quintam, ac ita dicunt Græci, & faciunt mendaces Evangeliſtas. Non enim ſimpliciter, quia antecedit feria quinta, ſi nihil aliud fit in ea debet vocari prima dies, vel dies azymorum: alioquin multi alij dies antecedunt, qui minimè appellantur dies azymorum. Unde Marcus Evangeliſta, cùm dicit, τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, prima die azymorum, ſtatim addit, ὅτε ἔθυον τὸ πάσχα, quando immolabatur Paſcha: quod verum non eſt, ſi paraſceve veſpere immolabatur Paſcha, vel non feria quinta, ſed paraſceve erat prima dies azymorum. Et Lucas Evangeliſta de tempore aliorum dierum dicit, ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων ἡ λεγομένη πάσχα. Appropinquabat feſtum azymorum, quod dicitur Paſcha. De feria verò quinta dicit, ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. At ſi feriâ quintâ veſpere non immolabatur Paſcha, neque comedebantur azyma, quomodo ait, venit dies azymorum, & non potius, appropiquabat? quomodò illud verum eſt ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, in qua oportebat immolari Paſcha? Et propterea Evangeliſtæ cùm de feria quinta loquuntur, ibidem inferunt, ὀψίας δὲ γενομένης, ſero autem facto, illius videlicet diei quintæ feriæ, non alterius.

Ex his igitur manifeſtè patet loca Theophilacti in Matthæum, & Marcum Græcos obliteraſſe.

Quòd ſi fortè in aliquibus exemplaribus etiam Chryſoſtomum corruperunt, iiſdem fermè rationibus confutandi erunt.

Slavones Theophilactum in ſuam linguam verterunt, ſuntque illius loca integra, excepta expoſitione in Marcum, ut eſt videre in libris Ruſſorum in Monaſterio ſanctiſſimæ Trinitatis Vilnæ. Modò redeo ad principale argumentum.

Poſtremò itaque hoc idem, quòd videlicet Chriſtus Dominus celebraverit Paſcha præſcripto legis tempore, minimè fallaci conſequentia colligit, & probat auctor quidem recens, ſed eruditione præſtans Joannes Matthæus Caryophilus amicitiâ mihi conjunctiſſimus, ex Epiſtola Epiſcoporum Aſiæ ad Victorem Romanum Pontificem. Quam hiſtoriam hujus rei gratiâ dilucidandæ breviter referre ex libro quinto Euſebii c. 24. & ejuſdem Caryophili opere, quòd inſcripſit, τῶν κατὰ τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν ἀποδεικτικὴ σύνοψις, ubi agit de Græcorum ſchiſmate, non erit mihi grave. Cùm enim Eccleſiæ totius Aſiæ ſecundùm quandam ſuam traditionem celebrarent Paſcha decimâ quartâ lunâ in quemcumque diem incidiſſet; reliquæ verò Eccleſiæ die Dominico; Orta fuit quæſtio de tempore Paſchatis, & diverſa, mandante Victore Romano Pontifice, variis in locis habita ſunt provincialia Concilia. Quæ ſanè ſtatuerunt, id quod etiam poſtea Nicæna ſynodus ſanxit: Solo die Dominico poſt 14. lunam primi menſis Chriſtianorum Paſcha eſſe celebrandum. Epiſcopi verò Aſiæ, quorum princeps erat Polycrates Epheſiorum Antiſtes; congregato Concilio, aliarum decreta Eccleſiarum acceptare nolue-

runt. Immo ad Victorem inter alia ita ſcripſerunt: ἡμεῖς οὖν ἀῤῥᾳδιούργητον ἄγομεν τὴν ἡμέραν, μήτε προστιθέντες, μήτε ἀφαιρούμενοι. Nos itaque neque addentes, neque adimentes, minimè fallacem, atq; adulterinum agimus diem. Deinde in eadem epiſtola referunt, qui viri ſancti hoc modo celebraverint Paſcha: inter quos enumerant Joannem Evangeliſtam, & Philippum Apoſtolum. Tandem inferunt, οὗτοι πάντες ἐτήρησαν τὴν ἡμέραν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης τοῦ πάσχα κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, μηδὲν παρεκβαίνοντες, ἀλλὰ κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως ἀκολουθοῦντες. Hi omnes diem quartam decimam Paſchatis obſervarunt ſecundùm evangelium, nihil excedendo, ſed canoni fidei conſentiendo. Sic illi.

Ex quorum verbis, & obſervatione illius epiſtolæ rectè concludit Caryophilus non valde longè à principio operis, cùm ita ſcribit (honoris enim cauſâ illius verba refero: μανθάνομεν δὲ ἐξ ὧν λέγει ὁ Πολυκράτης ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ὅτι ἅμα τοῖς Ἰουδαίοις ἑόρταζον τὸ πάσχα οἱ τῆς Ἀσίας κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, ὡς λέγει ὁ Πολυκράτης. ὅθεν δῆλον, ὅτι οὐκ ἀληθεύουσιν οἱ λέγοντες τὸν Χριστὸν προφθάσαι, καὶ τελέσαι τὸ πάσχα μετὰ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, πρὸ τῆς κοινῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. Ex his, quæ ſcribit in epiſtola Polycrates, intelligimus, Aſiaticos unà cum Judæis celebraſſe Paſcha, idque ſecundùm Evangelium, ut ait Polycrates. Unde perſpicuum eſt, minùs vera loqui eos, qui Chriſtum anticipaſſe, atque ante communem feſtivitatem Paſchatis Judæorum cum ſuis diſcipulis Paſcha celebraſſe docent. Hactenus Caryophilus.

Quod ex eadem Epiſtola magis probari poteſt. Nam ibidem pergit Polycrates, atque refert, ſe celebraſſe Paſcha ſecundùm traditionem ſuorum cognatorum qui fuerunt ordine ſeptem Epiſcopi, ſe ipſum octavum numerat, & ſubjungit: καὶ πάντοτε τὴν ἡμέραν ἤγαγον οἱ συγγενεῖς μου, ὅταν ὁ λαὸς ἤρτυε τὴν ζύμην. Et ſemper eum diem celebraverunt affines mei, quando populus ἤρτυε, hoc eſt παρεσκεύαζε parabat maſſam. Ubi per ζύμην hoc in loco Polycrates intelligit maſſam ex aqua, & farina confectam, minus tamen fermentatam, hoc eſt intelligit ipſa azyma, quippe fermentum Græci etiamnum non ζύμην, ſed προζύμιον uſitato vocabulo appellant. Et Latinus interpres, meo judicio, hunc locum non rectè admodum vertiſſe videtur, niſi velis dicere convenire in ſententia: idem enim eſt parare azyma, & fermentum auferre. Credo tamen certò, quòd per ζύμην ipſe intellexerit fermentum ut communiter accipi ſolet. Et quoniam fermentum feſtivitati Paſchatis minùs conveniebat, ipſe verbum ἀρτύω in aliam ſignificationem longè diverſam, quàm ſignificet, accepit. Sed hæc obiter.

Neque poteſt aliquis dicere, Aſiaticos in hoc erraſſe, atque deceptos fuiſſe. Nam præterquam quòd exemplo Joannis, ac Philippi Apoſtolorum, & quorumdam aliorum Sanctorum iſtud confirmant, qui ſanè in gratiam nonnullorum fidelium adhuc in primordiis Eccleſiæ Judaizantium ita peregiſſe Paſcha exiſtimandi ſunt, cæteræ etiam Eccleſiæ, ac in primis Nicænum Concilium, ſi minus vera dixiſſent, hujus erroris eos redarguiſſent. Facile enim erat reſpondere: Neque Chriſtum ſecundùm Evangelium celebraſſe Paſcha 14. luna, ſed antevertiſſe, neque nominatos Apoſtolos Judæos in hoc imitatos fuiſſe. At illi ſupponunt illos duos Apoſtolos cum non paucis ſanctis ex aliqua cauſa ita feciſſe, & credunt ſecundùm Evangelium Chriſtum Dominum eo tempore celebraſſe. Reprehendunt verò non ex iſto capite Aſiaticos, ſed quod cùm Chriſtus Dominus Paſcha Judæorum abrogaſſet, & aliud novum longè præſtantius inſtituiſſet, ipſi nihilominus tot elapſis annis mallent in hoc celebrando unà cum Judæis præſcriptum antiquæ legis obſervare, quàm cum reliqua Eccleſia diem reſurrectionis honorare. Similem rationem retulimus ex Chryſoſtomo contra nonnullos Chriſtianos eo tempore Judaizantes.

Ex his itaque Patrum auctoritatibus ſequitur, ſi ea facta ſunt 14. luna, hoc eſt, ſi Chriſtus Dominus captus eſt, traditus eſt, & comedit Paſcha illo die, ſeu potiùs veſperâ; ſequitur, inquam, eum ſequenti luna 15. videlicet celebratiſſimo die Ju-

dæorum, quando etiam moris erat unum dimittere in Pascha, passum fuisse. (Neque enim dies 14. Lunæ erat solemnis, & festus, cùm sub vesperam illius immolaretur Pascha, & toto die liceret opera servilia exercere.) Id quod etiam innuit Joannes Evangelista cap. 13. cùm dicit, Ante diem festum, sciens Jesus quia venit hora, &c.

Unde edocti quoque sancti Patres, hoc idem literis consignatum posteritati mandarunt. Clemens Romanus lib. 5. Const. cap. 14. aliàs 16. Origenes hom. 23. in Num. Theophilus Alexandrinus in Epistola ad Theodosium. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. Chrysostomus homil. 86. in Matth. Socrates libro 5. hist. cap. 21. Victor Antiochenus in cap. 14. Marci. Theophylactus in cap. 26. Matth. ut interim Latinos Patres taceam, qui omnes unanimi consensu docent, ipso die festo Judæorum Christum Dominum occisum fuisse. Quare non prævaluit sententia illorum, qui dicebant, Christum non esse necandum in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

Immo Cyrillus Hierosolymitanus accommodat huic rei propheticum illud Amos: καὶ μεταστρέψω τὰς ἑορτὰς ὑμῶν εἰς πένθος. & convertam solemnitates vestras in luctum. ἐν ἀζύμοις γὰρ ἦν τὸ πραχθέν, καὶ τῇ τοῦ πάσχα ἑορτῇ. εἶθ' ἑξῆς φησι, καὶ θήσομαι αὐτὸν ὡς πένθος ἀγαπητοῦ, καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ ὡς ἡμέραν ὀδύνης. ἀζύμων γὰρ ἐν ἡμέρᾳ καὶ ἑορτῇ, αἱ μὲν γυναῖκες αὐτῶν ἐκόπτοντο, καὶ ἔκλαιον· ὠδυνῶντο δὲ ἀποκρυβέντες οἱ ἀπόστολοι. In azymis enim hoc agebatur, atque in ipso festo Paschatis. Deinde dicit: Et ponam ipsum sicut luctum dilecti, & eos qui cum ipso, sicut diem doloris. In die enim azymorum, ac celebritate mulieres eorum diverberabant se, & flebant, Apostoli verò occultati dolebant. Sic Cyrillus loco citato.

Ex hoc item profluit, & connectitur alterum, non secus atque annuli aurei alicujus catenæ inter se colligantur. Nam quia dies festus erat, propterea Judæi dixerunt, sibi non licere interficere Christum, & eum ad Pilatum duxerunt. Sic Chrysostomus homil. 83. in Joannem: ἐν εἰ δὲ λέγουσιν, ἔξεστιν ἡμῖν οὐδένα, κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνόν φησιν, ἐπεὶ ὅτι γε ἀνῄρουν, καὶ ἄλλῳ τρόπῳ ἀνῄρουν, δείκνυσιν ὁ Στέφανος λιθαζόμενος. Quod si dicunt non licere interimere, eo tempore intelligendum est. Nam quòd interemerunt, & alia morte, argumento est Stephanus lapidatus. Idem docet Cyrillus lib. 12. in Joannem.

Solvitur argumentum ex Chrysostomo quod decepit Græcos, & refellitur Matthæus Blastarius Canonista.

Caput VI.

Sed fortassis illud decepit Hieremiam Patriarcham, quod in hom. citata de proditione Judæ aureus Doctor reliquit scriptum, dum invehitur contra Judæos: ταῦτα πρὸς Ἰουδαίους λέγω, ἐπειδὴ δοκοῦσι πάσχα ποιεῖν, ἐπειδὴ γνώμῃ ἀναισχύντῳ τὰ ἄζυμα προβάλλουσιν, οἱ ἀεὶ ἀπερίτμητοι ταῖς καρδίαις. Hæc, inquit, ad Judæos dico, qui se Pascha celebrare arbitrantur, qui impudenti animo proponunt azyma, tanquam qui corda habeant incircumcisa. Et pauló pòst: ὁρᾷς πῶς ἀκάθαρτα ἄζυμα; Vides quòd immunda sunt eorum azyma?

Cæterùm solutio ibidem ex eodem Chrysostomo petenda est. Propterea enim damnat sanctissimus, & eloquentissimus Doctor Pascha Judaïcum unà cum ejus azymis, quòd illud figura fuerit, & adveniente veritate penitus cessaverit: neque ampliùs more Judæorum sit iterandum: ἦν τὸ Ἰουδαϊκὸν πάσχα, ἀλλὰ τοῦ ἡλίου ἐλθόντος μηκέτι λύχνος φαινέτω. τῆς ἀληθείας παραγενομένης, ἀργείτω λοιπὸν ἡ σκιά. Judaïcum, inquit, Pascha erat, sed veniente sole non ampliùs lucerna præbeat lumen: adveniente veritate, cesset in posterum umbra.

Est autem antiquatum Pascha Judæorum, non ex eo quòd fermentatum successerit azymo. Neque hoc unquam somniavit, nedum fassus est Chrysostomus. Cùm neque azyma gesserint umbram fermentati, & in veteri lege oblata fuerint sacrificia non solùm cum azymo, sed e-

tiam cum fermentato, ut patet Levitici 7. Panes quoque offerunt fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis. Ex quibus unus pro primitiis offertur Domino. Et 23. Offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis, similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Non itaque ex hoc capite abrogatum est Pascha Judæorum, sed ex eo quòd Christus Dominus accepto pane quamvis non fermentato, dixerit, Hoc est corpus meum, & novum Pascha celebrandum instituerit, veteri abrogato. Quocirca & convenientem, ac certum locum Hierosolymorum abstulit Deus Judæis, ne illud ampliùs sacrificarent. Et Judæos vehementer errare ostendit Chrysostomus, dum extra locum adversus legem illud immolare audent. Unde & incircumcisos corde vocat, quasi legi contrarios: πῶς εἰπέ μοι πάσχα ἐπιτελεῖς ὦ Ἰουδαῖε; ὁ ναὸς κατέσκαπται, ὁ βωμὸς ἀνῄρηται, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων πεπάτηται, πάσης θυσίας εἶδος λέλυται. τίνος οὖν ἕνεκεν τολμᾷς παράνομα τοιαῦτα πράγματα; Responde mihi, inquit, ô Judæe, qua fronte celebras Pascha? templum eversum est, ara confracta, conculcata sunt sancta sanctorum, omne sublatum est sacrificium, & tu nimia temeritate committis illicita? Et post pauca: τί λέγεις; τὴν ᾠδὴν κυρίου οὐκ ᾄδεις ἐπὶ γῆς ἀλλοτρείας, καὶ τὸ πάσχα κυρίου ἐπιτελεῖς ἐπὶ γῆς ἀλλοτρείας; εἶδες τὴν ἀγνωμοσύνην; εἶδες τὴν παρανομίαν; ὅτε πολέμιοι ἦσαν οἱ καταναγκάζοντες, οὐδὲ ψαλμὸν ἐτόλμων εἰπεῖν ἐπὶ γῆς ἀλλοτρείας. νῦν δὲ ἀφ' ἑαυτῶν οὐδενὸς ἀναγκάζοντος, οὐδὲ βιαζομένου, πόλεμον εἰσάγουσι πρὸς τὸν θεόν. Quid ais? Canticum Domini non cantas in terra aliena, & Pascha Domini celebras in terra aliena? vidisti animi perfidiam? vidisti prævaricationem? Quando hostes erant, qui eos cogebant, ne psalmum quidem dicere ausi sunt in terra aliena: nunc suo arbitrio, propria voluntate, nullo cogente contra Deum præparant bellum. Deinde ex prædictis continenter infert Chrysostomus: ὁρᾷς πῶς ἀκάθαρτα ἄζυμα; πῶς παράνομος ἑορτή; πῶς πάσχα Ἰουδαϊκὸν οὐκ ἔστιν; ἦν πάσχα Ἰουδαϊκόν ποτε, ἀλλ' ἐλύθη νῦν, καὶ ἐπῆλθε τὸ πάσχα τὸ πνευματικὸν, ὅπερ ἐδίδου τότε. ἐσθιόντων γὰρ αὐτῶν, καὶ πινόντων φησὶ, λαβὼν ἄρτον ἔκλασε, καὶ εἶπε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ πολλῶν κλώμενον. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. Vides quòd immunda sunt eorum azyma? Quòd illicita festivitas? Quòd non Pascha Judaïcum? & fuit quidem aliquando Pascha Judaïcum, sed exemptum & evacuatum est Paschæ spiritualis adventu, quod Christus tradidit. (At quanam ratione evacuatum sit, explicat.) Nam cùm manducarent, inquit, & biberent, accepit panem, fregit, & dixit, hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur: norunt initiati, quæ dicuntur. Sic ille.

At panem azymum accepisse Christum, & consecrasse, suprà ex eodem Chrysostomo evidentissimis rationibus probavimus. Et ex hoc loco probari potest. Nam cùm manducarent, inquit, & biberent, accepit panem. At qualem panem manducabant, si Pascha legale celebrabant? & quanam ratione Chrysostomus propter azyma Judæos reprehendere poterat, cùm lex vetus azyma Judæis præscriberet?

Illud præterea aliquam ansam λογομαχίας, & σκιαμαχίας contendere volentibus præbere videtur, quod est apud Chrysostomum in oratione citata, εἰς τοὺς τὰ πρῶτα πάσχα νηστεύοντας. Cùm enim dixisset, Propterea Christus cum ipsis Pascha celebravit, non ut nos cum illis celebremus, sed ut umbræ induceret veritatem, subjungit: καὶ γὰρ καὶ περιτομὴν ὑπέμεινε, καὶ σάββατα ἐτήρησε, καὶ ἑορτὰς ἐπετέλεσε, καὶ ἄζυμα ἔφαγε, καὶ ἐν Ἱεροσολύμοις ταῦτα ἔπραξεν ἅπαντα, ἀλλ' οὐδενὶ τούτων ἡμεῖς ὑποκείμεθα. ἀλλὰ βοᾷ Παῦλος λέγων, ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει. καὶ περὶ τῶν ἀζύμων πάλιν, ὥστε ἑορτάζωμεν, μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, μηδ' ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. ἡμῶν γὰρ τὰ ἄζυμα, οὐκ ἄλευρον πεφυραμένον, ἀλλ' εἰλικρινὴς πολιτεία, καὶ βίος ἐνάρετος. Nam & circumcisionem sustinuit, & sabbata observavit, & festivitates celebravit, & azyma (Nota) comedit, & Hie-

rosolymis cuncta hæc peregit; sed nulli horum nos subjecti sumus. Quippe clamat Paulus: Si circumcidamini, nihil vobis Christus proderit. Et de azymis rursus ait: Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Nostra enim azyma non sunt farina humore macerata, & temperata, sed sincerum institutum, vitaque honesta.

Cùm igitur Chrysostomus dicat nulli horum nos subjacere, non debemus celebrare in azymis.

Respondeo, rectè dicere Chrysostomum, nos nulli horum subjectos esse, quia neque azyma in sacrificio adhibemus tanquam lege quadam Christi Domini adstricti, cùm sacrificium optimè fiat etiam in pane fermentato.

Contrà, Nam eodem modo loquitur Chrysostomus de azymis, ac de circuncisione, & de observatione sabbati, aliisque festivitatibus. Et tamen si quis modò circumcideretur, vel alias festivitates Judæorum observaret, peccaret gravissimè: ergo eodem modo si azyma offerat.

Respondeo, inter ea, quæ refert Chrysostomus, esse nonnulla ἀδιάφορα, qualia sunt azyma, & etiam locus Hierosolymorum. Nam etiam Hierosolymis possumus sacrificare, non ita tamen ac si alibi non possemus, ut Judæi non poterant. Ita etiam uti azymis, non tamen de necessitate simpliciter, quasi etiam in fermento confici nequeat. Quamvis modò non sit liberum cuique hoc, vel illud facere, sed institutum proprium, & antiquum unicuique servandum est.

Deinde absolutè dico, uti azymis more Hebræorum, omnino prohibitum esse, non secus atque prohibita est circumcisio, & observatio reliquarum celebritatum: & ita nulli horum subjicimur, ut si aliquid horũ observaremus, gravissimè peccaremus. At uti azymis more Latinorum nullum prorsus esse peccatum, immo fieri ad imitationem Christi, Quod ex eodem Chrysostomo facilè probari potest. Nam Chrysostomo nonnulli obiiciebant, Pascha cum azymis fieri debere; Hæc sunt ejus verba in eadem oratione: καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἀκούω λεγόντων πολλῶν, ὅτι μετὰ τῶν ἀζύμων τὸ πάσχα ἐστί. Nam hoc etiam audio multos dicentes, Pascha cum azymis esse. Non negat autem Chrysostomus ita solitum fuisse fieri, sed negat Judæos ex defectu loci habere azyma, quamvis revera haberent. Non enim celebrabant Pascha Judæi Hierosolymis: ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι παρ' αὐτοῖς ἄζυμα, ἄκουσον τοῦ νομοθέτου λέγοντος, οὐ δυνήσῃ ποιῆσαι τὸ πάσχα ἐν οὐδεμιᾷ τῶν πόλεών σου, ὧν κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι, ἀλλ' ἢ εἰς τὸν τόπον, ὃν ἐὰν ἐπικληθῇ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, περὶ τῆς Ἱερουσαλὴμ λέγων. Quòd autem apud eos (Judæos) non sint azyma, audi legislatorem dicentem: Non poteris celebrare Pascha in qualibet Urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dat tibi, sed in loco, ubi invocatum fuerit nomen ejus. Hierusalem intelligens.

Si igitur Chrysostomus negat Judæos celebrare Pascha cum azymis, quia non debito loco celebrant, quantò magis negaret Doctor Latinorum azyma esse azyma, quæ non una aut altera, sed omnibus prorsus Judaicis carent circumstantiis? Alioquin si absolutè & universè ea damnaret, damnaret etiam factum Christi, qui, eodem Chrysostomo teste, peracto legali Paschate, novum Pascha in eadem mensa per azyma instituerat.

Quia tamen non ita instituerat, quasi de necessitate requirerentur azyma, propterea Chrysostomus per azyma interpretatur sanctimoniam vitæ, morumque probitatem. Quæ nimirum azyma necessariò exiguntur ab his, qui verum Pascha celebrant, sive illud materialiter cum fermentato pane, sive cum azymis celebrent.

Et quoniam Christiani illi Judaizantes factum Christi opponebant, τίνος οὖν ἕνεκεν ἐποίησεν ὁ Χριστὸς τότε; Cur igitur Christus eo tempore fecit? Quod est dicere, Cur Christus & tempus cum Judæis observavit, & adhibuit azyma?

Ad hoc respondet Chrysostomus: ἐπειδὴ τὸ παλαιὸν πάσχα τύπος ἦν τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, ἔδει δὲ τὴν ἀλήθειαν ἐπιτεθῆναι τῷ τύπῳ, πρότερον δείξας τὴν σκιάν, τότε ἐπήγαγε τὴν ἀλήθειαν ἐπὶ τῆς αὐτῆς τραπέζης.

ζης. τῆς ἀληθείας δὲ ἐπενεχθείσης, ἡ σκιὰ λοιπὸν ἀποκρύπτεται, καὶ οὐδὲ καιρὸν ἔχει. Quoniam vetus Paſcha figura erat alterius Paſchatis futuri, oportebat autem veritatem figuræ ſuccedere, oſtenſa priùs umbra, tunc in eadem menſa veritatem induxit: inducta autem veritate, umbra deinceps ſubducitur, & extra ſuum tempus eſt, (hoc eſt, ceſſavit umbræ tempus.) Sic Chryſoſtomus.

Quare azyma per ſe nullo modo ſunt improbanda, ut neque fermentata, niſi adſint circunſtantiæ Judaicæ, & ritus antiquæ legis. Tunc enim utraque improbarentur. Qua ratione damnat ea Canon Apoſtolicus 70. εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν νηστεύοι μετὰ Ἰουδαίων, ἢ ἑορτάζοι μετ᾽ αὐτῶν, ἢ δέχοιτο παρ᾽ αὐτῶν τὰ τῆς ἑορτῆς ξένια, οἷον ἄζυμα, ἤ τι τοιοῦτον καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω. Si quis, inquit, Epiſcopus, vel preſbyter, vel Diaconus, vel omnino ex clericorum catalogo jejunat cum Judæis, vel cum ipſis feſtos dies agit, vel ab ipſis xenia accipit ut azyma, vel quidpiam ſimile, deponatur. Si verò ſit laicus, ſegregetur.

Quamquam, ut verum fatear, eum eſſe Canonem Apoſtolorum non exiſtimo. Quomodo enim in Aſia Joannes & Philippus Apoſtoli, aliique non pauci antiſtites cum Judæis Paſcha celebraſſent? ut refert Polycrates. Quomodo plures alij Chriſtiani cum Judæis jejunaſſent, teſte Chryſoſtomo, ſi id Apoſtoli ſancito canone prohibuerant? & cur ipſe Chryſoſtomus agens contra illos judaizantes, & Patres Nicænos pro ſe citans, præſentem canonem citare prætermiſit? Immo & ipſi Patres Concilij Nicæni, cur Apoſtolorum decreta ad perſuadendum cæteris in medium afferre neglexerunt?

Quia tamen mihi propoſitum non eſt in præſentia diſputare, quinam ſint legitimi Canones Apoſtolorum, qui minùs veri, & quia ille Canon Latinis minimè officit, propterea eum citare, ut legitimum non omiſi.

Quem ſanè Canonem ſervant hodie, ſemperque ſervarunt æquè Latini, atque Græci; neutri enim accipiunt à Judæis azyma, neque jejunant, neque dies feſtos agunt cum Judæis. Et quamvis Canon adeo clarus ſit, ut nulla prorſus indigeat expoſitione; placuit tamen quibuſdam Neogræcis, novis nimirum Theologis, atque inter cæteros Matthæo Blaſtario parum allatrare Latinos. Qui in ſuo Nomocanone poſt recenſitum præſentem Canonem, egregius Canonum interpres ita philoſophatur: Ἐκ τούτου πάρεστι γνῶναι, μὴ κατὰ μικρὸν παρανομοῦντας τοὺς δι᾽ ἀζύμων τὴν μυστικὴν ἐπιτελοῦντας θυσίαν. εἰ γὰρ τοῖς ἁπλῶς ἐσθίουσιν ἄζυμα ἐξ Ἰουδαϊκῆς ἑορτῆς, καθαίρεσιν ἐπάγει καὶ ἀφορισμόν, τὸ μεταλαμβάνειν τούτων ὡς κυριακοῦ σώματος, δι᾽ αὐτῶν τε τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν, τίνα ἔχει παραίτησιν εὐπρεπῆ; οὐ γὰρ τὸ ἁπλῶς ἐσθίειν ἄζυμα κεκώλυκεν, ἀλλὰ τὸ δι᾽ ἀζύμων κατὰ Ἰουδαίοις ἑορτάζειν. τίς δὲ μείζων τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἑορτή; ἣν ὁ κύριος ἡμῖν τὸν σωτήριον μέλλων ὑπέρχεσθαι θάνατον, πρὸ τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς παρέδωκεν. Ὅτι γε μὴν οὐδ᾽ εἰς νοῦν τοῖς θείοις ἐπῆλθε πατράσι, τὸ δι᾽ ἀζύμων ἑορτάζειν ἡμᾶς, δῆλον, ἐκ τοῦ πᾶσαν σπουδάσαι τούτοις Ἰουδαϊκὴν περιελεῖν ἑορτὴν, καὶ τἀναντία τοῖς αὐτῶν ἔτεσιν ἐπιτάξαι καὶ νόμοις. ὥσπερ δὴ τὴν ἐν τοῖς σάββασι νηστείαν καὶ ἀργίαν λελύκασι. προσέτι καὶ ἣν εἰς ἀνάμνησιν τῶν Νινευιτῶν τελοῦσι, νηστείαν, καὶ τἄλλα, ἃ κατὰ μέρος δεξιέναι, οὐ τοῦ παρόντος καιροῦ. Ex hoc autem licet agnoſcere non parum violare legem eos, qui myſticum ſacrificium in azymis conficiunt. Si enim ſimpliciter comedentibus azyma ex feſto judaico depoſitionem infert, & excommunicationem, Canon videlicet Apoſtolicus; horum participem fieri velut corporis Dominici, & per ea Paſcha celebrare, quàm honeſtam habet excuſationem? Non enim (inquit iſte mathematicus demonſtrator) ſimpliciter azyma comedere prohibet, ſed per azyma more Judæorum dies feſtos agere. Quæ verò celebritas major incruento ſacrificio eſſe poteſt? quod ſacrificium Dominus ſalutarem mortem ſubiturus, ante Paſchatis feſtivitatem nobis tradidit. Quòd autem divinis patribus neque in mentem venerit debere nos per azyma celebrare, ex hoc manifeſtum eſt, quòd omne feſtum Judæorum auferre conati ſunt, & contraria eorum

» ritibus, & legibus statuerunt. Quemadmodum etiam in sabbatis jejunium, & otium abstulerunt. Præterea, quod in Ninivitarum memoriam servant, jejunium dissoluerunt. Et reliqua, quæ singillatim percensere, non est præsentis temporis. Sic Matthæus Blastarius blaterat.

Sed revera mirum est, si Latini judaizare dicendi sunt, quia panem azymum in sacrificio abhibent, quem etiam Christum Dominum abhibuisse in ultima cœna certum est.

Non igitur Græci jejunent, non festivitates celebrent, quia Judæi jejunant, & celebrant. Nec dissimili ratione Græci judaizant, quòd aqua in baptismate infantes abluant, qua utebantur Judæi in suis purificationibus; quòd more Judæorum velum templi habeant, immo quòd fermentatum panem apponant, & consecrent, quo Judæos usos esse in quibusdam sacrificiis jubente Deo, Scriptura testatur, præsertim cùm non tantùm Pascha, verùm etiam omnia sacrificia antiquæ legis nostrum præfigurarent. Et si Paschatis azyma debent cessare, quòd figura fuerint, ex sententia quorundam Græcorum, similiter abroganda erunt fermentata reliquorum sacrificiorum. Immo cùm Dæmon utatur aqua, pane, & oleo, idque ad imitationem Christi, ut refert Tertullianus lib. de præscrip. Diabolus, inquit, ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos, expiationem de lavacro repromittens: signat illic in frontibus milites suos, celebrat panis & vini oblationem. Et lib. I. contra Marcionem, Sed ille, inquit, usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis, & lactis societatem quo suos infantat, nec panem, in quo ipse suum corpus repræsentat. Si ea non abrogaverint Græci, dicant se ipsos non tantùm judaïzare, sed etiam dæmonizare.

Graviter hac de re Leo Nonus in Epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum, & Leonem Archedenum Episcopos. Ecce, inquit, jam post mille ac ferme 20. à passione Salvatoris nostri annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda: quasi nil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seu qua clarificavit Deum, mors preciosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus filius Dei vivi dicit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.

Possumus autem præsenti quæstioni accommodare vaticinium Malachiæ capite primo: Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quod sane in lege gratiæ adimpletum esse, nemo negaverit. At si azyma non possunt esse materia hujus sacrificij, falsum est in omni loco offerri oblationem mundam, cùm in majori parte orbis in azymis Latini sacrificium offerrent, & idem argumentum valeret pro Græcis, si quis diceret eorum fermentata minùs esse apta ad sacrificium; tunc enim vaticinium minimè verum redderetur.

Quare præter Catholicos Græcos, alij nobiliores Græcorum, quamvis schismatici, non idem sentiunt de azymis, neque in aliis dissentiunt à Latinis, processione Spiritus sancti excepta. Extat in libro quinto Juris Orientalis, fragmentum orationis Theophylacti ad Nicolaum Diaconum, & Constrisium Episcopum Melesobæ, teste Demetrio Chomateno Archiepiscopo Bulgarorum, ubi Theophylactus graviter insectatur eos, qui impudenter nullo habito discrimine inter ritus, & dogmata, Latinorum consuetudines reprehendunt. Quocirca enumeratis Occidentalium quibusdam apparentibus defectibus, qui revera non sunt defectus, puta quos Matthæus Blastarius Canonista vitio & errori vertit Latinis, quòd more Judæorum jejunant sabbata, quòd in suis Ecclesiis careant velo sanctuarij, quòd eorum Monachi comedant carnes, non

tam ut ostendant se non abhorrere à creaturis Dei, quàm ob gulæ vitium; quòd servare cælibatum Clericos cogant, quòd sacrificent in azymis, & id genus, sententiam suam his verbis aperit: ἐγὼ δὲ καὶ τούτων τὰ μὲν οὐδεμιᾶς ἐπιστροφῆς δεῖσθαι νομίζω, τὰ δὲ μετρίας, καὶ οἵας, εἰ μὲν ἀνύσειέ τις, μικρὰ τῇ ἐκκλησίᾳ χαρίζεσθαι. εἰ δ' οὖν, ἀλλὰ μηδὲ ζημίαν γε πιθέναι τὸ ἀνεξάνυστον. Ego autem horum alia quidem nulla animadversione indigere arbitror, alia verò mediocri, & quæ sit ejusmodi, ut si quispiam ea perfecerit, parum gratificaturus sit Ecclesiæ, sin minùs perfecerit, neq; damnum allaturus.

Potissimùm verò agens in eadem oratione de azymis, immoderatum atque perversum affectum eorum damnat qui invehuntur in azyma: ἐπεὶ δὲ καὶ περὶ τῆς προσφορᾶς τῶν ἀζύμων πολὺς ὁ ζῆλος τοῖς πολλοῖς, καὶ πυρὸς θερμότερος, ὃ δὴ λέγεται, καὶ πρότερον ἂν τὰς ψυχὰς προοῖντο, ἢ τὴν περὶ τούτων δόξαν αὐτῶν παραλύσαιεν. οἱ δέ τινες καὶ οἰκείῳ πάθει καταχαρίζονται, καὶ παγὶς τοῦ διαβόλου τῷ Παύλῳ δοκεῖ. ἃ μὲν δεῖ πρὸς τούτοις εἰπεῖν, ἐν ὑστέρῳ λέξομεν, τῶν μὲν τὸ ἄμετρον τοῦ ζήλου κολάζοντες, τοῖς δὲ ταπεινὸν δεικνῦντες τὸ ἀταπείνωτον. Quoniam, inquit, & de azymorum oblatione multis ingens est zelus, & quod aiunt, igne ardentior, ac priùs vitam amiserint, quàm opinionem de his suam destituerint. Quidam autem & proprio blandiuntur affectui, & laqueus Diaboli Paulo videtur; quæ in hos dicenda sunt, posterius proferemus; aliorum quidem immoderatum zelum punientes, aliis autem abjecti esse animi ostendentes, nolle humiliari, atque cedere.

Deinde post multa infert: οὐ τοίνυν οὔτε περὶ τῶν ἀζύμων, οὔτε περὶ τῶν νηστειῶν ἀντισκληρυνθησόμεθα τῷ ἀκαμπεῖ τοῦ ἔθνους φρονήματι. τοῦτο γάρ ἐστιν ὀστράκῳ συγκολλᾷν ὄστρακον, μηδὲν ἤθους ὑγροτέρου παρεντεθέντος, ὅπερ ἐγένετ' ἂν ἴσως ἐχέκολλον. οὐδὲ πολλοῦ δεῖ περὶ τῶν ἀπηριθμημένων λοιπῶν. ἃ παρ' ὁμολογοῦντες καὶ αὐτοὶ τηρεῖν, δοκοῦσι πολλοῖς ἀσύγγνωστα σφάλλεσθαι, ὧν μὴ συντίθεσθαι τοῖς λόγοις, ἀνδρός ἐστιν, ὡς οἶμαι, ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς ἱστορίαις ἐγγυμνασθέντος, καὶ μαθόντος, ὡς οὐ πᾶν ἔθος ἀποσχίζειν ἐκκλησίας ἰσχύειν, ἀλλὰ τὸ πρὸς διαφορὰν ἄγον δόγματος. ἔθη δὲ πάντως· καὶ ταῦτα, τὰ παρὰ τοῖς θαυμαστοῖς κριταῖς σφάλματα. τὰ μὲν ἐξ εὐλαβείας, ὡς τὸ προσάγειν τοὺς ἀσπασμοὺς τοῖς θείοις ἐδάφεσι. μὴ γὰρ δὴ παραδεξαίμεθα τὴν σατανικὴν ἐκείνην συκοφαντίαν, ὡς ἄρα Λατίνοις οὐ παραδεκτέα ἡ τῶν εἰκόνων προσκύνησις. τὰ δὲ ἐξ οἰκονομίας οἰκονομούσης ἀσθένειαν, τάχα μὲν καὶ ψυχῆς, πάντως δὲ τὴν σωματικήν· ὡς τὸ τοὺς μοναχοὺς ἐν ταῖς νόσοις μεταλαμβάνειν κρεῶν. καὶ τοῦτο κεκολασμένως, καὶ τῷ ὄντι πνευματικῶς. εἰ δέ τινες αὐτὸ χυδαιοῦσι ταῖς ἀδιαφορίαις, ἕτερος οὗτος λόγος πρὸς τούτοις, οὐ πρὸς τοὺς πρώτως τοῦτο κατὰ λόγον οἰκονομήσαντας. καὶ ἄλλα κατ' ἄλλοις τισὶ λέγοις ἐμπαγέντα ταῖς δυτικαῖς ἐκκλησίαις. ὧν οὐδὲν διασπᾷν ἡμᾶς δύναται. οὐκ, ἐπεί γε τοὺς κρίνοντας ἔχει τὴν ψῆφον ἐκφέροντας πατρικοῖς νόμοις ἀκόλουθον. καὶ εἴ γε μὴ μακρός μοι ὁ λόγος ἔμελλεν ἔσεσθαι, καὶ ἱστορίας ἐγγὺς, ἔδειξα ἂν σοι μυρία ἐπὶ μυρίοις ἔθη τοῖς παλαιοῖς πατράσι παρακεχωρηθέντα, πρὸς τὴν τῶν ἀδελφικῶν ψυχῶν περιποίησιν. ᾔδεσαν γὰρ ἐκεῖνοι μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν, ἀλλ' ἕκαστος τῷ πλησίον εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν. ἀλλὰ νῦν (φεῦ τοῦ ὑδαρικοῦ ἡμῶν ὄγκου) καὶ τίς ἐστι μου πλησίον; λέγομεν, καὶ μυρίοις καταβάλλομεν ἰσαμένοις, ἵνα τὸ οἰκεῖον συστήσωμεν θέλημα. Igitur neque propter azyma, neq; propter jejunia obdurescemus contra rigidam gentis pertinaciam; hoc enim est testam testæ conglutinare, nihil ingenij flexibilioris interponendo, quòd forsitan cōglutinaretur, & cohæreret: & multum abest, ut obdurescere debeamus propter reliqua enumerata, quæ se observare confidentes, videntur multis, quæ veniam non merentur peccare. Quorum verbis non assentiri, viri est, ut opinor, in Ecclesiasticis historiis exercitati, & qui didicerit non omnem morem, & ritum Ecclesias divellere posse, sed qui ad contrariam doctrinam dogmatum nos deducit. Ritus autem omnino sunt, quæ apud istos præclaros Judices errata, alij quidem ex religione introducti, ut exhibere oscula sacris pavimentis. (Non enim sanè admittamus satanicam illam calumniam, nempe Latinos imaginum venerationem non recipere) alij autem ritus ex dispensatione, quæ cum infirmitate dispensat, forsitan quidem & animæ, omnino autem corporali. Ut Monachos in ægrotationibus

» sumere carnes, idque sobriè & revera
» spiritualiter. Quòd si qui licentiùs agen-
» do, nimis hoc velut indifferens pervulga-
» tum faciunt; alius hic in istos sermo, non
» in eos, qui primùm illud ratione dispen-
» sarunt. Et alia, quæ quibusdam aliis ra-
» tionibus Ecclesiis occidentalibus sunt in-
» fixa. Quorum nihil distrahere nos potest:
» minimè verò, siquidem judices habeat
» sententiam ferentes, paternis legibus con-
» sentaneam. Et nisi longa mihi futura es-
» set oratio, & ad historiam accedens, in-
» numerabiles ritus, & consuetudines in
» fraternarum animarum acquisitionem ab
» antiquis patribus permissos tibi ostende-
» rem. Noverant enim illi non sibimet ipsis
» placere, sed unusquisque proximo in bo-
» num, & ædificationem. Verùm nunc (heu
» fastum hydropicum) & quis est proximus
» meus? dicimus, & infinitos etiam stantes
» prosternimus, modò in nostra perstemus
» sententia. Sic Theophylactus.

Ipse quoque Demetrius Chomatenus Theophylacti sequutus sententiam, non dissimilia tradit, his verbis: ὅθεν οὔτε τὰ ἱερουργούμενα παρὰ τῶν Λατίνων ἄζυμα, οὔτε τὰ ὑποδεχόμενα ταῦτα καὶ ὑπηρετοῦντα τῇ τούτων ἱερουργίᾳ σκεύη, καὶ ἀκολούθως οὔτε τὰς ἱερὰς αὐτῶν στολὰς, οὔτέ τι τοιοῦτον, κοινὰ λογισόμεθα. πῶς γάρ; τῆς τοῦ δεσποτικοῦ ὀνόματος ἐπικλήσεως ἐπισφραγιζούσης ταῦτα, καὶ τῆς τοῦ θείου Ιακώβου τοῦ ἀδελφοθέου (meliùs & veriùs dixisset, τοῦ πρωτοκορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου) ἱερῶν ἐπασμάτων τὴν ἁγιστείαν ὡς μεμαθήκαμεν, ἱερολογούντων
» αὐτοῖς; Unde neque consecrata à Latinis a-
» zyma, neque hæc suscipientia, & sacrificio
» servientia eorum vasa, & consequenter ne-
» que sacras eorum stolas, neque hujusmo-
» di quidpiam, immundum, pollutumque
» existimabimus. Quo enim pacto? Cùm
» Dominici nominis invocatio eis signum
» imprimat, divinique Jacobi (quare po-
» tiùs non Petri? fratris Domini, sacra can-
» tica sacrificium, ut didicimus eis conse-
» crent?

Deinde sibi objicit Chomatenus: εἰ δέ τις ἐρεῖ, ὡς εἴπερ κοινὰ τὰ τῶν Λατίνων ἄζυμα οὐκ εἰσὶν, οὐ προσκριματισθησόμεθα καὶ ἡμεῖς τούτων μεταλαμβάνοντες. ἀλλ' ἀκούσεται, ὡς ἐπειδὴ, καθὼς ἄνωθεν εἴρηται, μετὰ τῶν ἄλλων ταῖς δυτικαῖς ἐκκλησίαις, καὶ τὸ ἐπὶ τοῖς ἀζύμοις ἔθος ἐμπέπηκται κατὰ καὶ ἡμῖν τὸ προσφέρειν, καὶ ἱερουργεῖν ἔνζυμα, ἀδιάσπαστος ἐφ' ἑκατέροις ἔσται ἡ τῶν οἰκείων ἐθῶν παράβασις. εἰ μή ποτε θάτερον μέρος μετατίθεσθαι πρὸς θάτερον αἱρετίσεται, τὴν κοινωνίαν αὐτοῦ ἀσπαζόμενον. πλὴν ὥσπερ ἐκεῖνοι τὰ παρ' ἡμῶν ἱερουργούμενα, καὶ ἡμεῖς οὕτω τὰ παρ' ἐκείνων ἅγια λογιζόμεθα, καὶ οὐ σφαλλόμεθα. καὶ αἱρετικῶν γὰρ χειροτονίαι τοῖς ὀρθοδόξοις δεκταί εἰσι κατὰ τὴν τῶν πατέρων παράδοσιν, ὀρθοδόξων ἤ ὄντων, ἢ γινομένων τῶν ὑπ' αὐτῶν χειροτονουμένων. Quòd si quis dicat, siquidem «
Latinorum azyma profana non sint, nul- «
lum nobis fore præjudicium, si ea suma- «
mus. Is audiet quòd quandoquidem (ut «
superiùs diximus) cum aliis, & hic azymo- «
rum mos occidentalibus Ecclesiis inhæsit, «
sicut nobis fermentata offerre, & conse- «
crare, impossibilis erit in utrisque pro- «
priorum morum transgressio, nisi quando «
altera pars ad alteram transire maluerit, «
communionem ejus amplectendo. Verum- «
tamen, ut illi quæ à nobis sunt consecrata, «
sic nos, quæ ab ipsis sancta æstimamus. Neq; «
fallimur. Etenim hæreticorum quoque or- «
dinationes ab orthodoxis recipiuntur juxta «
patrum traditionem, si orthodoxi sint, vel «
fiant, qui ab iis ordinantur. Sic ille. «

Non est omittendus ex eodem libro quinto Juris orientalis à principio, Basilius Achridenus Archiepiscopus Thessalonicensis, qui in Epistola illa egregia ad Adrianum Pontificem, quem audivisse loquentem ὡς πατέρα, ὡς ποιμένα, ὡς ἀρχιποιμένα fatetur; non est veritus idem vocare sacrificium Græcorum, & Latinorum, quòd optimè sciret, utriusque sacrificij legitimam esse materiam: ὁ αὐτὸς ἀμνὸς θύεται ὁ τὴν κόσμου αἴρων τὴν ἁμαρτίαν Χριστὸς, ἔν τε τοῖς κατὰ δύσιν ἀρχιερεῦσι, τοῖς ὑπὸ τὴν σὴν τελοῦσι κορυφαίαν ἀκρότητα, καὶ ἡμῖν τοῖς ἐξ ἡλίου ἀνίσχοντος τοῦ ὑψηλοῦ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνου δεχομένοις, τὰς τῆς ἱερωσύνης αὐγάς. εἰ καί τινα βραχέα προσκόμματα εἰς μέσον παραρριφέντα διέστησαν ἡμᾶς, ἀλλ' οὖν πεποιήκασι τοὺς τοῦ ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος.
Idem, inquit, sacrificatur Agnus, qui tol- «
lit mundi peccatum Christus inter Occi- «
dentales antistites, qui sub tuam coryphæ- «
am summitatem agunt, & nos qui ab ori- «
ente sole sublimi Constantinopolitana se- «

de ſacerdotij ſplendorem accipimus. Quãvis parua quædam offendicula in medio interjecta nos ſepararint, & multos effecerint, qui unius, & ejuſdem ſpiritus ſumus. Sic Græci in materia de azymis contra ſuos Græcos. Quare πάτταλος παττάλῳ ἐκκρουστέος, quod aiunt. Itaque nemo hîc mihi hæreticorum, vel ſchiſmaticorum caput obtundat. Ergo, inquiens, in materia hujus ſacramenti Græci cum Latinis minimè conveniunt; immo Græci hac in re Latinos etiam redarguunt. Nam præterquàm quòd etiam ipſi hæretici materiam azymi, & fermentati inter ἀδιάφορα ſtatuunt, præſtantiores item poſteriorum Græcorum, licet fuerint ſchiſmatici, rectè de azymis ſentiunt: mẽtem, ſententiam, & germanum ſenſum verorum dogmatum Eccleſiæ orientalis, quod & antè monui, non ex quorundã obſcurorum & fanaticorum hominũ corrupto judicio, & malè ſana mente venamur; ſed ex præclariſſimis ſempiternæ memoriæ monumentis ſanctorum Patrum Græcorum, veritatem ab ipſis luculenter teſtatam inveſtigamus, & amplectimur. Neq; quid cenſuerit aliquis Demoſthenes ἀρχιμάγειρος Valentiniani Imperatoris, aut quiſpiam alius peritus quidem, ſed perditus homo, putà Photius, Michael, Joannes phariſaicus jejunator, Palamas, Camaterus, Marcus Epheſius, & reliqua fæx Græcorum. Non, inquam, quid iſti docuerint, ſcire admodum laboramus, & ſi ſcimus, illorum κενοδοξίας approbamus: ſed quid antiqui illi, & veri Græci, quid divinus ille grandiloquus planeque cœleſtis Pontifex Areopagita, quid ferventiſſimus, & Apoſtolico ſpiritu plenus Ignatius μεγαλομάρτυς, quid fortiſſimus Athanaſius, καὶ τὸ ἀθανασίας ἐπώνυμος, quid Baſilius Magnus οὐρανοφάντωρ, & magnificè Regius Doctor, quid ille γρηγορώτατος νοῦς, & verus Theologus Gregorius Nazianzenus, quid Joannes aureus ὁ χαρίτων μεστὸς, Eloquentiæ fluvius, quid cæterorum Orientalium patrum ſacratiſſimus Chorus & florida Corona ſenſerit, ſcripſerit, ore docuerit, prædicarit, poſteritati mandarit, ediderit, in omnibus ſuis factis, dictis, ſcriptis ſtudioſè inculcaverit; Immo quid Spiritus ſanctus per hos Doctores illius viva, & ſanctiſſima organa dictaverit, diligenter noſſe operam damus.

Ex quorum ſana doctrina par eſt judicium ferre de dogmatibus Eccleſiæ orientalis, & recentiores Græcorum, ſi qui ſunt, qui in errore verſentur, unà cum hæreticis redarguere. Quod idem in pleriſque aliis, non tantùm in hac materia intelligendum volo. Scio hæreticos, neſcio cujus terræ, immo inferni filios tantos Doctores prę ſe parvi pendere: ſed, Deo ſit laus, non eò impudentiæ, & amentiæ mei Græci progreſſi ſunt, ut quos ſecundùm Deum, & Apoſtolos Patres ſortiti ſunt, ſi quando eos ita ſenſiſſe perſpexerint, eorum veſtigiis inſiſtere nolint. Quæ res fuit in cauſa, ut ego, etiam in hac materia Chryſoſtomum mihi objectum præter cæteros illis diutiùs urſerim, quòd certò ſcirem eos auctoritatatem tanti Doctoris, non ſolùm non repudiaturos, ſed etiam magnifacturos. Et non deſunt hac noſtra ætate plurimi Græcorum bene periti, qui & Patres intelligant, & eorum doctrinam ſuſpiciant, aurumque ſuper & topazion æſtiment, & cum aliis eam communicare non ceſſent. Sed pergamus ad reliqua.

De altera parte Materiæ hujus Sacramenti, hoc eſt de vino aqua temperato.

CAPUT VII.

Materia alterius partis hujus Sacramenti eſt vinum aquâ temperatum. Ita docent fere omnes antiqui Patres, & recens uſus & idem antiquiſſimus orientalis Eccleſiæ talis eſt. Et quidem non ſine aliqua ſignificatione myſterij. Sacerdos enim Græcus dum vinum & aquam miſcet in calice, recitat illa verba, Et continuò exivit ſanguis, & aqua. Et ideo ſimul utraque in calicem infundit. Qua non muta ceremonia, & ſanguinem eſſe verum Chriſti in Calice quoad ſubſtantiam; & ad eum modum eſſe, quo ex latere fluxit quoad

præsentationem significat. Idcirco Chrysostomus hom. 24. in priorem ad Corinthios: τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὄν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν. Quod est, inquit, in calice, est id, quod ex latere fluxit. Et Augustinus libro tertio de Trinitate cap. 10. Infantes, ait, dum illis gravissima auctoritate dicitur, cujus corpus & sanguis sit in Eucharistia, nihil aliud credere, nisi omnino in illa specie Dominum apparuisse mortalium, & de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse. Et in Sermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod manauit de Christi latere. Quæ est inter alias, quas assignant sacri Doctores, ratio non contemnenda, cur vinum, & aqua misceantur in calice.

Neque unquam de hac re agitata est controversia inter Græcos & Latinos; quasi verò Græci more Armeniorum in sacrificio solo vino contenti fuerint. Unde immeritò Guido Carmelita in Catalogo hæreticorum, & Innocentius Tertius libro 4. de officio Missæ cap. 32. accusant Græcos hujus erroris.

Nisi fortè nominati auctores, per Græcos intellexerint quoscumque Orientales, ut optimè observavit Bellarminus, inter quos sunt Armenij huic errori obnoxij. Quos etiam ipsimet Græci jure optimo reprehendunt, quòd ea ratione nolint Armenij significare unionem duarum naturarum in Christo, quę est alia ratio congruens huic mysterio. Utcumque sit, certè si Armenios intellexerunt, inusitata sane phrasi; non secus ac si aliquis nomine Germanorum Italos exprimat.

Armenios in errorem induxit sententia quędam Chrysostomi malè ab illis intellecta hom. 83. in Matth. in expositione illorũ verborũ, Non bibam de hoc genimine vitis: τίνος ἕνεκεν οὐχ ὕδωρ ἔπιεν ἀναστὰς, ἀλλ' οἶνον; ἄλλην αἵρεσιν πονηρὰν πρόῤῥιζον ἀνασπῶν. ἐπειδὴ γάρ εἰσί τινες ἐν τοῖς μυστηρίοις ὕδατι κεχρημένοι, δεικνὺς ὅτι καὶ ἡνίκα τὰ μυστήρια παρέδωκε, καὶ ἡνίκα ἀναστὰς χωρὶς μυστηρίων ψιλὴν τράπεζαν παρετίθετο, οἴνῳ ἐχρῆτο, ἐκ τοῦ γεννήματός φησι τῆς ἀμπέλου. ἄμπελος δὲ οἶνον, οὐχ ὕδωρ γεννᾷ. Cujus rei gratiâ, inquit, non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit? perniciosam quandam hæresim radicitus evellere voluit. quando quidem enim sunt nonnulli, qui aqua in mysteriis utantur, ut ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit, & quando post resurrectionem sine mysteriis nudam mensam apposuit, vino usus est, ex genimine, ait, vitis, quæ certè vinum non aquam producit.

Adversus Armenios Synodus πενθέκτη in Trullo habita, explanans locum Chrysostomi can. 32. ita decernit: Ἐπειδὴ εἰς γνῶσιν ἡμετέραν ἦλθεν, ὡς ἐν τῇ Ἀρμενίων χώρᾳ, οἶνον μόνον ἐν τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ προσάγουσιν, ὕδωρ αὐτῷ μὴ μιγνῦντες, οἱ τὴν ἀναίμακτον θυσίαν ἐπιτελοῦντες, προτιθέμενοι τὸν τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλον Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον φάσκοντα, διὰ τῆς εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἑρμηνείας ταῦτα. τίνος ἕνεκεν οὐχ ὕδωρ ἔπιεν ἀναστὰς, ἀλλ' οἶνον, &c. ἐκ τούτου τε τὸν διδάσκαλον οἴονται ἀνατρέπειν τὴν τοῦ ὕδατος ἐν τῇ ἱερᾷ θυσίᾳ προσαγωγήν, ὡς ἂν μὴ καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν κατέχοιντο τῇ ἀγνοίᾳ, τὴν τοῦ πατέρος διάνοιαν ὀρθοδόξως ἀποκαλύπτομεν. τῆς γὰρ πονηρᾶς τῶν ὑδροπαραστατῶν αἱρέσεως παλαιᾶς ὑπαρχούσης, οἳ ἀντὶ οἴνου μόνῳ τῷ ὕδατι ἐν τῇ οἰκείᾳ θυσίᾳ κέχρηνται, ἀνασκευάζων οὗτος ὁ θεοφόρος ἀνὴρ τὴν παράνομον τῆς τοιαύτης αἱρέσεως διδαχὴν, καὶ δεικνὺς ὡς ἐξ ἐναντίας τῆς ἀποστολικῆς ἴενται παραδόσεως, τὸν εἰρημένον κατεσκεύασε λόγον. ἐπεὶ καὶ τῇ κατ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ, ἔνθα τὴν ποιμαντικὴν ἐνεχειρίσθη ἡγεμονίαν, ὕδωρ οἴνῳ μιγνῦναι παρέδωκεν, ἡνίκα τὴν ἀναίμακτον θυσίαν ἐπιτελεῖσθαι δέησειν, τὴν ἐκ τῆς θείας πλευρᾶς καὶ τιμίας τοῦ λυτρωτοῦ τοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἐξ αἵματος καὶ ὕδατος κρᾶσιν παραδεικνὺς, ἥτις εἰς ζωοποίησιν παντὸς τοῦ κόσμου ἐξεχύθη, καὶ ἁμαρτιῶν ἀπολύτρωσιν. καὶ κατὰ πᾶσαν δὲ ἐκκλησίαν, ἔνθα οἱ πνευματικοὶ φωστῆρες ἐξέλαμψαν, ἡ θεόσδοτος αὕτη τάξις κρατεῖ. καὶ γὰρ καὶ Ἰάκωβος ὁ κατὰ σάρκα Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἀδελφὸς, ὃς τῆς Ἱεροσολυμιτῶν ἐκκλησίας πρῶτος τὸν θρόνον ἐνεπιστεύθη· καὶ Βασίλειος ὁ τῆς Καισαρέων ἐπίσκοπος, οὗ τὸ κλέος κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διέδραμεν, ἐγγράφως τὴν μυστικὴν ἡμῖν ἱερουργίαν παραδεδωκότας, οὕτω τελειοῦν ἐν τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ ἐξ ὕδατος καὶ οἴνου τὸ ἱερὸν ποτήριον ἐκδεδώκασι. καὶ οἱ ἐν Καρθαγένῃ συναχθέντες ὅσιοι πατέρες, οὕτω ῥητῶς ἐπεμνήσθησαν, ἵνα ἐν τοῖς ἁγίοις [per excellentiam, veluti τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις] μηδὲν πλέον τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ

κυρίῳ προσενεχθείη, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ κύριος παραδέδωκε, τουτέστιν ἄρτου καὶ οἴνου ὕδατι μεμιγμένου. εἴ τις οὖν ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, μὴ κατὰ τὴν παραδοθεῖσαν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων τάξιν ποιεῖ, καὶ ὕδωρ οἴνῳ μὴ μιγνὺς οὕτω τὴν ἄχραντον προσάγει θυσίαν, καθαιρείσθω, ὡς ἀτελῶς τὸ μυστήριον ἐξαγγέλλων, καὶ καινίζων τὰ παραδεδομένα. Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quòd in Armeniorum regione vinum tantùm in sacra mensa offerunt, aquam ipsi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysostomum hæc dicentem in interpretatione Evangelij secundùm Matthæum: Quamobrem non aquam bibit, cùm surrexit, sed vinum? &c. Et ex eo aquæ oblationem in sacro sacrificio subvertere Doctorem existimant. Ut non ab hoc tempore in posterum ignorantiâ laborent, patris sententiam orthodoxè aperimus. Cùm enim improba hydroparastarum (hoc est eorum qui aquæ defensionem suscipiebãt) antiqua esset hæresis, qui pro vino sola aqua in proprio sacrificio usi sunt, refellens hic vir Deiferus perversam ejusmodi hæreseos doctrinam, & ostendens quòd directè Apostolicę traditioni adversatur, dictam sententiam adstruxit. Nam & suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, quando incruentum peragi sacrificium opus fuisset, aquam vino miscendam tradidit, illam sanguinis & aquæ contemperationem denotans, quæ in totius mundi vivificationem & peccatorum redemptionem ex divino & pretioso nostri Redemptoris latere effusa est. Et in omni Ecclesia, ubi spiritualia lumina refulserunt; hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundùm carnem frater, cui primo Hierosolymitanæ Ecclesiæ Thronus est creditus, & Basilius Cæsariensium Ecclesiæ Episcopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita perficiendum in sacra liturgia ex aqua, & vino sacrum calicem ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt sancti Patres, ita ad verbũ mentionem fecere, ut in sacris mysteriis nihil plus, quàm corpus, & sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit: hoc est, panis, & vinum aqua mixtum. Si quis ergo Episcopus, vel presbyter non secundùm traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino non miscens sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, ut imperfectè mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innovans. Sic Concilium: atque de hac materia satis.

De errore quorundam Græcorum, qui particulas, quas vocant μερίδας, & eas in sacrificio Deo offerunt in honorem Sanctorum, & utilitatem vivorum, haud consecrari, ac verti in verum corpus Christi existimant: & de natura, varietate, & fine sacrificij.

CAPUT VIII.

QUoniam particulæ ad materiam hujus sacramenti, seu sacrificij pertinere videntur, si deinceps de his tractaverimus officio nostro faciemus satis.

Ut status questionis faciliùs intelligatur, & error quorumdam Græcorum similiter confutetur, priùs nonnulla adnotanda sunt. Sacrificium, si Etymologiam nominis spectes, genericum est, quippe dictum est ab eo, quòd res sacra fit: fiunt autem sacra non solùm materia destinata sacrificio, sed etiam templa, altaria, vasa, vestes, & id genus alia; quin, & ipsi homines qui sacris initiantur. Neque tamen eæ res ullo modo nomine sacrificij designaatur. Huic nomini respondet Græcum item genericum ἱερουργία, hoc est, sacrum ministerium, seu opus, seu actio, & ἱερουργεῖν, quod est sacrum facere, seu sanctificare.

Si rem, & usum nominis consideres, sacrificium duplex est: invisibile, sive internum, quod nihil aliud est, quàm pia voluntas, quæ divinæ majestati se suaque omnia offert, juxta quod Regius psaltes ait: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: & visibile, sive externum, ut S. Augustinus distinguit in libro 10. de Civit. cap. 5. Hoc posterius fit ab illo priori, & si-

gnum illius est, sive illud significat. Quia enim homo animo & corpore constat, naturale est ipsi priùs se interiùs subjicere Deo, deinde internum hunc affectum externo signo prodere.

Verùm interna illa devotio, qua homo & per intellectum recognoscit Deum, ut supremum Dominum, & per voluntatem vult se Deo submittere colendo ipsum & profitendo hanc ejus excellentiam, satis amplo modo, ac vix sacrificij nomen obtinet: Propterea quòd plerique omnes communiter per sacrificium, actionem aliquam sacram externam, ac manifestam, à publico ministro in honorem Dei exhibitam intelligant. Unde loquendo de visibili sacrificio, præsertim cùm sacrificium sit externus actus religionis, dupliciter sumitur, & æquivocè. Uno modo latè, & minùs propriè, pro quolibet opere bono, quod elicitur quidem ab aliqua virtute, imperatur tamen à religione: idcirco vocatur sacrificium, quatenus participat aliquid religionis. Unde neque absolutè, & propriè, sed cum additamento sacrificium appellatur, ut cùm dicitur, sacrificium laudis, hostia spiritualis, vitulus labiorum.

Altero modo propriè, & strictè sumitur, idque bifariam. Vel pro ipsa actione unà cùm victima, quæ propriissimè dicitur sacrificium, ut patet ex ipso nomine sacrificij, hoc est factio sacri, quam rectè dixeris sacrificationem. Sic tota Missa Latinorum appellatur sacrificium, quæ Græcis recepto usu ἱερουργία & λειτουργία dicitur, hoc est sacrum munus, & publicum ministeriũ. Quamvis enim λειτουργέω & λειτουργία reperiantur apud profanos in alia ministerij significatione; tamen cùm ad sacra ministeria hæ voces à sacris scriptoribus accommodantur, sacrificium, & sacrificare significant.

Vel accipitur pro ipsa sola victima, quam Latini aliis nominibus hostiam, oblationem, immolationem, Græci προσφορὰν, θῦμα, θυσίαν τελετὴν à τελέω, quod est consummo, ἱερεῖον vocant. Ea verò consideratur, vel ut antecedit actionem offerendi, vel ut in termino oblationis. Animal enim, quod offertur Deo in sacrificium per jugulationem, vivum supponitur huic actioni. At in termino est mortuum, & utroque modo est materia sacrificij. Quamvis principalius sit, prout supponitur toti actioni sacrificandi.

Porro in veteri lege varia erant sacrificia, & secundùm subjectam materiam dividebantur in victimas, seu hostias, immolationes, & libamenta. Victimæ erant ex animantibus, videlicet ovibus, capris, bobus, columbis, passeribus, & turturibus. Immolationes ex rebus inanimis, sed solidis, ut ex farina, pane, sale, ture: libamenta ex rebus liquidis, ut vino, & aqua.

Eadem sacrificia dividebantur ex forma, & modo vario offerendi. Nam alia incruenter offerebantur, alia cruenter. Horum nonnulla tota igni exurebantur, & solvebantur in fumum sursum petentem, quæ à Septuaginta in versione Græca vocantur ὁλόκαυστα, & ὁλοκαυτώματα. Nonnullorum pars igni absumebatur, pars cedebat in cibum sacerdotum, pars in escam offerentium. Quorumdam partem sacerdotes eodem die consumebant: nonnullorum in alterum diem reservare poterant.

Præterea ex fine dividebantur. Quædam enim offerebantur ad testandum divini Numinis, & Majestatis honorem, & supremum in universa imperium. Nonnulla offerebantur pro peccatis, eaque pro varietate peccatorum, & personarum varia erant. Quippe aliud offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis: & similiter aliud pro peccato summi sacerdotis, aliud pro peccato Regis, vel magistratus, aliud pro peccato totius populi, aliud pro peccato privatorum hominum. Alia offerebantur ad gratias agendas pro beneficiis divinitus acceptis, & animum gratum declarandum, quæ vocabantur pacifica. Denique alia item pacifica pro beneficiis obtinendis.

Prima erant omnium præstantissima, quæ tributorum instar oblata in reverentiam divinæ Majestatis penitus consumebantur, cujus non solùm usus rei, sed etiam substantia foret. Secundum locum dignitatis

dignitatis obtinebant ſacrificia pro peccato. Tertium pacifica pro beneficio accepto. Quartum pacifica pro beneficio accipiendo. Quippe Deum in ſe maximè debemus colere ob immenſam ejus majeſtatem. Deinde ob offenſam in ipſum commiſſam, tum ob acceptum beneficium, poſtremò propter ſperata beneficia.

Hi verò fines, quamvis ſint varij, ſub uno tamen genere moralitatis continentur. Nam horum ſacrificià ex interno ſacrificio profluunt, & in ſignificatione alicujus actus humani interioris ac moralis, hoc eſt, ad bonos mores hominis pertinentis conſiſtunt. Quæ ſanè ſignificatio facit, ut ſacrificia quoque ſint ſacra, & laudabilia: alioquin occidere vitulum in macello, nihil in ſe habet unde placeat Deo. Per actum autem ſacrificij homo ſignificat exiſtimationem, quam habet de Deo. Quòd nimirum ſit ſummum bonum independens, principium, & finis omnium rerum, cui conveniat ſupremus honos latriæ ob infinitam ejus excellentiam, qui dignus ſit, cui libenter animum ſuum ſubmittat: (Ideo enim ſcriptura ſæpe præcepit, ut homo offerens ſacrificium manum imponat ſuper animal, quod immolatur, ut ſignificet ipſummet eſſe, qui in illa victima, tanquam in ſigno quodam ſe immolat, Deoque ſubmittit) à quo ſæpe offenſo veniam petat, cui tanquam à quo bona cuncta procedunt, pro obtentis beneficiis gratias agat. Denique ab eodem nova beneficia impetrare contendat.

At præter hunc præcipuum finem moralem, qui convenit omnibus etiam gentilium ſacrificiis, eſt alius finis ſacrificiorum, cùm naturalis, tum antiquæ ſcriptæ legis minùs principalis, nimirum myſticus, qui in repræſentatione alicujus reconditi, & ſupernaturalis myſterij conſiſtit. Ita Chriſtus dicitur ab origine mundi in veteribus ſacrificiis immolatus. Apocal. 13. quia nimirum eum figurabant, & repræſentabant.

Et quoniam dupliciter re ipſa immolatus eſt Chriſtus, non ſine myſterio antiqua ſacrificia partim cruenter, partim incruenter offerebantur. In lege naturæ Melchiſedech incruenter panem, & vinum obtulit, hoc eſt ſacrificavit. At verò Abraham, cæterique Patriarchæ cruenter animalia immolarunt: in lege ſcripta animalia mactabantur. At fructus terræ, aut alia ex illis confecta nulla ſanguinis effuſione interveniente, quæ nulla fieri poterat, offerebantur.

His igitur omnibus ſacrificiis, & pro omnibus cum perſonis, tum peccatis in lege gratiæ unum ab illis figuratum ſucceſſit in cruce cruentum, incruentum in altari, ut hac ratione ſit Chriſtus Dominus ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech panem & vinum offerens, ſacratiſſimum inquam corpus ſuum, & ſanguinem. Graviter de hoc ſanctus Leo, ut omnia, ſermone 8. de paſſione Domini. Nunc, inquit, carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis & ſanguinis tui implet oblatio. Et S. Joannes Chryſoſtomus in pſal. 95. ὁ νόμος εἶχε πολλὰς θυσίας ἐν τῇ παλαιᾷ, καὶ τὴν μὲν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, τὴν δὲ ὁλοκαύτωμα λεγομένην. καὶ τὴν μὲν αἰνέσεως, τὴν δὲ σωτηρίου, καὶ ἄλλας πολλὰς καὶ διαφόρους ὑπὲρ τῶν ἐν μυρίοις μιάσμασιν ἐξεταζομένων. καὶ πολὺς ἦν, καὶ ἄμετρος ἀριθμὸς θυσιῶν τῶν κατὰ νόμον. ἡ νέα χάρις ἐλθοῦσα διὰ μιᾶς περιγράφει πάσας, καὶ μίαν ἀληθινὴν ἔστησε θυσίαν. Lex in veteri teſtamento multas habebat hoſtias, hanc quidem pro peccatis, illam verò dictam holocautoma, aliam vocatam laudis, aliam ſalutaris, permultaſque alias, & varias pro his, qui in innumeris piaculis recenſebantur. Omnino magnus erat & ſine modo numerus ſacrificiorum in lege, quæ omnia nova ſuperveniens gratia uno complectitur ſacrificio, unam, & veram ſtatuens hoſtiam.

Sanctus quoque Auguſtinus q. 57. in Leviticum. In multis, inquit, ſacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc noſtrum ſacrificium ſignificatur, in quo vera ſit remiſſio peccatorum. Et notandum ex eodem Auguſtino libr. 10. de civitate Dei cap. 20. quòd homo Chriſtus Jeſus qui in quantum formam ſervi acce-

pit, mediator effectus est Dei & hominum, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quàm sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ; per hoc & sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus; tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.

Hoc sanè sacrificium eminenter continet vetera sacrificia: in hoc enim offertur Christus, qui est viva hostia, & excellentissima victima: & quia sub specie panis & vini offertur & sumitur, excellentiori modo habet quicquid ad rationem immolationis & libamenti spectat.

Hoc sacrificium propter dignitatem principalis offerentis, & rei oblatæ, modique offerendi longè præstantiùs fungitur munere omnium antiquorum sacrificiorum, quippe quod & λατρευτικὸν seu σεβαστικὸν sit, quasi dixeris honorarium, quòd se teneat ex parte holocausti, quo veluti re omnium excellentissima Deum honoramus, veneramur, & colimus. Et ἱλαστικὸν, expiatorium, quo numen divinum placamus, & propitium reddimus, quando pro peccatis illud offerimus. Et ἐπιτευκτικὸν, impetratorium, quo cœlestem opem imploramus, & assequimur, cùm in eo repræsentetur passio Christi, & ideo aptissimum sit ad impetrandum omnia bona, quæ passione sua Christus nobis promeruit. Et εὐχαριστικὸν, quo debitas gratias Deo pro acceptis beneficiis, atque adeo pro hoc eodem sacrificio, tanto beneficio referimus. Unde Paulus Apostolus 1. Timoth. cap. 2. pleraque complexus adhortatur nos ad obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus, potissimùm verò pro regibus faciendas, videlicet in sacrificio. Nam de orationibus, & gratiarum actionibus, quæ fiunt in sacrificio, locum illum communiter exponunt veteres. Et satis constat ex ratione quam infert Paulus, quare sit orandum pro regibus etiam gentilibus, ut quietam, inquit, & tranquillam degamus vitam: quæ verba reperiuntur in liturgiis, ubi pro regibus fit oratio. Similiter interpretatur Chrysostomus Homil. 6. in 1. ad Timoth. ἐπειδὴ εἰκὸς ἦν τὴν τοῦ χριστιανοῦ ψυχὴν ναρκᾷν ταῦτα ἀκούουσαν, καὶ μὴ προσιέσθαι τὴν παραίνεσιν, ἅτε ὑπὲρ τοῦ Ἕλληνος ἐν τῷ τῶν μυστηρίων δεῖ καιρῷ δεήσεις προσφέρειν, ὅρα τί φησι, καὶ πῶς τίθησι τὸ κέρδος, ἵνα κἂν οὕτω δέξηται τὴν παραίνεσιν. ἵνα ἤρεμον φησι, καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν. τουτέστιν ἡ ἐκείνων σωτηρία, ἡμῶν ἀμεριμνία ὑπάρχει. Quoniam, inquit, conse- “
quens esse cernebat Apostolus, ut Chri- “
stiani animus ad ista torpesceret, neque “
hujusmodi admitteret monita, siquidem “
pro gentili sacramentorum tempore opor- “
teret preces offerri, vide quid sequutus ad- “
junxit, ut ex consideratione lucri admoni- “
tionem faciliùs, libentiúsque susciperet: ut “
quietam, inquit, & tranquillam degamus “
vitam: ac si dicat, in illorum securitate no- “
stra consistit. “

De particulis, quas offerunt SS. Patres Ecclesiæ Orientalis in liturgia, ad significandum varium finem sacrificij.

Caput IX.

Cum itaque sacrificium in Evangelica lege unum quidem sit numero, sed effectu varium & multiplex, atque omnes perfectiones antiquorum sacrificiorum eminenter complectens (quippe & illa si quam vim habuerunt, utique ex isto habuerunt) antiqui Patres Græcorum, iidemque sanctissimi viri, & ab illis edocti eorum posteri ad hos diversos fines clariùs exprimendos, multas offerre particulas pro singulis singulas, quæ unum censentur sacrificium, consueverunt. Neque enim plura sacrificia in liturgia simul offeruntur. Et primam quidem paulò majorem particulam offerunt in memoriam Salvatoris. Cùm enim Christus Dominus dixerit: Hoc facite in meam commemorationem, ipsi & verbis quidem, atque inchoativè in præparatione liturgiæ, & reipsa po-

stea hoc exequuntur. Faciunt enim, quod fecit Christus, ut summus sacerdos. Hoc est, consecrant, gratias agunt Deo patri, dum corpus Domini consecratum ipsi offerunt, & cæteris illud, quando est opus, impertiunt; ac eundem planè finem habent, quem Christus Dominus habuit, cùm se ipsum incruenter obtulit. Habuit autem Christus finem illum primarium moralem, secundarium mysticum. Nam in illo incruento sacrificio repræsentabat suam sanctissimam mortem paulò post in cruce futuram.

Et propterea in meam, inquit, facite commemorationem: quod nihil aliud est secundùm Paulum, quam mortem Domini annunciare, hoc est repræsentare, donec veniat. Mira tamen & divina quadam actione, per quam eadem res, quæ uno modo significatur, alio modo fit realiter præsens: est nempe sacrificium expressa quædam & viva imago passionis Christi.

Deinde Græcorum Presbyteri, quod secundarium est, alteram, & minorem particulam offerunt in memoriam, & honorem Deiparæ Virginis, tertiam Joannis præcursoris, quartam Apostolorum, & sic deinceps alias aliorum; quamquam universè, ac generatim, potissimùm verò unam in honorem Sancti, cujus pro tempore natalitium celebratur.

Est autem varius modus loquendi de Sanctis in liturgia, dum offertur sacrificium. Offerimus enim, inquiunt, in memoriam, & honorem ipsorum. Item pro ipsis. At non orant pro ipsis; tritum, ac celebre dictum illud est: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Offerre autem pro Sanctis, nihil aliud est, quàm gratias agere Deo pro acceptis beneficiis, hoc est, pro eorum victoriis, & rebus præclarè, & fortiter gestis, atque sempiterna illorum felicitate. Hoc ipsum autem est etiam offerre pro eorum cultu, & honore. Quippe hoc totum in eorum cedit gloriam, adventitiam scilicet & extrinsecam. Item accedit illius gloria coram hominibus. Quare unum sequitur alterum, dum enim pro ipsis Deo gratias agimus, eos hoc modo commemoramus, & honoramus. Inde verò, & aliud consequitur, ut ipsi memoriam nostri habeant in cœlo, & pro nobis orent. Quocirca offerre pro eis, est offerre pro eorum victoriis, pro eorum gloria, pro eorum patrocinio invocando. Atque is est finis cujus gratiâ offertur Deo sacrificium Eucharisticũ pro sanctis.

Tandem offerunt particulas pro vivis, quæ se tenent ex parte sacrificij, vel Eucharistici, vel expiatorij, vel impetratorij. Postremò omnium offerunt pro defunctis, quod præcisè impetratorium, seu satisfactorium est.

Eædem deinde particulæ communicantibus inserviunt. Nam idem sacrificium est etiam sacramentum. Et fortassis propterea sancti Patres hunc modum offerendi excogitarunt, ut & fines varij sacrificij explicarentur, & populo nihilominus, qui, quoties sacro interesat, communicare consueverat, minimè sacramentum deesset.

Præterea potest afferri alia quoque ratio, quare idem sacrificium offeratur pro Sanctis, pro vivis, pro mortuis. Ut enim S. Augustinus scribit in libro 10. de civitate Dei cap. 6. & lib. 22. cap. 10. in sacrificio altaris significatur sacrificium generale, quo universum corpus Christi mysticum, id est, tota redempta civitas offertur Deo per Christum sacerdotem magnum. Et quoniam ad compagem hujus corporis pertinent tum sancti, qui degunt in cœlo, tum & qui existunt in Purgatorio, tum etiam qui in terris adhuc mortales versantur, ideo cuncti suo ordine in sacrificio altaris nominandi sunt. Sic Jacobus Apostolus à principio ferme suæ liturgiæ: εὐεργέτα βασιλεῦ τῶν αἰώνων, καὶ τῆς κτίσεως ἁπάσης δημιουργὲ προσδέξαι προσιοῦσάν σοι διὰ τοῦ Χριστοῦ σου τὴν ἐκκλησίαν σου. ἑκάστῳ τὸ συμφέρον ἐκπλήρωσον. Benefice, inquit, Rex sæculorum, universæque creaturæ opifex, recipe ad te accedentem Ecclesiam tuam per Christum tuum, singulis quod utile est perfice, Hoc igitur vult, & exprimit suo facto Ecclesia Orientalis. Ad hęc, protestatur communionem Sanctorum.

Dices, quare non æquales magnitudine

particulas offert, quandoquidem omnes æque sacrificia, vel potius unum sacrificium censentur?

Respondeo, id non esse necessarium, & nullatenus minui sacrificium hac ex parte: satis enim est, si æqualiter particulæ illæ consecrentur, in quibus totus æquè Christus sit. Deinde minùs commodè tot particulæ æquales magnitudine in parva patina ponerentur. Ad extremum illæ ponuntur, ut significent sacrificij varios fines, non ut supleant quantitatem materiæ.

In Concilio Florentino concordiâ jam factâ, quæsierunt Latini à Græcis inter alias quæstiunculas, primam in ordine. διατί διαλαμβανόμεν μερίδας ἐν τῇ προσκομιδῇ, καὶ ἑνοῦμεν τῷ θείῳ καὶ δεσποτικῷ ἄρτῳ. Libenter recenseo Græca, nam Latinus interpres (is autem quidam Abrahamus Cretensis est,) longè hallucinatus est, & Concilium illud in versione Latina multis mendis scatet. ille vertit. Post dies aliquot sūmus Pontifex convocatis Græcis, ab eis quę sivit, cur partem sacratissimi panis in calice cum sacratissimo sanguine misceant? At non hoc voluit Pontifex, cùm & Latini æquè atq; Græci istud similiter faciant. Græcè igitur est. Cur presbyteri Græci divisim ac singillatim accipiunt particulas in oblatione, & eas unà cum Dominico, & divino pane cōjungunt? hoc est, cùm una hostia offerri possit, & in memoriam Christi salvatoris, & memoriam item sanctorum, atque emolumentum vivorum, & refrigerium mortuorum, quid est quòd distinctè plures particulas offerimus? Per dominicum panem particulam majorem, quam in memoriam Domini afferimus, Concilium intelligit.

In Polonia quidam, alioquin vir doctus & pius, suaserat cuidam nobilissimæ Matronæ Ruthenæ, ne ampliùs sumeret Eucharistiam à presbyteris Russorum. Negabat enim nos distribuere corpus Domini, sed corpus B. Mariæ Virginis, corpus S. Nicolai &c. Miror quomodò etiam non dixerit, nos exhibere corpus vivorum, immo & mortuorum, pro his enim omnibus offerimus particulas.

Verùm his omissis Concilium Florentinum refert, antistitem Mytilenensem unà cum aliis dubiis canonicè hoc soluisse quæsitū. Puto dixerit, hanc esse antiquam orientalis Eccclesiæ consuetudinem, qua utitur illa Ecclesia ad declarandos varios fines sacrificij, ut à principio memoravi. Varia item membra corporis mystici nominãda, quæ significãtur in hoc sacrificio. Non autem eas offert veluti corpora sanctorum, vivorum, & mortuorum. Quare S. Germanus in fine suæ Theoriæ in liturgiam, non particulas quæ alioquin extra sacramentum minimè distribuuntur populo, sed panem unde sumitur major particula in memoriam Christi, vocat typum Virginalis corporis, & panem corporis Deiparæ. Ut enim ex purissimis sãguinibus Virginis formatus est Christus, ita etiam ex illo pane sumitur particula in corpus Christi transmutanda; Unde panis ille figuram gerit Deiparæ. Qui tandem in fine sacri, ut Eulogicus non per modum sacramenti, sed loco Eucharistiæ populo, minùs ad eam percipiendam parato, distribuitur.

Qui negarunt has particulas consecrari.

CAPUT X.

CÆterum primus, qui eas particulas minùs consecrari docuit, Simeon existit Archiepiscopus Thessalonicensis in libro de sacramentis. Unde ansam præbuit forsan Latinis, ut à Græcis istud in Concilio quærerent. Si enim non consecrantur, quorsum conjunguntur cum pane consecrando? tametsi in fine totius sermonis Simeon testatur se non ea dogmaticè asserere: εἰ καὶ μὴ δογματικῶς ταῦτά φημι, ἕπομαι γὰρ ἀεὶ τῇ ἐκκλησίᾳ. Et si, inquit, „
hæc minimè dogmaticè assero. Semper „
enim sequor Ecclesiam. Unde constat, à „
Simeone hanc esse excogitatam doctrinam, alioquin non ita locutus fuisset, & antiquos patres citasset.

Eundem prorsus errorem nostro ævo hausit à Simeone, ac veluti reconditum dogma eruit, & prodidit Philadel-

phienſis in opuſculo de particulis.

Docent itaque iſti Græculi, eas particulas minimè conſecrari, proinde monent Parochos, quando communionem præbent populo, ut ſi ſpeciem utramq; ſacramenti exhibere volunt, ut moris Græcorum eſt, hujuſcemodi particulas unà cum ſanguine mixtas, in cochleari acceptas porrigant, ſed majorem particulam priùs in fruſta diviſam, deinde cum ſanguine mixtam, eam demum populo diſtribuant. Quamvis Simeon in hoc etiam perplexè loquatur, ait enim τὰς μερίδας & eſſe corpus Domini, ſi cum corpore & ſanguine commiſceantur, & non eſſe ſi ſeparentur: quocirca poſſe quidem participari in ſacramento à fidelibus, ſervandam tamen eſſe antiquam conſuetudinem.

At conſuetudo apud Græcos planè illi contraria eſt, quippe porrigunt has particulas communicantibus tanquam ſacramentum. Alioquin neque ipſi monerent, ne illas Preſbyteri porrigerent. Baſilius magnus in Epiſtola ad Cęſariam Patriciam. ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, κατέχει δὲ αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. Sacerdos, inquit, particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate is, qui ſuſcipit, ac ita ori admovet manu propria. Idem igitur eſt poteſtate, ſive unam particulam quis à ſacerdote accipiet, ſive multas particulas ſimul. Sic ille. Ubi vides Baſilium recenſere quidem vim, & ſanctitatem particularum, non tamen docere diverſum genus eſſe μερίδων, neque monere Preſbyteros (quod iſti faciunt) quas particulas populo præbere debeant. Idem Doctor in liturgia: δὸς ἡμῖν μέχρι τῆς ἐσχάτης ἡμῶν ἀναπνοῆς ἀξίως ὑποδέχεσθαι τὴν μερίδα τῶν ἁγιασμάτων σου. Da nobis ad extremam uſque noſtram reſpirationem, ut dignè ſumamus particulam ſanctificationum tuarum. Adde quòd ſi populo pro communione paſſim præberentur particulæ, ut in ea epiſtola docet Baſilius, quis ſacerdotum facilè diſcernere potuiſſet veras à falſis, hoc eſt conſecratas à non conſecratis, præſertim in eadem patina, & modò etiam difficiliùs in eodem calice. Dico autem modò, quia Græci non amplius præbent particulas ſeorſim in manus, ſed eas unà cum ſacrato vino per coclearium cõmunicantibus in os inſerunt. Quocirca ſi particulæ non conſecrarentur, ſacerdos exponeret ſe periculo, loco conſecratarum præbendi non conſecratas, & errorem committeret, ac panem ſimplicem pro corpore Chriſti exhiberet.

Rationes quibus id negaverint, & fundamentum adverſariorum.

CAPUT XI.

QUod ſi petas, & quæras ab iſtis, qua igitur de cauſa offeruntur illæ particulæ pro ſanctis, pro vivis, pro mortuis, & unà cum ſacratiſſima hoſtia conjunguntur?

Reſpondet Simeon his verbis: καλῶς ἡ ἐκκλησία τὰς μερίδας προσφέρει, δεικνύουσα, ὡς πάντας ἡ ζῶσα αὕτη ἁγιάζει θυσία πάντοτε, πλὴν οὐ θεοὺς φύσει ποιεῖ. Rectè quidem, inquit, Eccleſia particulas illas offert, oſtendens nimirum quod hoc vivum ſacrificium ſemper omnes ſanctificat, non tamen naturâ Deos efficit. Senſus eſt: quemadmodum particulæ illæ participant aliquid ſanctitatis, dum miſcentur cum corpore & ſanguine Domini, ita etiam ſancti, quorum ſunt particulæ, per hoc ſacrificium ſanctificantur, & divinitatis participes fiunt κατὰ χάριν, non autem φύσει Dij evadunt. Cur autem minùs conſecrentur? hoc ipſo ait, quia cùm ſancti non fiant naturâ Dij, ſed gratiâ, neque illud fieri poſſit, ita etiam particulæ non poſſunt tranſmutari, ac verti in verum corpus Chriſti, ſed ſolùm ſanctitatem quandam participant. Sic alterum ex altero quodam modo probare videtur. Sed ponenda ſunt illius verba: κοινωνοῦντες Χριστῷ οἱ ἅγιοι, θεοῦνται μὲν κατὰ χάριν, οὐ θεοὶ δὲ γίνονται φύσει. καὶ αἱ ὑπὲρ αὐτῶν μερίδες κοινωνοῦσι μὲν τοῦ σώματός τε καὶ αἵματος, καὶ τῇ ἀνακράσει ἓν γίνονται σὺν αὐτοῖς, καθ' αὑτὰς δὲ, ἂν θέλῃς, οὐκ αὐτὸ σῶμά ἐστιν, ἢ τὸ αἷμα, ἀλλ' ἡνωμέναι τῷ σώματι καὶ τῷ αἵματι. Sancti (inquit Simeon) communicantes Chriſto, deificantur qui-

dem per gratiam, non autem fiunt naturâ Dij. Igitur & particulę pro ipsis oblatæ participant quidem de corpore & sanguine Domini, ac permixtione unum quid fiunt cum ipsis, per seipsas verò, si diviseris, minimè corpus, vel sanguis sunt, sed unitæ corpori, & sanguini. Hactenus Simeon.

Similia tradidit Philadelphiensis; καθάπερ αἱ τῶν ἁγίων ψυχαὶ περὶ τὸ φῶς εἰσι τῆς θεότητος, οὐ γένονται δὲ ἐκεῖναι φύσει θεὸς, ἀλλὰ κατὰ μέθεξιν, οὕτω καὶ αἱ μερίδες, εἰ καὶ ἑνοῦνται τῇ τοῦ κυρίου σαρκὶ καὶ τῷ αἵματι, οὐ μεταβάλλονται, ἀλλὰ μετοχικῶς τοῦ ἁγιασμοῦ μεταλαμβάνουσι. Quemadmodum, inquit, sanctorum animæ circa lumen existunt divinitatis, cæterùm non avadunt Deus naturâ, sed secundùm communicationem: ita etiam particulæ, quamvis uniantur cum carne Domini ac sanguine, non tamen transmutantur, sed participatè sanctitatem participant.

Addit præterea, καθάπερ αὗται κοινωνοῦσι μετοχικῶς ἐνταῦθα τοῦ ἁγιασμοῦ, οὕτω καὶ ἐκεῖσε ἀοράτως αἱ ψυχαὶ τῶν κεκοιμημένων λαμβάνουσιν ἄνεσιν καὶ θεραπείαν, καὶ ἀπαλλαγὴν τῶν κατεχόντων αὐτὰς ἀδιαφορῶν. Ut ipsæ particulæ hîc participes fiunt participatione quadam sanctitatis, ita etiam ibi animæ dormientium invisibiliter assequuntur requiem, & curationem, atque liberationem à continentibus ipsas molestiis. Sic ille.

Quòd si rursus quæras ab illis, unde istud habeant, & quis sanctorum hujusmodi doctrinam tradiderit?

Philadelphiensis breviter ita se ab hac molestia expedit, vel potiùs sese implicat: τίς ὁ πείθων με περὶ τούτων; πίστις προηγουμένως, καὶ αἱ τῶν ἁγίων μαρτυρίαι, καὶ τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων διδασκαλία τε καὶ βεβαίωσις. Quis hæc mihi suadet? in primis fides, deinde sanctorum Patrum auctoritas, tum Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, quæ per orbem longè, latéque diffunditur, doctrina, & comprobatio. Sic ille.

At enim bone vir, tua ista fides ad quãcumque vel absurdissimam rem optimè quadrare potest. Fingas enim hæreticum hominem de suis pravis dogmatibus, quæ aliis minùs credibilia sunt, ita disserere, nimirum se ita credere, An propterea vera erunt? Deinde quod illæ particulæ sint offerendæ, apertè constat ex liturgiis, sanctorum patrum Basilij, Chrysostomi & aliorum, ipsaquemet traditione, quod ego & libenter fateor & amplector. Quòd item offerantur in laudem sanctorum & utilitatem vivorum, & mortuorum, ex eorumdem doctissimis Commentariis, & ipsamet ratione colligitur, & certissimum est; quia nimirum sint verum sacrificium, quod vim habeat & impetrandi, & expiandi, & gratum animum offerentis pro acceptis beneficiis declarandi. At verò quòd eæ particulæ non consecrentur, istud verò non à sacris Doctoribus acceptum profers, sed ex tuo malè sano capite seu vẽtre potiùs evomis, & temerè effutis. Neque unquam tu istud probare poteris: alioquin profer vel unum testimonium alicujus sancti, qui doceat particulas non consecrari.

Quòd enim jactas Ecclesiam Catholicam, hoc est secundùm te Græcam, ita sentire, ut interim omittam, an ea sit Catholica, longè falleris. Nisi te unum cum Simeone totam esse velis Ecclesiam Orientalem. Quamquam Simeon te longè modestior, qui cùm de tota re minimè certus esset, ea non dogmaticè asserere fassus est, sed se judicio, atque cẽsuræ Ecclesię semper submittere; tu verò δογματικῶς, & γνωματικῶς instar Pythagorę cuncta concludis.

Simeon conjecturis quibusdam hoc probat. Sic enim scribit: Οὐ μεταβάλλονται δὲ φαμὲν αἱ εἰς μνήμην τῶν ἁγίων καὶ πιστῶν μερίδες, ἀπ' αὐτῆς συνάγοντες τοῦτο τῆς ἄνω παραδόσεως. προσφέρων γὰρ ἐν τῇ προθέσει τὸν ἄρτον ὁ ἱερεὺς, ἐκεῖνον μόνον ἐξάγει εἰς ἀνάμνησιν, ὡς αὐτὸς ἔφη, τὰς μερίδας δὲ εἰς μνήμην τοῦ δεῖνος ἁγίου, καὶ ἱλασμὸν τοῦ δεῖνος ζῶντος, ἢ τεθνεῶτος.

Καὶ ὅτι πρὸ τῶν μερίδων εὐθὺς μετὰ τὸ τὸν ἄρτον προσαγαγεῖν, τοῦ ποτηρίου ποιεῖται τὴν ἕνωσιν, εἶτα τὰς μερίδας προσφέρει. ὥστε εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου φησὶ, καὶ οὕτως ἐποίει τὸ ποτήριον, καὶ μετὰ τοῦτο τὰς μερίδας προσφέρει. ὥστε ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου οἱ ἄρτοι μόνοι.

Ἀλλὰ καὶ ἡ προσφορὰ ἐξ ἧς ὁ ἄρτος, ὁ εἰς τὴν

τοῦ κυρίου ἀνάμνησιν, ἀντίδωρον πρῶτον κέκληται. καὶ ἐν δίσκῳ ἐμβαλλόμενος ἰδίῳ, ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῖς πιστοῖς ὕστερον δίδοται. δεύτερον δὲ, ἐξ ἧς ἡ μερὶς τῆς θεοτόκου διὰ τὴν αὐτῆς τιμήν. αἱ λοιπαὶ δὲ προσφοραὶ, ἐξ ὧν αἱ τῶν ἁγίων μερίδες, οὐκ ἀντίδωρον λέγονται.

Καὶ ἐν τῇ τελειώσει ὁ ἱερεὺς, εἰ μὲν εἷς ἐστιν ἄρτος, καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτόν φησι, καὶ οὐ διὰ τὰς μερίδας, τοὺς ἄρτους τούτους. εἰ δὲ πλείους ἄρτοι, ὡς ἂν ὦσι προηγιασμένοι, καὶ ποίησον τοὺς μὲν ἄρτους τούτους φησί.

Καὶ ἐν τῇ ἀνυψώσει τὸν ἄρτον, ἢ τοὺς ἄρτους, εἰ πλείους, ἀνυψοῖ, καὶ οὐ τὰς μερίδας.

Καὶ μελίζων τὸν ἄρτον, τὸ ἄνω τμῆμα τοῦ ἄρτου ἐμβάλλει τῷ ποτηρίῳ, καὶ οὐκ ἐκ τῶν μερίδων. Καὶ τὰ λοιπὰ δὲ μερίζων τμήματα τρία τοῦ θείου καὶ ζωοποιοῦ ἄρτου, ἐκ τούτων ἱερεῦσι καὶ διακόνοις παρέχει, καὶ οὐκ ἐκ τῶν μερίδων. Καὶ ἐν τοῖς προηγιασμένοις οὐ μερίδας φυλάττει. Οὐδὲ κατὰ τὴν ἁγίαν πέμπτην τῆς παρακαταθήκης ἐκ τῶν μερίδων, ἀλλὰ τέλειον ἄρτον. Καὶ χειροτονῶν πρεσβύτερον ὁ ἀρχιερεὺς, τέλειον προσφερόμενον ἄρτον, καὶ οὐ μερίδα δίδωσι τῇ χειρὶ λέγων, λάβε τὴν παρακαταθήκην ταύτην. Καὶ τοὺς τελείους ἄρτους ἐν τῇ προσκομιδῇ ἱερεὺς ἀεὶ προσφέρει. τὰς μερίδας δὲ εἴδομεν καὶ διακόνους προσφέροντας, εἰ καὶ ἐκωλύσαμεν τοῦτο. ἐκ τούτων οὖν πάντων, καὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς παραδόσεων ἐστι συνάγειν, ὡς ὁ ἄρτος μόνον, ἢ οἱ ἄρτοι, » οἱ εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου, σῶμα τοῦ κυρίου. Non transmutari particulas asserimus, quę in memoriam Sanctorum & fidelium offeruntur, colligentes id ex eadem antiqua traditione. (explicat immediatè Simeon, quænam sit antiqua ista traditio.) Offerens enim in propositione panem sacerdos, illum tantùm eximit in memoriam Christi, ut ipse dixit, particulas verò in memoriam hujus vel illius sancti, & suffragium hujus, vel illius vivi, vel defuncti.

» Quod ex eo quoque probari potest, quoniam ante particulas quàm primùm sacerdos obtulerit panem, statim calicis efficit unionem, deinde particulas offert, quocirca in memoriam Domini ait, & ita unit calicem, & post hæc particulas offert. Quare in memoriam Domini sunt soli panes. Sed & oblatio, ex qua panis in memoriam Domini sumitur, antidorum primum vocatur. Et in propria patina positus à sacerdote fidelibus postea distribuitur. Oblatio verò, ex qua particula Deiparæ in ejus honorem sumitur, secundum appellatur antidorum. At reliquæ oblationes, ex quibus Sanctorum particulæ sumuntur, minimè vocantur antidorum. Et in consecratione sacerdos siquidem unus est panis, & fac, inquit, hunc panem, & non ait propter particulas, hos panes, si plures sint, ut sint præsanctificati, & fac, inquit, hos panes. Præterea in elevatione panem, vel panes, si plures sint, attollit. Non autem particulas.

Ad hæc dividens panem, portionem superiorem immittit in calicem, & non aliquid ex particulis. Reliqua quoque tria dividens frusta sacri & vivifici panis, ex his non autem ex particulis distribuit sacerdotibus, & Diaconis. Et in præsanctificatis sacerdos non particulas servat. Sacramentum quoque quod feriâ quintâ majoris hebdomadis pro ægrotis præparatur, haud ex particulis conficitur, sed ex perfecto, & consecrato pane.

Pontifex item ordinans presbyterum oblatum panem consecratum, non autem particulam porrigit, cùm dicit, Accipe depositum hoc. Præterea in præparatione quæ fit ante liturgiam, & vocatur προσκομιδή, perfectos panes semper offert sacerdos, particulas autem, & Diaconos vidimus offerentes, quamvis hoc prohibuerimus. Ex his igitur omnibus, & antiquis traditionibus licet colligere, solum panem, vel panes, qui in memoriam Domini offeruntur, esse corpus Domini. Non dicam, hactenus Simeon, quippe qui ulteriùs progreditur; hactenus tamen, quia eadem fermè repetit.

Refellitur falsa, & hæretica opinio adversariorum de particulis.

CAPUT XII.

VErum hæc opinio, & ineptissima est, & simul & hæretica. Et profectò, si vera esset, non ineptè dixisset Polonus ille Ruthenos non distribuere corpus Domi-

nicum. Cùm enim passim presbyteri Græcorum illas particulas una cum aliis in calice misceant, & eas loco sacramenti exhibeant, neque discernere valeant; quid aliud superest dicere, quàm eos non corpus Christi, sed simplicem panem distribuere?

Deinde quænam est hæc similitudo? quæ item illatio? Sancti non possunt evadere naturâ Dij, igitur particulæ non consecrantur. Hæc enim sunt adeo inter se disparata, ut magis distent, quàm cœlum à terra. Non secus ac si diceremus: quia Gabriel Philadelphiæ antistes alienus est à Romana Ecclesia, & per consequens est non solum schismaticus, sed etiam hæreticus: Igitur Petrus Arcudius Catholicus & orthodoxus non potest salvari. Quantùm enim distant inter se hæc illius longè disparata fundamenta, quæ tamen ipse consociat, fieri corpus Christi, quòd possibile est, panis enim vertitur in corpus Christi; & fieri Deum naturâ, quòd impossibile est: tantùm distant illationes quæ ex his inferuntur. Num enim corpus Christi, quia substantia panis in illud vertitur, propterea Deus evadit? ut aliqua sit similitudo: cùm nulla res sit quæ in divinitatem verti queat. Immo verò facilius esset nostra corpora verti in corpus Christi, quàm corpus Christi in divinitatem. Et quidem corpora nostra nedum in divinitatem, sed neque in corpus Christi vertuntur. At panis particularum, qui est apta materia sacrificij, & sacramenti ex institutione Christi, quid obstat, quominus in corpus Christi vertatur? Unde hæc omnia optimè stare possunt, panem in corpus Christi converti, & illud Deo patri offerri in memoriam passionis Christi, in honorem Sanctorum, in emolumentum vivorum & mortuorum. Quæ cùm Simeon & Philadelphiensis simul conjungere nescirent, in hæc absurda devenere.

Præterea quæ nova ista Theologia est, Sanctos nunc in cœlo cum Christo regnantes, & undequaque secundùm spiritum beatos, ex hoc sacrificio sanctimoniam acquirere? Et per consequens sempiternæ felicitatis, & gloriæ incrementum? Et si acquirunt à sacrificio, quorsum particulæ, quæ secundùm illos minimè sunt sacrificium? At enim significant eorum sanctitatem esse limitatam, simul etiam participatam, & communicatam ab altero.

Sed profectò ea doctrina adeo clara est, & vel imperitissimis modò Christianis obvia & trita, ut nullis planè symbolis tanquam involucris egeat, quibus declaretur, seu veriùs obscuretur. Frustra igitur abhibentur particulæ. Quis enim nesciat Sanctos non esse naturâ Deos? quem lateat, Beatos virtutibus ornatos esse ex eo quod adhæreant summo bono, eorumque sanctitatem omnem à Deo Optimo Maximo fonte totius sanctitatis pendere, ac promanare? An reperitur quispiam, modò sit Christianus, qui multos Deos esse, fieri posse censeat? Ut propterea signis istis exterioribus potiùs monendus sit quasi minus sufficiat, vel minus prodenda sit doctrina de Deo sermonibus tradita.

Ad hæc, si propterea particulæ non consecrantur, eo quòd sancti naturâ Dij evadere minimè possunt; à contrario si verè consecrarentur, participarent Beati φύσει divinitatem, non χάριτι. At verè consecrantur, & in verissimum corpus Christi vertuntur, ut mox ostendam: igitur qui hanc doctrinam tradunt, multos Deos agnoscant, & colant necesse est. Quòd autem consecrantur, probatur hac ratione.

Probatur particulas consecrari ex natura, & conditionibus sacrificij.

Caput XIII.

Panis ille particularum est vera materia sacrificij, & circa illum fiunt omnia requisita sacrificio, proinde conveniunt illi omnes conditiones sacrificij, neque datur in lege gratiæ præter unum sacrificium, ergo verè consecratur.

Ut hæc probentur, in primis natura sacrificij

crificij propriè accepti explicanda eſt. Quamvis autem ſacrificium ſit ipſa victima, quia tamen circa ipſam multa fiunt, neque eſſet ſacrificium niſi certis cerimoniis adhibitis conſecraretur, idcirco quærendum eſt, quidnam ſit ſacrificium, quatenus complectitur actionem unà cum victima. Hoc enim modo facilè cognoſcere poterimus, quæ ſe teneant ex parte actionis, quæ item ex parte victimæ, ac materiæ ſacrificij.

Igitur ſacrificium, hoc modo ſumptum eſt actio, hoc eſt, oblatio. Qui enim ſacrificat, aliquid agit, & offert Deo. Quamvis autem multæ ſint oblationes, & ſacrificare ſit ſpecies oblationis, oblatio verò genus, tamen per excellentiam, tum in ſcriptura, tum apud Eccleſiaſticos Scriptores paſſim offerre, Græcè προσφέρειν idem eſt, atque ſacrificare, & προσφορὰ ſacrificium.

Neque tamen qualiſcumque actio eſt, ſed externa oblatio. Quippe poſſumus offerre nos ipſos Deo affectu animi & voluntate: ſed ea oblatio ſacrificium improprium eſt, inviſibile, atque internum. At verò ſacrificium propriè debet eſſe manifeſtum, publicum, atque teſtificatio quædam interni affectus. Hæc actio externa fit circa particulas.

Tertiò hujuſmodi actio fit ſoli Deo. Nam oblationes externæ poſſunt etiam fieri hominibus, ut cùm quis alteri defert honorem caput nudando, genua flectendo, corpus totum proſternendo, ſupplicando, invocando. Vel homini, & Deo fiunt, ut cùm dantur eleemoſynæ pauperibus propter Deum. At non ſunt ſacrificia. Quia ſacrificium, propriè pertinet ad cultum latriæ, qui ſoli Deo convenit. Unde Exod. 22. qui ſacrificat Diis, occidetur, præterquam Domino ſoli. Ut enim eſt interior quidam cultus, quem ſoli Deo exhibemus, cùm eum agnoſcimus primum & ſummum bonum, cauſam efficientem, & finalem omnium rerum, & ut tali cor noſtrum illi demiſſiſſimè proſternimus; ſic etiam debuit eſſe externum aliquod ſignum, quo proteſtaremur cultum iſtum ſoli Deo debitum. Sed iſte panis τῶν μερίδων, quamvis in honorem beatorum vel utilitatem vivorum & mortuorum offeratur, tamen pro ſanctis, non autem ſanctis, ſed Deo ipſi ſoli offertur. Pro vivis & mortuis, non vivis & mortuis ſacrificatur. Quod etiam Græci fatentur, αἱ μερίδες (inquit Simeon) εἰς μνήμην εἰσὶν ὑπὲρ ὧν προσφέρονται). Particulæ ſunt in memorium eorum, pro quibus offeruntur. Cui? præterquam ſoli Deo? an ipſis pro ipſis offeruntur? Egregiè Auguſtinus libro 20. contra Fauſtum cap. 21. Quis, inquit, antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit.

Quartò iſta externa oblatio fit ſoli Deo ad finem congruentem. Is verò duplex eſt moralis, & myſticus. Moralis multiplex eſt. Quippe ſacrificia, vel Deo auctore, vel more, & inſtituto majorum, vel inſtinctu naturæ fiunt, & offeruntur. Quibus vel humanam infirmitatem, & divinam Majeſtatem profitemur. (Hic enim eſt finis proprius, & generalis ſacrificiorum. Nempè ſunt quaſi tributa, quæ Deo redduntur in recognitionem ſupremi dominij ipſius & noſtræ ſubjectionis. Significamus enim hac ratione omnia à Deo procedere, & in ipſius honorem conſumenda:) vel admiſſa peccata expiamus: vel Dei auxilium invocamus ad bonum aliquod obtinendum: vel denique juſtas, & debitas pro beneficiis á Deo acceptis gratias referimus.

Porrò iſte finis continet cùm ſanctos, tum vivos, & mortuos, pro quibus vel gratias Deo agimus, vel ab eo aliquid impetrare contendimus. Quare particulæ non excluduntur ab iſto fine, neque à myſtico, ut dicam poſtea in ſolutione argumentorum.

Quintò talis oblatio fit à legitimo miniſtro, hoc eſt Epiſcopo, vel Preſbytero. Non enim cujuſcumque eſt offerre ſacrificium, ſed propriè, & per ſe ad actionem ſacerdotis pertinet. Ad Hebræos 5. omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt

ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia.
Unde sacrificium, & sacerdotium relativa
sunt, & omnino inseparabilia. Siquidem à
θύειν, quod est sacrificare fit sacrificium,
θυσία, & θύτης, sacerdos: & ab ἱερεύειν, sa-
crificare, ἱερεῖον, sacrificium, & ἱερεὺς, sa-
cerdos.

At illas particulas nedum laicis, sed ne
Diaconis quidem offerre fas est. Nulla au-
tem ratio reddi potest quare offerre non
possint, nisi ea sola, quam reddit Conci-
lium primum Nicænum can. 18. Quia
videlicet Diaconi non habent potestatem
sacrificia offerendi. Unde cum non possint
Diaconi offerre particulas, signum est eas
consecrari, & esse sacrificium. Et propter-
ea negat Concilium posse eos Eucharistiam
presbyteris distribuere. οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε
συνήθεια παρέδωκε τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσ-
» φέρειν, τούτοις τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα
» Χριστοῦ. Neque canon, inquit, neque con-
» suetudo tradidit, ut ij, qui offerendi sacri-
» ficium non habent potestatem, his, qui of-
ferunt, Corpus Christi porrigant.

Epiphanius quoque hæresi 79. dum re-
prehendit quasdam mulieres, quæ pla-
centam offerebant per modum sacrificij
B. Virgini, dicit neque Diaconos istud
posse efficere; καὶ γὰρ οὔτε διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλη-
σιαστικῇ τάξει ἐπιστεύθησαν σαί τι μυστήριον ἐπιτελεῖν,
» ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελλόμενα. Nam
» neque Diaconis in Ecclesiastico ordine
» concreditum est, ut aliquod mysterium
» peragant, sed solùm ut administrent im-
» perata. Quam eandem rationem Concilij,
& Epiphanij optimè tangit ipsemet Thes-
salonicensis his verbis: τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς
προσκομιδῆς οὕτω. ἐν ᾗ καὶ πάντες οἱ πρεσβύτεροι
προσφέρουσι περὶ ὧν χρεία, καὶ μάλιστα τῶν τὴν
ἑορτὴν τελούντων, καὶ τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ὧν ἀνάγκη
λοιπόν. καὶ οἱ διάκονοι δὲ πάντες διὰ τῶν πρεσβυ-
τέρων. οὐδὲ γὰρ θέμις προσφέρειν διακόνοις δι' ἑαυ-
τῶν. ἐπεὶ τὸ χάρισμα τοῦ προσκομίζειν θεῷ [Nο-
ta, τὰς μερίδας προσκομίζεσθαι τῷ θεῷ] οὐκ ἔχου-
σι. διάκονοι γάρ εἰσι, τὴν λειτουργικὴν ἀξίαν ἔχον-
τες μόνον. εἰ οὖν οὐ δυνατὸν αὐτοῖς ἱερατικὸν ἐν-
δύσασθαι ἄμφιον δίχα εὐλογίας ἀρχιερέως, ἢ ἱε-
ρέως, οὔτε ἐνάρξασθαί τινος ἱερᾶς τελετῆς ἄνευ
πρεσβυτέρου, πῶς ἄρα οὗτοι δι' ἑαυτῶν προσκομί-
σουσι; εἰ δὲ ὁ κανὼν ἀπαγορεύει διάκονον πρὸ τοῦ
ἱερέως μεταλαβεῖν, καὶ τῶν τιμίων δώρων τελειωθέντων,
ἵνα τηρῇ τὴν ἑαυτοῦ τάξιν ἕκαστος, πῶς ἐν τοῖς
δώροις προσκομίζει διάκονος; Quæ circa obla- “
tionem, quam vocant προθεσίαν (hoc “
est præparationem liturgiæ) fiunt, ita se “
habent; in qua sanè etiam cuncti presby- “
teri pro iis, quibus est opus, offerunt; præ- “
sertim verò pro festum suis impensis ce- “
lebrantibus, ipsoque Pontifice, ac deinceps “
reliquis, quibus necesse est. Similiter om- “
nes Diaconi offerunt per Presbyteros. “
Neque enim fas est Diaconis per seip- “
sos offerre. Quandoquidem donum of- “
ferendi Deo non habent. Siquidem Dia- “
coni sunt ministerij dignitate tantùm præ- “
diti. Si igitur fieri non potest, ut ipsi sacer- “
dotale vestimentum sine Pontificis, aut “
sacerdotis benedictione induant, aut ul- “
lum sacrum mysterium sine Presbytero in- “
choent, quanam ratione per se ipsos offe- “
rent? Et si canon vetat Diaconum ante sa- “
cerdotem communionis participem fieri, “
quamvis præclara munera sint consecrata, “
ut quilibet suum gradum servet, quomo- “
do in oblatione munerum Diaconus offe-
ret? Hucusque Simeon. Et longè doctior
illo Gregorius Pachymeres exponens ter-
tium caput Dionysij de cœlesti Hier. Ubi
docet Areopagita sacrorum antistitibus,
& initiatis nefas esse quicquam aliter ex-
ercere, quàm præscribant sacræ constitu-
tiones, cùm Deus sit omnium mysterio-
rum auctor, & ad producendos eorum ef-
fectus, primarius concurrat: hoc illustran-
do exemplis interpres ait: οἷον φέρ' εἰπεῖν
διάκονον προσφέρειν, ἢ πρεσβύτερον χειροτονεῖν.
Ut verbi gratiá, si Diaconus offerat, vel “
presbyter per manus impositionem ali- “
quem sacris ordinibus imbuat. Istud esset “
παρὰ τὰς ἱερὰς διατάξεις, contra sacras Con- “
stitutiones. “

Sextò. Per hanc ministri publici actio-
nem offertur Deo res sensibilis, & perma-
nens. Nam externus cultus aliquando fit
per puros actus externos, interdum ali-
quibus adhibitis etiam rebus, puri vocan-
tur, quòd consistant solùm in aliquo mo-
tu, vel actione hominis, in qua perficiun-
tur, & consumuntur absque aliqua re
externa, circa quam versantur. Res ap-

pellantur, quæcumque res permanentes, quæ licet non poſſint in cultum Dei cedere, niſi media aliqua hominis actione, tamen quia ille cultus fit per uſum talium rerum, ideo dicitur fieri per ipſas res. Igitur in omni ſacrificio propriè dicto requiritur res aliqua ſenſibilis, quæ offeratur. Nec in ſola actione ſacrificium conſiſtere poteſt. Alioquin pſalmodiæ, preces, genuflexiones, & id genus, quando fiunt in honorem ſolius Dei, eſſent ſacrificia, quę tamen non ſunt: præterquam quod externus cultus per puros actus fit communis Deo cum aliis, Sacrificium verò ipſi ſoli convenit: Itaque ad differentiam actionum tranſeuntium, dicimus debere eſſe rem corpoream, & quæ poſſit ſenſu percipi: Immo quæ eſt ſæpius eſui, vel potui apta, eò quòd tanquam cibus Deo acceptus, & gratus, vel tanquam cibus miniſtrorum ejus offertur. Quocirca Geneſeos cap. 22. Iſaac ait patri, Ecce ignis & ligna, ubi eſt victima holocauſti? Hebræor. 8. Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur. Unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat. Ubi Apoſtolus colligit ex ratione communi ſacrificiorum non potuiſſe Chriſtum verè dici Pontificem, niſi habuiſſet victimam, quam offerret. Ob idque vocatur Chriſtus θῦμα, καὶ θύτης. προσφέρων, καὶ προσφερόμενος. Sacrificium & ſacrificans, offerens, & oblatus. Hæc conditio minimè deeſt particulis.

Dices, vel panis offertur, vel corpus Chriſti. At panis certè non offertur, alioquin nobiliora fuiſſent antiqua ſacrificia, tanquam animata, quàm panis inanimus. Non ergo convenienter offeruntur particulæ.

Deinde, ſi corpus Chriſti ſacrificatur, certè illud eſt inviſibile. Ergo fruſtra requiritur in ſacrificio hæc conditio, ut res ſit ſenſibilis.

Ad primum reſpondeo. Dico primò, argumentum æque militare adverſus minores particulas & majorem. Similiter enim aliquis interrogare poteſt, quid tum ſacrificatur, vel panis, vel corpus Chriſti? & ſi corpus Chriſti, tunc particula major fruſtra offertur.

Dico ſecundò, hoc argumento urgeri Græcos, qui concedunt particulas offerri Deo, & eas negant conſecrari. Tunc enim ſequitur antiquorum ſacrificia nobiliora fuiſſe noſtris.

Ad difficultatem itaque reſpondeo. Neque panem ſimpliciter, neque corpus Chriſti ſimpliciter offerri, ſed panem conſecratum. Vel, quod idem eſt, corpus Chriſti in ſpecie panis. Unde particulæ quatenus ſunt conſecrandæ, non fruſtra offeruntur.

Hinc verò ſolvitur etiam quod ſecundò objicitur. Eſt nempe conditio illa neceſſaria, ut res ſit ſenſibilis, quæ ſacrificatur. Tum quia omnia antiqua ſacrificia hujuſmodi fuerunt. Tum etiam quia alias non eſſet unum ſacrificium, ſed varia genera ſacrificij, ut ſunt variæ actiones tranſeuntes, quæ plerumque in honorem ſolius Dei fiunt. Ad difficultatem autem jam reſponſum eſt. Nam corpus Chriſti non eſt victima in ſacrificio abſolutè, ſed ut eſt in ſpecie panis. Sic autem eſt ſenſibile ac planè viſibile.

Septimò. Hæc res ſenſibilis ritu myſtico conſecratur. Nam ex profana ceremoniis quibuſdam adhibitis, fit ſacra, & Deo dicatur. Ita victima in lege veteri quodam certo ritu, & cerimonia myſterium continente, Deo conſecrabatur. Ut impoſitione manuum, vel elevatione oblationis in altum. Quocirca diſtinguitur etiam à ſimplici oblatione. Ut cùm fideles candelas accendunt, & conſumunt in templo ad honorem Dei, vel aliquid aliud ejuſmodi offerunt. Tunc enim cùm ob alias circunſtantias, quæ requiruntur, tum ratione legitimi miniſtri, & myſticæ conſecrationis, quæ videlicet deſunt, minimè illud eſt ſacrificium.

Verùm quoniam aliæ quoque nonnullæ oblationes, ut rami olivarum, palmarum, fructus arborum, panis, vinum, oleum, veſtes, & quæ talia ſunt, adhibitis ſub certa quadam pręſcripta forma verbis, ritibus, ac cerimoniis ſacerdotis miniſterio conſecrantur, quæ tamen non ſunt ſacrificia. Item in antiqua lege qui dicebantur

panes propositionis, qui ante altare Dei in mensa tabernaculi vel templi exponebantur. Decimæ quoque & primitiæ utpote dicatæ Deo, sacratæ intelligebantur. Et primitiæ quidem etiam coram Deo à sacerdote elevabantur. Et tamen oblationes erant, non autem sacrificia. Præterea, siquis in antiqua lege agnum vivum sumeret, eumque Deo offerens adhibito quoq; ritu mystico præsentaret super altare, non tamen occideret, si fortè fortuna aufugeret, illud procul dubio non esset sacrificium, sed quædam oblatio, veluti quando Abraham obtulit Isaac. Ob has igitur causas, id quod est tanquam genus, & pluribus convenit, per aliud restringitur ut sit sacrificium. Quare additur.

Octava, & postrema conditio, ut ea res sensibilis aliquid in se patiatur, ac proinde aliqua sua mutatione consecretur, & transmutatur, planeque destruatur: Cùm tamen aliæ oblationes supra numeratæ nullum sui realem mutationem patiantur, neque sint ob eam causam sacrificia. Nam vera sacrificia in veteri lege per aliquam actionem in honorem & cultum Dei transmutabantur, animal mactabatur, igni exurebatur ex toto vel ex parte. Thus adolebatur, farina clibano, sartagine, vel craticula coquebatur, panis in frusta & particulas dissecabatur. Spicæ triticeæ igne torrebantur, frumenti grana conterebantur, sanguis fundebatur, & spargebatur in parietes.

Quare sacrificium ex his omnibus conditionibus Theologi sic definiunt: Esse actionem externam, qua res aliqua corporea, & sensibilis à legitimo ministro ritu debito ac mystico, soli Deo offertur, & in finem congruentem consecratur, & transmutatur.

Has duas postremas conditiones accommodare nostro sacrificio, est aliquo modo laboriosum. Nam quid illud sit, quod consecratur & destituitur, difficile est explicare.

Inde verò tota provenit difficultas. Nam in antiqua lege animal quod offerebatur, quamvis esset vivum in termino à quo illius actionis, & oblationis, & mortuum in termino ad quem, proinde diversum & æquivocè animal, nihilominus tamen erat idem materialiter, & eodem modo appellabatur. At sic panis offertur in termino à quo, & Christus sub speciebus panis in termino ad quem. Quæ ne materialiter quidem inter se conveniunt, sed penitus diversa sunt, & distinctissima.

Præterea, ibi materia sacrificij erat res principalis, cujus destructio erat etiam præcipuè intenta in cultum Dei. Hic verò non materia, sed terminus sanctificationis est res præcipuè oblata. Et destructio materiæ non est tam per se intenta, sicut effectio termini ad quem tendit actio. Nam desitio panis tantùm est quasi via ad transsubstantiationem in corpus Christi. Neq; mirum. Nam ibi actio erat naturalis, utpote quæ ab agente principali naturali profluebat, & per consequens effectus atque immutatio naturalis producebatur. At hîc est principalis offerens Christus ut est in se, non quatenus sub speciebus panis, & actio est alterius ordinis plane divina & supercœlestis. Cùm itaque terminus à quo, & ad quem in hac supernaturali actione non ita se habeant, ut in mutationibus physicis, inde fit, ut Doctores scholastici non parum laborent ut ostendant, quanam ratione conditiones illæ sacrificio conveniant.

Omnes ferme Doctores veluti fundamentum jaciunt, consecrationem, quæ fit in liturgia verbis Dominicis, ad essentiam sacrificij pertinere, in eaque consistere sacrificium. Hoc autem supposito varij variè attribuunt sacrificio, & explicant has conditiones.

Nonnulli ex eo probant illas, atque ostendunt. Quia per consecrationem sacratur panis, & quia vertitur in corpus Christi, veram & realem mutationem in se patitur; desinit enim substantia ejus, ad honorem Dei, & incipit esse corpus Christi. Unde consecrationem requirunt tanquam necessariam, & essentialem, qua respicit panem.

Hæc sententia quo minus vera sit, illud potissimum obstat. Quia solus panis triticeus sacrificaretur. Quippe ille solus muta-

tur. Inde verò multa sequerentur absurda. Nam neque idem esset sacrificium Ecclesiæ, & sacrificium Crucis. Neque vivum appellaretur, & rationabile. Neque unum; cùm non eundem numero panem semper offeramus, reclamantibus sanctis Patribus Chrysostomo, Ambrosio, Primasio, & aliis, qui in cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, notant sacrificia Hebræorum fuisse multa: quia hodie unum agnum, cras alium offerebant. Nostrum autem esse unum, quia semper eundem offerimus Christum. Denique multò vilius esset nostrum, ut pote inanimum, antiquis sacrificiis.

Alij dicunt: Sacratur quidem corpus Christi, quia offertur, Deoque dicatur. Unde consecratio essentialis est, qua respicit Christum. Quia per eam Christus ponitur super altare, hocq; ipso offerri intelligitur. Destruitur verò, quia verè, licet mysticè, & incruẽter immolatur Christus. Nam vi verborum, hoc est corpus meum, &, hic est sanguis meus, seorsum ponitur in altari corpus à sanguine. Separare autem corpus à sanguine, nihil aliud est, quàm vera quædam immolatio, tamen incruenta. Quia naturalis concomitantia impedit quo minus verè sanguis, aut anima à corpore separentur.

Verùm quoniam hæc sententia, dum asserit ex vi verborum immolari Christũ, & tamen ponit concomitantiam, quæ utique ponenda est, affirmare simul, & negare videtur sacrificium, ideo Suarius eam prolixiùs ac probabiliùs explicat: ait enim consecrationem habere rationem sacrificij sub mystica mactatione, ac separatione corporis & sanguinis ex vi verborum, quia incruentum sacrificium, cruentum repræsentare debet juxta Christi verba in hunc sensum ab Ecclesia intellecta, Hoc facite in meam commemorationem; ipsum tamen sacrificium incruentum esse, solaque consecratione perfici, non destructione, seu immutatione. Quia nimirum, ut ipsum nomen sonat, sacrificium postulat, circa rem oblatam aliquid sacrum fieri, quo censeatur res moraliter sanctificata, & ad sacros usus deputata, ad recognoscendam divinam excellentiam. Hoc totum fit dum per consecrationem ponitur Christus super altare, & consequenter offertur Deo. Negat autem esse de ratione sacrificij necessariam immutationem, seu destructionem alicujus materiæ oblatæ. Nam primitiæ Levitici 23. offerebantur soli Deo, ob idque erant verum sacrificium sine hujusmodi mutatione, quamvis in plerisque aliis sacrificiis esset talis mutatio.

Huic sententiæ illud obiicere possemus. Quòd sacrificia, quæ in se destructionem patiebantur, & mutationem admittebant, ut holocausta, magis significabant divinam excellentiam, cujus videlicet non solùm usus, sed etiam substantia rerum foret. Et per consequens erant multò perfectiora, quàm alia. Quocirca & magis figurabant hoc nostrum sacrificium, quod certè carere illa perfectione non debet.

Sed facilè respondere posset Suarius, quin & respondet, holocaustum etiam figurasse sacrificium cruentum, & tamen corpus Christi post mortem incorruptum mansisse. Unde ratio formalis holocausti non in hoc consistit, ut tota res oblata consumatur, vel comburatur, vel aliquid simile patiatur, sed ut offeratur, & ordinetur in reverentiam & honorem divinæ majestatis. Excellẽtia verò divina satis declaratur, dum effectus talis producitur.

At contrà. Nam cruentum sacrificium, quamvis non fuerit combustum, ut holocaustum, tamen mutationem atque destructionem passum est, quando sanguis & anima separata sunt à corpore.

Sed neque combustio mystica defuit, quando totum mysterium passionis absolutum est, ob immensum amorem divinum, in quo veluti in fornace ardentissimo totum decoctum atque combustum est.

Idcirco idem auctor aliter quoque solvit principalem nodum difficultatis. Demus enim (inquit Suarius) necessariam esse ad sacrificium realem immutationem alicujus creaturæ, non inde fit esse necessariam per modum destructionis in re principaliter oblata, quia etiam potest esse

per modum effectionis. Itaque in antiquis sacrificiis fiebat tantùm destructio in honorem Dei, hîc in nostro sacrificio fit destructio simul & effectio. Destructio in termino à quo, effectio in termino ad quem.

Quòd si urgeas, ibi quod principaliter offerebatur, destruebatur: Respondebit, quia erat alterius ordinis immutatio. Hîc autem satis est, si minùs principale immutetur, & magis principale efficiatur, quo perfectissimè suppletur ratio sacrificij. Ut enim per actionem destructivam in re oblata principali potest coli Deus, & significari suprema ejus potestas; ita etiam per actionem effectivam ad hoc deputatam à Deo, similiter coli potest; præsertim si illa effectio sit supernaturalis, & divina, & terminetur ad præsentandam rem illi gratissimam, qua ipse maximè colitur, & honoratur.

Aliis placet, panem consecrari: At corpus Christi destrui. Consecrari quidem dum vertitur in corpus Christi: res enim alioquin profana, hoc est terrena, & communis fit sacratissima, corpus Christi. Destrui verò corpus Christi, quia per consecrationem sub specie panis fit cibus spiritualis animæ. Cibus autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem, & destructionem ordinatur. Itaque essentiam sacrificij statuunt non in sola consecratione, sed etiam in sumptione. Sic docet Bellarminus.

Si objicias, Illud consecratur quod offertur: Concedent; Nam etiam panis suo modo offertur. Est enim materia sacrificij, ac de illius essentia, quatenus ex aliis materiis sacrificium confici non potest.

Dices, quod principaliter offertur, illud consecratur: Respondebunt, non semper. Si ulterius objicias: Quod consecratur, sacrificatur & destruitur: Respondent simili modo, Non semper, sed quando idem remanet, saltem materialiter. Sed quia hîc non remanet idem, idcirco aliud sacratur, & aliud destruitur. Quamvis illa duo minimè diversum efficiant sacrificium.

Has ego recensui sententias, quæ omnes, exceptâ primâ, sua probabilitate non carent, & egregiè à suis auctoribus defenduntur: non ut eas examinarem, quod ad præsens institutum meum minimè spectat; ob idque argumenta illarum, & objectiones in utramque partem non nisi leviter, & ex parte tetigi, ac proposui. Sed ut ostē derem difficultatem rei, atque ut intelligeremus quas partes habeat consecratio panis in sacrificio. Alij enim ponunt eam, qua panem respicit, essentialem sacrificio. Alij qua Christum respicit: qua verò panem, præviam aiunt esse, atque quodam modo extrinsecam. Sic nimirum qui totam rationem sacrificij in principali oblatione consistere putant. Quocirca duplicem, & æquivocam intelligunt consecrationem, alteram panis, corporis Christi alteram. Utcumque sit, certè panis consecratio necessariissima est, sine qua sacrificium fieri non potest.

In hoc igitur puncto tota difficultas consistit. Quandoquidem negat Simeon & Philadelphiensis particulas hasce consecrari. Probo itaque hoc. Primum, ex vi cœlestis illius & ineffabilis consecrationis. Nam proferuntur potentissima verba Christi super illis particulis, & in persona Christi proferuntur, ideo enim sacerdos non dicit, hoc est corpus Christi, sed, hoc est corpus meum. Ergo verè sunt corpus Christi, & consecrantur. Neque est ratio cur in eadem patina unus panis consecretur, alter consecratione careat. Neque ulla intercedit intentio, sive universalem totius Ecclesiæ, sive particularem passim offerentium intelligas, quæ, quo minus id fiat, obstet.

Deinde, idem astruo deducendo rem ad absurda. Nam si panis particularum non transmutatur, erit simplex oblatio, & poterit offerri à quolibet, non solùm à sacerdote. Item poterit offerri non tantùm Deo, sed & reliquis Beatis. Quippe cæteræ omnes externæ oblationes communes sunt Deo cum aliis, excepto sacrificio, quod uni soli vero Deo convenit.

Postremò, non esset causa, quare in eadem patina particulæ collocarentur. Si enim Ecclesiæ Orientalis non est animus

particulas illas Deo, ut ſacrificium offerre, quare cum vero corpore Chriſti, per legitimum miniſtrum re ipſa offert? Dum ſacerdos clara, & intenta voce profert, & offert: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα. Tua ex tuis tibi offerimus ſecundùm omnia, & propter omnia. Igitur illæ particulæ cùm & à ſolo ſacerdote offerantur, & ſoli Deo offerantur, & unà cum corpore Chriſti in eodem altari, imo & eadem patina offerantur, & non aliter atque de Chriſto, de illis dicatur, tua ex tuis tibi offerimus ſignum: eſt, eas eſſe verum ſacrificium, & per conſequens veriſſimum corpus Chriſti. Quod alia nulla ratione, quàm conſecratione, hoc eſt, prolatione Dominicorum verborum fieri poteſt. Hæc ex natura ſacrificij.

Probatur idem ex contextu Liturgiarum.

CAPUT XIV.

PRobemus idem ex contextu liturgiarum. Si quis enim diligenter verba liturgiarum perpendat, manifeſtè reperiet in præparatione liturgiæ, quam vocant προσκομιδὴν, oblationem fieri in memoriam Chriſti, & poſt conſecrationem ſimiliter fieri oblationem in memoriam Chriſti. Sic enim ibi habetur: μεμνημένοι τοίνυν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς, καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γεγενημένων, τοῦ σταυροῦ, τοῦ τάφου, τῆς τριημέρου ἀναστάσεως, τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως, τῆς ἐκ δεξιῶν καθέδρας, τῆς δευτέρας καὶ ἐνδόξου πάλιν παρουσίας, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα. Memores igitur hujus ſalutaris mandati (quod videlicet in memoriam Chriſti ſit offerendum) & omnium, quæ pro nobis geſta ſunt, crucis, ſepulcri, triduanæ reſurrectionis, à dextris cathedræ, ſecundi & glorioſi rurſus adventus, tua ex tuis tibi offerimus ſecundùm omnia & propter omnia. Idque meritò. Nam illa particula major in prima oblatione offertur, non ut ſimpliciter panis, ſed ut conſecrandus. Idcirco iteratur oblatio, immo τριπλασιάζεται. Primò ἐν τῇ προσκομιδῇ, cùm dicitur, εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. In commemorationem Domini & Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Deinde ante conſecrationem, ſtatim μετὰ τὴν μεγάλην εἴσοδον, poſt magnum donorum ingreſſum, hoc eſt in offertorio, cùm recitatur illa oratio, cujus inſcriptio eſt, εὐχὴ προσκομιδῆς μετὰ τὴν ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ τῶν θείων δώρων ἀπόθεσιν. Oratio oblationis poſt divinorum donorum in ſacra menſa depoſitionem. Oratio ſic incipit, κύριε ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ μόνος ἅγιος. Domine Deus omnipotens, qui ſolus ſanctus es. Poſtremò poſt conſecrationem cùm dicunt, tua ex tuis tibi offerimus. Nam in ſacrificio, ut antea dixi, neque ſimpliciter panis, neque ſimpliciter corpus Chriſti ſacrificatur, ſed panis conſecratus, vel corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis immolatur. Quamvis autem ipſa conſecratio tacita ſit quædam oblatio: quippe vi conſecrationis victima in altari ponitur, & per conſequens Deo offertur; tamen Eccleſia clariſſimis verbis factum Chriſti approbans iſtud iterat. Cùm itaque idem planè fiat dum commemorantur ſancti, cur idem de illorum oblatione, hoc eſt, quæ pro illis offertur, non ſentiamus? Nam ἐν τῇ προσκομιδῇ offeruntur particulæ in memoriam & honorem ſanctorum pro vivis, pro mortuis. Conſecratione peracta, & commemoratione ſecunda Chriſti facta, denuo pro iiſdem offertur: ergo particulæ verè conſecrantur. Quæ propterea etiam nomine ſacrificij exprimuntur. Idque non ſolùm peracta conſecratione, verùm etiam in prima oblatione, quando fit præparatio liturgiæ. De particula enim Diparæ ſic ad verbum habes: εἰς τιμὴν καὶ μνήμην τῆς ὑπερευλογημένης ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. ἧς ταῖς πρεσβείαις πρόσδεξαι κύριε τὴν θυσίαν ταύτην εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον. In honorem & memoriam ſuper cæteras omnes benedictæ glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſemperque Virginis Mariæ, cujus deprecationibus ſuſcipe, Domine, hoc ſacrificium in ſupercœleſte tuum altare. Neque poſſunt referri illa verba τὴν θυσίαν ταύτην

ad majorem tantùm particulam exclusis minoribus. Hæc enim verba dicit presbyter, quando minorem particulam in patina ponit, quasi explicans & manu ostendens quidnam sit illa particula. Est enim inchoativè sacrificium. Post consecrationem verò de iisdem particulis ita sequitur: ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, ἐγκρατευτῶν, καὶ παντὸς πνεύματος ἐν πίστει τετελειωμένου. ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου. τοῦ ἁγίου τοῦ δεῖνος οὗ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν, καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων, ὧν ταῖς ἱκεσίαις ἐπισκέψαι ἡμᾶς ὁ θεός. καὶ μνήσθητι πάντων τῶν κεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου. καὶ ἀνάπαυσον αὐτοὺς ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου.

» Præterea (inquiunt) offerimus tibi ratio-
» nabile hoc, & incruentum obsequium pro
» Progenitoribus, Patribus, Patriarchis,
» Prophetis, Apostolis, Præconibus, E-
» vangelistis, Martyribus, Confessoribus,
» Continentibus, qui in fide requieverunt:
» & omni spiritu, qui in fide consummatus
» est. Potissimùm pro sanctissima, immacu-
» lata, plusquam benedicta, gloriosa Do-
» mina nostra Deipara, semperque Virgi-
» ne Maria. Pro sancto glorioso propheta,
» præcursore Baptista Joanne. Pro san-
» cto N. cujus memoriam celebramus, &
» omnibus sanctis tuis, quorum precibus
» visita nos Deus. Et memento omnium,
» qui in spe resurectionis vitæ sempiternæ
» dormierunt. Et recrea eos ubi resplendet
» lumen vultus tui, & quæ sequuntur. Commemorant enim statim vivos, & supplicant ferme pro toto orbe. Sic undique liturgiarum loca concordant. Alioqui post consecrationem quorsum fieret sanctorum memoria?

Si dixerint, quia offertur sacrificium pro illis sub majori particula contentum. Contrà. Nam primò si particulæ minores non consecrantur, neque sunt idem planè sacrificium cum majori particula, quid est quod in προσκομιδῇ offeruntur, cùm illa major sola sit sufficientissima pro omnibus, quando quidem pro omnibus, juxta sententiam illorum, post consecrationem offertur? Unde cæteræ supervacaneæ, immo & inutiles erunt. Deinde à contrario, si particulæ in præparatione liturgiæ oblatæ minùs postea consecrantur, quia pro sanctis offeruntur, qui non sunt naturâ Dij, pro vivis, pro mortuis: ergo sacrificium, quod pro illis offertur, peracta consecratione, similiter non consecratur. Eritque simul sacrificium & non sacrificium, consecratum, & non consecratum. Quę quàm absurda sint, nemo non videt.

Pręterea, sancti Patres communiter docent, sacrificium offerri in memoriam & honorem sanctorum. Chrysostomus homilia 21. in Acta, ingentem affirmat esse honorem sanctis, quòd nominentur Domino præsente, dum horrendum illud sacrificium peragitur. Idem prodesse omnibus viventibus, rite fieri pro defunctis, Ergo particulę, quę offeruntur pro sanctis, pro vivis, pro mortuis, sunt verum sacrificium, & consequens est, ut consecrentur. Cùm consecratio inter alias una sit conditio necessaria ad sacrificium constituendum. Chysostomus Homilia 79. ad populum Antiochenum. Altari, in- «
quit, assistens sacerdos pro terrarum orbe, «
pro Episcopis, pro Ecclesia, pro guber- «
nantibus Ecclesiam jubetur Deo offerre. «
Et libro 6. de sacerdotio, Sacerdos inquit, «
pro universo orbe terrarum legatus inter- «
cedit, deprecatorque est apud Deum, ut «
hominum omnium non viventium modò, «
sed etiam defunctorum peccatis propitius «
fiat. Similia habet Homilia 21, in Acta, & «
Homilia 72. in Matthæum. Quæ omnia similiter exstant in ipsius liturgia. Sed verè aureus locus est, & à nobis diligenter expendendus Homilia 41. in priorem ad Corinthios: βοηθεῖν (δεῖ) ὡς οἷόν τε ᾖ, οὐ δακρύειν, ἀλλ' εὐχαῖς καὶ ἱκετηρίαις, καὶ ἐλεημοσύναις καὶ προσφοραῖς. οὐ γὰρ ἁπλῶς ταῦτα ἐπινενόηται, οὐδὲ εἰκῇ μνήμην ποιούμεθα τῶν ἀπελθόντων ἐπὶ τῶν θείων μυστηρίων, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν πρόσιμεν, δεόμενοι τοῦ ἀμνοῦ κειμένου, τοῦ λαβόντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀλλ' ἵνα τις ἐντεῦθεν αὐτοῖς γένηται παραμυθία. οὐδὲ μάτην

ὁ παρεστὼς

ὁ παρεστὼς τῷ θυσιαστηρίῳ τῶν φρικτῶν μυστηρίων τελουμένων, βοᾷ, ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν Χριστῷ κεκοιμημένων, καὶ τῶν τὰς μνείας ὑπὲρ αὐτῶν ἐπιτελουμένων. εἰ γὰρ μὴ ὑπὲρ αὐτῶν αἱ μνεῖαι ἐγίνοντο, οὐδ᾽ ἂν ταῦτα ἐλέχθη. Oportet, quoad ejus fieri potest, & succurrere, non lachrymis, sed precibus, & supplicationibus, & eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temerè excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis memoriam facimus, & pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit; sed ut inde illis aliqua sit consolatio. Neque abs re is, qui adstat altari, dum tremenda mysteria peraguntur, clamat, pro omnibus, qui in Christo dormierunt, & iis, qui pro ipsis memorias faciunt. Nam si pro ipsis non fierent memoriæ, ne hæc quidem dicta essent. Ubi per memorias in sacro mortuorum sanctissimus Doctor fidelium oblationes intelligit, quæ offeruntur pro defunctis, potissimùm panes, ex quibus particulas eximunt in emolumentum ipsorum. Nam cùm particulas offerunt in præparatione liturgiæ, istud est valde tritum, & visitatissimum verbum, μνήσθητι δέσποτα τοῦ κᾶνος, memento Domine talis. Et ὑπὲρ μνήμης καὶ ἀφέσεως, pro memoria, & remissione, subintelligas προσφέρομεν, offerimus. Et in rubricis, μνημονεύει ὧν βούλεται κατ᾽ ὄνομα ζώντων, ἢ τεθνεώτων, memoriam facit sacerdos singillatim quorum vult vivorum, vel mortuorum. Sensus est, offert seorsum & nominatim particulas pro quibus vult vivis & mortuis, ut patet ex Euchologio. Sic etiam intelligunt vel imperitissimi Grecorum presbyteri, immo quilibet ex populo hac utitur phrasi, cùm sacerdoti prębet oblationem: μνημόνευσόν μοι τὸν δεῖνα, memoriam agas mihi talis vivi vel mortui. Alioquin explicet nobis Philadelphiensis quid sibi volunt ista verba in liturgia μνήμη, & μνημονεύω, dum offeruntur particulæ.

Et fortassis idem mos olim fuit Ecclesiæ Romanæ: hoc enim innuere mihi videtur Innocentius I. in Epist. 29. ad Decentium Episcopum Eugubinum, ubi ait: De nominibus verò recitandis antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quàm superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis. Ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus antè nomen insinues: quamvis illi incognitum sit nihil. Priùs ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ antè præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

De his ergo memoriis, hoc est oblationibus (ut ad Chrysostomum redeam) ita scribit eloquentissimus Doctor: βοηθῶμεν τοίνυν αὐτοῖς, καὶ μνείαν ὑπὲρ αὐτῶν ἐπιτελῶμεν. εἰ γὰρ τοὺς παῖδας τοῦ Ἰὼβ ἐκάθαιρεν ἡ τοῦ πατρὸς θυσία, τί ἀμφιβάλλεις, εἰ καὶ ἡμῶν ὑπὲρ τῶν ἀπελθόντων προσφερόντων, γίνεταί τις αὐτοῖς παραμυθία. Eis ergo opem feramus, & commemorationem ipsorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt, offerentibus, eis existat aliqua consolatio?

Nota primò hîc ex verbis Chrysostomi, idem esse memoriam ipsorum agere, & oblationes offerre pro ipsis. Nota secundò has memorias & oblationes pro mortuis Chrysostomum comparare cum sacrificio Jobi, & argumentari à minori ad majus. Si enim, inquit, Jobi sacrificium expiabat filios, quid dubitas, an nobis pro eis offerentibus, illis existat aliqua consolatio? Quasi dicat, multò magis nostrum sacrificium longè nobilius ac præstantius existens, rem minorem præstare poterit, & consolationem aliquam ipsis afferet. At si illæ particulæ non consecrantur, ineptè argumentatur Chrysostomus. Non enim sunt sacrificium. Deinde ne quis putaret, diversum quid esse memorias, hoc est, particulas à sacrificio, pergit Chrysostomus: μὴ δὴ ἀποκάμωμεν τοῖς ἀπελθοῦσι βοηθοῦντες, καὶ προσφέροντες ὑπὲρ αὐτῶν εὐχάς. καὶ γὰρ τὸ κοινὸν τῆς οἰκουμένης κεῖται καθάρσιον. διὰ τοῦτο θαῤῥοῦντες ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης δεόμεθα τότε, καὶ μετὰ μαρτύρων αὐτοὺς καλοῦμεν. μετὰ ὁμολογητῶν, μετὰ ἱερέων. καὶ γὰρ ἓν σῶμα ἐσμὲν ἅπαντες, κἂν λαμπρότερα μέλη μελῶν, καὶ δυνατὸν πάντοθεν συγ-

γνώμην αὐτοῖς συναγαγεῖν ἀπὸ τῶν εὐχῶν, ἀπὸ τῶν ὑπὲρ αὐτῶν δώρων, ἀπὸ τῶν μετ' αὐτῶν καλουμένων. Ne igitur nos pigeat opem ferre iis, qui excesserunt, & pro eis offerre preces. Est enim proposita orbis terræ communis peccatorum purgatio. Propterea fidenter pro terrarum orbe tunc rogamus, & cum martyribus eos nominamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiam si sint membra membris splendidiora. Et fieri potest, ut veniam eis omni ex parte conciliemus, à precibus, à donis, quæ pro eis offeruntur ab iis, qui cum ipsis nominantur.

Ut hæc verba Chrysostomi meliùs intelligantur, repetenda sunt nonnulla, quæ à principio hujus quæstionis observavimus. Itaque sciendum est, in sacrificio fieri memoriam sanctorum, vivorum & defunctorum, quia sunt membra ejusdem corporis mystici Christi, quod in sacrificio altaris, ut ait sanctus Augustinus, offertur Deo per Christum sacerdotem magnum. Vario tamen fine ipsorum memorias agimus. Et quidem sanctorum, quia per sacrificium gratias agimus Deo pro ipsis tanquam nobilissimis membris, qui amplissima præmia & immarcescibiles coronas, à liberalissimo athlotheta Salvatore nostro consequuti fuerint; hacque ratione sacrificium est Eucharisticon. Et quoniam hoc modo eos honoramus, ipsi vicissim & propter hoc beneficium, & quia sunt membra ejusdem corporis, supplices tendunt manus ad Deum pro nobis veluti membris. Pro mortuis item non dissimili ratione, qui tamen sint in statu salutis, hoc est in purgatorio. Indeque provenit communicatio sanctorum. Vivorum memorias modò data opera prætereo. Et antea exposui, qua ratione fideles utilitatem capiant. Mortuorum verò in sacro nos facimus memorias, partim quia per orationes, partim ac potissimùm quia per sacrificium, quod expiatorium est, eos juvamus. Hæc indicare hoc in loco mihi videtur Chrysostomus. Quippe & membra corporis mystici, & patrocinium sanctorum commemorat. Unde ad suum propositum disserens de suffragiis mortuorum, triplicem tradidit utilitatem, nimirum ex nostris precationibus, ex ipso sacrificio, & intercessione pro ipsis sanctorum.

Modò quæro à Græcis, qui particulas negant consecrari, an utilitatem aliquam ex oblatis particulis, qui excesserunt, nanciscantur. Si negent, frustra offerunt, & pro ipsis memorias agunt, contra quam doceat Chrysostomus. Si concedant, ut eos concedere par est, & certò scio, eos concedere; ut etiam Philadelphiensis ipse libenter concedit: in quo membro utilitatis ponemus illas particulas? Inter nostras precationes, inter sanctorum intercessiones, an inter dona, quæ offeruntur? Nam Chrysostomus ait: δυνατὸν πάντοθεν συγγνώμην αὐτοῖς συναγαγεῖν: Fieri potest, ut omni ex parte veniam eis conciliemus. Quo modo loquendi complectitur omne genus utilitatis, quod in sacro fieri potest. Statimque per partes explicat, unde hæc utilitas proveniat. At profectò particulæ quomodo ad precationes nostras, vel sanctorum accommodari queant non video. Ergo ad ipsa dona referuntur. Sed ipsa dona consecrantur, quippe de illis Chrysostomus enunciat, τὸ κοινὸν τῆς οἰκουμένης κεῖται καθάρσιον. Communis terrarum orbis proposita est expiatio. Hoc est, Christus sacrificium. Nam illa tria postrema membra. ἀπὸ τῶν εὐχῶν, à precibus, ἀπὸ τῶν ὑπὲρ αὐτῶν δώρων, à donis, quæ pro ipsis offeruntur, ἀπὸ τῶν μετ' αὐτῶν καλουμένων, ab iis, qui cum ipsis nominantur, respondent aliis tribus antea memoratis: προσφέροντες ὑπὲρ αὐτῶν εὐχάς, τὸ κοινὸν τῆς οἰκουμένης κεῖται καθάρσιον, διὰ τοῦτο δεόμεθα καὶ μετὰ μαρτύρων αὐτοὺς καλοῦμεν. Præterquam quòd etiam nomen munerum, & donorum per excellentiam huic mysterio accommodatur. Et nota contra Simeonem Thessalonicensem, quòd panes, ex quibus decerpuntur particulę, meritò vocari possũt ἀντίδωρα, quandoquidem ex sententia Chrysostomi particulæ, quæ offeruntur pro mortuis, appellantur δῶρα. Sed de loco Chrysost. satis.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta mystagogica: προσφερομένης σοι τῆς θυσίας, &c. μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς

ἁγίας, καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. Offerimus, inquit, tibi ſacrificium, maximum eſſe credentes animarum juvamen pro quibus offertur deprecatio, ſancto ac tremendo propoſito ſacrificio.

Quod ipſum exemplo huic rei ſatis accommodato declarat Cyrillus: βούλομαι ὑμᾶς ἀπὸ ὑποδείγματος πεῖσαι. οἶδα γὰρ πολλοὺς τοῦτο λέγοντας, τί ὠφελεῖται ψυχὴ, μετ' ἁμαρτημάτων ἀπαλλασσομένη τοῦδε τοῦ κόσμου, ἢ οὐ μεθ' ἁμαρτημάτων, ἐὰν ἐπὶ τῆς προσευχῆς μνημονεύηται; ἆρα γὰρ εἴ τις βασιλεὺς προσκεκρουκότας αὐτῷ, ἐξορίστους ποιήσειν, εἶτα οἱ τούτοις διαφέροντες, στέφανον πλέξαντες ὑπὲρ τῶν ἐν τιμωρίαις, αὐτῷ τοῦτον προσενέγκοιεν, οὐκ ἂν αὐτοῖς ἄνεσιν δοίη τῶν κολάσεων; τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡμεῖς ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων αὐτῷ τὰς δεήσεις προσφέροντες, κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσιν, οὐ στέφανον πλέκομεν, ἀλλὰ Χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προσφέρομεν, ἐξιλεούμενοι ὑπὲρ αὐτῶν καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον. Volo, inquit, iſtud vobis exemplo perſuadere. Scio enim multos, qui dicunt, quid juvat animam ſive cum peccatis, ſive abſque peccatis ex hoc mundo decedentem, ut in precibus ſacrificij mentio illius fiat? An enim ſi Rex aliquis eos, à quibus offenſus eſt, in exilium pepulerit, poſtea verò illorum propinqui coronam aliquam contextam pro his, qui ſunt in ſupplicio, exulibus, eidem offerent, nonne condonationem aliquam ſuppliciorum ipſis dederit? Ad eundem modum & nos pro defunctis, precationes adhibentes, quamvis ſint peccatores, non quidem coronam nectimus, ſed Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis, eum, qui eſt benigniſſimus, propitiū reddamus. Sic ille.

Ne verò aliquis verba prædictæ ſententiæ cavilletur, nota modum loquendi Cyrilli. Nam in liturgia ſacrificium cum precibus offerimus: neque enim muta ceremonia illud abſolvimus. Quæ duo Cyrillus commemorat: προσφέρειν θυσίαν ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων. τὸν Χριστὸν ἐσφαγιασμένον ὑπὲρ τῶν ἁμαρτημάτων προσφέρειν. ἀναφέρειν δέησιν προκειμένης τῆς θυσίας. ἐπὶ τῆς προσευχῆς μνημονεύειν. τὰς δεήσεις προσφέρειν ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων. Sed particulas Græci offerunt pro mortuis, pro peccatis mortuorum, pro utilitate illorum, & non ſimpliciter offerunt, ſed cum precibus offerunt, quibus & verba dominica conſecratoria continentur, ergo ſunt verum ſacrificium. Alioquin ſi non ſunt, injuriam faciunt Chriſto, qui verum & propitiatorium ſacrificium exiſtens, juxta mentem quorundam recentiorum Græcorum non videtur delendis peccatis ſufficere, ſed particulis indigere: quòd ſi illarum non indiget, ad quid igitur eæ offeruntur?

Dices, offerri Deo etiam thus, cereos, oleum, & id genus.

Verùm non eſt par ratio. Non enim hujuſmodi res ſunt apta materia ſacrificio, ut eſt panis particularum; ſed ſunt extrinſecæ & adhibentur ornatus causâ; At particulæ ponuntur in eadem patina.

Deinde ſi ejuſdem conditionis eſſent particulæ, poſſent offerri etiam ſanctis, ut offeruntur lampades, ſuffimenta, & ſimilia; at non offeruntur, præterquam ſoli Deo, igitur ſunt verum ſacrificium.

Jacobus in ſua Liturgia: δὸς γενέσθαι τὴν προσφορὰν ὑμῶν εὐπρόσδεκτον, ἡγιασμένην ἐν πνεύματι ἁγίῳ, εἰς ἐξίλασμα τῶν ἡμετέρων πλημμελημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων, καὶ εἰς ἀνάπαυσιν τῶν προκεκοιμημένων ψυχῶν. Fac ut oblatio noſtra grata & acceptabilis ſit, per Spiritum ſanctum ſanctificata in propitiationem peccatorum noſtrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admiſit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos dormierunt.

In quadam oratione de defunctis, quam Orientalis Eccleſia legit ſub nomine Joannis Monachi, & Preſbyteri Damaſceni, circa medium, ex Athanaſij oratione, εἰς τοὺς κοιμηθέντας, hæc afferuntur: ὅτι κἂν εἰς ἀέρα ὁ ἐν εὐσεβείᾳ τελειωθεὶς κατατεθῇ, μὴ ἀπαναίνου ἔλαιον καὶ κηροὺς, Χριστὸν τὸν θεὸν ἐπικαλεσάμενος ἐν τῷ τάφῳ προσάψαι. δεκτὰ γὰρ ταῦτα τῷ θεῷ, καὶ πολλὴν ἐξ αὐτοῦ φέροντα τὴν ἀντίδοσιν. τὸ γὰρ ἔλαιον καὶ ὁ κηρὸς ὁλοκαύτωσις, ἡ δέ γε ἀναίμακτος θυσία ἐξιλασμός. ἡ δὲ πρὸς τοὺς πένητας εὐποιΐα, προσθήκη πάσης ἀγαθῆς ἀντιδόσεως. Qui piè defunctus eſt, licet in aëre depoſitus ſit, ne abnuas ad ſepulcrum ejus oleum & cereos accendere Chriſto Deo invocato:

accepta quippe hæc Deo sunt, & multa ab eo provenit pro his retributio. Nam oleum & cereus holocaustum, incruentum verò sacrificium propitiatio est: in pauperes denique beneficentia additamentum fert omnis bonæ retributionis.

Si particulæ, quas offerunt Græci pro mortuis, fuissent aliquid diversum à sacrificio & oblatione, utique sancti patres eas commemorassent, & inculcassent; ut oleum, cereos, thus, eleemosynas, oblationes, liturgias, & bona opera tam frequenter recensent. Igitur vel sunt verum sacrificium, ut nos contendimus, vel mera superstitione sunt excogitatæ, & nullum prorsus emolumentum defunctis conferunt. Qualem enim utilitatem ex micis panis, quæ ibi offeruntur, mortui capient, si non consecrantur?

S. Cyprianus libro primo Epistola 9. jubet, ut non offeratur sacrificium pro quodam Christiano defuncto, qui reliquerat Presbyterum rerum temporalium procuratorem. Non est, inquit, quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio. Ambrosius lib. 2. Epistola 8. Itaque, inquit, non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor. Nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam.

Quare idem est Cypriano & Ambrosio fieri oblationem, hoc est, sacrificium pro aliquo, & Græcis offerre particulam pro aliquo. Neque enim in hac re Cyprianus, Ambrosius, Basilius & Chrysostomus inter se dissidebant. Immo Chrysostomus homilia 22. in Acta Apostolorum eodem planè modo loquitur quo Ambrosius: οὐκ εἰκῆ προσφοραὶ ὑπὲρ τῶν ἀπελθόντων γίνονται, οὐκ εἰκῆ ἱκετηρίαι, οὐκ εἰκῆ ἐλεημοσύναι. ταῦτα πάντα τὸ πνεῦμα διέταξε. Non frustra oblationes fiunt pro iis, qui decesserunt, non frustra supplicationes, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus ordinavit atque instituit. S. Augustinus in libro 9. Confessionum cap. 12. scribit, sacrificium pro matre sua defuncta oblatum fuisse. Idem faciunt Græci per particulas pro defunctis. Neque populus aliter particulas pro defunctis intelligit, quàm verum sacrificium, dum rogat sacerdotem, ut eas adhibeat. Quæ igitur nova & diabolica ista est hæresis, negare consecrationem particularum, & per consequens verum sacrificium pro sanctis, pro vivis, pro defunctis? Si enim non consecrantur præstat eas omittere, ac more Latinorum cum una tantùm particula divinam rem agere. Quæ enim Simeon & Philadelphiensis speculantur, sunt mera phantasmata.

Idem probatur ex nomine προσφορᾶς, *&* προσφέρειν, *quod sacrificare significat.*

CAPUT XV.

PRæterea, particulæ istæ vocantur προσφοραὶ, oblationes, & eas dicitur sacerdos προσφέρειν, ergo sunt verum sacrificium. Quamvis enim nonnunquam προσφορὰ promiscuè accipiatur pro donis oblatis à populo Ecclesiæ, & à sacerdotibus; tamen in ipsa liturgia προσφορὰ oblatio non nisi sacrificio tribuitur. Quemadmodum & προσφέρειν dictum de sacerdotibus, rem divinam habere, & sacrificare significat. Sic ab Apostolis vocitatur Canone 3. τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς: Tempore sancti sacrificij. Et canone 8. εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, προσφορᾶς γενομένης, μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω. Siquis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel alius ex ordine sacro, cùm fit oblatio, (hoc est, sacrificium) non participaverit, causam dicat. Clemens libro 8. Const. cap. 13. ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων, σῶμα Χριστοῦ. Episcopus det oblationem dicens, corpus Christi. Ad eum sensum est Novati historia apud Eusebium libro 6. cap. 43. ποιήσας γὰρ τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο, ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει. Cùm enim, inquit, Novatus oblationes conficeret, & partem singulis porrigeret, data cuilibet parte, pro eo, quod eam cum gratiarum actione percipere debebant, jurare miseros coegit. Verba juramenti hæc erant, quæ clarissimè indicant, quales essent

illæ particulæ, quas Novatus impartiebat: ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον. Jura mihi per corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quod numquam me deseres, nec redibis ad Cornelium. Hoc genus dicendi ποιεῖν προσφορὰν magis adnotatur ex Nicephoro, qui eandem historiam refert libro 6. cap. 3. Cùm oblationes, inquit, offerret, qui mos sacerdotibus est. Chrysostomus in Acta Apostolorum homilia 18. hortatur Christianos ut ædificent in villis Ecclesias, & subjungit: εὐχαὶ διηνεκεῖς ἐκεῖ διὰ σὲ, ὕμνοι καὶ συνάξεις διὰ σὲ, προσφορὰ καθ' ἑκάστην κυριακήν. Precationes continuæ ibi propter te fiunt, hymni & synaxes propter te, oblatio singulis Dominicis. Et Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 4. οὐ κατὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν τὴν προσφορὰν, οὕτω καλέσαντες. Non post consecrationem, sed priùs quàm consecraretur ipsa oblatio, sic appellarunt. Sic etiam accipiunt vocem illam προσφέρειν antiqua Concilia Græca habita & conscripta. Neocæsariense canone 9. qui admiserit corporale peccatum, postea presbyter est effectus, si confessus fuerit, quod ante ordinationem peccaverit, μὴ προσφερέτω, non offerat, id est, non sacrificet. Nicænum canone 18. pervenit ad sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam & civitatibus, presbyteris sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα Χριστοῦ. Ut hi, qui offerendi (scilicet sacrificij) non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant. Et S. Ignatius in Epistola ad Smyrnenses: οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν. Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque cœnam celebrare. Quo loco per enumerationem idem exprimit Ignatius. Eadem enim res, id est, corpus Christi, offertur Deo ac sacrificatur, deinde in communionem populo proponitur ac distribuitur. Immo & præparationem liturgiæ Græci προσκομιδὴν oblationem vocant, quia θυσίαν προσκομίζουσιν, ut loquitur Ignatius. In qua oblatione, ut suprà ostensum est, particula in honorem Deiparæ Virginis, θυσία sacrificium appellatur. Cæterùm quod dicit Ignatius non esse fas presbytero sine episcopo quidquam earum rerum facere, ideo dicit, quia potestatem omnem ordinis ac jurisdictionis presbyter accipit ab episcopo.

Quòd autem dicebamus de oblatione, etiam ex consequentibus facilè probari potest. Nam peracta oblatione particularum, sequitur hujusmodi deprecatio, quæ totam illam actionem oblationum tam majoris, quàm aliarum particularum universè complectitur: ὁ θεὸς ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ τὸν οὐράνιον ἄρτον, τὴν τροφὴν τοῦ παντὸς κόσμου τὸν κύριον ἡμῶν καὶ θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξαποστείλας σωτῆρα καὶ λυτρωτὴν καὶ εὐεργέτην, εὐλογοῦντα καὶ ἁγιάζοντα ἡμᾶς, αὐτὸς εὐλόγησον τὴν πρόθεσιν ταύτην, καὶ πρόσδεξαι αὐτὴν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον. μνημόνευσον ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος τῶν προσενεγκάντων, καὶ δι' οὓς προσήγαγον. Deus, Deus noster, qui cœlestem panem, alimentum totius mundi Dominum nostrum & Deum Jesum Christum misisti salvatorem, redemptorem, & benefactorem, benedicentem, & sanctificantem nos, ipse benedic propositionem hanc, & eam admitte ad supercœleste altare tuum. Memor esto, ut bonus & clemens, eorum qui offerunt & propter quos offerunt. Hæc oratio extat ad verbum in liturgia Jacobi Apostoli. Non tamen recitatur à principio sacrificij, sed in ipsa oblatione, quando transferuntur dona ex mensa propositionis ad altare majus.

Nota primò in hac prece comparationem fieri inter Christum panem cœlestem & illos panes oblatos, qui in corpus Christi transmutandi sunt. Nota præterea, illa verba, Memento eorum qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt. Quod idem est, ac si juxta Regium prophetam diceremus; Memor sit Dominus sacrificij nostri. Et quoniam particulæ oblatæ sunt

pro vivis & pro defunctis, hinc ſequitur, eas nihil aliud eſſe, quàm προσφορὰν, oblationem, ſeu ſacrificium, & idem ſignificare quoque πρόθεσιν. αὐτὸς εὐλόγησον τὴν πρόθεσιν ταύτην. Quaſi dicat, tu Deus benedic quos propoſuimus panes.

His adde, quòd iſtæ particulæ, præter quàm quòd vocantur προσφοραὶ, etiam offeruntur ſoli Deo, ſuper altare, ergo ſunt verum ſacrificium. Non enim alia de cauſa eriguntur altaria, niſi ut offeratur victima. Et adorantur ſimiliter à populo. Alioquin eſſet ἀρτολατρεία. Neque aliter conjungerentur cum ſacratiſſima Euchariſtia, atque conjuncta fuerit Arca Dei cum Dagon idolo à Philiſthæis, qui Arcæ illud æquabant. Quare & ex parte divini Numinis, cui ſoli offertur, & ex parte offerentis, qui eſt ſacerdos, Chriſti perſonam gerens, & ex parte populi adorantis, & ex parte materiæ, qui eſt panis à Salvatore in ſacramento adhibitus & inſtitutus, & ex parte formæ, quæ ſunt verba Chriſti, & ex parte cæremoniæ, quæ eſt divina myſtagogia, nam in liturgia offeruntur, & ex parte loci, qui eſt ſacratiſſima ara, immo & patina; & ex ipſo nomine δώρων, προσφορᾶς, immo & θυσίας, & in ſumma omni ex parte, ac circunſtantia particulas conſecrari manifeſtum eſt.

Præterea, ſacrificiis antiquæ legis abrogatis, unum novæ legis, videlicet corpus Chriſti debebat ſuccedere. At ſi particulæ, quæ nomine oblationis & ſacrificij appellantur, non convertuntur in corpus Chriſti; non igitur omnia ſacrificia deſtructa ſunt, & falſa erunt vaticinia Prophetarum. Quod etiam urget Chryſoſtomus in oratione quòd Chriſtus ſit Deus, his verbis: ἔμελλε παραγινόμενος τὴν διὰ θυσιῶν λατρείαν ἐκβάλλειν, καὶ περιϊέναι, ταύτην δὲ τὴν ἡμετέραν δέχεσθαι. ἄκουσον πῶς καὶ περὶ τούτου προανεφωνήθη. θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.
» Adveniens (Chriſtus) cultum, qui exhi-
» bebatur per ſacrificia, debebat expellere,
» atque abiicere, hunc verò noſtrum reci-
» pere. Audi quomodo & de his prædictum
» ſit, Sacrificium & oblationem noluiſti,
» corpus autem perfeciſti mihi.

Præterea, ſecundùm Epiphanium, panem in ſacrificio alicui offerre, nihil aliud eſt, quàm ei ſacrificare. Quocirca hæreſi 78. & 79 reprehendit quaſdam mulieres, partim quòd fungerentur munere ſacerdotis contra omnem uſum antiquitatis & ſtatuta Conciliorum, partim quòd offerrent panem εἰς ὄνομα τῆς Μαρίας. Negat autem Epiphanius id poſſe fieri, eò quòd Beata Virgo non ſit Deus, neque εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δέδοται. Unde offerre particulas panis Deo in ſacrificio juxta Epiphanium, eſt illi ſupremum cultum externæ latriæ exhibere. Qui certè non continetur niſi ſub vero, & unico ſacrificio. Igitur particulæ verè conſecrantur.

Notandum autem eſt, Epiphanium in illis totis citatis capitibus per προσκυνήσιν intelligere cultum externum latriæ, hoc eſt ſacrificium. Alioquin non ad rem loqueretur. Idque more ſcripturæ, quæ verbum adorandi pro verbo ſacrificandi ponit. Quia enim in oblatione ſacrificij ſupremus cultus externæ latriæ poſitus eſt, ideo ſacrificare per antonomaſiam adorare dici poteſt. Geneſeos 22. Poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos. id eſt, poſtquam ſacrificium obtulerimus. Sunt enim verba Abrahæ, qui ad filium ſacrificandum ibat. Joannis 12. Erant autem quidam gentiles ex iis, qui aſcenderant ut adorarent in die feſto. Actor. 8. de Eunucho Candacis Reginæ dicitur, Venerat adorare in Hieruſalem. Eodem ſenſu hæc loca poſſe ſumi videntur.

Quoniam tamen poterat aliquis excuſare illas hæreticas, quod non ipſi Virgini Deiparæ, ſed pro ipſa offerrent, ideo in fine illius 79. capitis Epiphanius utrumque reiicit tanquam ineptum, & alienum à religione Chriſtiana. Ipſi quidem offerre non convenit, quòd minimè Deus ſit. Pro ipſa verò, quòd minùs indigeat: ἤτοι γὰρ ὡς αὐτὴν προσκυνοῦντες τὴν Μαρίαν, αὐτῇ προσφέρουσι τὴν κολλυρίδα αἱ ἀρχαὶ αὗται γυναῖκες, ἤτοι ὑπὲρ αὐτῆς προσφέρειν ἐπιχειροῦσι τὴν προειρημένην ταύτην σαθρὰν κάρπωσιν. τὸ πᾶν ἐστιν ἠλίθιον καὶ ἀλλότριον, καὶ ἐκ δαιμόνων κινήσεως φρύαγμά τι καὶ ἀπάτη. Sive enim (inquit Epiphanius) velut ip- «

» sam adorantes Mariam, ipsi offerunt Col-
» lyridem, sive placentam vanæ istæ mulie-
» res, sive pro ipsa offerre conantur prædi-
» ctam hanc putidam oblationem, totum
» id stolidum est, & alienum, & ex Dæmo-
» num motu fraus, & impostura. Sic Epiphanius. Nos verò neutro modo offerimus, sed pro ipsa, hoc est, in honorem ipsius, eo modo, quo explicavimus. Quod tantùm abest ut reprehendat Epiphanius, ut etiam maximè commendet. Ut est videre ex iis, quæ scribit adversus Aerium hæresi 75. Quia tamen S. Epiphanius quodam modo subobscurè ibi loquitur, non alienum ab instituto nostro fuerit, eum locum diligentiùs expendere.

Inter Aerij dogmata unum erat, teste eodem Epiphanio, & Augustino libro de hæresibus cap. 53. non esse orandum, neque offerendum pro mortuis, quòd nullam utilitatem inde habeant: alioquin unicuique licebit nullum opus pietatis exercere, sed amicos sibi quomodocumque comparare, qui post obitum suum preces fundant apud Deum, & eum pœnis liberent.

Ad hoc multipliciter respondet sanctus Epiphanius, duasque veras assignat causas, quæ non solùm Christianos, verùm etiam paganos impellebant, ut pro defunctis orarent. Hoc enim officio testabantur se credere, judicio Dei certa certis hominum peccatis supplicia fuisse constituta, quæ tamen pietate vivorum divina bonitas remitteret, & condonaret.

De hoc genere hominum sic sanctus Augustinus in Enchiridio ad Laurentium
» cap. 120. Non negandum est, defuncto-
» rum animas pietate suorum viventium re-
» levari, cùm pro illis sacrificium offertur,
» vel eleemosynæ fiunt: est enim quidam vi-
» vendi modus, nec tam bonus, ut non re-
» quirat ista post mortem, nec tam malus,
» ut ei non prosint ista post mortem.

Deinde eadem etiam pietate liquidò testabantur sese immortalitatem credere: id quod homines ad præclara fortitudinis & pietatis opera mirabiliter extimulabat. Quare non ob aliam causam quidam laudatissimum ac sanctissimum morem orandi pro defunctis tollunt, nisi quia planè nihil de pœnis hominum flagitia excepturis credunt; sed animas cum corporibus brutorum instar extingui existimant. Quod diligenter observandum est.

Has igitur causas innuere videtur sanctus Epiphanius. Ac primò dicit, nominandos esse mortuos in sacrificio, ut moris est facere ἐν τοῖς διπτύχοις, quia credimus eos vivere apud Deum, & non esse nullos. Deinde orandum esse pro illis tanquam pro peregrinis, ut precibus nostris adjuti pervenire possint in patriam. Peregrinos vocat non sanctos, qui jam cœlestem adepti sunt patriam, & precum nostrarum non indigent; sed eos, qui degunt in purgatorio, de quibus habemus certissimam spem, aliquando perventuros in patriam. Prodesse autem ipsis multùm ait nostras preces, etiam si totam pœnam culpæ non abscindant. Postremò in fine capitis idem confirmat ex traditione: ἀναγκαίως ἡ ἐκκλησία τοῦτο ἐπιτελεῖ, παράδοσιν λαβοῦσα παρὰ πατέρων.
Necessariò, inquit, Ecclesia hoc præstat, “
traditione à patribus accepta. “

Verùm quia potuisset Aërius catholicis objicere, vel etiam fortè objecit: quandoquidem oratio juvat mortuos peccatores, quid est, quòd pro sanctis oratis in sacrificio, & eos nominatis? Ideo abundantiorem doctrinam tradens Epiphanius, & quasi tacitè respondens objectioni, dicit, nos offerre pro justis, & mentionem illorum facere, non ad delictorum expiationem, aut pœnarum remissionem; hoc enim facimus pro peccatoribus, sed ut eos distinguamus à Christo, puros homines á vero Deo & homine, creaturas à creatore: δικαίων ποιούμεθα τὴν μνήμην, καὶ ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν. ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ ἐλέους θεοῦ δεόμενοι. ὑπὲρ δὲ δικαίων, καὶ πατέρων, καὶ πατριαρχῶν, καὶ προφητῶν, καὶ ἀποστόλων, καὶ εὐαγγελιστῶν, καὶ μαρτύρων, καὶ ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων τε καὶ ἀναχωρητῶν, καὶ παντὸς τοῦ τάγματος, ἵνα τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀφορίσωμεν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων τάξεως διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν τιμῆς. καὶ σέβας αὐτῷ ἀποδῶμεν, ἐν ἐννοίᾳ ὄντες, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐξισούμενος ὁ κύριος τινὶ τῶν ἀνθρώπων, κἂν τε μυρία, καὶ ἐπέκεινα ἐν δικαιοσύνῃ ὑπάρχῃ ἕκαστος ἀνθρώπων. πῶς γὰρ οἷόν τε εἴη τοῦτο; ὁ μὲν γάρ ἐστι θεός, ὁ δὲ

„ ἄνθρωπος. Pro justis, inquit, & pro peccato-
„ ribus memoriam facimus. Pro peccatori-
„ ribus quidem misericordiam Dei implo-
„ rantes. Pro justis verò & Patribus, & Pa-
„ triarchis, Prophetis, Apostolis, Evange-
„ listis, Martyribus, Confessoribus, ac Epis-
„ copis, & Anachoretis, & pro universo or-
„ dine, ut Dominum Jesum Christum ab ho-
„ minum ordine separemus, per honorem,
„ quem ipsi exhibemus: & ut adorationem
„ ipsi præstemus, illud mente voluentes,
„ quòd Dominus non est cum aliquo ho-
„ mine adæquatus, etiam si millies & ultrà
„ in justitia degat unusquisque homo. Qui
„ enim fieri possit, cùm ille Deus, iste sit ho-
„ mo? Hactenus Epiphanius.

At quænam est ista consequentia? Propterea nos offerre pro sanctis, & commemorationem illorum in sacrificio facere, ut separemus Christum, ut pote Deum ab hominum ordine? Ista nimirum, quòd cùm Christus Deus sit, ipsi offerimus sacrificium, ipsique latriæ honorem exhibemus, non sanctis: nemo enim sanctorum, quantumvis licet sit justus æquare se potest Deo. Non ergo ipsis, sed potiùs pro ipsis offerimus. Non tamen ad eum modum, seu finem, quo pro peccatoribus offerimus. Quod totum etiam Reginæ Angelorum convenit. Non enim ipsi offerimus, quæ minimè sit Deus. Neque pro ipsa instar peccatricis. Pro ipsa tamen more justorum. Si enim dignum est per sacrificium gratias agere Deo, quòd fratribus nostris eam gratiam contulerit, ut mundum & satanam superaverint, & post eam victoriam gloria & honore eos coronaverit: quantò dignius erit cumulatissimè idem præstare, quòd tantam Virgini gratiam impertierit, ut θεοτόκος evaderet, & eam demum super omnes creaturas collocatam corpore & animo glorificaverit? Atque hoc est pro Deipara, cæterisque sanctis offerre. Quamvis Epiphanius id clarè non explicet.

Ex hoc tamen loco Epiphanij puto Simeonem suum errorem hausisse; dicente enim Epiphanio, homines non posse æquare se cum Deo, inde Simeon arrepta occasione docuit, particulas pro sanctis oblatas non consecrari, quòd minimè sancti naturâ sint Dij. Atqui oppositum potiùs colligere debuisset. Quia enim non ipsis offeruntur particulæ, quippe naturâ minimè sunt Dij, propterea sunt verum sacrificium, quod uni soli Deo offertur. Hæc de loco Epiphanij. In quo sanè illud observandum est, ut in plerisque aliis locis hujus auctoris, quod attinet ad phrasim ἑλληνικὴν esse multa κακοσύντακτα & σόλοικα. Quod nimirum illius συντάγματα mendosè à librariis & sint excepta, simul atque descripta.

Idem probatur ex vario fine sacrificij & figura Melchisedech.

Caput XVI.

In lege naturæ erant sacrificia propitiatoria. Nam Job pro peccatis filiorum suorum quotidie sacrificabat. Et Levitici 4. in lege Moysis de eo qui admittebat peccatum, habetur: Offerat sacrificium, & orabit sacerdos pro peccato ejus, & dimittetur ei. Nec solùm pro delicto in testamento veteri erant hostiæ, sed etiam pacificæ, tum pro actione gratiarum, tum etiam votivæ pro beneficio aliquo impetrando, ut patet Levitici 7. & alibi passim. Sed hæc fiunt in præparatione liturgiæ, dum particulæ offeruntur pro sanctis, pro vivis, pro mortuis. Quibus vel veniam peccatorum à Deo precamur, vel aliquid impetrare contendimus, vel pro illorum triumphis gratias Deo agimus. Ergo particulæ ad verum sacrificium destinantur.

Postremò, ne sim longior, sacrificium nostrum figuravit sacrificium Melchisedech, qui cùm esset sacerdos Dei altissimi panem & vinum obtulit. Quia nimirum Christus Dominus ipsius Melchisedech ritu sub specieb. panis & vini institututurus erat, & sacrificaturus incruentum sacrificiũ, sacratissimum suum corpus & sanguinem. Itaque offerre panem in sacrificio, nihil aliud est, quàm implere figuram Melchisedech. Si ergo in sacrificio liturgiæ aliquis panis non consecratur, ad quid offertur?

fertur? Quæ enim à Simeone, & Philadelphiensi dicuntur, sunt meræ nugæ: Præsertim cùm non tam sacerdos, quàm Christus in liturgia per sacerdotem offerat. Neque enim adimpletur hoc modo figura; sed antiquo more invariata permanet atque adeo ipsam destruit veritatem. Illa enim oblatio Melchisedech fuit figura: ista oblatio particularum, si non consecrantur, erit etiam figura, & expectanda fuerit alia veritas.

Præterea de quocumque pane in altari oblato possemus dicere, offertur quidem panis, sed non consecratur. Cur enim potius iste, quàm ille? & sic eludere sacramentum.

Soluuntur adversariorum argumenta.

Caput XVII.

Superest argumenta Simeonis solvere, quæ sanè levissima sunt. Ad primum facillima responsio est. Quod enim major particula fiat in memoriam Salvatoris, reliquæ in memoriam & honorem sanctorum, vel etiam emolumentum vivorum & mortuorum; non est sensus quasi hæ posteriores, & minores particulæ non fiant in memoriam Christi, & sejungantur ab illa priori, cùm omnes ex parte materiæ panis unum quid, ac idem planè sint, non varia sacrificia. Qui enim super altare per consecrationem Christum ponit, & offert, quod æquè fit per particulas minores atque majorem, satis ostendit, & si non verbis, factis tamen, se in commemorationem Christi hoc facere. Non itaque Ecclesia Græca propterea offert particulas, quasi sejungat eas, tanquam diversas à vero sacrificio: sed hoc modo offerendi voluit ostendere, haud dissentaneũ esse, si unum & idem sacrificium primariũ finem habeat memoriam Christi, secundarium sanctorum. Quippe in sacro nominamus sanctos, & eos honoramus. Immo & invocamus in Missa quidem catechumenorum directè, in Missa verò fidelium indirectè, quatenus rogamus Deum, ut intercedentibus sanctis, nos juvare dignetur. Quod sanè ipsi Græci negare nulla ratione possunt: cùm ipsorum liturgiæ, & quæ ab ipsis canuntur in sacro, cumulatissimè id testentur.

Neque obstat, quòd Christus Dominus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem. Non enim jussit non fieri in commemorationem sanctorum. Neque dixit, hoc facite in mei solius commemorationem. Unde facere in memoriam Christi, & facere in memoriam sanctorum, neque contraria sunt, neque contradictoria, cùm utraque simul optimè stare queant. Alioquin Græci nullam prorsus sanctorum facerent mentionem, & tamen honorificam faciunt. Basilius & Chrysostomus in suis liturgiis facta mentione plurimorum sanctorum, in fine subjungunt: τοῦ ἁγίου τοῦδε, οὗ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν, καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων, ὧν ταῖς ἱκεσίαις ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ὁ θεός. Sancti hujus, cujus commemorationem agimus, & omnium sanctorum tuorum, quorum supplicationibus respice nos Deus. Cyrillus catechesi quinta mystagogica: ταύτην προσφέρομέν σοι τὴν θυσίαν, ἵνα μνημονεύομεν καὶ τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὅπως ὁ θεὸς εὐχαῖς αὐτῶν καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν. Hoc sacrificium, inquit, tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.

Nota ex Cyrillo per sacrificium nos facere memorias sanctorum. Sed secundùm Simeonem & rei veritatem idem fit per particulas. Ergo particulæ sunt verum sacrificium. Vel supervacaneæ sunt, & frustra offeruntur.

Ad secundum respondeo. Quod ait Simeon, presbyterum unionem calicis facere antequam particulas offerat, per unionem calicis, infusionem vini in calicem intelligit, quam sacerdos unit, hoc est conjungit cum illa actione majoris particulæ: vel unionem appellat, quia non priùs vinum, deinde aquam, sed dextra manu te-

nens ampullam vini, aquæ sinistra, simul & vinum & aquam statim post oblationem majoris particulæ solitus est infundere. Quæ res tamen non arguit, majorem particulam tantùm consecrari. Non enim quia priùs, vel postea in præparatione offeruntur particulæ, consecrantur, vel non consecrantur. Sed si prolata fuerint verba consecrationis super illas, utique consecrantur, secus si non enunciata fuerint. Clamant enim sacri Doctores æquè Græci atque Latini panem fieri corpus Christi mystica prece, invocatione divini numinis, solemni benedictione, consecratione, verbo Dei, sermonibus Christi. Atque ut ex multis unum aut alterum in medium proferam, Irenæus libro 4. contra hæreses cap. 34. Quemadmodum, inquit, qui ex terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ita & corpora nostra, &c. Chrysostomus in sermone de proditione Judæ: Hoc est, ait, corpus meum: τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. Hoc verbum proposita transmutat. Nota modum loquendi in numero multitudinis, cum propter binas species, tum procul dubio propter particulas. Nota verbum τὰ προκείμενα, proposita: quod certè non excludit particulas, nam illæ quoque πρόκεινται: nullas hîc Irenæus & Chrysostomus, quales Thessalonicensis requirit, conjecturas recensent, cur panis minùs consecretur; sed absolutè pronunciant, tandiu panem non consecrari, quandiu non fuerit invocatio Dei, seu quod idem est, quandiu non fuerint verba Christi prolata super illum. Eadem ingeminant cæteri Patres; quorum testimonia commodiori loco, cùm de forma hujus sacramenti agam, in medium adducam.

Est præterea regula, eaque certissima. Quicquid non exercuit Christus in cœna mystica, illud non spectare ad essentiam sacrificij, neque ad integritatem; sed si aliquid est in sacrificio non à Christo institutum, illud sine dubio esse ab Ecclesia introductum ad majorem reverentiam sacramenti, & declarationem mysteriorum, quæ in sacrificio continentur. Et ad conciliandam majorem fidelibus devotionem, & excitandos eorum animos ad mysterium ipsum peragendum. Unde quamvis sit valde probabile, Christum ante consecrationem obtulisse panem & vinum Deo patri quando in cœlum elevatis oculis gratias agit: tamen quia in liturgia post magnum ingressum ante consecrationem magnum ingressum ante consecrationem est alia oblatio, inde fit, ut ista prima προσκομιδὴ, & oblatio in præparatione liturgiæ, ad integritatem sacrificij necessaria esse non videatur, sed à Patribus excogitata, atque in honorem sacrificij introducta, neque extat in liturgia Jacobi.

Propterea verò (ut ad propositum) statim oblata illa majori particula sacerdos vinum & aquam infundit, ut absolvat sensum mysterij. Cùm enim circa panem repræsentet, quæ facta sunt in passione circa Christum, ac dicat, esse tanquam agnum ad occisionem adductum, & lanceâ militis vulneratum (unde & lanceola pungit ad latus particulam) & continuò exivisse sanguinem & aquam, per id temporis accommodando se illis verbis, vinum & aquam statim & simul infundit.

Qua in re advertendum est, quasdam res Græcos solitos esse accommodare ipsis mysteriis, & verbis sacris. Et contra quędam verba sacra ipsis rebus à se excogitatis. Exemplum prioris hoc idem sit, de quo nunc agimus. Quod & quarto loco in calce Concilij Florentini à Græcis Latini quæsierunt. Nimirum cùm nondum sit corpus Christi in præparatione liturgiæ, quare dicunt, unus de militibus lancea latus ejus aperuit. Quia videlicet aquam & vinum, quæ infundunt in calicem, ad illud mysterium meritò referunt. Exemplum posterioris illud sit, quod & quintum quæsitum est in Concilio: Et veniens stella stetit suprà ubi erat puer. Cùm enim sancti Patres ita disposuissent liturgiam, ut imponeretur patinæ illa stellula, quam vocant ἀστερίσκον, ne operimentum tangeret panem, accōmodarunt etiam dictum Evangelicum, nullo servato, sed præpostero ordine. Hoc enim fit post commemoratam passionem & effusionem sanguinis & aquæ.

Ad tertium. δῶρον, munus, ſacratiſſima Euchariſtia meritò appellatur, quòd ea muneris inſtar ampliſſimi Deo patri offertur. Hujus loco qui rei divinæ interſunt, quando minus idonei & parati ſunt ad eam percipiendam, eulogicum panem ſolent accipere. Inde eum, cùm pro munere illis detur, propriè ἀντίδωρον vocant, quaſi loco muneris. De hoc pane ait Simeon, eum tantùm vocari primum antidoron, ex quo eximitur major particula, & ſecundum antidoron, ex quo deſumitur particula in honorem Virginis. Reliquos panes minimè vocari affirmat antidoron. Inde concludit particulas non conſecrari. Sed quàm bene, facilè quiſque advertere poteſt. Si enim propterea particulæ non conſecrantur, quia panes, ex quibus illæ abſciſſæ ſunt, non vocantur ἀντίδωρα. Ergo particula in honorem Deiparæ oblata, conſecratur, quandoquidem panis, unde deſumpta eſt, vocatur antidoron. Et ſi illa conſecratur, quamvis claris verbis non dicatur offerri in memoriam Chriſti, ſed Virginis, quare non etiam particulæ pro ſanctis? Neque enim eſt ratio, ut illa conſecrari debeat, non iſtæ.

Adde quòd nomen oblationis propriiſſimè convenit particulis. Quod ſine comparatione majus quid eſt, quàm ἀντίδωρον. Et Simeon non negat, eas appellari oblationes, immo & populus paſſim ita eas vocat. Neque refert quòd προσφοραὶ vocentur panes antequam conſecrentur. Id enim fit, quia illarum pars aliqua eſt conſecranda, ea nimirum, quæ eximitur ab integro pane atque in ſacra patina ponitur. Ad eum modum quo etiam animalia in veteri lege vocabantur ſacrificia, antequam mactarentur; non tamen ita vocanda, niſi mactanda fuiſſent.

At enim vocatur ſecundum antidoron. Hoc certè nihil obſtat. Alioquin neque panes præſanctificatarum liturgiarum conſecrarentur. Quippe primam, ſecundam, tertiam, & quartam hoſtiam ſi numeres, dicas neceſſe eſt. Quippe ſemel multæ hoſtiæ conſecrantur, ut ſingulæ ſingulis hebdomadæ diebus inſerviant; & illarum panes primum, ſecundum, tertium, quartum & quintum antidoron rectè dixeris.

Sed & illud falſum eſt, ac ſuperſtitioſum, reliquos panes non vocari antidora. Si enim particulæ ab illis exciſæ vocantur δῶρα, quare ipſi panes non vocitentur ἀντίδωρα? Sic igitur habes in liturgia Baſiliana: μνήσθητι κύριε τῶν τὰ δῶρά σοι ταῦτα προσκομισάντων, καὶ ὑπὲρ ὧν, καὶ δι' ὧν, καὶ ἐφ' οἷς αὐτὰ προσεκόμισαν. Memento Domine eorum, qui munera iſta tibi obtulerunt, & propter quos, & per quos, quibuſve de cauſis obtulerunt. Certè hîc per munera particulæ intelliguntur. Has enim fideles pro ſuis vivis atque defunctis, & neceſſitatibus offerunt, ſeu offerendas curant. Ut etiam hoc ſit clariſſimum argumentum eas verè conſecrari, quandoquidem δῶρα vocantur; idque numero multitudinis. Et idem obſervavimus contra Simeonem antea ex Chryſoſtomo.

Præterea, ſi panis in honorem Deiparæ dicitur ſecundum ἀντίδωρον, cur non aliorum ſanctorum tertium, quartum, & ſic deinceps dici poterunt? Falſiſſimum porro eſt, non poni panes in eodem orbe, ac non diſtribui populo præter primum & ſecundum antidoron. Si enim ſit aliqua maxima celebritas, & frequentia ſumma populi, omnes illi panes diſtribuuntur. Præterquam quòd in Ruſſia, ubi longè minores ſolent parari pro ſacro panes, etiam extra ſolemnitatem eos totos exhibere populo conſueverunt. Et ſi particulæ collocantur in eadem ſacra patina ubi collocatur & major, quare panes Eulogici, ex quibus illæ deſumptæ ſunt, non in eodem orbe ponentur cum pane, unde major particula decerpta eſt? immo quæ narrat Simeon meram ſuperſtitionem ſapere videntur. Quippe indifferenter ex omnibus panibus, ex quibus excerptæ ſunt particulæ, poſſunt fieri ἀντίδωρα.

Adde, quòd ex eodem pane poſſent omnes tam major, quàm reliquæ particulæ ſine ullo peccato eximi. Aliter autem fit in Græcia, præſertim extra neceſſitatem, propter lucrum ſacerdotum, ut habeant multò plures panes, qui illis à populo offeruntur. Neque tamen id reprehendendum eſt, dignus eſt enim opera-

rius mercede ſua. At verò ſi iſtud cæteros Græcos uti Theſſalonicenſem in errorem induceret, ſanè quidem tunc præſtaret hoc abrogare, quàm errandi anſam præbere. Atque ex uno & eodem pane omnes particulæ & major & reliquæ deſumendæ forent.

Quæ ſequitur probatio quarti argumenti dupliciter peccat. Non enim verba conſecrationis illa ſunt, fac hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui, ſed error quorumdam Græcorum eſt, ut oſtendam poſtea ſuo loco. Et quamvis eſſent conſecratoria, haud aliter tamen enunciantur paſſim à preſbyteris, etiam quando parantur ſacra præſanctificata, & ſunt plures hoſtiæ, quàm in numero ſingulari, fac hunc panem. Unde rectè alij Græcorum monent, planè imperitorum eſſe dicere, hos panes. Sic enim ſcribit ea de re, qui ἑρμήνευσεν breviſſimã liturgiæ præſanctificatorum in Euchologio inſeruit: ὅτε μέλλει (ὁ ἱερεὺς) σφραγίσαι τοὺς ἄρτους, λέγει· καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον ἑνικῶς, ὡς εἷς ἐστιν ὁ Χριστὸς, οὐχ ὡς τινὲς ἀμαθῶς λέγουσι, τοὺς ἄρτους τούτους.
„ Quando debet ſacerdos ſignare panes, di-
„ cit, & fac hunc panem ſingulariter, ſiqui-
„ dem unus eſt Chriſtus: Non autem hos
„ panes, ut nonnulli imperitè aſſerunt. Et profectò valde uſitatus, & tritus eſt modus loquendi, non ſolùm de uno pane, ſed de multis etiam præſertim in fruſta conciſis, dicere, hunc panem, non in numero multitudinis. Unde Marcus Evangeliſta qui rogat in ſua liturgia, ut mittat Deus Spiritum ſanctum: ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τοὺς ἄρτους. Super nos & ſuper panes, ſtatim tamen ſubjungit, ἵνα ποιήσῃ τὸ μὲν ἄρτον σῶμα. Ut faciat panem quidem corpus. &c. Ubi tamen obiter notanda ſunt verba illius liturgiæ, quæ ſub nomine circumfertur Marci Evangeliſtæ, qui dum invocat Spiritum ſanctum ἐπὶ τοὺς ἄρτους, ſine dubio particulas complectitur, alioqui non in numero multitudinis loquutus fuiſſet. Ergo particulæ conſecrantur. Præſertim ſecundùm Græcos, qui volunt invocationem fieri Spiritus ſancti ad transſmutandum panem in corpus Chriſti.

Ad quintum reſpondeo, Elevatur major particula, non minores, quia commodiùs, & propter myſterium, cùm ſtatim apud Græcos in quatuor partes, in tres apud Latinos ſit dividenda, ad declarandum per fractionem paſſionem Domini. Ex quibus ſuperior pars apud Græcos, inferior apud Latinos in calicem ſolet immitti, ad ſignificandam reſurrectionem Chriſti; Ut enim ſpecies panis & vini diviſæ Chriſti mortem ſignificant; ita conjunctæ reſurrectionem Domini repræſentant. Nam in reſurrectione iterum caro Domini cum ſanguine ſuo conjuncta fuit. Quam diviſionem ægrè admodum admittunt in ſe minores particulæ. Poſtea tamen reliquæ omnes particulæ immittuntur in calicem, & unà cum ſacratiſſimo ſanguine commiſcentur. Libenter tamen interrogarem, unde didicerit Simeon in præſanctificatis omnes illas majores particulas debere attolli? Nam & ineptiſſimum eſt, & minùs neceſſarium, & minimè in uſu habetur. Inmo neque fieri poteſt (quicquid dicat ὁ ἑρμηνεὺς in Euchologio de præſanctificatis, qui in præcedenti re diſſentiens, in hac cum Simeone conſentire videtur.) Et ſi non elevantur, igitur ex ſententia illius non conſecrantur. Nam elevare quatuor digitis μετ' εὐλαβείας, ut fit, quinque majores pariculas, quæ parantur pro una Eccleſia, ut inſervire debeant per integrã hebdomadã, valde difficile eſt, & periculoſum, ne cadat aliqua. At in Ruſſia quandoq; duplicatæ parantur pro alia quoq; Eccleſia, quando parochus alterius Eccleſię commodè illo die celebrare non poteſt. Ut multò difficilius ſit illud præſtare, & eas omnes attollere. Non enim particulæ Græcorum ſunt inſtar Latinorum ſubtiles & latæ, ſed ſunt fruſta craſſiora panis. Ergo diſcat Simeon elevationem illam, neque de eſſentia ſacrificij, neque de eſſentia ſacramenti eſſe, quam non adhibuit Chriſtus Dominus.

Ad ſextum. Fractionem panis conſecrati Canus libro 11. de locis cap. 13. ad 4. docet eſſe de ſubſtantia ſacrificij. Potuit autem eſſe, ſi Chriſtus Dominus eam inſtituiſſet. Nam eſt cærimonia ſacra, & habet myſticam ſignificationem, ut dixi.

Non tamen eſt de eſſentia, quæ à Chriſto Domino minimè oſtenditur præcepta, neque ad ſignificandum impoſita. Sed utrumque ab Eccleſia introductum. Quod idem dicendum eſt, de immiſſione ſacratiſſimi panis in calicem. Deinde quamvis eſſet ſubſtantialis ſacrificio, tamen quia ſacrificium eſt etiam ſacramentum, idcirco potuit aliqua pars materialis ejus non frangi, neque immitti in calicem, & eſſe ſacramentum, ut non franguntur particulæ pro communicantibus.

Ad ſeptimum reſpondeo. Sacerdotibus, & Diaconis ex majori particula fruſta in communione dividit Pontifex, quia minores particulæ ſunt magis accommodatæ ad communicandum populum, præſertim unà cum ſanguine in cocleario, ut eſt mos Græcorum. Unde quemadmodum aliquid ex majori particula impertit Diaconis, & Preſbyteris, fortaſſis ad ſignificandam poteſtatem, quam accipiunt in corpus Chriſti, is ut conficiat, ille ut animum habeat occupatum in adminiſtrando, immo ut etiam ſanguinem diſtribuat; ita minores præbet populo. Et nulla hîc prærogativa cernitur. Et tamen ſi minores quoque particulas τοῖς συλλειτουργοῦσι ſacerdotibus & Diaconis exhiberet, nullum profectò errorem committeret: cùm Diaconis idem ſit ſacramentum, atque populo: & preſbyteris idem ſacrificium, atque Epiſcopo. Idem autem dico ſacrificium, quia preſbyteri frequentiſſimè apud Græcos cum Pontifice unà concelebrant, & conſacrificant. Immo commodiùs ita faceret Patriarcha, quando ingens numerus Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, & hypodiaconorum cum eo celebrant. Qui omnes, ut moris eſt apud Græcos, unà quoque communicant.

Ad octavum reſpondeo. Non eſſe mirum, ſi pro præſanctificatis ſerventur majores particulæ. Nam materia illius ſicci ſacrificij debet eſſe honeſta ſecundùm quandam quantitatem, & quæ facilè tractari poſſit. Quippe fiunt circa illam multæ cerimoniæ, dividitur item, & immittitur in calicem. Et ex illa tandem participare debent οἱ συλλειτουργοῦντες, & populus, ſi vellet, ejuſdem particeps fieri poſſet.

Ad nonum reſpondeo. Quod attinet ad ſacramentum, quod ægrotis inſervit pro viatico, equidem optarem meliorem modum in eo conficiendo. Nam Græcorum preſbyteri primùm multas majores particulas in præparatione liturgiæ ad eum modum, quo & majorem illam præcipuam, quam conſumunt in ſacrificio, & iiſdem verbis parant. Quod fortaſſis ab imperitis Græcorum poſteris introductum eſt. Cùm ſuper centum & mille hoſtiis ſatis ſit, ſemel eam ceremoniam adhibere, ac non iterare toties eadem verba. Eas deinde particulas ſuo tempore in eodem ſacro conſecrant. Pòſt in fruſta dividunt pro ſingulis ægrotis, tum ſanguine tingunt. Poſtremò contra tanti ſacramenti dignitatem in furno, vel ſole exſiccant. Unde quoque ſanguine tingere, quod antecedit, ſupervacaneum eſſe videtur, cùm nullæ remaneant poſtea ſpecies vini ſacramentales. At quantò ſatius eſſet, priùs particulas pro infirmis præparare: Eas deinde poſt conſecrationem ſine iſtis cerimoniis religioſè conſervare? Neque ſemel in anno conficere, ſed congruo tempore ante ullam ſpecierum corruptionem renovare, quàm in hæc abſurda incidere? Neque in omnibus antiquitas eſt ſequenda. Multa nempe facta ſunt & permiſſa tempore perſecutionum, quæ aliis ſæculis minùs conveniunt. Quare cùm multos abuſus in hoc Græci committant, & nihil ea de re habeant ſcriptum in Euchologio, non eſt, cur Simeon hoc exempli nobis urgeat. Neque tamen ex ea conjectura, ut neque ex ceteris, colligere licet, minores particulas non conſecrari. Siquidem habemus aliunde non conjecturas, ſed exquiſitiſſimas rationes, cur conſecrentur.

Adde quòd ſiquis ſervaret illas particulas pro ægrotis, quæ fiunt pro ſanctis, pro vivis, pro mortuis, idem omnino eſſet ſacramentum. Et quoad modum melius conficeretur. Immo ſimpliciter, ſi ponerentur particulæ in patina ſacra, dum præparatur liturgia, nullis prorſus adhibitis verbis, ſeu ceremoniis, eo tantùm animo,

& intentione, ut consecrarentur pro infirmis quando verba consecrationis prolata fuerint, hoc sanè sufficientissimum esset, quemadmodum faciunt Latini.

Ad decimum respondeo. Pontificem præbere presbytero recenter sacris initiato non aliquam minorem particulam, sed frustum parvum ex majori, est quidem apud Græcos in more positum, quia minores fermè inserviunt communicantibus. Fortassis etiam propter significatum, quòd is accipiat potestatem conficiendi corpus Christi. Si tamen ex minoribus distribueret, idem planè foret. Quare non sequitur inde eas non consecrari. Alioquin ponamus casum, Pontificem eo tempore exercere sacras ordinationes, quando etiam parat sacramentum pro infirmis, præsertim cùm ad conferendos sacros ordines Græci quatuor tempora minimè requirant. Tunc enim similiter ex illa tantùm exhibebit sacramentum sacris initiato, quæ prima censetur, quæque frangitur, & in calicem mittitur. Non autem ex aliis, quæ per annum integrum ægris destinatæ sunt. Quod idem contingere potest, dum parantur hostiæ præsanctificatæ. Et nihilominus inde non licet inferre, minùs eas consecratas esse. Simile esset, si apud Latinos diceremus, populum non communicare: quia non aliquam partem majoris particulæ sumit, quam consumit sacerdos ipse sacrificans, sed alias particulas minores participat. Quod quàm absurdum & falsum sit, nemo non videt.

Postremò, quod ait Simeon in præparatione liturgiæ majores particulas, vel ut ipse loquitur perfectos panes (cur autem perfectos nominet, ipse nobis explicet, neque enim ulla ratione cæteri sunt imperfecti) esse solitos offerre presbyteros. At minores particulas etiam quandoque à Diaconis oblatas esse, non eget refutatione. Nam rectè est, quòd ipsemet Thessalonicensis id nobis dissolverit. Quippe istud fieri, ut abusum prohibuit. Non enim potest eas offerre alius quispiam, præterquam is, qui eas etiam consecrat. Alioquin totius Ecclesię vetustissima consuetudo reclamat, quæ numquam offerre Diacono permisit.

Quare emendandæ sunt, seu potius delendæ in præparatione liturgiæ illæ rubricæ in Euchologio typis excusso: ὁ δὲ διάκονος λαβὼν καὶ αὐτὸς σφραγῖδα καὶ τὴν ἁγίαν λόγχην μνημονεύει ὧν βούλεται τεθνεώτων. καὶ τελευταῖον λέγει οὕτως. μνήσθητι κύριε καὶ τῆς ἐμῆς ἀναξιότητος, καὶ συγχώρησόν μοι πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον. εἶτα μνημονεύει καὶ ὧν βούλεται ζώντων ἐν ἑτέρᾳ σφραγῖδι ὡσαύτως. καὶ τίθησι τὰς μερίδας ἐν τῷ κάτωθεν μέρει τοῦ ἁγίου ἄρτου, ὥσπερ καὶ ὁ ἱερεύς. Diaconus «
verò & ipse accepto signaculo (hoc est, «
pane signo crucis consignato, atque in- «
sculpto, sic eum largo modo vocant) & «
sacra lancea, memoriam facit, quorum «
vult vita defunctorum. Ad extremum «
ita dicit: Memento Domine meæ quo- «
que indignitatis, & condona mihi om- «
ne delictum voluntarium & involunta- «
rium. Deinde similiter in altero pane con- «
signato commemorat quos vult viventes, «
ponitque particulas in inferiori parte sacri «
panis, quemadmodum facit & sacerdos. «
Hæ rubricæ, inquam, tollendæ sunt, quæ à Neotericis Græcorum Euchologio Venetiis typis excesso additæ sunt, ut suam ἀπίθανον opinionem probabiliorem redderent. Sunt enim mera καινοτομία, quam sanè redarguunt cùm Concilij Niceni citatus Canon, tum sanctus Epiphanius, & ipsemet Simeon Thessalonicensis, qui si in antiquis Euchologiis Diaconum posse particulas offerre, scriptum reperisset, certè minimè istud correxisset atque damnasset. Et hæc hactenus.

Absoluta præsente quæstione incidi in scripta Nicolai Cabasilæ. Quoniam verò in materia de particulis, sententiæ nostræ plurimùm favent; ut Simeon Thessalonicensis, & Gabriel Philadelphiensis, ac si qui sunt alij hujusmodi farinæ homines, clarè videant, non solùm Græcos Catholicos, quos ipsi λατινόφρονας vocant; qualem me esse profiteor, sed etiam Græcos λατινομάχοις habere sibi contrarios, aliquot ejus capita eorum, quæ in expositionem liturgiæ facit, hìc inserenda esse duxi.

Κεφάλαιον ζ'. ἐκ τοῦ Καβάσιλα.

Ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν προσαγωγὴν ἔτι ποιεῖται, καὶ τῶν προσενεχθέντων ἄρτων ἑκάστου μέρος ἀφαιρῶν, ἱερὸν ποιεῖται δῶρον. οὐ τὰ αὐτὰ λέγων καὶ ποιῶν ἀπὸ ἐξ ἀρχῆς, δι' ὧν ὁ θάνατος ἐσημαίνετο τοῦ κυρίου. ὅτι ἅπαξ εἰρημένα, περὶ πάσης τῆς τελετῆς εἰρῆσθαι νοοῦνται. πᾶσα γὰρ ἡ προσαγωγὴ τῶν δώρων εἰς ἀνάμνησιν γίνεται τοῦ κυρίου, καὶ διὰ πάσης ὁ αὐτοῦ καταγγέλλεται θάνατος. τίνα δὲ τὰ ἐκπληρούμενα; εἰς δόξαν τῆς παναγίας τοῦ θεοῦ μητρός. εἰς πρεσβείαν τοῦδε τοῦ ἁγίου, ἢ τοῦδε, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ψυχῶν, ἢ ζώντων, ἢ τεθνηκότων. καὶ τί ταῦτα βούλεται; εὐχαριστίαν πρὸς θεὸν, ἱκεσίαν, τὰς ἀφορμάς, τὰ αἴτια τῆς τῶν δώρων προσαγωγῆς. ἔχει γὰρ οὕτως. οὐδὲν δώρων δίδοται μάτην, εἴτε θεὸν θεραπεύειν, εἴτε ἀνθρώποις χαρίζεσθαι δεῖ. ἀλλ' ἀγαθοῦ τινος ἕνεκα, ἢ γενομένου, ἢ ἐλπιζομένου. ἢ γὰρ ὑπὲρ ὧν ἐλάβομεν, ἀμειβόμεθα τὸν εὐεργέτην τοῖς δώροις, ἢ τῶν μήπω γενομένων ἡμῖν, ἵνα τύχωμεν, τὸν δοῦναι δυνάμενον θεραπεύομεν. ταῦτα δὲ τὰ δῶρα, καὶ ἀμφοτέρων ἕνεκα τῷ θεῷ προσαγόμενα φαίνεται. καὶ ὅτι ἐλάβομεν, καὶ ἵνα λάβωμεν, καὶ εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ, καὶ ἱκετεύοντες αὐτόν. εὐχαριστοῦντες ὑπὲρ ὧν εὖ πεπόνθαμεν, ἱκετεύοντες, ἵνα εὖ πάθωμεν. ὥστε τὰ αὐτὰ δῶρα εἶναι καὶ εὐχαριστήρια, καὶ ἱκέσια. ἀλλὰ τίνα τὰ ἤδη δοθέντα ἡμῖν ἀγαθὰ, τίνα δὲ τὰ ζητούμενα; τὰ αὐτὰ πάντως ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, βασιλείας κληρονομίαν. ταῦτα γὰρ αὐτὸς ἐκέλευσε πρὸ πάντων αἰτεῖσθαι. ταῦτά ἐστιν ἅπερ ἔλαβεν ἡ ἐκκλησία ἤδη. ταῦτα καὶ ὑπὲρ ὧν ἱκετεύει. καὶ τίς ὁ τρόπος καθ' ὃν ἔτυχε τῶν ἀγαθῶν τούτων, τίς δὲ καθ' ὃν οὔπω τετύχηκε, καὶ ἵνα τύχῃ τοῦ θεοῦ δεῖται; τετύχηκε πρῶτον μὲν, ὅτι δύναμιν ἐδέξατο πρὸς αὐτά. καὶ γὰρ ἔλαβεν ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι. καὶ τοῦτο κοινόν ἐστι δῶρον χριστιανοῖς ἅπασι, διὰ τοῦ θανάτου ἡμῖν γενόμενον τοῦ σωτῆρος. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ βάπτισμα τὸ θεῖον, καὶ τὰ ἄλλα μυστήρια, δι' ὧν εἰσποιούμεθα τῷ θεῷ, καὶ βασιλείας οὐρανῶν γινόμεθα κληρονόμοι. ἔπειτα καὶ αὐτῆς ἐκληρονόμησεν ἐνεργείᾳ τῆς βασιλείας, ἐν μυρίοις τῶν ἑαυτῆς χορευτῶν, οὓς ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὸν οὐρανόν. οὓς ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς ὁ μακάριος Παῦλος ἐκάλεσεν. οὕτω μὲν οὖν τῶν μεγάλων τούτων ἡ ἐκκλησία τετύχηκεν ἀγαθῶν. διὰ δὲ τοὺς ἔτι τρέχοντας τῶν τέκνων αὐτῆς ἐπὶ τὸ βραβεῖον, καὶ ἁπλῶς τοὺς ἐν τῷ βίῳ τούτῳ ζῶντας, ὧν τὸ πέρας ἄδηλον, καὶ τοὺς ἀπελθόντας οὐ μετὰ πάνυ χρηστῶν καὶ βεβαίων ἐλπίδων τῆς βασιλείας οὔπω τετύχηκε. τούτου χάριν μέμνηται μὲν τοῦ θανάτου τοῦ κυρίου, μέμνηται δὲ τῶν τελειωθέντων ἁγίων, μέμνηται δὲ τῶν μήπω τελείων. ὑπὲρ μὲν ἐκείνων εὐχαριστοῦσα, ὑπὲρ δὲ τούτων ἱκετεύουσα. ὥστε τὰ μὲν πρῶτα τῆς προσαγωγῆς, καὶ τὰ δεύτερα, χαριστήρια, τὰ δὲ μετ' ἐκεῖνα ἱκέσια. εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου, εἰς δόξαν τῆς μακαρίας αὐτοῦ μητρὸς, εἰς πρεσβείαν τῶν ἁγίων, εὐχαριστοῦμεν σοί φησιν, ὅτι τῷ θανάτῳ σου τὰς τῆς ζωῆς πύλας ἡμῖν ἀνέῳξας. ὅτι μητέρα παρ' ἡμῶν ἔλαβες, ὅτι τοσαύτης δόξης ἔτυχεν ἄνθρωπος. ὅτι πρεσβευτὰς ἔχομεν ὁμοφύλους, καὶ τοῖς ὁμογενέσιν ἡμῖν τοσαύτης μετέδωκας παρρησίας. τὸ γὰρ εἰς δόξαν, καὶ εἰς πρεσβείαν τοῦτό ἐστι, τὸ ἕνεκα τῆς δόξης, καὶ τῆς πρεσβείας. ὥσπερ καὶ τὸ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ταυτόν ἐστι τῷ ἕνεκα τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν. τὸ δὲ ἕνεκα τινός, διπλῆν ἔχει τὴν σημασίαν. ἢ γὰρ ἕνεκα παρόντος, ἢ ἕνεκα ἐλπιζομένου. τὴν δὲ τῆς μακαρίας παρθένου δόξαν, καὶ τὴν τῶν ἁγίων πρεσβείαν καὶ παρρησίαν, τίς οὐκ οἶδεν ὅτι παρόντα ἐστὶν ἀγαθά; τὸ δὲ παρόντων ἀγαθῶν χάριν δῶρα προσάγειν, οὐδὲν ἕτερον ἢ εὐχαριστία σαφής. ἔτι δὲ καὶ τὸ εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου διὰ τῶν ἔμπροσθεν εἰρημένων ἐγένετο δῆλον, ἀμοιβήν τινα πρὸς αὐτὸν τοῦ θανάτου αὐτοῦ καὶ εὐχαριστίαν σημαῖνον. διὰ τοῦτο γὰρ πρὸ πάντων ἐν τῇ προσαγωγῇ τῶν δώρων ταῦτα λέγεται τὰ ῥήματα. ὅτι ὁ θάνατος ἐκεῖνος, αἴτιος ἐγένετο τῶν ἀγαθῶν πάντων ἡμῖν. ὕστατα δὲ πάντων ποιεῖται τὴν ἱκεσίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ψυχῶν ἀνάπαυσιν, καὶ τὰ τοιαῦτα αἰτούμενος. τοῦτο γὰρ εὐγνωμοσύνης, τῷ θεῷ ἐντυγχάνοντας, μὴ τὴν χρείαν εὐθὺς λέγειν, μηδὲ εἴ τι ἐλλεῖπον ζητεῖν. ἀλλὰ μᾶλλον ὧν ἤδη λαβόντες ἔχομεν πρῶτον μεμνημένους, εὐχαριστεῖν καὶ δοξολογεῖν, καὶ οὕτω πρὸ τῶν ἀναγκαίων ἡμῖν, τὴν τοῦ θεοῦ ποιεῖσθαι δόξαν.

Caput 7. Cabasilæ.

Sacerdos autem adhuc facit oblationem, & uniuscujusque panis ex iis, qui offeruntur partem auferens, facit sacrum donum, non eadem dicens, & faciens, quæ ab initio, per quæ mors Domini significabatur, quia quæ semel dicta sunt, de universo mysterio dicta esse intelliguntur. Omnis enim donorum oblatio fit in

» recordationem Domini, & per id universum mors ejus annunciatur. Quænam etiam sunt, quæ recitantur? In gloriam sanctissimæ Dei Matris, ad intercessionem hujus, vel illius sancti, in peccatorum animarum remissionem, vel vivorum, vel mortuorum. Et quid hæc sibi volunt? Gratiarum apud Deum actionem, supplicationem, materiam, occasionem, causas donorum oblationis. Ita enim habet: nullum donum frustra datur, sive Deum colere, sive hominibus gratificari oportet, sed alicujus boni gratiâ, quod vel factum est, vel speratur. Vel enim pro iis, quæ accipimus, benefactori donis gratiã referimus: vel si nulla adhuc fuerint, eum qui dare potest ut assequamur, colimus, & observamus. Hæc autem dona, propter utrumque Deo offerri videntur, & quia accepimus, & ut accipiamus, & Deo gratias agentes, & ei supplicantes. Gratias agentes pro beneficiis, quæ accipimus, supplicantes, ut accipiamus. Dona itaq; & in gratiarum actione, & in supplicatione versantur: sed quænam sunt, quæ jam nobis data sunt? Quæ verò quæruntur? Eadem omnino, remissio peccatorum, regni hereditas, hæc enim ipse jussit peti ante omnia. Ea sunt, quæ jã accepit Ecclesia, ea sunt & pro quibus supplicat. Et quis est modus, quo hæc bona jam assecuta est? & quis, quoque nondum assecuta est & ut assequatur? Primum quidem assecuta est, quòd ad ea potestatem accepit. Etenim potestatem accepit ut filij Dei fierent, & hoc est commune donum, quod Christianis omnibus per mortem Salvatoris datum est. Hoc est enim divinum baptisma, & alia sacramenta, per quę à Deo adoptamur, & regni cœlorum heredes efficimur. Deinde ipsius quoque regni actu fuit heres in innumerabilibus, qui sunt ex suo choro, quos in cœli misit coloniam, quos primogenitorum in cœlis descriptorum Ecclesiam vocavit Beatus Paulus. Ita ergo Ecclesia hæc magna bona est consecuta. Propter suos autem filios, qui adhuc currunt ad bravium, & ut semel dicam, eos qui in hac adhuc vita vivunt, quorum est finis incertus, & eos, qui excesserunt cum spe non omnino bona & adeo certa, regnum nondum est assecuta, ea de causa meminit quidem mortis Domini. Meminit autem sanctorum, quibus plena sua obtigit perfectio: meminit & eorum, qui nondum perfecti sunt, pro illis quidem agens gratias, pro his verò supplicans. Quare primæ quidem oblationis partes, & secundæ versantur in agendis gratiis, quę autem consequuntur ad supplicationem pertinent. In recordationem scilicet Domini, in gloriam Beatæ suæ Matris, in intercessionem sanctorum. Gratias, inquit, tibi agimus, quòd morte tua vitæ portas aperuisti, quòd matrem ex nobis accepisti, quòd tantam gloriam homo est assecutus, quòd habemus intercessores, qui sunt ejusdem gentis: & iis, qui sunt ejusdem nobiscum generis, tantam libertatem impertiisti. Illud enim in gloriam, & intercessionem idem est, quod pro gloria, & pro intercessione, quemadmodum & illud, in remissionem peccatorum, idem est, quod pro remissione peccatorum. Illud autem, pro aliquo, habet duplicem significationem, vel enim pro præsenti, vel pro eo quod speratur. Beatæ autem Virginis gloriam, & sanctorum intercessionem, & libertatem, quis nescit esse bona præsentia? Pro præsentibus autem bonis dona offerre, nihil aliud est quam manifesta gratiarum actio. Præterea autem & illud, in recordationem Domini, per ea, quæ prius dicta sunt, evasit manifestum, significare quandam erga ipsum pro morte sua retributionem, & gratiarum actionem. Propterea enim ante omnia in donorum oblatione, hæc verba dicuntur, quod mors illa nobis causa fuit omnium bonorum. Ultimo autem loco facit supplicationem, petens remissionem peccatorum, & requiem animarum, & alia hujusmodi. Hoc est enim grati animi, Deum alloquentes non quid opus sit, statim dicere, nec quod deest postulare; sed potiùs ea, quæ jam accepimus primùm memoria repetentes, pro eis illi gratias agere & illum gloria afficere, & sic iis, quæ sunt nobis necessaria, Dei gloriam præferre.

Κεφάλαιον μθ'.

Τούτῳ δὴ ἀκόλουθον ἐκεῖνο ζητῆσαι. εἰ γὰρ ταῦτα τὰ ἅγια ἀνατίθεται μὲν τῷ θεῷ, ἁγιάζει δὲ τοὺς ἁγιασμοῦ δεομένους, τίνος ἕνεκα καὶ τοὺς ἡγιασμένους ἤδη, καὶ πάντα τελείους ταύτῃ τῇ δωροφορίᾳ δεξιοῦσθαι πιστεύομεν, καὶ ἐπειδὰν αὐτῶν τι δεηθέντες εἰς ἐπικουρίαν καλέσωμεν τὴν τῶν δώρων τούτων ὑπισχνούμεθα λειτουργίαν. ὥσπερ ἢ αὐτοῖς ταῦτα ἀναθήσειν μέλλοντες, ἢ ὑπὲρ αὐτῶν, ἵνα γένωνται βελτίους; ὅτι ἔστι καὶ ἕτερος τρόπος τῆς δωροφορίας ταύτης ἣν πρόσθεν ἔφην. καθ' ὃν τὰ δῶρα ταῦτα καὶ τῶν ἁγίων γίνεται, ὅταν ὡς χαριστήρια τῷ θεῷ προσάγωνται, ὑπὲρ τῆς αὐτῶν δόξης, ἧς αὐτοὺς ἐδόξασε. καὶ ὑπὲρ τῆς τελειώσεως, ἧς αὐτοὺς ἐτελείωσεν. ἔστι μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ τὰ δῶρα ὡς αὐτῷ ἀνατιθέμενα, ἔστι δὲ καὶ τῶν δεομένων, βοηθείας τινῶν, ὡς βοηθήματα. ἔστι δὲ καὶ τῶν ἁγίων, ὅτι αὐτῶν χάριν ἀνατίθεται τῷ θεῷ. τὸ γὰρ ἐμὴν χάριν δοθὲν, ἐγὼ λαμβάνω. κἂν ὁστισοῦν ὁ δεχόμενος ᾖ. οὐ γὰρ πάντα τὰ διδόμενα ἡμῖν ὅθεν οὖν, ταῖς χερσὶν λαμβάνομεν ταῖς ἡμετέραις μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς τῶν φίλων, καὶ ταῖς τῶν οἰκείων, καὶ ἁπλῶς πάντων, οἷς ὁ δωρούμενος, ἵν' ἡμᾶς εὐφράνῃ, δωρεῖται. διὰ τοῦτο καὶ ὁ κύριος τῶν πτωχῶν λαμβανόντων, ὅτι οἱ χορηγοῦντες αὐτοῖς, αὐτοῦ χάριν, τοῦτο ποιοῦσι, αὐτὸς λαμβάνειν φησίν. οὕτω καὶ οἱ ἅγιοι, ταῦτα τὰ δῶρα λαμβάνουσιν, ὅτι αὐτῶν χάριν ἀνατίθεται τῷ θεῷ. ὥσπερ γὰρ διὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ ἀγάπην ἐκεῖνο γίνεται. οὕτω διὰ τὴν τῶν ἁγίων ἀγάπην τοῦτο. ὅτι μὲν γὰρ σφόδρα φιλοῦμεν αὐτοὺς, τὰ αὐτῶν ἀγαθὰ, ἡμέτερα λογιζόμεθα. καὶ συγχαίρομεν αὐτοῖς τῆς εὐδαιμονίας. ὡς καὶ αὐτοὶ μετέχοντες τῶν ἀγαθῶν. οὕτω δὲ χαίροντες ταῖς παρὰ τοῦ θεοῦ δεδομέναις αὐτοῖς δωρεαῖς, εὐχαριστοῦμεν τῷ δεδωκότι, καὶ τὰ χαριστήρια προσάγομεν δῶρα. οὐ διὰ τοῦτο δὲ μόνον αὐτοὶ τὰ δῶρα λαμβάνουσιν, ὅτι διὰ τὴν αὐτῶν ἀγάπην ἡ δωροφορία γίνεται, ἀλλ' ὅτι καὶ αὐτὸ τοῦτο τῶν ἡδίστων, καὶ σφόδρα κεχαρισμένων αὐτοῖς, λέγω δὴ τὸ τὸν θεὸν δι' αὐτοὺς χάριτας δέχεσθαι, καὶ δοξάζεσθαι. ὥσπερ γὰρ μέγιστον ἁμάρτημα τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὸ βλασφημεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ δι' αὐτούς. οὕτω μέγα κατόρθωμα καὶ περισπούδαστον τοῖς ἁγίοις, τὸ δι' αὐτοὺς τὸν θεὸν δοξάζεσθαι. τοῦτο καὶ μετὰ σώματος ζῶσι, διηνεκὴς ἀγὼν ἦν. καὶ μεταστᾶσιν εἰς τὸν οὐρανὸν, ἔργον ἐστὶν ἄληκτον καὶ τρυφὴ, καὶ τῆς μακαριότητος ἐκείνης κεφάλαιον. εἰ γὰρ ὅτε τὰ ἀγαθὰ ἐν ἐλπίσιν ἦν αὐτοῖς μόνον, διετέλουν ἐν παντὶ εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ, πάντα εἰς δόξαν αὐτοῦ ποιοῦντες,, ὁσίοις αὐτοῖς γενέσθαι τὰ τοιαῦτα χρὴ νομίζειν, ὅτε μείζων μὲν αὐτοῖς ἡ εὐγνωμοσύνη πολλῷ τῷ μέσῳ, τελείοις ἤδη πᾶσαν ἀρετὴν γενομένοις, τὰ δὲ ἀγαθὰ οὐκ ἔτι ἐλπίζουσιν, ἀλλ' αὐτῇ πείρᾳ μανθάνουσι τὴν τοῦ δεσπότου φιλοτιμίαν; ὅτε ὁρῶσιν ἑαυτοὺς ἐξ οἵων οἷοι γεγόνασιν; ἀντὶ πηλίνων, ἥλιοι, ἀντὶ δούλων ἠτιμωμένων, υἱοὶ τίμιοι, καὶ βασιλείας οὐρανῶν κληρονόμοι, ἀντὶ ὑπευθύνων, δυνατοὶ καὶ ἄλλοις λύειν εὐθύνης τῇ πρὸς τὸν δικαστὴν παῤῥησίᾳ. διὰ τοῦτο οὐδὲ κόρος ἐστὶν αὐτοῖς οὐδεὶς τοῦ εἰς θεὸν ὕμνου. οὐδὲ νομίζουσιν αὐτοὶ μόνοι πρὸς τὴν εὐχαριστίαν ἀρκεῖν. ὅθεν βούλονται πάντας καὶ ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους ἔχειν αὐτοῖς τοῦτον συνεργαζομένους τὸν ὕμνον. ἵνα τὸ ὄφλημα αὐτῶν ἡ εὐχαριστία τῷ θεῷ ἐγγύτερον τῆς ἀξίας ἀποδοθῇ, πολλαπλασίων ἑαυτῆς γενομένη τῇ προσθήκῃ τῶν ὑμνητῶν. καὶ τούτου μάρτυρες οἱ περὶ τὸν Ἀζαρίαν ἅγιοι παῖδες, οἱ τοῦ πυρὸς κρατήσαντες, καὶ ταύτην παρὰ τοῦ θεοῦ τότε λαβόντες τὴν χάριν. ἐπεὶ ἔδει καὶ αὐτοὺς τῆς παραδόξου ταύτης σωτηρίας ὁμολογῆσαι χάριτας τῷ σώσαντι καὶ ὑμνῆσαι, οὐκ ἠγάπησαν, εἰ αὐτοὶ μόνον ὑμνήσουσιν, οὐδὲ τὴν ἑαυτῶν βοὴν ἀρκεῖν ἐνόμισαν, ἀλλὰ καὶ ἀγγέλους συνεκάλουν, καὶ ἀνθρώπων ἅπαντα γένη. καὶ οὐρανὸν αὐτὸν, καὶ τὸν ἥλιον, καὶ τοὺς ἀστέρας, καὶ γῆν, καὶ ὄρη, καὶ ἄλογα πάντα, καὶ ἄψυχα, καὶ ἁπλῶς πᾶσαν τὴν κτίσιν. τοσαύτη τοῦ τὸν θεὸν ὑμνεῖσθαι παρὰ τοῖς ἁγίοις ἐπιθυμία. καὶ μετὰ σώματος ἔτι ζῶσι, καὶ πολλῷ μᾶλλον ἀπαλλαγεῖσι τοῦ σώματος. ὅθεν εἴτις αὐτῶν μεμνημένος, καὶ τῆς εὐδοκιμήσεως αὐτῶν, καὶ τῆς μακαριότητος, καὶ τῆς δόξης, τὸν στεφανώσαντα θεὸν ὑμνήσειε, χάριν αὐτοῖς κατατίθεται, χάριν τῶν ἁπασῶν τὴν τιμιωτάτην, καὶ μάλιστα ὅταν ποιῆται τὴν ὕμνησιν οὐ φωναῖς ψιλαῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ δώρων χαριστηρίων προσαγωγῇ. καὶ δώρων οὕτω σφόδρα δεκτικῶν τῷ θεῷ, καὶ τιμίων τὴν ἀνωτάτω τιμήν. τηλικαῦτα γὰρ, καθάπερ αὐτὸς ὁ σωτὴρ, ἵλεως αὐτὰ δεχόμενος, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν νομικὴν λατρείαν, τὸ σῶμα αὐτοῦ ἡμῖν ἀντιδίδωσι, καὶ τὸ αἷμα, οὕτω καὶ αὐτοὶ χαίροντες αὐτοῖς ὡς οὐδενὶ τῶν ἄλλων, οἷς αὐτοὺς θεραπεύειν δοκοῦμεν, ὅλοις παρέχουσιν ἡμῖν ἑαυτοὺς συντελεῖς, πρὸς πᾶν ὅ, τι ἡμῖν συμφέρει. πανταχοῦ γὰρ τὸν ἑαυτῶν μιμοῦνται δεσπότην.

Caput 49. Cabasilæ.

Huic autem consequens est, illud quærere: Si enim hæc sancta Deo quidem consecrantur, eos autem sanctificant, qui

sanctificatione indigent, quamnam ob causam etiam jam sanctificatos, & omni ex parte perfectos, hac donorum oblatione coli credimus, & quando eos aliquid orantes in auxilium vocaverimus, horum donorum ministerium pollicemur, tanquam vel ipsis ea consecraturi, vel pro ipsis, ut fiant meliores? Quod quidem est etiam alius modus hujus donorum oblationis, quam priùs dixi, per quem hæc dona fiunt etiam sanctorum, quando Deo tanquam pro gratiarum actione offeruntur, quod eis gloriam, perfectionem, & consummationem dederit. Sunt enim Dei dona, ut quæ ei consecrantur: sunt & fidelium, utpote iis, qui auxilio indigent, ut auxilia: sunt etiam sanctorum, quòd eorum gratiâ Deo consecrantur. Quod enim meâ gratiâ datum est, ego accipio, quicumque is sit, qui accipit. Non enim omnia, quæ nobis undecumque donantur, nostris manibus tantùm accipimus, sed etiam amicorum, & familiarium, & ut semel dicam, omnium, quibus donator donat, ut nobis rem gratam faciat. Propterea etiam Dominus pauperibus accipientibus, quia, qui eis suppeditant, ejus gratiâ hoc faciunt, ipse se dicit accipere: Ita etiam sancti hæc dona accipiunt, quòd eorum gratiâ Deo donantur. Quemadmodum enim propter Christi dilectionem illud fit, ita hoc etiam propter dilectionem sanctorum. Quia enim valde eos diligimus, ipsorum dona nostra esse ducimus, & eis de felicitate gratulamur, tanquam & nos ipsi bonorum participes. Ita etiam gaudentes donis à Domino ipsis datis, gratias agimus ei, qui dedit, & pro gratiarum actione dona offerimus. Non propter hoc autem solùm ipsi dona accipiunt, quòd propter eorum dilectionem fit donorum oblatio, sed quòd hoc etiam est eis jucundissimum, & longè gratissimum. Dico autem quòd Deus per ipsos gratias accipit, & glorificatur. Quemadmodum enim est maximum peccatum malorum hominum, quòd blasphematur nomen Dei per ipsos: ita sanctis est magnum, & præclarum facinus, magnoque studio appetendum, quòd per ipsos Deus glorificatur. Hoc & cum corpore viventibus erat perpetuum certamen, & postquam in cœlum migrarunt, continuum est opus, & voluptas, & illius beatitudinis caput. Si enim quando bona eis in spe solùm erant, Deo gratias perpetuò agebant; & omnia ad ejus gloriam faciebant, cujusmodi oportet eos in talibus existimare, quando multò major quidem est eis gratitudo, & beneficij recordatio, cùm omni jam virtute perfecti sunt, bona autem non sperant ampliùs, sed ipsa experientiâ discunt Domini munificentiam? Quando vident seipsos quales ex qualibus facti sunt, pro terrenis soles, pro servis contemptis honorati filij & regni cœlestis heredes, pro reis potentes vel alios è reis eximere, per eam quam habent apud judicem fiduciam. Propterea nulla est unquam eis Deum laudandi satietas, nec existimant seipsos solos sufficere ad agendas gratias. Unde volunt etiam omnes Angelos, & homines ad ejus laudem celebrandam habere adjutores. Ut eorum debitum, gratiarum scilicet Deo actio, eo propiùs pro dignitate solvatur, multiplicata per laudatorum additamentum. Et hoc testantur Azarias, & socij sancti pueri, qui cùm ignem vicissent, & eam tunc gratiam à Deo accepissent, quandoquidem oportebat etiã ipsos propter hanc admirabilem, & inopinatam salutem Deo gratias agere, qui eos servaverat, & eum laudare; non satis habuerunt, si ipsi soli laudarent, nec suas voces sufficere existimarunt, sed etiam Angelos convocarunt, & omnia hominum genera, & cœlum ipsum, & solem, & astra & terram & montes, & omnia rationis & animæ expertia, & omnem, ut semel dicam, creaturã. Tantum est Deum laudandi apud sanctos desiderium, etiam adhuc cum corpore viventes, & multo magis postquam à corpore discesserint. Unde si quis eorum recordatus, eorumque honoris, ac beatitudinis, & gloriæ, Deum, qui eos coronavit, laudaverit, tribuit eis gratiam omnium gratiarum præstantissimam, & maximè quando non solis vocibus laudem celebrant, sed etiam donorum pro gratiis agendis, obla-

» tione, & donorum Deo adeò acceptorum & pretiosorum supremo honore. Tunc enim quemadmodum ipse Salvator propitius ipsa suscipiens, & super omnem cultum legalem, suum corpus, & sanguinem nobis retribuit: ita etiam ipsi eis gaudentes, ut nulla re alia, quibus eos colere videmur, totos seipsos nobis præbent ad ferendum auxilium in omni re, quæ nobis conducit. Dominum enim suum omni ex parte imitantur.

Κεφάλαιον γ´.

Ἀλλ᾽ ἐνταῦθά τινες ἠπατήθησαν, οὐκ εὐχαριστίαν, ἀλλ᾽ ἱκεσίαν ὑπὲρ τῶν ἁγίων πρὸς τὸν θεὸν τὴν μνήμην αὐτῶν εἶναι νομίσαντες. οὐκ οἶδα πόθεν λαβόντες τῶν λογισμῶν τούτων τὰς ἀφορμάς. οὔτε γὰρ ἀπὸ τῶν πραγμάτων αὐτῶν ταῦτα πιστεύειν ἀκόλουθον. οὔτε ἀπὸ τῶν ἐνταῦθα τῆς ἱερουργίας ῥημάτων. καὶ τὸ μὲν εἰκὸς τῶν πραγμάτων, ὅτι πολλοῦ δεῖ τοιαῦτα συγχωρεῖν, δῆλον ἐκεῖθεν, εἰ γὰρ εὔχεται ὑπὲρ ἁγίων ἡ ἐκκλησία, ἐκεῖνα πάντως εὔξαιτ᾽ ἄν, ἃ εἴωθεν εὔχεσθαι πανταχοῦ. τίνα δέ ἐστιν ἃ εὔχεται; τοῖς κεκοιμημένοις ἄφεσις ἁμαρτιῶν, βασιλείας κληρονομία, ἀνάπαυσις ἐν τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ μετὰ τῶν τελειωμένων ἁγίων. ταῦτα τῆς ἐκκλησίας εὐχή, παρὰ ταῦτα οὐδὲν ἂν εὕροις εὐχομένην τοῖς μεταστᾶσιν. ἐν τούτοις ὥρισται ἡ πρὸς θεὸν ἡμῶν ἱκεσία. οὐ γὰρ ποῦ, οὗπερ αὖτις ἐπιθυμήσειε, καὶ εὔχεσθαι ἔξεστιν, ἀλλὰ κἀνταῦθα νόμος καὶ ὅρος, ὃν ὑπερβαίνειν ἀθέμιτον. τὸ γὰρ τί προσευξόμεθα καθ᾽ ὃ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν φησιν, ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ πνεῦμα ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. τουτέστιν, ἃ δεῖ προσεύχεσθαι διδάσκει ἡμᾶς. οὕτω γὰρ οἱ διδάσκαλοι τῆς ἐκκλησίας ἐξειλήφασι. σκέψαι τοίνυν ἔτι πλέον τῶν εἰρημένων ἐν πάσαις τελεταῖς, καὶ ἱερολογίαις ἔστιν εὑρεῖν εὐχομένην τὴν ἐκκλησίαν, καὶ οὐκ ἂν εὕροις. οὐκοῦν εὔξονται μὲν τοῖς ἀνευθύνοις ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ὡς ἔτι καὶ δίκας ὀφείλουσιν. εὔξονται δὲ τοῖς ἁγίοις, ὡς μή που ἡγιασμένοις τὴν μετὰ τῶν ἁγίων ἀνάπαυσιν. εὔξονται δὲ τελείωσιν τοῖς τελείοις, ὡς μήπω τελειωθεῖσι. καὶ οὕτως ἀνάγκη δυοῖν θάτερον ἁμαρτάνειν αὐτούς. ἢ γὰρ ὁμολογοῦντες τὴν μακαριότητα καὶ τὴν τελειότητα τῶν ἁγίων, ἑκόντες βούλονται πρὸς τὸν θεὸν ληρεῖν, καὶ ματαίαν ὑπὲρ αὐτῶν συνείρειν εὐχήν, ὅπερ ἐστὶν ἀνδρῶν τὰ θεῖα παιζόντων μᾶλλον, ἢ ἱερέων. ἢ μετὰ σπουδῆς ποιούμενοι τὰς εὐχάς, ὡς ἂν οἰόμενοι τοῖς ἁγίοις δι᾽ αὐτῶν ὠφελεῖν, τὴν αὐτῶν ἀρνοῦνται δόξαν. ὅπερ ἐστὶ βλασφημεῖν, οὐκ αὐτοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν θεὸν αὐτόν, ὡς ψευσάμενον τὰς ἐπαγγελίας, ἃς [in aliis exemplaribus ὅς] ἐπηγγείλατο δοξάσειν, καὶ τῆς βασιλείας μεταδώσειν αὐτοῖς. μᾶλλον δὲ καὶ ἄμφω σαφὴς ἐστὶ βλασφημία. τοῦτο μέν, ὡς παντελῶς ἀρνουμένων τὴν μακαριότητα τῶν ἁγίων. ἐκεῖνο δέ, ὡς τὸ τῶν ἀρνουμένων ποιούντων. οὓς γὰρ εἶναι πιστεύουσι μακαρίους, ὡς ἐν υἱῶν μοίρᾳ τεταγμένους καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ κληρονόμους, τούτοις ὡς εἶεν ἀγέραστοι, καὶ ἄτιμοι, καὶ ὑπεύθυνοι, δι᾽ ὧν τοιαῦτα ὑπὲρ αὐτῶν ἀξιοῦσιν εὔχεσθαι, μαρτυροῦσιν. οὕτω μὲν οὖν αὐτῶν ἕνεκα τῶν πραγμάτων, ἄτοπον εἶναι φαίνεται, εἴ τις νομίζειν τὴν ὑπὲρ τῶν ἁγίων παρὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς τὸν θεὸν προσφοράν, ἱκέσιον εἶναι. ἴδωμεν δὲ καὶ αὐτὰ τὰ ῥήματα. ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν, ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων, πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, κηρύκων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, ἐγκρατευτῶν, καὶ παντὸς πνεύματος ἐν πίστει τετελειωμένου. ἐξαιρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου, δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. τοῦ ἁγίου προφήτου προδρόμου, καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου. τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων, ὧν ταῖς ἱκεσίαις ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ὁ θεός. καὶ μνήσθητι πάντων τῶν κεκοιμημένων ἐπ᾽ ἐλπίδι ἀναστάσεως, καὶ ζωῆς αἰωνίου. καὶ ἀνάπαυσον αὐτοὺς ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. ταῦτα τὰ ῥήματα. ἐν οἷς οὐδὲ μία περιέχεται περὶ τῶν ἁγίων πρὸς τὸν θεὸν ἱκεσία. οὐδὲ εὔχεται αὐτοῖς ὁ ἱερεὺς τῶν εἰωθότων οὐδέν, ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων κεκοιμημένων πιστῶν μεμνημένος, εὐθὺς προστίθησι τὴν ὑπὲρ τούτων εὐχήν. καὶ ἀνάπαυσον γὰρ αὐτούς, φησιν, ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. ἐπὶ δὲ τῶν ἁγίων τοὐναντίον ἅπαν. οὐ γὰρ πρεσβείαν ὑπὲρ αὐτῶν ποιεῖται, ἀλλ᾽ αὐτοὺς μᾶλλον προβάλλεται πρέσβεις. εἰπὼν γὰρ καὶ ἀριθμήσας τοὺς ἁγίους, ἐπάγει. ὧν ταῖς πρεσβείαις ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ὁ θεός. ὃ δὲ μάλιστα δείκνυσιν οὐ δέησίν τινα καὶ ἱκεσίαν, ἀλλ᾽ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τῶν ἁγίων εἶναι ταῦτα τὰ ῥήματα. ὅτι καὶ ἡ τοῦ θεοῦ μήτηρ ἐν τούτῳ τῷ καταλόγῳ τάττεται. οὐ γὰρ ἂν ἐτάττετο, εἰ μεσιτείας τινὸς ὁ χορὸς οὗτος ἐδεῖτο. ἥγε πάσης ἐστὶν ἐπέκεινα μεσιτείας, οὐ τῆς ἀνθρωπίνης μόνον ἱεραρχίας, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἀγγέλων, ὡς ἂν καὶ αὐτῶν οὖσα τῶν ἀνωτάτων ταγμάτων ἀσυγκρίτως ἁγιωτέρα. καὶ μὴν ὁ Χριστός ἐστι, φησιν, ὁ τελῶν τὴν ἱερουργίαν. τί οὖν θαυμαστόν, εἰ καὶ τοῖς ἁγίοις καὶ αὐτῇ μεσιτεύσειε τῇ μητρί. ἀλλ᾽ οὐδένα τοῦτο λόγον ἔχει. οὐ καὶ οὗτος ὁ τρόπος τῆς τοῦ Χριστοῦ μεσιτείας. μεσίτης μὲν γὰρ ἐγένετο θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀλλ᾽ οὐ λόγοις τισὶ καὶ εὐχαῖς, ἀλλ᾽ ἑαυτῷ. ὅτι γὰρ

θεὸς ὁ αὐτὸς, καὶ ἄνθρωπος ὤν, θεὸν ἀνθρώποις συνῆψε κοινὸν ὅρον ἑαυτὸν ἀμφοτέραις ταῖς φύσεσιν ἐμβαλών. τὸ δὲ νομίζειν αὐτὸν διὰ τῶν ἐν τῇ ἱερουργίᾳ εὐχῶν ἀεὶ μεσιτεύειν, βλασφημίας ἁπάσης, καὶ ἀτοπίας ἐστὶ μεστόν. εἰ γὰρ καὶ αὐτός ἐστιν ὁ τελῶν τὴν ἱερουργίαν, ἀλλ' οὐ πάντων τὰ ἐκεῖ γινόμενα, καὶ λεγόμενα αὐτῷ ἀναθήσομεν. τὸ μὲν γὰρ ἔργον τῆς μυσταγωγίας καὶ τὸ τέλος, ἤτοι τὸ ἁγιασθῆναι τὰ δῶρα, καὶ ἁγιάσαι τοὺς πιστοὺς, αὐτοῖς ἐστι μόνος ὁ τελῶν, αἱ δὲ περὶ τούτων εὐχαὶ καὶ δεήσεις, καὶ ἱκεσίαι, τοῦ ἱερέως. ἐκεῖνα μὲν γὰρ δεσπότου, ταῦτα δὲ δούλου. καὶ ὁ μὲν εὔχεται, ὁ δὲ τελειοῖ τὰς εὐχάς. καὶ ὁ μὲν σωτὴρ δίδωσιν, ὁ δὲ ἱερεὺς ὑπὲρ τῶν δοθέντων εὐχαριστεῖ καὶ ὁ μὲν ἱερεὺς προσάγει, ὁ δὲ κύριος δέχεται τὰ δῶρα. προσφέρει μὲν γὰρ ὁ κύριος, ἀλλ' ἑαυτὸν τῷ πατρὶ, καὶ τὰ δῶρα ταῦτα, ὅταν αὐτοῦ γίνωνται, ὅταν εἰς τὸ αὐτοῦ σῶμα, καὶ αἷμα μεταβληθῶσιν. ὅτι γὰρ ἑαυτὸν προσφέρει, διὰ τοῦτο λέγεται εἶναι ὁ αὐτὸς καὶ προσφέρων καὶ προσφερόμενος, καὶ προσδεχόμενος. προσφέρων μὲν καὶ προσδεχόμενος, ὡς θεὸς, προσφερόμενος δὲ, ὡς ἄνθρωπος. ἄρτον δὲ καὶ οἶνον ἔτι ὄντα τὰ δῶρα προσφέρει μὲν ὁ ἱερεὺς, προσδέχεται δὲ ὁ κύριος. καὶ τί ποιῶν τὰ δῶρα προσδέχεται; ἁγιάζων αὐτὰ καὶ εἰς τὸ ἑαυτοῦ σῶμα, καὶ αἷμα μεταβάλλων. οὗτος ὁ τρόπος, καθ' ὃν ὁ Χριστὸς τὴν ἱερουργίαν ταύτην ἱερουργεῖ. ταῦτά ἐστιν, ἃ τὴν ἱερωσύνην αὐτῷ ποιεῖ. εἰ δὲ πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ τὰς ἐν τῇ μυσταγωγίᾳ εὐχὰς ἢ πάσας, ἢ τινὰς, τοῦ Χριστοῦ θείης τις εἶναι φωνὰς, οὐδὲν κατὰ τοῦτο διοίσει τῶν ἀσεβῶν. οἳ τὴν δόξαν αὐτοῦ καθαιρεῖν ἐτόλμησαν. ἀνάγνωθι τὰς εὐχὰς ἁπάσας, καὶ εἴσῃ τὰ ῥήματα ἐκεῖνα πάντα, δούλων εἶναι ῥήματα. ἀνάγνωθι καὶ ταύτην, ἣ μνημονεύει τῶν ἁγίων, ἣν τῷ Χριστῷ ἀνατιθέναι τολμῶσι, καὶ εὑρήσεις ἐκεῖ, οὐδὲν μὲν υἱῷ πρέπον ὁμοτίμῳ, πάντα δὲ δούλων. πρῶτον μὲν γὰρ οὐκ ἀφ' ἑνὸς προσώπου, ἀλλὰ κοινὴ τοῦ γένους ἐστὶν ἡ εὐχαριστία· καὶ ὡς ἁμαρτήσαντες καὶ μὴ περιοφθέντες ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας, εὐχαριστοῦσι. καὶ ἡ εὐχαριστία οὐ πρὸς τὸν πατέρα μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ μητρὸς, ὡς δεσποίνης δοῦλοι μέμνηνται καὶ τῶν πρεσβειῶν αὐτῆς, καὶ τῶν ἁγίων τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ ἐπισκέψεως καὶ προνοίας αἰτοῦνται τυχεῖν. ταῦτα δὲ τί κοινὸν ἔχει πρὸς τὸν ἕνα κύριον, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν μονογενῆ, τὸν ἀναμάρτητον, τὸν πάντων δεσπότην; εὐχαριστοῦμέν σοι φησι, τῷ υἱῷ σου τῷ μονογενεῖ. οὐκοῦν ὁ Χριστὸς εὐχαριστεῖ τῷ υἱῷ θεοῦ τῷ μονογενεῖ· καὶ ἰδοὺ δύο ἔσονται υἱοὶ, κατὰ τὴν Νεστορίου μανίαν. οὕτω ἀσεβὲς καὶ ἀνόητον, τὸν Χριστὸν νομίζειν ὑπὲρ τῶν ἁγίων πρεσβεύειν. καὶ τοιαύτην πρεσβείαν καὶ μεσιτείαν αὐτῷ περιάπτειν. ἐδείχθη δὲ ταῦτα μὴ δὲ τῶν ἱερέων εἶναι, λείπεται δὴ μὴ ἱκεσίαν, ἀλλ' εὐχαριστίαν εἶναι ταῦτα τὰ ῥήματα. ναί φησιν, ἀλλ' ἡ λέξις οὐκ ἐᾷ τὴν ἱκεσίαν σαφῶς δυναμένη. ἡ γὰρ ὑπὲρ πρόθεσις τοῦτο βούλεται σημαίνειν. οὐ πάντως, γὰρ πανταχοῦ τὸν δεόμενον δείκνυσιν. οὐ γὰρ ἐν οἷς ἱκετεύομεν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν οἷς εὐχαριστοῦμεν, ταύτῃ χρώμεθα τῇ λέξει. καὶ τοῦτο δῆλον πολλαχόθεν, καὶ ἀπ' αὐτῆς δὲ τῆς προκειμένης εὐχῆς. ὑπὲρ τούτων φησὶν ἁπάντων εὐχαριστοῦμέν σοι, καὶ τῷ μονογενεῖ σου υἱῷ καὶ τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. ὑπὲρ πάντων ὧν ἴσμεν, καὶ ὧν οὐκ ἴσμεν. εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ ὑπὲρ τῆς λειτουργίας ταύτης, ἣν ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν δέξασθαι κατηξίωσας. ὁρᾷς τὴν ὑπὲρ καὶ ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας κειμένην; οὐκοῦν πρὸς τὴν πλάνην ταύτην, οὐδεμία καταλείπεται πρόφασις. οὕτω μὲν οὖν ἀδύνατον ἱκέσιον εἶναι τὴν περὶ τῶν ἁγίων μνήμην. ὅτι δὲ χαριστήριός ἐστι, δείκνυσι μὲν αὐτὸ τοῦτο, τὸ μὴ εἶναι ἱκέσιον. ἀνάγκη γὰρ δυοῖν θάτερον, ἢ ἱκέσιον εἶναι, ἢ χαριστήριον, ὅτι κατὰ τοὺς δύο τούτους μόνον τρόπους μεμνήμεθα περὶ τὸν θεὸν τῶν παρ' ἐκείνου γινομένων ἡμῖν ἀγαθῶν. ἢ ἵνα λάβωμεν αὐτὰ, ἢ ὅτι ἐλάβομεν. καὶ τὸ μὲν ἐστὶν ἱκεσία. τὸ δὲ εὐχαριστία. δείκνυσι δὲ καὶ τὸ πασῶν μεγίστην εἶναι τῶν τοῦ θεοῦ δωρεῶν εἰς τοὺς ἀνθρώπους τὴν τῶν ἁγίων τελείωσιν. καὶ διὰ τοῦτο μὴ χάριτας ὁμολογεῖν τὴν ἐκκλησίαν περὶ αὐτῶν μὴ θεμιτὸν εἶναι. καὶ τί λέγω μεγίστην τῶν τοῦ θεοῦ δωρεῶν τὴν τῶν ἁγίων τελείωσιν; αὐτὴ μὲν οὖν ἐστιν ἅπασα ἡ τοῦ θεοῦ δωρεά. πάντων γὰρ ὧν εἰς τὸ γένος ἡμῶν ἐποίησεν ἀγαθῶν, τοῦτό ἐστι τὸ τέλος, τοῦτο καρπὸς οἱ χοροὶ τῶν ἁγίων. καὶ τούτων ἕνεκα οὐρανὸς ἐδημιουργήθη, καὶ γῆ, καὶ τὸ ὁρώμενον ἅπαν, διὰ τοῦτο παράδεισος. διὰ τοῦτο προφῆται. διὰ τοῦτο αὐτὸς ὁ θεὸς ἐν σαρκί. καὶ θεοῦ λόγοι, καὶ ἔργα, καὶ πάθη, καὶ θάνατος. ἵνα ἀπὸ τῆς γῆς εἰς τὸν οὐρανὸν μετοικίσωσιν οἱ ἄνθρωποι, καὶ τῆς ἐκεῖ βασιλείας γένωνται κληρονόμοι. εἰ τοίνυν ὅλως εὐχαριστία ἐστὶν ἐν τῇ τελετῇ, καὶ τὰ δῶρα ταῦτα χαριστήρια, καθάπερ ἱκέσια, πᾶσα ἀνάγκη τὸ κεφάλαιον, καὶ τὴν ἀφορμὴν τῆς εὐχαριστίας αὐτοὺς εἶναι τοὺς τελειωθέντας ἁγίους. ὅλως δὲ τί ἐστι τὸ ποιοῦν ἐν ἡμῖν τὴν εὐχαριστίαν, ἢ τὸ αἰτεῖν ὁτιοῦν, καὶ λαβεῖν, ὅπερ αἰτοῦμεν; παντί που δῆλον. οὐκοῦν τὸ αὐτό ἐστι δι' ὅ τε εὐχαριστοῦμεν, καὶ ὃ αἰτοῦμεν. τί οὖν παρὰ τοῦ θεοῦ ἡ ἐκκλησία αἰτεῖται; ὅπερ αἰτεῖν παρ' αὐτοῦ ἐκελεύσθη, τὴν βασιλείαν αὐτοῦ δηλονότι. ἵνα οἱ πιστοὶ ταύτης κληρονομήσωσιν. ἵνα ἅγιοι γένωνται κατὰ τὸν καλέσαντα ἅγιον. εἰ δὲ ταῦτα τοῦ θεοῦ δεῖται, καὶ ἱκετεύει, πρόδη-

λου ὅτι καὶ ὑπὲρ αὐτῶν τούτων εὐχαριστεῖ. εὔχεται τοῖς πιστοῖς ἐν ἁγιωσύνῃ τελειωθῆναι. καὶ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ἤδη τελειωθέντων ἁγίων τῷ τελειώσαντι χάριτας ὁμολογεῖν. ἀκόλουθόν ἐστιν ἐξ ἀνάγκης. διὰ ταύτην τὴν ὑπὲρ τῶν ἁγίων εὐχαριστίαν, αὕτη ἡ τελετὴ εὐχαριστία καλεῖται. εἰ γὰρ καὶ ἄλλων ἐνταῦθα πολλῶν μέμνηται, ἀλλ' οἱ ἅγιοι τὸ τέλος ἁπάντων, καὶ ὑπὲρ ὧν ἐκεῖνα ζητεῖται. ὅθεν ὅταν ὑπὲρ ἐκείνων εὐχαριστῇ, ὑπὲρ τῆς τελειώσεως τῶν ἁγίων εὐχαριστεῖ. καθάπερ γὰρ ὁ κύριος ὅσα ἐποίησεν ἵνα συστήσῃ τὸν χορὸν τῶν ἁγίων ἐποίησεν. οὕτω καὶ ἡ ἐκκλησία ἐν οἷς αὐτὸν ὑπὲρ ἁπάντων ἐκείνων ὑμνεῖ, πρὸς τὸν χορὸν βλέπουσα τῶν ἁγίων τοῦτο ποιεῖ. τούτου χάριν ὅτε παρεδίδου τοῦτο τὸ μυστήριον ὁ σωτὴρ, εὐχαριστῶν τῷ πατρὶ παρεδίδου. ὅτι δι' αὐτοῦ ἔμελλεν ἀνοίγειν ἡμῖν τὸν οὐρανὸν, καὶ ταύτην τὴν πανήγυριν τῶν πρωτοτόκων συνάγειν ἐκεῖ. τοῦτον ἡ ἐκκλησία μιμουμένη οὐχ ἱκέσιον μόνον, ἀλλὰ καὶ χαριστήριον τὴν προσαγωγὴν ποιεῖται τῶν δώρων. καὶ τοῦτο δείκνυσι μὲν καὶ ἑτέρωθεν, μάλιστα δὲ ἀπὸ τῆς εὐχῆς, ἐν ᾗ πᾶς ὁ σκοπὸς περιέχεται τῆς ἱερουργίας. διηγησαμένη γὰρ ἅπαντα τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ δοθέντα ἡμῖν, καὶ ὑπὲρ πάντων εὐχαριστήσασα, καὶ τελευταῖον προσθεῖσα τὴν τοῦ κυρίου διὰ σαρκὸς παρουσίαν, καὶ τὴν τοῦ μυστηρίου τούτου παράδοσιν, καὶ ὡς ἐνετείλατο καὶ ἡμᾶς τοῦτο ποιεῖν, ἐπήγαγε, μεμνημένοι τοίνυν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς, καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γεγενημένων, τοῦ σταυροῦ, καὶ ἑξῆς πάντα καταλέξασα τὰ μετὰ τὸν σταυρὸν. εἶτά φησι, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέροντες κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα, σὲ ὑμνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, σοὶ εὐχαριστοῦμεν κύριε, καὶ δεόμεθά σου ὁ θεὸς ἡμῶν. ὁρᾷς; τῶν εὐεργεσιῶν φησι μεμνημένοι, ταύτην ποιούμεθα τὴν δωροφορίαν. τοῦτο δέ ἐστι τὸ εὐχαριστεῖν, τὸ ὑπὲρ τῶν ἤδη δοθέντων ἀγαθῶν ἡμῖν δώροις τὸν εὐεργέτην τιμᾶν, εἶτα καὶ σαφέστερον δείκνυσι τὴν εὐχαριστίαν φησὶ, προσφέροντας τὴν προσφορὰν ταύτην, σὲ ὑμνοῦμεν, σὲ εὐλογοῦμεν, σοὶ εὐχαριστοῦμεν κύριε καὶ δεόμεθά σου ὁ θεὸς ἡμῶν. οὗτος ὁ νοῦς φησι τῆς προσαγωγῆς τῶν δώρων, τὸ ὑμνεῖν, τὸ εὐχαριστεῖν, τὸ ἱκετεύειν, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ἐλέγομεν. ὥστε εἶναι καὶ εὐχαριστήριον, καὶ ἱκέσιον τὴν αὐτὴν, καὶ ταῦτα ποιοῦμεν, φησι, δύο τινῶν μεμνημένοι, τῆς ἐντολῆς, ἣν ἡμῖν ἐνετείλατο, λέγων τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γενομένων. ἡ μὲν γὰρ μνήμη τῶν εὐεργεσιῶν ἁπλῶς, εἰς ἀμοιβὴν ἡμᾶς προτρέπεται. καὶ τὸ ὅλος τι προσενεγκεῖν τῷ οὕτω μυρίων ὑπάρξαντι χαρίτων ἡμῖν. ἡ δὲ μνήμη τῆς ἐντολῆς, καὶ αὐτὸ τὸ εἶδος διδάσκει τῆς ἀμοιβῆς, καὶ τίνα δεῖ δῶρα προσάγειν, αὐτὴν ἐκείνην τὴν προσφορὰν προσάγομεν, ἣν αὐτὸς ὁ μονογενὴς ἀνέδειξέ σοι τῷ θεῷ καὶ πατρί. καὶ εὐχαριστοῦμεν προσάγοντες. ὅτι καὶ αὐτὸς ἀναδεικνὺς αὐτὴν ηὐχαρίστει. διὰ ταῦτα οὐδὲν οἴκοθεν εἰσάγομεν εἰς ταύτην τὴν δωροφορίαν. οὔτε γὰρ ἔργα ἡμῶν τὰ δῶρα, ἀλλὰ σοῦ τοῦ πάντων δημιουργοῦ. οὔτε ἡμετέρα ἐπίνοια, τῆς λατρείας οὗτος ὁ τρόπος. ἀλλ' οὐδὲ ἐπεθυμήθημεν, οὐδ' οἴκοθεν καὶ παρ' ἑαυτῶν εἰς αὐτὴν ἐκινήθημεν. ἀλλ' αὐτοὺς ἐδίδαξας. αὐτὸς προετρέψω διὰ τοῦ μονογενοῦς. τούτου χάριν ἃ προσφέρομέν σοι, ἐκ τῶν σῶν, ὧν ἡμῖν ἔδωκας, σά ἐστι, κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα. οὕτω καὶ ὑπὲρ ταύτης τῆς χαριστηρίου προσφορᾶς, ἄλλην πάλιν εὐχαριστίαν ὀφείλομεν τῷ θεῷ, ὅτι οὐδὲν αὐτῆς ἡμέτερον, ἀλλὰ πᾶσα ἐκείνου δῶρον, καὶ αὐτὸ τὸ θέλειν αὐτήν. καὶ τὸ ἐνεργεῖν αὐτός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν, κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον. διὰ τοῦτο ἐν ταῖς εὐχαῖς καὶ τοῦτο λέγεται, εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ ὑπὲρ αὐτῆς τῆς λειτουργίας, ἣν ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν δέξασθαι κατηξίωσας. ἃ μὲν οὖν ἡμᾶς διδάσκει, τὴν ἐν τῇ λειτουργίᾳ μνήμην τῶν ἁγίων, μὴ ἱκεσίαν εἶναι πρὸς τὸν θεὸν ὑπὲρ αὐτῶν, ἀλλ' εὐχαριστίαν, ταῦτά ἐστιν.

Caput 50, Cabaſila.

Sed hîc nonnulli decepti ſunt non gra- «
tiarum actionem, ſed pro ſanctis ad Deum «
ſupplicationem eorum memoriam eſſe pu- «
tantes, neſcio undenam accepta hac co- «
gitandi occaſione. Neque enim ex ipſis re- «
bus eſt hæc credere conſentaneum, nec «
ex ipſis verbis ſacrificij. Et quòd rerum «
quidem veriſimilitudo multùm abeſt, ut «
hæc concedat, hinc apertum eſt; ſi enim «
pro ſanctis orat Eccleſia, illa omnino ora- «
verit, quæ ſemper orare conſuevit. Quæ- «
nam autem ſunt quæ orantur iis, qui dor- «
mierunt? Remiſſio peccatorum, regni he- «
reditas, quies in ſinu Ahrahæ cum con- «
ſummatis ſanctis. Hæc ſunt oratio Eccle- «
ſiæ. Præter hæc nihil eam orantem inve- «
neris iis, qui emigrarunt. In his definita «
eſt noſtra ad Deum ſupplicatio. Non e- «
nim quicquid deſideraverit quiſpiam, id «
etiam fas eſt orare. Sed hîc quoq; lex eſt, «
& terminus, quem non licet tranſgredi. «
Quid enim oremus, ut oportet, neſci- «
mus, inquit, ſed ipſe Spiritus interpellat «

pro nobis : Hoc est, quæ orare oportet nos docet, ita enim Ecclesiæ Doctores acceperunt. Considera ergo si aliquid amplius eorum, quæ dicta sunt in omnibus sacrorum mysteriorum celebrationibus inveniri possit orans Ecclesia, & non invenies. Ergo orabunt quidem iis, qui rei non sunt, remissionem peccatorum, tanquam adhuc reis & pœnas luere debentibus. Orabunt autem sanctis, tanquam nondum sanctificatis, cum sanctis requiem. Orabunt perfectis consummationem tanquam nondum consummatis, & sic necesse est eos alterutrum peccare. Vel enim confitentes beatitudinem, & perfectionem sanctorum, lubentes volunt apud Deum nugari, & inanem pro eis orationem contexere, quod est virorum divina ludibrio habentium potiùs quàm sacerdotum; vel seriò facientes orationes, tanquam existimantes se sanctos per eas juvare, eorum gloriam inficiantur, quod est blasphemare non ipsos tantùm, sed etiam Deum ipsum, ut qui promissa non servarit, qui promisit se eos glorificaturum, & regnum impertiturum: vel potiùs utrumque est manifesta blasphemia: hoc quidem, tanquam omnino negantium sanctorum beatitudinem: illud autem, tanquam facientium ea, quæ faciunt, qui negant. Quos enim beatos esse credunt, ut qui in filiorum ordinem relati sunt, & ipsius regni heredes, eos nullo esse munere affectos, & inhonoratos, & reos eo ipso, quò pro eis talia censent precandum esse, testantur. Ita ergo harum rerum gratiâ absurdum esse videtur, si quis existimet Ecclesiæ pro sanctis ad Deum oblationem esse supplicatoriam. Videamus autem etiam ipsa verba. Præterea offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro iis, qui in fide requieverunt majoribus, patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Cōfessoribus, continentibus, & omni spiritu in fide consummato, præcipuè pro sanctissima, intemerata, super cæteras benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara, & semper Virgine Maria, sancto Propheta præcursore & Baptista Joanne, sanctis & gloriosis Apostolis & omnibus sanctis, quorum precibus respice nos Deus, & memento omnium, qui dormierunt in spe resurrectionis, & vitę æternæ, & fac illos quiescere, ubi respicit lumen vultus tui. Hæc sunt verba, in quibus nulla continetur pro sanctis ad Deum supplicatio, nec eis sacerdos quicquam consuetum precatur, sed aliorum quidem fidelium, qui dormierunt, faciens memoriam, statim adiicit pro eis orationem: fac eos, inquit, requiescere, ubi respicit lumen vultus tui: in sanctis autem totum est contrarium. Non enim pro eis facit intercessionem, sed ipsos potiùs intercessores statuit. Cùm enim dixisset, & sanctos annumerasset, adiicit: Quorū intercessionibus visita nos Deus. Quod autem maximè ostendit non orationem aliquam, & supplicationem, sed pro sanctis gratiarum actionem esse hæc verba, est quod etiam Dei mater in eo Catalogo ponitur. Neque enim poneretur, si is chorus aliqua intercessione egeret, ut quæ est ultra omnem intercessionem non solùm humanæ Hierarchiæ, sed etiam Angelorum cùm sit ipsis etiam supremis mentibus incomparabiliter sanctior. Atqui Christus est, inquit, qui hoc peragit sacrificium. Quid ergo mirum; si etiam pro sanctis, & matre intercesserit? Sed hoc nullam habet rationem. Non est enim hic modus intercessionis Christi. Fuit enim intercessor Dei, & hominum, sed non verbis quibusdam, & precibus, sed se ipso, nempe quòd cùm Deus & homo esset, Deū hominibus conjunxit, communem terminum seipsum utrisque naturis injiciens. Existimare autem ipsum, per preces, quæ fiunt in sacrificio, semper intercedere, est omni blasphemia, & absurditate plenum. Etsi enim ipse est, qui peragit sacrificium, non tamen omnia, quæ illic dicuntur, & fiunt, ei attribuemus. Mysterij enim opus, & finem, sanctificari scilicet dona, & sanctificari fideles, ipse est solus, qui peragit. De his autem preces sunt, orationes, & supplicationes sacerdotis. Illa enim sunt domini, hæc verò servi; & hic quidem precatur, ille verò perficit; & Salvator qui-

dem donat, sacerdos verò pro iis, quæ data sunt, agit gratias; & sacerdos quidem offert, Dominus verò dona accipit. Offert enim etiam Dominus, sed seipsum Patri, & dona hæc, quando ipse facta, quando in ejus corpus & sanguinem conversa, & mutata fuerint. Quia enim seipsum offert, ideo dicitur idem esse, & qui offert, & qui offertur, & qui suscipit. Offerens quidem, & suscipiens ut Deus, oblatus autem, ut homo: Panem autem & vinum, dum adhuc dona sunt, offert quidem sacerdos, suscipit autem Dominus: & quid agens dona suscipit? Ea sanctificans, in suum corpus & sanguinem mutans. Hoc enim est suscipere, proprium, & familiare efficere, ut dictum est. Hic est modus, quo Christus hoc sacrificium celebrat: Hæc sunt, quæ ei sacerdotium constituunt. Si autem præter ea, quæ dicta sunt, etiam orationes, quæ fiunt in mysterij celebratione, vel omnes, vel aliquas Christi voces esse quispiam dixerit, nihil hac in re ab impiis differet, qui ejus gloriæ detrahere ausi sunt. Lege omnes orationes, & scies verba illa omnia esse servorum verba. Lege etiam eam, in qua sanctorum meminit, quam audent Christo tribuere, invenies nihil illic convenire Filio, qui est Patri honore ęqualis: Omnia autem servorum. Primum enim non ab una persona, sed communis est generis gratiarum actio; ut qui peccarunt, & non sunt despecti à Dei misericordia, & clementia, agant gratias: & gratiarum actio non ad Patrem solùm, sed etiam ad Filium ejus, & sanctum Spiritum: & Dei Matris tanquam Dominæ servi meminerunt, & ejus, & sanctorum intercessionibus, ut à Deo visitentur, & eorum cura habeatur, petunt. Hæc autem quidnam commune habent cum uno Domino unigenito Dei filio, peccato non obnoxio, omnium Domino? Gratias agimus, inquit, tibi, & Filio tuo unigenito. Christus ergo gratias agit filio Dei unigenito: & ecce duo erunt filij, ut voluit insania Nestorij. Adeo est impium, & stultum existimare Christum pro sanctis intercedere, ejusmodique legationis, & intercessionis munus ei tribuere. Ostensum est autem hæc ne esse quidem sacerdotum. Restat ergo hæc verba non esse supplicationem, sed gratiarum actionem. Certè, inquit, sed non permittit dictio, quæ apertè supplicationem indicat. Pro, enim præpositio hoc vult significare. Non omnino, non semper enim eum qui rogat, ostendit. Non enim solum quando supplicamus, sed etiam quando gratias agimus, hac dictione utimur. Et hoc ex multis sciri potest, & ab ipsa etiam proposita oratione. Pro his omnibus, inquit, tibi gratias agimus, & unigenito tuo Filio, & Spiritui sancto tuo, pro omnibus quæ scimus, & quæ nescimus. Agimus tibi gratias etiam pro hoc sacrificio, quod ex nostris manibus suscipere dignatus es. Vides-ne hanc dictionem proponi etiam in gratiarum actione? Ad hunc itaque errorem nulla relinquitur excusatio. Ita ergo fieri non potest, ut sit supplicatoria sanctorum commemoratio. Eam autem versari in gratiarum actione, hoc ipsum ostendit quòd non est supplicatoria. Duorum enim alterum necesse est, eam vel supplicatoriam, vel gratiarum actionem esse. Quoniam his duobus dumtaxat modis apud Deum commemorationem facimus bonorum quæ nobis ab ipso fiunt, vel ut ea accipiamus, vel quòd ea jam acceperimus. Et est illud quidem supplicatio, hoc verò gratiarum actio. Ostendit autem hoc etiam, quòd Dei in homines donorum sit longè maximum, sanctorum consummatio: & ideo non ipsi Ecclesiam hoc nomine gratias agere, esset nefarium. Et quid dico esse donorum maximum sanctorum consummationem? Hæc certè est universum Dei donum. Omnium enim bonorum, quæ in nostrum fecit genus, hic est finis, hic fructus. Chori sanctorum, & horum causâ cœlum nobis est fabricatum, terra, & quicquid videtur. Propterea Paradisus, propterea Prophetæ, propterea ipse Deus in carne, & Dei sermones & opera, & passiones, & mors, ut à terra in cœlum migrent homines, & regni, quod illic est, fiant heredes. Si est ergo omnino gratiarum actio in sacro mysterio, & hæc dona tam in gratiarum actio-

» ne, quàm in supplicatione versantur. Omnino necesse est gratiarum agendarum & summam, & causam esse ipsos sanctos consummatos. Omnino autem quid in nobis causa est gratiarum actionis? An non quòd petimus quodcumque, & acceperimus quod petimus? Cuivis hoc clarum est. Ergo idem est propter quod gratias agimus, & quod petimus. Quid ergo petit à Deo Ecclesia? Quod ab ipso petere jussa est. Ejus regnum, videlicet, ut fideles ejus sint heredes, ut fiant sancti, sicut is, qui eos vocavit sanctus est. Si hæc autem à Deo roget & postulet, clarum est quòd pro iis ipsis quoque agit gratias. Orat ut fideles in sanctitate perficiantur, & propterea pro sanctis jam perfectis, & consummatis, ei qui perfecit, gratias agere est necessariò consentaneum. Propter hanc pro sanctis gratiarum actionem, hoc sacrum mysterium Eucharistia dicitur. Etsi enim aliorum quoque multorum hìc mentionem faciat, sancti tamen sunt finis omnium, & pro quibus illa petuntur. Unde quando pro illis agit gratias, agit gratias pro sanctorum perfectione. Quemadmodum enim quæcumque fecit Dominus, ea fecit ut chorum sanctorum statueret: ita etiam Ecclesia, ubi illum laudat pro illis omnibus, ad sanctorum chorum respiciens hoc agit. Ea de causa quando tradidit Salvator hoc sacramentum, Patri gratias agens tradidit, quòd per ipsum cœlum nobis esset aperturus, & hunc primogenitorum cœtum illic congregaturus. Eum imitans Ecclesia non solùm supplicantem, sed etiam gratias agentem facit donorum oblationem. Et hoc quidem etiam aliunde ostendit, maximè autem ex oratione in qua totius sacrificij scopus continetur. Cùm enim recensuisset omnia, quæ nobis à Deo data sunt, & gratias egisset pro omnibus, & postremò addidisset Domini in carne adventum, & hujus sacramenti traditionem, & quòd nobis quoque hoc jussit facere, subjunxit: Recordantes ergo salutaris hujus pręcepti, & omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, & enumeratis deinceps omnibus, quæ crucem consecuta sunt, deinde dicit, Tua ex tuis tibi offerentes. Secundùm omnia & propter omnia te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus Domine, & oramus te Deus noster. Vides? Beneficiorum, inquit, recordantes, hanc tibi donorum oblationem facimus. Hoc autem est gratias agere, pro bonis jam nobis donatis, donis benefactorem honorare. Deinde etiam apertiùs ostendens gratiarum actionem, ait: Offerentes oblationem hanc, te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus Domine, & rogamus te Domine Deus noster. Hoc, inquit, est institutum donorum oblationis, laudare, gratias agere, supplicare, quod à principio dicebamus, ut eadem (oblatio) & in supplicatione, & in gratiarum actione versetur. Et hæc facimus, inquit, duorum quorundam recordantes, præcepti, quod nobis dedit dicens: Hoc facite in meam recordationem: Et omnium quæ pro nobis facta sunt. Beneficiorum enim, ut semel dicam, recordatio nos ad retributionem adhortatur, & ad aliquid omnino offerendum ei, qui nos prior innumerabilibus beneficiis sic affecit. Præcepti autem memoria & ipsam formam retributionis nos docet, quænam ipsi dona offerre oporteat. Illam ipsam oblationem offerimus, quam ipse Unigenitus tibi ostendit Deo, & Patri, & offerentes gratias agimus, quia ipse etiam eam ostendens egit gratias. Propterea ad hanc donorum oblationem nihil ex nobis inducimus. Neque enim dona sunt nostra opera, sed tua omnium opificis. Nec nostrum est inventum hæc colendi forma, sed neque antea id animo concepimus, neque nostro ingenio, & ex nobis ipsis ad eam ita pulsi sumus; sed ipse docuisti, ipse adhortatus es per Unigenitum. Et ideo quæ tibi offerimus ex tuis, quæ nobis dedisti, tua sunt secundùm omnia, & propter omnia. Ita etiam pro ipsa, qua aguntur gratiæ, oblatione, aliam rursus gratiarum actionem Deo debemus: quia nihil ejus nostrum est, sed tota est illius donum, & hoc ipsum quod hanc volumus, & operamur, ipse est, qui in nobis operatur, ut ait divinus Apostolus. Propterea hoc quoque in

orationibus

» orationibus dicitur: Gratias agimus tibi,
» & pro ipso sacrificio, quod è nostris ma-
» nibus suspicere dignatus es. Quæ ergo
» nos docent, sanctorum in sacrificio com-
» memorationem non esse ad Deum pro ip-
» sis supplicationem, sed gratiarum actio-
» nem, hæc sunt.

Κεφάλαιον να΄.

Ἴδωμεν δὲ ποσάκις, καὶ ποῦ τῆς ἱερουργίας ἡ μνήμη αὕτη γίνεται. γίνεται γὰρ δὶς, πρῶτον μὲν ἐν ταῖς ἀρχαῖς αὐτῆς, ὅτε ἀνατίθεται τὰ δῶρα. δεύτερον δὲ ὅτε θύεται. ἐπεὶ γὰρ διπλὴ ἡ προσαγωγὴ, ἡ μὲν ὡς δώρων, καὶ ἀναθημάτων ἁπλῶς, καθάπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν εἴρηται, ἡ δὲ ὡς θυσία, ἀνάγκη καὶ τούτους, ὑπὲρ ὧν προσάγονται, καὶ ἐπὶ τῆς πρώτης, καὶ ἐπὶ τῆς δευτέρας προσαγωγῆς μνημονεύεσθαι. καὶ τοίνυν καθάπερ ἐπὶ τῆς πρώτης εἰς ἀνάμνησίν φησι τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς δευτέρας. μεμνημένοι τοίνυν τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γενομένων, τοῦ σταυροῦ, καὶ τῶν ἄλλων, ὧν ὑπὲρ ἡμῶν ὑπέμεινεν ὁ Χριστός. ὃ γὰρ ἐνταῦθα βούλεται ἡ τοῦ σταυροῦ μνήμη, καὶ τῶν ἄλλων τῶν μετὰ τὸν σταυρὸν, τοῦτο ἐκεῖ ἡ τοῦ κυρίου ἀνάμνησις. οὐ γὰρ ὡς θαυματουργοῦντος τοῦ σωτῆρος, ἀλλ' ὡς σταυρωμένου καὶ ἀποθνήσκοντος, τηνικαῦτα ὁ ἱερεὺς μέμνηται. ὡς ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ διὰ πολλῶν ἀπεδείχθη. καὶ πάλιν ὥσπερ ἐπὶ τῆς πρώτης εἰς δόξαν τῆς παναγίας, εἰς πρεσβείαν τῶν ἁγίων φησὶν, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς δευτέρας ὑπὲρ τῶν ἁγίων ἁπάντων, ἐξαιρέτως τῆς παναγίας. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖ τὴν ὑπεροχὴν αὐτῆς ἔδειξε τῶν ἄλλων προθεὶς ἁπάντων, οὕτως ἐνταῦθα, ἐπεὶ μετά τινας ἄλλους αὐτῆς ἐμνημόνευσε, τὸ, ἐξαιρέτως προσθείς. καὶ ὥσπερ ἐπὶ τῆς πρώτης μετὰ τοὺς ἁγίους, τῶν ἐλέους δεομένων μέμνηται, καὶ ὑπὲρ ὧν ἱκετεύει καὶ ζώντων καὶ τεθνηκότων. οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς δευτέρας. ἔχει δὲ διαφοράν. ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς δευτέρας, καὶ διηγεῖται τὴν προσαγωγήν. φησὶ γὰρ προσάγομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν. καὶ τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέροντες, σὲ ὑμνοῦμεν. μεθ' ὧν τίθησι τὰς ἀφορμὰς τῆς προσαγωγῆς, ἢ προλέγων, ἢ ἐπιλέγων τὴν μνήμην τῶν τοῦ σωτῆρος παθῶν, τὴν μνήμην τῶν ἁγίων, τὴν σωτηρίαν τῶν σωτηρίας δεομένων. ἐπὶ δὲ τῆς πρώτης μόνας τίθησι τὰς ἀφορμὰς τῆς προσαγωγῆς λέγων, εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου. εἰς δόξαν τῆς παναγίας, καὶ τὰ ἑξῆς. ἐν οἷς μέμνηται καὶ ὑπὲρ ὧν εὐχαριστεῖ, καὶ ὑπὲρ ὧν ἱκετεύει. τίς οὖν ὁ λόγος; ὅτι ἐν ταύτῃ μὲν ἔργῳ δείκνυσιν, ὅτι προσφέρει. καὶ γὰρ ἀφαιρῶν τοῦ ἄρτου, ἀνατίθησι τῷ θεῷ. καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐδεήθη τῶν τοῦτο δηλούντων ῥημάτων. ἐπὶ δὲ τῆς δευτέρας προσαγωγῆς οὐδὲν φαίνεται ποιῶν. ἀλλὰ γίνεται μὲν ἡ προσφορὰ, γίνεται δὲ ἀοράτως. τὴν γὰρ θυσίαν ἀφανῶς ἡ χάρις ἐργάζεται διὰ τῶν τελεστικῶν εὐχῶν τοῦ ἱερέως. οὐκοῦν ἔδει λόγων τῶν κηρυττόντων τὴν μὴ φαινομένην προσαγωγήν.

Caput 51. Cabasilæ.

Videamus autem quoties, & in quo sa- «
crificij loco fit hæc commemoratio. Fit «
enim bis. Primùm quidem in ejus princi- «
pio, quando dona offeruntur: Secundò «
autem, quando sacrificantur. Quia enim «
duplex est oblatio, hæc quidem tanquam «
solummodo donorum, & munerum, ut «
antea dictum est, illa autem tanquam sa- «
crificium: necesse est etiam eos, pro qui- «
bus offeruntur, & in prima, & in secunda «
oblatione commemorari. Itaque quem- «
admodum in prima: In recordationem, in- «
quit, Domini, & Dei saluatoris nostri Jesu «
Christi; ita etiam in secunda: Recordan- «
tes ergo eorum, quæ pro nobis facta sunt, «
crucis, & aliorum quæ Christus pro no- «
bis sustinuit. Quod enim hîc sibi vult cru- «
cis memoria, & aliorum, quæ crucem «
consecuta sunt, hoc illic & Domini com- «
memoratio. Non enim, ut miracula faci- «
entis Salvatoris, sed ut crucifixi, & morien- «
tis tunc sacerdos meminit, ut in illo loco «
per multa ostensum est. Et rursus sicut in «
prima, Ad gloriam sanctissimæ, ad inter- «
cessionem sanctorum dicit, ita παναγία per «
excellentiā apud Græcos intelligitur Dei- «
para. Etiam in secunda pro sanctis omni- «
bus, præcipuè sanctissima. Sicut enim illic «
ejus excellentiam ostendit, eam aliis om- «
nibus præferens, ita hîc, quoniam post «
aliquos alios ejus meminit, illud præci- «
puè, adiicit. Et quemadmodum in prima «
post sanctos, eorum qui egebant miseri- «
cordia meminit, & pro quibus supplicat, «
vivorum, & mortuorum; ita etiam in se- «
cunda. Est autem differentia; in secunda «
enim, & ipsam narrat oblationem. Dicit «
enim: Offerimus tibi hunc cultum ratio- «

nalem, & tua ex tuis tibi offerentes te laudamus, cum quibus ponit causas oblationis, vel priùs dicens, vel subjungens, memoriam passionum Salvatoris, memoriam sanctorum, salutem eorum, qui salute indigent. In prima autem ponit solas causas oblationis dicens: In memoriam Domini, in gloriam sanctissimæ, & quæ sequuntur. In quibus meminit & eorum pro quibus agit gratias, & eorum pro quibus supplicat. Quæ est ergo ratio? Quòd in hoc quidem facto se offerre ostendit? De pane enim detrahens, id Deo offert: & ideo non opus fuit verbis, quæ hoc significarent: in secunda autem oblatione nihil facere cernitur, sed fit quidem oblatio, fit autem invisibiliter. Gratia enim sacrificium latenter operatur per sacramentales orationes sacerdotis: opus ergo fuit verbis, quæ prædicarent eam quæ non apparebat, oblationem.

Abusum Græcorum presbyterorum esse quando pro quopiam sacrificium offerre tenentur, alias particulas aliis applicare, & per unum sacrum pluribus satisfacere.

Caput XVIII.

QUærunt Theologi, An cùm quis offert pro pluribus, singulis ita prosit, ac si pro uno tantùm offerret. Cajetanus quodlib. primo q. 18. & super 3. p. q. 79 a. 5. & quidam alij tenent partem affirmativam. Communis sententia est, non æquè prodesse sive ad augmentum gratiæ, sive ad pœnæ satisfactionem. Ratio est, quia valor sacrificij liturgiæ respondens gradui gratiæ, & satisfactionis est finitus, sicut etiam in ipso est finitus, ut est Sacramentum: si enim esset infinitus, frustra multæ liturgiæ, præsertim ad rem eandem impetrandam offerrentur, nempe infiniti valoris, una sufficeret. Neque aliam ob causam Christus semel obtulit se Patri in ara crucis, nisi quia illud sacrificium cruentum infiniti fuit valoris, & pretium acquisivit pro omnibus peccatis præteritis, & futuris remittendis.

Cur autem sacrificium liturgiæ, quod est idem prorsus, atque illud, quod obtulit Christus, non sit infiniti valoris, cùm præsertim ipsa hostia, & offerens Christus infinito modo sint Deo grata; causam assignare non est adeò facile.

Breviter tamen cum Bellarmino tomo 2. controversiarum, libro 2. de Missa cap. 4. quarta propositione, dicendum est, tres esse causas hujus rei. Prima sumitur ex parte hostiæ, quæ offertur. Nam in sacrificio crucis destruebatur ad honorem Dei ipsum esse naturale Christi in forma humana, quod est nobilius, quàm esse sacramentale Christi, quod est in sacrificio liturgiæ.

Quæ ratio non est adæquata; ex hoc enim ostenditur tantùm majoris valoris fuisse sacrificium Crucis, quàm liturgiæ, sed non redditur causa, cur hoc sit finitum, & illud fuerit infinitum: non enim est infinita distantia inter esse Christi naturale, & sacramentale. Neque infiniti valoris fuit sacrificium crucis, quia in eo destruebatur esse naturale humanitatis Christi, sed quia eam destructionem sponte patiebatur, & in sacrificium offerebat filius Dei, qui verè est infinitè Deo gratus, cùm & ipse sit verus Deus. Qua ratione cęteræ quoque actiones Christi sunt infiniti valoris.

Secunda igitur ratio efficacior est ex parte offerentis; in illo enim est ipsa persona, filius nimirum Dei per se, in isto est filius Dei per ministrum. Multùm autem interest inter actionem filij Dei per se, & per ministrum. Illa enim est actio immediatè producta à divino supposito, ista ab humano. Quare quamvis multò sit gratior actio ministri, quatenus fit in persona Christi, quam si fieret in persona propria, tamen sine comparatione est gratior illa, quæ fit immediatè ab ipso Christo. Quemadmodum inter homines multò plus valet apud Principem aliquem postulatio legati nomine sui Principis, quàm nomine proprio. Tamen multò adhuc magis valeret postulatio ipsius Principis, si ipsemet ore suo aliquid peteret.

Tertia ratio sumitur ex ipsa Christi voluntate. Nam etiamsi posset Christus per

unam oblationem sacrificij incruenti sive per se, sive per ministrum oblati quælibet à Deo, & pro quibuslibet impetrare; tamen noluit petere, nec impetrare, nisi ut pro singulis oblationibus applicaretur certa mensura fructus passionis suæ, sive ad peccatorum remissionem, sive ad alia beneficia obtinenda, quibus in hac vita indigemus.

Cur id voluerit, non est nostrum curiosius inquirere. Videtur tamen id voluisse, tum ut hoc modo frequentaretur hoc sanctum sacrificium, sine quo religio consistere non potest: tum etiam quia id requirebat ordo divinæ providentiæ. Quæ est etiam causa cur Christus assiduè interpellet pro nobis in cœlo. Cum tamen videatur unica interpellatione potuisse omnia statim impetrare.

Hac supposita verissima doctrina, quòd liturgiæ valor sit finitus ob causas commemoratas, non videntur satisfacere ij, quibus solvitur, ut habeant sacrum, vel pro vivis, vel pro aliquo mortuo, & ij nihilominus alias pro aliis particulas peculiariter offerunt. Hac enim ratione valor finitus in plures divisus minuitur, & minùs obvenit singulis. Sicut si quis jejunaret pro decem, minus prodesset ad satisfactionem singulis, quàm uni prodesset, si pro uno tantùm jejunaret. Unde monendi sunt Græcorum presbyteri, qui accepto pretio pro habendo sacro, aliis quoque per particulas eundem valorem peculiariter applicant. Peccant enim mortaliter, quia defraudant offerentes eleemosynas sua satisfactione, & fructu ex opere operato. Soto lib. 9. de just. q. 3. art. 1. tenet quòd presbyter pauper potest saltem duas eleemosynas recipere pro una Missa ad sustentationem; sed oppositum docet Navarr. cap. 25. num. 92. quia non perdit jus ille ob istius paupertatem, nec Missa ordinata est ad sustentationem.

Dices, in liturgia precationes fiunt pro Pontificibus, totoque clero, pro Regibus, & cuncto populo Christiano, ac pro omnibus fidelibus defunctis, pro quibus offertur sacrificium: tamen hoc non obstante, non fit ulla injuria ei, pro quo vel speciali debito, vel speciali promissione Missa celebratur. Non ergo mirum si celebrans quorumdam aliorum quoque peculiariter oblatis particulis mentionem faciat. Si enim valor sacrificij non minuitur, dum pro illis jam commemoratis offertur, neque pro istis minuetur.

Respondeo, Ecclesiam totum valorem finitum sacrificij divisisse in aliquot partes, puta tres, & eas applicasse tribus generibus personarum. Primam capiti totius Ecclesiæ, & omnibus Catholicæ fidei orthodoxis tam vivis, quàm mortuis; secundam ipsi celebranti, tertiam specialiter ei pro quo Missa celebratur. Priores duas portiones Ecclesia non reliquit pro libitu sacerdotis applicandas, sed instituit, & jussit, ut eo ipso quod Missa celebratur, illæ portiones illis applicari intelligantur, quibus ipsa voluit, ut applicentur. Tertiam portionem reliquit Ecclesia sacerdoti applicandam pro libitu ipsius cuicumque voluerit, vel cui ex speciali debito tenetur applicare. Hanc si non totam, & integram uni, sed pluribus applicaverit, certũ est minui, & sacerdotem injuriam facere ei, cui tenetur applicare; secus verò quando sacerdos nemini tenetur, tunc enim potest hanc postremam portionem ad suum arbitrium multiplicatis particulis more Græcorum pluribus applicare.

Porro abusus iste in Ecclesiam Græcorum irrupsit ob imperitiam sacerdotum, qui cùm in rubricis videant per particulas memorias esse faciendas vivorum & mortuorum, quorum ipsi voluerint, putant ita esse semper faciendum etiam quando pecuniam accipiunt, ut habeant sacrum pro aliis.

Illud videtur quodammodo eos excusare posse, quòd multi, qui offerunt pretium pro habendo sacro, sciunt ista fieri, & animo non moventur. Fortassis quia & ipsi opinantur ita omnino esse faciendum: quòd si oppositum scirent, non posse id fieri, utique suum jus exigerent.

De falsa adoratione recentiorum Græcorum circa materiam panis & vini nondum consecratam huius Sacramenti, & unde Græci hauserint hunc errorem.

Caput XIX.

Quamvis post materiam, de forma nobis agendum esset; quia tamen introductio donorum ad majus altare consecrationem antecedit, de hac ipsa si priùs egerimus, minimè ordinem nos violasse existimamus.

In liturgia, quando ex ara minori, quam vocant πρόθεσιν (eò quòd ad similitudinem antiquæ legis sint in ea panes propositionis, ex quibus decerpunt hostiam) ad majus altare sacerdotes sacrificantes deferunt dona, hoc est, panem & vinum, benedictum quidem precationibus sacerdotum, nondum tamen verbis Dominicis consecratum, (quam actionem μεγάλην εἴσοδον, magnam introductionem appellant ad differentiam alterius quæ fit antea cum codice Evangeliorum) tunc populus passim in Græcia quidem valde demissè se inclinat (neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum) in Russia vero prosternit se, terram fronte percutit, ac veluti præsentem in ea oblatione cœlorum Regem alloquitur, & adorat. Sic enim communiter populus credit. Quem divinum cultum, huic rei minimè debitum, Græci, inter quos reperias quandoque doctos, vel saltem δοκησισόφοις, adeo tenaciter imbiberunt, ut si quis velit eos verum docere, atque ab hac corrupta consuetudine dimovere, omnino ipsis execrandus iste sit, & detestabilis, ac velut hæreticus habeatur.

Unde tamen hauserint hunc errorem, causa quadruplex assignari potest. Primam refert Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ cap. 24. existimat enim populum deceptum esse ab ingressu præsanctificatorum donorum. Ponam hîc ejus verba: εἰ δέ τινες τῶν προσπιπτόντων εἰσιόντι μετὰ τῶν δώρων τῷ ἱερεῖ ὡς σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα τὰ κομιζόμενα δῶρα προσκυνοῦσι, καὶ διαλέγονται, ἀπὸ τῆς εἰσόδου τῶν προηγιασμένων δώρων ἠπατήθησαν, ἀγνοήσαντες τὴν διαφορὰν τῆς ἱερουργίας ταύτης καὶ ἐκείνης. αὕτη μὲν γὰρ ἐν ταύτῃ τῇ εἰσόδῳ ἄθυτα ἔχει τὰ δῶρα, καὶ οὔπω τετελεσμένα. ἐκείνη δὲ τέλεια καὶ ἡγιασμένα, καὶ σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ. Si qui autem, inquit, sunt, qui, Sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbunt, & tanquam corpus & sanguinem Christi, dona quæ deferuntur, adorant, & alloquuntur, ab ingressu præsanctificatorũ donorum decepti sunt, ignorantes differentiam hujus & illius sacrificij. Hoc enim in ipso ingressu non sacrificata habet dona, & nondum perfecta. Illud autem perfecta, & sanctificata, & corpus & sanguinem Christi. Sic ille. Ut autem hoc, quod ait Cabasilas, meliùs intelligatur, sciendum est, Græcos solitos esse per totam ferme quadragesimam, excepto Sabbato, & die Dominico, λειτουργίας προηγιασμένας, Missas præsanctificatas celebrare, quarum meminit Canon 49. Concilij Laodiceni, & 52. Concilij Trullani. Quo genere sacrificij utitur semel in anno Ecclesia Latina in Parasceve. Itaque populus ignorans discrimen hujus & illius liturgiæ, similiter se gerit in ordinariis atque in præsanctificatis. Quocirca & graviter errat. Quippe in præsanctificatis verum corpus Sacerdos in patina defert, meritòque populus humi procumbit, atque adorat. In aliis verò sacrificiis, dum hæc oblatio fit ante consecrationem, longè secus se gerat oportet.

Secunda causa hujus erroris est, quia summa religio adhibetur in ea pompa. In primis Sacerdos patinã, seu orbem, quem δίσκον appellant, unà cum pane benedicto capiti imponit.

Deinde cerei accensi antecedunt. Postremò Diaconus, qui & ipse Sacerdoti præit, thure ac suffimentis venerationis causâ utitur, ac ipso gestu dum inclinato capite frequenter ad sacerdotem se vertit, immo verius, dum terga vertere sacerdoti non audet, & tamen adolere non cessat, ad eam ἀρτολατρείαν, & οἰνολατρείαν imperitam plebem tam ipse, quàm Sacerdos invitant.

Sed iste secundus error non est populi, sed cleri, qui & ipse manavit ex illo vero & pio cultu præsanctificatorum donorum. Nam in ea liturgia debet patina imponi capiti, honoris causâ, cùm in ea existat Christus sacramentaliter. Calix verò, qui simplex vinum, miniméque consecratum continet, non in capite, sed infrà manu gestandus est. Neque obstant rubricæ liturgiæ, quæ in ordinariis per annum liturgiis ita faciendum esse indicant. Nam eæ ferme singulis annis Venetiis, ubi imprimuntur, à Græculis etiam immutantur. Neque novum, ac insolitum est schismaticis, in transcribendis libris sanctorum Patrum, vel ex imperitia, vel ex malitia nedum rubricas, sed & ipsum textum corrumpere.

Tertia causa est, quia quando eam oblationem Sacerdos pro circumstantibus offert, in eo ingressu precatur pro illis, atque clara voce hujusmodi verba pronunciat: μνησθείη κύριος ὁ θεὸς πάντων ὑμῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. » Meminerit Dominus Deus » omnium vestrûm in regno suo, perpetuò, » nunc & semper & in sæcula sæculorum. Ad ea populus demissè respondet, μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. » Memento » mei Domine in Regno tuo. Quæ sanè verba tam Sacerdotis quàm populi minimè ego reprehendo, immò etiam laudo. Est enim sensus, Sacerdotem proptèrea oblationem offerre Deo, ut misereatur populi circumstantis, & ejus memoriam teneat. At populus Græcorum in eo vehementer errat, quòd suis verbis dona, non Deum invocat & alloquitur. Non enim secus atque si esset præsens sacramentaliter Christus Dominus sub illis speciebus, eos populus respiciens & adorans ait, Memor sis mei Domine in regno tuo: cùm potiùs & sua verba, & intentionem non ad munera minùs consecrata, sed ad Deum ipsum, ut par est, dirigere oporteret. Unde etiam si nullam oblationem gestaret Sacerdos, sed solis hisce verbis precaretur, nihilominus deberet populus reverentiam quandam adhibere, & se ad Deum convertere, ac rogare, ut particeps fiat regni cœlestis. Huic simile est, quod fit à Latinis, dum sacrificans post oblationem vertens se ad populum, hortatur eum, ut precibus exoret, atque efficiat, ut publicum & commune sacrificium fiat acceptabile apud Deum Patrem omnipotentem. Populus autem respondere solet: Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem, &c.

Quarta causa, quæ Græcos seduxerit, videtur mihi esse hymnus, quem vocant, χερουβικὸν, Cherubicum. Qui hanc oblationem partim antecedit, partim comitatur, & subsequitur. Siquidem eo sacro carmine qui adsunt, hortantur se invicem ad devotionem comparandam, tanquam qui Regem hospitio sint recepturi. Proinde dum Sacerdos extra cancellos cum donis egreditur, Regem cœlorum exire falsò credunt. Quinetiam data opera cantores morantur in eo cantu, neque illa verba, τὸν βασιλέα τῶν ὅλων, cunctorum Regem, canere audent, nisi Sacerdos exierit.

Verùm & cantores corrigendi sunt, & cultus ille pius, hîc minimè pius, moderandus, vel aliò intentione vertendus, & hymnus cherubicus sana expositione interpretandus est. Qui sanè quidem meâ sententiâ non ad solum egressum Sacerdotis, sed ad totam ferme liturgiam, atque adeo ad ipsam communionem pertinere videtur. Cùm enim Missa ferme usque ad Offertorium, catechumenorum esse censeatur, in qua nemo prohibebatur ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilis, sive hæreticus, sive etiam Judæus esset, ut videre est in Concilio 4. Carthaginensi can. 84. & ab hac ipsa oblatione, fidelium liturgia incipiat: meritò populus fidelis, qui quoties in sacro intererat, communicare solebat, absoluto munere catechumenorum, statim à principio suæ Missæ excitat se ad devotionem, totam curam mundanam à se abjicit, & Regem Angelorum se suscepturum profitetur. Quemobrem ejusmodi hymnum incipit canere: οἱ τὰ χερουβεὶμ μυστικῶς εἰκονίζοντες, καὶ τῇ ζωοποιῷ τριάδι τὸν τρισάγιον ὕμνον προσάδοντες, πᾶσαν τὴν βιωτικὴν ἀποθώμεθα μέριμναν, ὡς τὸν βασιλέα τῶν ὅλων ὑποδεξόμενοι, ταῖς ἀγγελικαῖς ἀοράτως δορυ-

» φορούμενοι τάξεσιν. Qui mysticè Cherubim » repræsentamus, ac vivificæ Trinitati ter » sanctum hymnum canimus, totam hujus » sæculi curam deponamus, utpote qui uni- » versorum Regem angelicis ordinibus in- » visibiliter stipatum sumus suscepturi. Sic ibi.

Et certè non potest dici populum excipere Christum, quòd Sacerdos se ostendat, & de loco propositionis ad locum majoris altaris transeat; sed quia revera per Sacramentum eum suscipere solitus erat. Et ob eam causam Sacerdos postquam ipse communicaverit, prodit ad fores cum poculo benedictionis, populum invitans, ut cum timore Dei, & fide accedat. Huic illud quadrat, ὡς τὸν βασιλέα τῶν ὅλων » ὑποδεξόμενοι, tanquam Regem omnium » suscepturi.

Hanc verò meam expositionem inveni postea non esse mei solius, sed abhinc multis sæculis fuisse sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani in sua Theoria, ubi sic eum hymnum interpretatur: ὁ χερουβικὸς ὕμνος ᾀδόμενος παρακελεύεται πάντας, ἐντεῦθεν καὶ μέχρι τέλους τῆς ἱερουργίας προσεκτικώτερον ἔχειν τὸν νοῦν, πᾶσαν βιωτικὴν μέριμναν κάτωθεν ἀφεμένοις, ὡς βασιλέα μέγαν μέλλοντες ὑποδέχεσθαι διὰ τῆς κοινω- » νίας. Cherubicus hymnus dum canitur, in- » de à suo cantu ad finem usque sacrificij, » omnes majori studio ad comparandam » animi attentionem adhortatur, cura hujus » vitæ inferioris tota relicta, utpotè qui ma- » gnum Regem per mysterium communio- » nis sint recepturi. Sic verus veræ Græciæ Patriarcha sanctus Germanus.

Hoc autem totum confirmat etiam liturgia præsanctificatorum. Quippe in præsanctificatis quando Sacerdos egreditur ex sanctuario, cantores canunt, ἰδοὺ » θυσία μυστικὴ καὶ τετελειωμένη. En sacrifi- » cium mysticum & consummatum. Quòd tamen minus dicitur in aliis liturgiis. At perfectum esset sacrificium etiam in aliis, si Christus per species sacramentales præsens esset. Signum igitur est, non esse ibi Christum Dominum per modum Sacramenti. Neque enim potest esse, non prolatis verbis consecrationis, quæ longé pòst à Sacerdote τελετουργικῶς enunciantur.

Verùm ad confutandum hunc errorem, nullæ rationes in medium sunt adducendæ. Nam populus versatur in summa ignorantia, & non est capax ut eum à quocunque intelligat. Quippe statim hominem suspectum habet, præsertim cum Romana Ecclesia in unitate fidei conjunctum. Ex scriptoribus verò Græcis, qui vel antea schismate, vel post Concilium Florentinum hæreseos pravitate infecti fuerint, neminem video, qui doceat esse in ea oblatione verum corpus Christi. Contendunt quidem nonnulli aliis quoque verbis, quàm solis Dominicis fieri corpus Christi, ut dicam postea: sed ea verba proferuntur post consecrationem, non in præsenti oblatione. Unde nemo est, quocum ratione contendas.

Possent autem ac deberent Græcorum antistites diligenter monere populum, & utique concordes multùm proficerent; sed quoniam vel & ipsi laborant eodem morbo, & ex ignorantia in eodem errore versantur: vel si verum nonnulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam, & humanos favores, verentur ne instar hæreticorum nomen ipsorum à vulgo conculcetur; propterea & ipsimet, saltem externa specie, cæterorum errorem egregiè imitantur, altoque silentio omnia prætereunt, ac dissimulant. Ita cœci cœcos ducunt, & omnes in foveam cadunt.

Rationes, quibus Philadelphiæ Antistes conatur probare hanc nimiam populi venerationem non esse superstitiosam, sed laudabilem.

Caput XX.

SEd mira est in hoc genere impudentia Gabrielis Philadelphiæ Archiepiscopi. Qui cùm videat clarissimè populum communiter versari in hoc errore, non est imitatus sanctos Patres & Eccle-

fiæ Doctores, qui ubi errorem aliquem in animis hominum altis defixum radicibus animadvertissent, ut eum funditus extirparent, ac euellerent, è diametro planè se opponebant; ac ne quidem bona & laudabilia, modò errori annexa fuissent, concedebant, ne vel minima in re communicare cum hæreticis viderentur. Sed homo si quis alius φιλοδοξότατος, & popularem auram mirum in modum captare studens, minimè offenso neque admonito populo, ut ab ista ἀρτολατρεία, & οἰνολατρεία desisteret, nobis nonnullis Græcis fidem Romanam, hoc est, veram & Apostolicam profitentibus, & hoc ipsi objicientibus, novam Theologiam obtrudit. Duo inter se planè contraria, quæque invicem penitus se destruunt, novus patrator miraculorum facilè conjungit & consociat. Concedit enim in ea oblatione nondum esse verum corpus Christi, & tamen eam adorationem adhibendam esse summoperè contendit.

Sed quoniam hæc manifesta est contradictio, negat hanc summam populi religionem colendi illa munera, cultum esse λατρείας; Non quia non sit, sed quia αὐτὸς ἔφα. Neque enim majore honore externo, immo & interno prosequuntur, vel prosequi possunt sacra præsanctificata, atque faciunt illum panem benedictum, ut aliquod discrimen appareat inter illas liturgias προηγιασμένας, & istas quotidianas. Negat item esse aliquam communem observantiam, qua veneramur alias res sacras, & imagines, sed quid medium ac præstantius lepidissimum caput excogitavit. Idque propterea firmissimè asseverat, ut probet usum, immo abusum populi & clericorum.

Ut igitur hanc populi venerationem Philadelphiensis adhibendam esse ostendat, & tamen non esse latriam, sed neque aliquam aliam εὐλάβειαν, ac pietatem tritam & usitatam, his utitur fundamentis, & rationibus.

Ante omnia docet in libello, quem composuit hac de re, panem (& idem intelligit de vino) τρεῖς λαμβάνειν, καὶ κεκτῆσθαι τιμάς. πρώτην φυσικήν, δευτέραν μετοχικήν, τρίτην δὲ μετουσίωσιν. Tres in se admittere ac reportare honores. Primum naturalem. Quæ enim Deus procreaverat, testante Scriptura, erant valdè bona. Quare panis quoque, ut creatura Dei, est valde bonus, & per consequens honore afficiendus, hoc est, laudandus. Secundum honorem participativum sibi comparat, quando per preces benedicitur à Sacerdote. Tertium honorem acquirit per transsubstantiationem; hoc enim ipse intelligit per vocem μετουσίωσιν, & μετουσιαστικῶς. Vult itaque Philadelphiensis panem, & vinum per illum secundum honorem, hoc est, vi illius orationis, ὁ θεὸς ὁ θεὸς ἡμῶν, & benedictionis Sacerdotis, tantam nancisci sanctitatem, & mutationem, ut fiant corpus & sanguis Christi, non tamen perfectum corpus, & perfectus sanguis, propterea neque cultu latriæ adorari. Sed ponenda sunt illius verba, ne non sincerè agere me cum illo, sed calumniosè aliquis arbitretur: οὐ μὴν δὲ καὶ λατρεύομεν (τὰ ἅγια δῶρα) ὡς εἴρηται, ἐπεὶ γὰρ οὐκέτι [barbarizat, εὖπε dixeris] τέλειον σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ ἐστι. Non tamen, inquit, ea munera honore latriæ afficimus, quandoquidem nondum perfectum corpus & perfectus sanguis Christi sunt. Et alibi: ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία διδάσκει τὰ ἅγια δῶρα προσκυνεῖν καὶ γεραίρειν, ὡς ἅγια δῶρα καὶ τίμια, οὐχὶ δὲ ὡς τέλειον σῶμα τοῦ κυρίου. Orientalis Ecclesia docet, sacra dona adoranda esse, ac honore prosequenda tanquam munera sancta & veneranda, non autem ut perfectum corpus Christi. Igitur ὡς ἀτελὲς, ut imperfectum. Non negat itaque esse corpus Christi, & sanguinem, sed non perfectè.

Quę est mera blasphemia, dicere corpus Christi esse quādoque imperfectum. Nam vel est perfectum, & plusquam perfectum corpus Christi ubicunque sit, vel nullo pacto erit, ubi dicitur esse imperfectum.

Sed fortè deceptus est Philadelphiensis ex verbis S. Germani Patriarchę Constantinopolitani. Qui in sua Theoria liturgiæ sic habet: ὁρῶσαι αἱ νοεραὶ δυνάμεις τὸ Χερουβικὸν ἐρχόμενον μετὰ τῶν τιμίων δώρων, ἤγουν

τὸ σῶμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἀπὸ τοῦ κρανίου ἕως τοῦ τάφου, σὺν ἡμῖν ἀοράτως βοῶσι τὸν ὕμνον, τὸ, ἀλ-
» ληλούϊα. Videntes intellectuales potesta-
» tes Cherubim venientes (loquitur fortassis hoc modo S. Germanus, quia Diaconi gestāt flabella, in quibus depicti sunt Cherubim. Alioquin verteram, τὸ χερουβικὸν ἐρ-
» χόμενον, Cherubicum hymnum instare)
» cum venerabilibus donis, hoc est, corpus
» Domini Jesu á loco Calvariæ accedere ad
» sepulcrum, nobiscum invisibiliter hym-
» num proclamant, Alleluia.

Verùm S. Germanus non dicit ea munera esse imperfectum corpus Christi, sed illo ingressu & oblatione repræsentari illum actum Passionis Domini. Quemadmodum enim ex monte Calvariæ corpus mortuum Christi cum funere efferebatur ad sepulcrum; ita etiam oblatio defertur ex parvo altari ad majus, quod sanè similitudinem gerit sepulcri. Unde ineptè quoque nonnulli Græcorum dicunt, eam oblationem esse corpus Christi mortuum: non enim est, sed illud exprimit, & repræsentat.

Sed & si Germanus nullam ansam errandi Philadelphiensi præbuisset, sequitur tamen istud absurdum ex doctrina Philadelphiensis; utpote qui existimat more naturalium mutationum materiam panis sine præviis dispositionibus, hoc est, precibus & benedictionibus Sacerdotis, nulla ratione posse in se admittere formam Sacramenti. Qui est secundus error. Quasi vero vel ipsa materia panis ibi remaneat, dum fit corpus Christi; vel potentissima verba Christi huic admirandæ mutationi non sufficiant, nisi priùs Sacerdos effecerit suis precibus materiam adhoc aptam. Proinde ad declarandum esse corpus, sed imperfectum, ejusmodi ponit exemplum: ὥσπερ ἐστὶν ἡ ἄμμος ἡ πρὸς τὸ γενέσθαι ὕελος ἐπιτηδεία. ἤ τις τῷ πυρὶ προσομιλοῦσα ῥοώδης γίνεται, καὶ οὔτε ἄμμος ἐστὶν, οὔτε πάλιν ὕελος, ἀλλὰ μᾶλλον ῥέπει πρὸς τὸ εἶναι ὕελος. οὕτω καὶ ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος προστεθεὶς τῇ ἱερᾷ προθέσει καὶ οἱονεὶ ὡς πυρὶ τῇ τοῦ ἱερέως εὐχῇ προσομιλήσας, γέγονεν ἅγιος, εὐλογημένος, ἱερὸς, ὕλη ἐπιτηδεία, καὶ ἐνδεχομένη λα-
» βεῖν ὅσον οὔπω τὸ εἶδος. Quemadmodum a-
rena, quæ apta est ad hoc, ut evadat vi- «
trum, ad ignem applicata fluida fit, & ne- «
que arena, neque rursus vitrum est; sed «
magis tamen ad naturam vitri propendet. «
Sic etiam panis & vinum mensæ imposita «
propositionis, atque ad precem Sacerdo- «
tis velut ad ignem applicata, evadunt san- «
cta, benedicta, sacra, materiaque apta ad «
suscipiendam pauló pòst formam. Sic ille. «

Pulcherrimum sanè exemplum. Apparet eum Murani aliquando artificio illo formandi vitrea vasa mirificè oblectatum fuisse.

Hanc porrò materiam centies vocat, ἀναγκαίαν, καὶ ἐνδεχομένην, necessariam, & contingentem. Qui duo termini loquendi sunt planè contradictorij. Sed ipse novus auctor alterius libri περὶ ἑρμηνείας, per ἐνδεχομένην eam intelligit, quæ necessariò sit receptura formam, atque ut ipse loquitur, μὴ ἄλλως ἔχουσαν, ἢ ἀναγκαίως γενέσθαι σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα.

Huic ergo materiæ ita præparatæ ac dispositę, omnes illos actus adorationis exteriores, qui sunt communes tam Eucharistiæ, quàm aliis rebus sacris, & personis, Philadelphiensis attribuit, genuflexionem, adorationem, suffimentum, splendorem luminum, & similia. Neque hac ex parte adeo reprehenderetur, si non esset periculum ἀρτολατρείας, & re ipsa error populi.

Aliæ rationes ejusdem, quibus probat, magis esse honorandum illum panem nondum consecratum, quàm imaginem Christi.

Caput XXI.

His addit, hanc materiam μᾶλλον δεῖν τιμᾶσθαι τῆς εἰκόνος τοῦ Χριστοῦ, magis esse honorandam, quàm imaginem Christi, quod probat tribus argumentis.

Primum. ἡ ἐνδεχομένη, καὶ ἀφιερωμένη ὕλη σὰρξ Χριστοῦ γενέσθαι, μᾶλλον τιμητέα τῆς μὴ ἐνδεχομένης. ὁ δὲ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος ἐστὶν ἐνδεχομένη ὕλη, ἡ δὲ εἰκὼν οὐδαμῶς. ἄρα ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος ὁ ἡγιασμένος καὶ ἀφιερωμένος ἐν τῇ θείᾳ

λειτουργίᾳ (μᾶλλον) τιμητέος, καὶ προσκυνητέος ἐστί. Materia, quæ eſt apta & deſtinata, ut corpus Chriſti fiat, majore eſt honore afficienda, quàm ea, quæ minùs capax eſt hujus mutationis. At panis & vinum ejuſmodi materia ſunt, minimè verò imago; igitur (magis) honoranda & adoranda.

Secundum argumentum. πᾶν τὸ περιεχόμενον ἁγιασμοῦ ἀξαλείπτου, μᾶλλον τιμητέον τοῦ μὴ ἔχοντος τοῦτο. τὰ δὲ ἅγια δῶρα μᾶλλον περιέχεται ἁγιασμοῦ τῆς ἁγίας εἰκόνος τοῦ Χριστοῦ, ἄρα. Omne quod ſibi vendicat ſanctitatem indelebilem, magis eſt honorandũ, quàm id, quod ea conditione caret. At munera illa magis ſibi vendicant hanc indelebilem ſanctitatem, quàm imago Chriſti, ergo.

Probat minorem. τὰ ἅγια δῶρα κατὰ βάθος αὐτοῖς ἐνδύεται ὁ ἁγιασμὸς (nota ſyntaxin ſermonis, qualem enim ſe præbet Grammaticum, talem etiam Philoſophum, & Theologum. Atque ut omittam incomptum ſermonem, multis ſcatet barbariſmis & ſolœciſmis illius oratio) ἡ δὲ ἁγία εἰκὼν κατὰ περιφέρειαν (ἐπιφάνειαν voluit dicere) μόνον. ἐν ὅσῳ γὰρ αἱ γραμμαὶ σώζονται, καὶ τὸ εἶδος τοῦ πρωτοτύπου, μέχει τέτε τότε (debuit dicere) καὶ ὁ ἁγιασμὸς, τὸ σέβας, καὶ ἡ προσκύνησις κατέχεται. ἐξαλειφθεισῶν δὲ τῶν γραμμῶν, μένει μόνον ἡ ὕλη ἄμοιρος ὁποιασοῦν εὐλαβείας καὶ τιμῆς. ὁ δὲ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος εἰ μὴ ἀποβάλλοι ὅλην τὴν αὐτῆς φύσιν, οὐκ ἂν καὶ τὸν ἐν αὐτῷ ἁγιασμόν. Sancta dona ſecundùm profunditatem ſubeunt ſanctitatem. At imago ſacra duntaxat ſecundùm ſuperficiem. Quandiu enim lineamenta, & forma exemplaris ſervantur, tandiu & ſanctitatis cultus, & adoratio ſe tenent; deletis lineamentis, ſola materia omnis reverentiæ ac honoris remanet expers. Panis verò & vinum, niſi totam ſuam materiam amiſerint, minùs etiam ſanctitatem amittunt.

Tertium argumentum. πᾶν τὸ προσεχῶς ἔχον σῶμα Χριστοῦ γίνεσθαι καὶ αἷμα, μᾶλλον τιμητέον τῶν μὴ προσεχῶς. τὰ δὲ ἅγια δῶρά εἰσι προσεχῶς. ἄρα. καὶ γὰρ ὡς αἱ δεύτεραι οὐσίαι, λέγονται μᾶλλον οὐσίαι, ὅτι προσεχῶς ἔχουσι πρὸς τὰς πρώτας οὐσίας, οὕτω καὶ τὰ ἅγια δῶρα μᾶλλον λέγονται ἅγια καὶ θεῖα, διὰ τὸ προσεχῶς εἶναι λαβεῖν τὴν μεταποίησιν, καὶ μετουσίωσιν, τὴν ὄντως καὶ κυρίως ἁγιοσύνην, καὶ ζωὴν, τῆς ὁποιασοῦν τοῦ Χριστοῦ ὑλικῆς καὶ γραπτῆς εἰκόνος, τῆς οὐδέποτε ἐπιτηδείας οὔσης ταύτην λήψεσθαι τὴν μεταβολήν. Omne quod immediatè corpus & ſanguis Chriſti fieri poteſt, magis eſt honorandum, quàm ea, quæ immediatè non poſſunt. At ſacra munera immediatè corpus & ſanguis fieri poſſunt, ergo. Nam & ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur magis ſubſtantiæ, quoniam immediatè attingunt primas. Sic etiam ſancta munera, eo quod ſint receptura mutationem & tranſubſtantiationem, veram ac propriam ſanctitatem & vitam, dicuntur magis ſancta & divina, quàm quælibet imago Chriſti materialis & picta, quæ nunquam apta eſt ad eam mutationem ſuſcipiendam.

Nota in hoc argumento illa verba Philadelphienſis, τὴν ὄντως καὶ κυρίως ἁγιοσύνην καὶ ζωήν. Dicit enim mutationem illam panis in corpus Chriſti eſſe verè ac propriè ſanctitatem & vitam; ſed verè ac propriè ſanctitas nulla res creata eſſe poteſt, id enim ſoli divinitati, ſeu naturæ divinæ convenit. Panis autem mutatur quidem in corpus Chriſti, ſed corpus non mutatur, nec mutari poteſt in divinitatem. Non igitur illa mutatio eſt verè, ac propriè ſanctitas & vita. Sed hæc, ex his, quę dicemus infrà, clariora erunt.

Tandem unum enunciat Phyladelphienſis, quo magis probet ſuum errorem. Ait enim: ἡ ἀνατολικὴ ἐκκλησία τοὺς αὐτῆς γνησίους υἱοὺς διδάσκει, τὰ ἅγια δῶρα, ὅταν εἰσχωρεῖν, καὶ λέγειν, μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ ὁδεύεται [corrige εἰσοδεύονται] προσκυνεῖν καὶ βασιλείᾳ σου. Orientalis Eccleſia veros ſuos filios ſancta dona in ingreſſu adorare, honoribuſque proſequi, ac dicere docet, Memento mei Domine in Regno tuo. Quòd certè nihil aliud eſt, quàm ea dona ſuppliciter invocare. Atque ita facit populus. At verò, inquit Philadelphienſis, quando jam ſunt conſecrata, & perfectum corpus Chriſti: τότε ἕκαστος οὐ λέγει, μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, ἀλλὰ πιστεύω κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Ιη-

σοὶ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτος εἰμὶ ἐγώ. Tunc quilibet dicit: Credo Domine, & confiteor, te esse Jesum Christum Filium Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, ut salvos faceres peccatores, quorum ego sum primus. Sic ille. Quasi verò minùs sit dicere, Memento mei Domine in Regno tuo, quàm dicere, Credo te esse filium Dei vivi. Cùm illud primum supponat hoc posterius. Et nos quidem Catholici ante imagines invocamus Christum & sanctos, quos imagines repręsentāt, non autem ipsas imagines. At panem benedictum, nondum tamen consecratum, stultè & impiè invocaremus.

Ex his facilè intelligas, sit-ne Philadelphiensis ὀρθόδοξος, an formaliter quod aiunt hæreticus, & ἀρτολάτρεις, qui credit nullum esse peccatum, eam rem inanimam invocare, ubi non sit, ut ipse quoque fatetur, Jesus Christus filius Dei vivi, præsertim illis verbis, quę alteri nemini, pręterquam Christo Domino convenire possunt. Quocirca negat ille quidem verbis adorationem latriæ, sed re ipsa eam exhibet pani non consecrato.

Ut autem hanc suam chimericam doctrinam simplicioribus faciliùs suadere valeat, collegit nonnulla testimonia Patrum, quinetiam ex ipso Missali Romano, ubi sacri Doctores panem & vinum sacrificio destinata, nec dum tamen consecrata, vocant ἅγια, θεῖα, ἄρρητα, καὶ ἄχραντα μυστήρια. Sancta, divina, ineffabilia, & incontaminata mysteria. ἱερὸν ἄρτον, εὐλογίας ποτήριον, θυσίαν εὐπρόσδεκτον. τίμια δῶρα. Sacrum panem, poculum benedictionis, sacrificium acceptandum, veneranda munera, immaculatam hostiam, calicem Salvatoris, oblationem, dona, munera sancta, sacrificia illibata.

Postremò Philadelphiensis, quia non adeo impensè veneramur eam oblationem atque cæteri faciunt Græci, putat nos eam spernere. Atque exemplum adducit Arcæ, quam indignè tetigerat Ozan, & subita morte à Deo affectus est. Et Baltasaris, qui vasis sacris ad suam ebrietatem abusus est. Præterea panes propositionis veteris legis commemorat, quos in honore habebant Judæi. Et honorem civilem inculcat, quem exhibemus hominibus in dignitatibus constitutis.

Verùm antequam illius rationes confutemus, ut hęc meliùs intelligantur, nonnulla priùs ex Bellarmino notanda sunt tomo primo, libro primo de Beatitudine Sanctorum cap. 12. & libro secundo de adoratione imaginum cap. 20. & sequentibus. Quæquidem brevitatis causâ possent omitti, sed quoniam hæc scripta in linguam Græcam à me, & in Slavonam ab aliis ob publicam utilitatem, & in gratiam Ruthenorum possent verti, ut magis clara sint legentibus, ea omnino hîc adnotanda sunt.

Primò igitur sciendum est, Fundamentum & rationem adorationis uniuscujusque rei, esse ipsiusmet rei excellentiam, propter quam adoratur. Et quoniam variæ species sunt excellentiæ, inde provenit, ut varij quoque sint honores, & cultus adorationis secundùm mensuram excellentiæ, vel divinæ, vel humanæ, vel mediæ, qualis est sanctorum excellentia posita inter divinam & humanam. Et quidem divinæ excellentiæ attribuitur cultus latriæ: humanæ, quæ in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus collocata est, cultus civilis: Mediæ, cultus duliæ, & hyperduliæ.

Secundò notandum est, Hujusmodi cultus non convenire, nisi naturæ intelligenti. Quippe res inanima non est capax hujus adorationis, nisi analogicè, & secundùm quid, hoc est, imperfectè, quatenus reducitur vel ad Deum, vel ad sanctos, vel ad civiles homines. Et tunc participat honorem vel latriæ, vel duliæ, vel hyperduliæ, pro varietate relationum similitudinis, vel repræsentationum, sed valde imperfectè.

Tertiò notandum est, Aliquid honorari propter se, vel propter aliud, propriè, vel impropriè, per se vel per accidens. Id honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis intrinsecam, & in seipso. Et hoc modo sola natura rationalis est venerabilis. Propter aliud honoratur

id, quod habet quidem in se causam honoris, sed illa causa tota pendet ab alio. Et hoc modo signa rerum sacrarum sunt venerabilia, habent enim in se relationem similitudinis, sive repræsentationem rei sacræ, & proinde quandam excellentiam, sed illa tota pẽdet ab ipsa re sacra. Propriè dicitur honorari, quod verè ratione sui ipsius honoratur. Impropriè dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. Legatus Regis aliquando honoratur ut legatus, & tunc ipse propriè honoratur, licet propter aliud honoretur. Aliquando honoratur loco Regis honore proprio Regibus, & tunc ipse impropriè honoratur, propriè autem Rex in ipso tunc honoratur. Per se honoratur suppositum in quo inest ratio venerationis: per accidens id, quod est conjunctum rei, quæ adoratur, nec est ipsa ratio adorationis. Ut cùm honoratur Rex, per se honoratur homo ille, qui est Rex: per accidens honoratur purpura, & reliqua illi adjuncta, & accidentia omnia, excepta Regia dignitate, quæ licet non sit id, quod honoratur, est tamen id, quo homo ille honoratur: Quare & Regia dignitas per se honoratur ut qua, suppositum ut quod.

Quartò notandum est, Cultum adorationis in triplici actu consistere: intellectus, quo apprehendimus rei excellentiam: voluntatis, quo volumus aliquo actu interiore, vel externo illam excellentiam protestari. Et in exteriore actu, quo signa edimus subjectionis caput inclinando, genua flectendo, manum deosculando, terram fronte percutiendo, adorando, & id genus.

Quintò notandum est, Ex tribus actibus secundum esse magis proprium, & essentialem. Nam primus potest esse sine adoratione; tertius etiam cum irrisione. Sic Dæmones apprehendunt Deum præstantia excellere omnibus; nec tamen adorant. Et in passione Domini externis actibus impij homines Christum deludebant.

Sextò notandum est, In adoratione latriæ, nullos exteriores actus reperiri posse, qui non sint communes, & conveniant aliis etiam, quàm soli Deo. Nam Abraham eodem actu inclinationis usque ad terram adoravit Deum Geneseos 17. adoravit Angelos Genes. 18. adoravit homines Genes. 23. idem intelligas de aliis actibus. Unus excipitur actus externus, qui non sit communis, videlicet oblatio sacrificij. Exod. 22. Qui sacrificat Diis eradicabitur, præter quàm Domino soli.

Septimò notandum est, Hunc externum actum sacrificij reperiri quoque & quidem potissimùm in lege gratiæ. Quando quidem omnia vetera sacrificia hoc nostrum figurabant, quod uni Deo offerimus. At ratione ipsiusmet sacrificij (quod utique cultu latriæ venerandum est, cùm in eo sit Christus præsens sacramentaliter) nullus actus externus invenitur, qui non sit communis. Non enim habemus ullum aliud sacrificium, quasi externum actum, ut offeramus huic sacrificio. Idcirco alius externus cultus necessariò exigitur ad declarandum interiorem. Hîc certè, ut dixi, communis erit. Si enim cerei & faces accenduntur coram Eucharistia, accenduntur etiam dum canitur Evangelium, & in sepulcris Martyrum. Si thus & odores in honorem Eucharistiæ incenduntur, idem fit erga imagines. Si fideles genibus flexis Eucharistiam adorant, adorant quoque sanctorum reliquias & imagines. Quanam igitur ratione noverit aliquis externum cultum latriæ? Salvo meliore judicio, mihi sanè facilè istud prudentes perspicere posse videntur ex eo, quod jure suo postulat, & exigit unaquæque res. Cùm enim audio presbyterum formam sacramenti Eucharistiæ clara voce pronunciantem, (sic enim fit apud Græcos) hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; certè tunc mea genuflexio, adoratio, tundere pectus, & similia sunt cultus latriæ. Cùm verò sacerdos in ingressu ad altare majus enunciat, recordetur Dominus Deus omnium vestrûm in Regno suo; certè eo tempore vel nullam exhibebo reverentiam donis oblatis, sed potiùs conversus ad Deum, quem mihi commemorat sacerdos, ipsum rogabo, ut ea velit accepta habere, & suscipere in laudem, & gloriam suam, &

utilitatem, ac memoriam mei, (Dico autem eo tempore, quando nimirum aliud objectum longè nobilius, hoc est, Deus proponitur mihi adorandus. Nam alioquin illa dona sunt quodam honore digna, ut dicam postea.) vel si aliquem honorem quamvis similem donis exhibebo, intelligam eum non esse latriæ. Et profectò cum in veteri lege Judæi sacrificarent, poterant sanè cæteris quoque externis actibus Deum simul honorare, sed non ipsum adorabant sacrificium. Nos verò idcircò adoramus sacrificium verbis Domini consecratum, quod idem sit sacrificium, sacrificans, & cui sacrificatur. Nam Christus ut Deus etiam acceptat sacrificium. At verò ante consecrationem nullam video adorandi necessitatem. Quia tamen sunt dona destinata sacrificio, & à sacerdote benedicta, possum illis aliquam venerationem exhibere. Sed quid dicemus de simplici populo, qui ex imperitia quid exigat res non intelligit? Dico primò, eum esse docendum sacra mysteria. Deinde, censeo, hujusmodi actus externos non esse omnes in unam aliquam rem sacram congerendos, præterquam in Eucharistiam. Tum quia externi actus adorationis & seorsim singuli, & unà simul conjuncti, primò ac potissimùm Deo conveniunt, proinde si cui exhibendi sunt, potiùs Deo exhibendi sunt, quàm alteri; tum etiam quia multiplicati seducere possunt populum ad idololatriam. Quod & factum videmus in Ecclesia Græcorum ex imperitia clericorum; qui eas omnes externas actiones divini cultus præsanctificatarum liturgiarum ad communes & usitatas transtulerunt. Unde bene advertit Nicolaus Cabasilas longè doctior Philaldelphiensi, præsentem errorem populi ex præsanctificatis provenire, quem minimè laudat, si ea intentione fiat, quasi populus ea dona nondum consecrata adoret; ac non potiùs ad Deum se convertat. Quod idem Cabasilas nihilominus genuflexionem cum omni reuerentia & religione ritè fieri contendit; & dona in altari à sacerdote lampadibus & suffitibus comitato cum quàm maximo fieri potest honore ac veneratione reponenda esse monet; Equidem illius consilium libenter admitterem, nisi esset periculum idololatrandi, quod tamen ipse advertit. Et quidem si centum ex populo, vel mille homines hoc essent imbuti errore, nihil sanè diceremus, quippe minima pars toti genti haud præjudicaret. Nunc cùm totæ Civitates, Provinciæ, ac integra Regna, hoc est, tota Græcia, Russia, Moscovia, Moldavia, Bulgaria, & aliæ non paucæ Orientis provinciæ hac labe sint infectę, & ab externo cultu istum errorem imbiberint, meritò eum cultum externum hîc & nunc abrogandum, vel certè valde moderandum esse contendimus. Et in exemplum adducimus serpentem æneum, quem Ezechias Rex fregerat, & comminuerat, ne idololatraret populus, quarto Regum cap. 18.

Hoc igitur illud est, quod Græcis obiicimus, Quia Græci passim eam oblationem nondum verbis Dominicis consecratam in primis interiore cultu latriæ adorant. (Neque enim negant interrogati.) Deinde eundem cultum interiorem externa veneratione protestantur, dum accensos cereos gestant, & thus incendunt, & eam oblationem honoris causâ hymnis deducunt, & ad terram se prosternunt, & tanquam Regem invocant, & adorant, & supplicant iis donis, & in summa omni genere adorationis externæ honorant. Cùm tamen contrà, quando Sacerdos gerens personam Christi, immò verò Christus per sacerdotem ea munera verè consecrat, dicens, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, tunc vel nullam, vel admodum parvam reverentiam exhibeant. Cur tunc temporis egregius Philadelphiensis de suo throno haud descendit, οὐ κεφαλὴν κλίνει, οὐ σέβεται, οὐ προσκυνεῖ καὶ γεραίρει, οὐ φωτοχυσίαις, εὐωδίαις, καὶ ὕμνοις προπέμπει, οὐ τιμὴν καὶ κλίσιν κεφαλῆς καὶ γονάτων προσφέρει; οὐκ ἐδαφιαίαις μετανοίαις τιμᾷ, οὐ λέγει, μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου; quæ omnia præstanda docet in ingressu oblationis. Immò cur non dicit, πιστεύω κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος; Et si dicit, cur aspectabili cultu tantæ majestati congruo istud testari recusat?

& unà populus cum eo?

Neque valet, si quis dixerit, sacramentum Eucharistiæ tunc à Græcis non videri, propterea non adorari. Nam etiam postea in elevatione sacratissimæ hostię, quantumvis eam non aspiciant, quamprimum tamen sacerdos ea verba protulerit, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Sancta, sanctis, statim procumbunt, & cultu latriæ adorant. Unde hac ex parte sunt minùs excusatione digni, si istud idem in consecratione quoque non præstant.

At enim dices, esse nonnullos ex Græcis, qui quamvis adorationem externam adhibeant, cultum tamen latriæ illi oblationi se præbere constanter negent.

Equidem fateor esse, sed valdè paucos. Et illi quidem verbis istud fatentur, re ipsa verò contrarium profitentur, dumque se tueri volunt, tales afferunt rationes, quales affert etiam Philadelphiensis, aut non dissimiles. Quæ & illos indicant idololatrare, & alios errores præterea secum involuere.

Diluuntur argumenta Gabrielis Philadelphiæ Antistitis.

Caput XXII.

Sed illius fundamenta sunt evertenda. Et primò quidem honor naturalis omnium rerum creatarum, nescio quis ille possit esse; cùm honor propriè conveniat naturæ intelligenti. Nisi velit dicere, honorem valde impropriè, imperfectè, & secundùm quid, quatenus nimirum quælibet res creata, ut effectus reducitur ad conditorem, & si quis eam sperneret, tanquam à principio malo conditam, Manichæorum instar, injuria creatorem afficeret, non secus atque siquis Regiam statuam ignominiosè tractaret. Unde honor panis intelligitur potiùs negativè, à contrario, ne videlicet eum aliquis dedecoret.

Deinde esto, intellexerit sanè hoc modo Philadelphiensis, quærendum ab eo, panis usitatissimus & quotidianus, quem cum aliis ferculis & opsoniis communiter comedimus in mensa, benedictus per preces à sacerdote, nanciscaturne honorem aliquem, destinguatur à non benedicto, necne? Si negat; immeritò negat. Nā si nihil acquirit, quare benedicitur? si acquirit, quare non adoratur & colitur? Fortassis dicit, alterius generis esse benedictionem & honorem. Ergo non tres honores acquirere potest panis, sed quatuor. Immò quibusdam natalibus clarioribus sanctorum Græci solent benedicere panes absolutis Vespertinis precibus, quos deinde postera die in mensa propositionis, dum parant sacrificium iterum benedicunt, & hac ratione quintus honos pani accedet. Tot igitur erunt honores, quot benedictiones.

Postremò, illud falsissimum est, panem habere tertium illum honorem. Tunc enim propriè loquendo κτ᾽ μετουσίωσιν, desinit esse panis; & corpus Christi, quod utique non est panis, quatenus unitur Verbo divino & Deitati, illud quidem per accidens adoratur cultu latriæ, ut & species panis per accidens adorantur cultu latriæ, non autem panis, qui desiit esse panis, & non est. Qui aliter asserit, notam hæreseos evitare nequaquam potest. Sed Philadelphiensis sine dubio intelligit panem transmutatum, quem vocat panem more Pauli, propter externas species panis, revera tamen non est panis. Unde superest duplex honos panis, & tunc cùm unaquæque res eum acquirere possit (quippe singulæ res ut creaturæ Dei, naturalem honorem habent, & si benedicantur alterum obtinent) pari honore quod attinet ad benedictionem, afficiendæ erunt. Nam ea benedictio tam panis, quàm aliarum rerum æquè in sacra Scriptura nititur. Cùm Paulus 1. Timoth. 4. dicat, omnia sanctificari per verbum Dei, & orationem. Immo si aliquod discrimen sit inter benedictionem & benedictionem; major benedictio videtur esse chrismatis, quàm hujus panis: cùm illa fiat à Pontifice, & sit de essentia sacramenti, hæc à Presbytero, quæ sine sacramenti materia optimè consistere potest. Unde Cyrillus Hierosolymitanus comparat aliquo modo consecrationem unguenti, non cum benedictione qualibet

Sacerdotis, sed cum vera consecratione
» panis, Catechesi tertia mystagogica. Quem-
» admodum, inquit, panis Eucharistiæ post
» sancti Spiritus invocationem, non ampliùs
» est panis communis, sed est corpus Chri-
» sti: sic & sanctum hoc unguentum, non
» amplius est unguentum nudum, postquam
» jam consecratum est, sed est Chrisma Chri-
sti. Et tamen unguentum non propterea invocamus, neque tantum ipsi honorem impendimus. Et Nota, S. Cyrillum ante consecrationem appellare panem communem, quamvis benedictum à Sacerdote, & sacrificio destinatum; quippe qui per Spiritus invocationem, veram consecrationem intelligit, cùm statim subjungat, sed est corpus Christi. Propterea verò communem appellat, non quia non sit à Sacerdote sanctificatus, sed quia naturæ pristinæ amiserit nihil: & ea sanctitas non tanta sit, ut non possit appellari communis. Simili modo loquitur Gregorius Nyssenus in Oratione de sancto Baptismate: ὁ ἄρτος πάλιν, ἄρτος ἐστὶ τέως κοινός. ἀλλ' ὅταν αὐτὸν τὸ μυστήριον ἱερουργήσῃ, σῶμα Χριστοῦ λέγεταί τε καὶ γίνεται. οὕτως τὸ μυστικὸν ἔλαιον, οὕτως ὁ οἶνος. ὀλίγου τινὸς ἄξια ὄντα πρὸ τῆς εὐλογίας, μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὸν παρὰ τοῦ πνεύματος, ἑκάτερον
» αὐτῶν ἐνεργεῖ διαφόρως. Panis, inquit, rur-
» sus interim est panis communis: sed ubi
» eum mysterium consecraverit, corpus
» Christi & dicitur & est. Eodem modo
» mysticum oleum, similiter vinum. Cùm
» sint res exigui pretij ante benedictionem,
» post sanctificationem, quæ à Spiritu proce-
» dit, utrumque eorum diversè (atque prius)
» operatur. Chrysostomus verò, vel quicunque auctor sit homilia 17. operis imperfecti in Matthæum docet, panem sanctificatum, hoc est, simpliciter benedictum, posse porrigi animalibus, & infidelibus. Qualis est, quem in mensa communi benedicimus. Non autem consecratum, quem non sanctificatum, sed sanctificationem appellat.

Confirmatur hoc totum. Nam Christus Dominus panes multiplicaturus aspexit in cœlum, & benedixit eos, & ea benedictione multiplicavit; Et tamen populi non propterea panem illum adorabant, cùm alioquin benedictio Christi longè nobilior fuerit quavis Sacerdotis. Cur igitur nos hunc panem cum tanto periculo populi impensè adorare debemus?

Dices, illum panem propterea non adoratum fuisse, quia non erat futurus corpus Christi. At hic panis necessariò est futurus. Quare duo Philadelphiensis inculcat, & esse benedictum, & esse sacrificio destinatum; idcirco sæpe repetit, ἀφιερωμένον καὶ προσενεχθέντα τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ, dedicatum, & addictum sacræ mensæ.

Respondeo. Panem habere naturalem analogiam ad corpus Christi, ratione effectus. Ut enim panis nutrit corpus, ita etiam corpus Christi nutrit animam. Quæ causa est, ut Christus Dominus hoc Sacramentum in pane & vino instituerit. Unde signũ est corporis Christi partim ad placitum, partim ob analogiam naturalem. Et quidem ratione institutionis fideles olim, si quando panis usitatus in terram cecidisset, honoris causâ eum elevabant, & deosculabantur. Quod idem fit modò in Græcia, quamvis causam plerique ignorent, dicunt enim esse panem gratiam divinam. Præterea ex eo quod panis ponitur super altare, incipit repræsentare ipsum Domini corpus, in eoque verè inest aliquid sacri, nimirum ipsa dedicatio, sive consecratio cultui divino, & relatio similitudinis, quæ & in naturali analogia ex institutione Christi, & in nonnullis circunstantiis Dominicæ passionis consistit. Ut enim Christus in ara crucis positus est immolandus, ita panis sub altare. Quare Ambrosius lib. 4. de sacramentis c. 5. ait, oblationem altaris esse figuram corporis Christi. Præterea ut corpus Christi è cruce depositum est, & in monumento collocatum; ita in liturgia Græca, ut docet S. Germanus Patriarcha, panis ex uno altari defertur ad alterum, & collocatur. Postremò, panis consecratus est partim verissimum corpus Christi, partim signum corporis Christi: corpus Christi, ratione substantiæ & naturæ panis, quę vertitur in verum corpus Christi, & ipsa desinit esse: signum corporis Christi, ratione specierum externarum.

Dices, hujusmodi species & signa, cùm

ſint accidentia, non poſſe nutrire, quare deficit ſimilitudo nutritionis.

Reſpondeo. Subſtantiam etiam ſine accidentibus non poſſe nutrire, & contrà. Hujuſmodi tamen accidentia nutriunt miraculosè. Unde non perit ſimilitudo. Deinde, quamvis non nutrirent, adhuc tamen maneret ſimilitudo, & analogia. Nam ad hoc ut aliquid ſit ſignum nutritionis ſpiritualis, non requiritur, ut verè nutrire poſſit corporaliter, ſed ut repræſentet externa ſpecie eam rem, quæ nutrire ſolet. Sic ſerpens æneus fuit vera figura Chriſti, quamvis non habuerit veram ſubſtantiam ſerpentis. Et infinita alia ſigna multarum rerum divinitus oſtenſa ſignificabant effectus cœleſtes ob analogiam inter res naturales, quarum illa erant ſigna, & divinas. Cùm itaque panis communis, panis ſacrificio deſtinatus, & panis conſecratus (per panem autem conſecratum ſpecies ſacramentales intelligo) repræſentent corpus Chriſti, videndum eſt, quo quiſque honore cultuque venerandus ſit, quo item honore ipſummet corpus Chriſti proſequendum. Sed profectò panis communis, ſi conſideretur ex ſua natura, ut panis, nullo honore afficiendus eſt. Non enim quia nutrit, propterea repræſentat nutritionem ſpiritualem, alioquin etiam fructus, & multæ aliæ res nutriunt, nec tamen honorantur, neque ſigna ſunt nutritionis ſpiritualis; ſed quia inſtitutus eſt à Chriſto, ut repræſentet, & eſt ſignum ad placitum. Cur autem inſtitutus eſt? quia nutrit. Cur non aliæ res quæ nutriunt? quia quotidianus, illæ minimè. Et quidem potuiſſet Chriſtus in aliis quoque opſoniis inſtituere: ſed inde apparet illius erga nos immenſa benignitas, qui inſtituit ſacramenta, ut ait S. Auguſtinus libro 19. contra Fauſtum cap. 13. virtute majora, (quàm fuerint antiquæ legis) utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Quare ſi quis honor exhibetur à populo huic pani, ut dixi, exhibetur ob inſtitutionem Chriſti, propter quam panis poteſt deſtinari ſacrificio, eſtque in potentia remota. Et nunc ſatis honoratur, ſi habita conſideratione materiæ ſacramenti, elevetur à terra, & non conculcetur, alioqui nullum eſt peccatum. Et de hoc honore nihil eſt quod dicam amplius.

Duo alij honores, panis videlicet ſacrificio deſtinati, & panis conſecrati, mihi ſuperſunt explicandi. Igitur panis conſecratus, quem diximus eſſe corpus Chriſti, & accidentia, quæ continent corpus Chriſti, & ſunt ſignum corporis Chriſti, ut corpus dupliciter accipi poteſt. Vel enim ſeorſum conſideratur ſine perſona Chriſti, & divinitate, & tunc propriè & per ſe honorandum eſt, non quidem cultu latriæ, qui ſoli Deo convenit, primo principio increato, & ultimo fini, atque adeo ſummo bono; corpus verò eſt creatum in tempore: non itaque cultu latriæ, ſed vel duliæ, vel hyperduliæ. Duliæ quidem, ſi conſideremus gratiam & ſanctitatem humanitatis Chriſti, quæ eſt communis cum aliis ſanctis, quamvis in humanitate Chriſti ſit intenſiſſima; Hyperduliæ, ſi conſideremus eam habere ſpecialem prærogativam, videlicet unionem ad Verbum. Cùm enim inter res ſanctas creatas duæ excellant longè aliis, humanitas Chriſti propter unionem ad Verbum, & B. Virgo ut Θεοτόκος Deipara, meritò majori cultu, quàm aliæ res coluntur. Vel conſideratur corpus Chriſti, ut re ipſa eſt, ubicunque eſt, etiam in ſacramento, nimirum Verbo divino ſuppoſitatum, & cum divinitate unitum; & tunc ratione divinitatis, & ſuppoſiti, latriæ cultu eſt venerandum. Quod nihil aliud eſt, quàm dicere, Chriſtum in ſua humanitate cultu latriæ adorandum. Quare humanitas Chriſti per ſe adoratur ratione ſui ipſius cultu hyperduliæ, licet propter alium honoretur, hoc eſt, propter unionem ad Verbum; per accidens cultu latriæ, quia Chriſtus hoc modo adoratur in ea. Similiter panis conſecratus, ut ſignum corporis Chriſti dupliciter conſideratur: ſi enim ſymbola illa externa, & ſpecies ſeorſum accipiantur, per ſe & propriè non ſunt adoranda cultu latriæ, ſed cultu longè minore veneranda, qui omnibus ſacramentis convenit, & poteſt reduci vel ad cultum hyperduliæ, ſi ſpecies ſimilitudinem gerant corporis ſe-

orsum considerati; vel ad cultum latriæ, si talis corporis, hoc est, cum Verbo divino uniti. Estque iste cultus secundùm quid, & adeo imperfectus, ut verus cultus hyperduliæ, vel etiam duliæ sit illi præferendus. Unde longè majori honore afficienda est mater Dei, & sancti, quàm illæ species: non secus atque si quis dicat, magis honorandos esse intimos amicos Regis, quàm illius vestes separatim consideratas. Alio modo symbola panis & vini apprehenduntur, ut quid unum cum ipso Christo, quem continent; & tunc adorantur per accidens cultu latriæ, quemadmodum cùm honoratur Rex, per se honoratur, per accidens purpura. Hæc de tertio honore.

Ex his facile est intelligere, qui honos adscribi possit pani benedicto, non tamen consecrato. Nam vel honorantur accidentia, & externa figura panis, vel substantia. Accidentia possunt honorari. Nam propriè signa sunt corporis Domini ob analogiam inter panem & Christum. Et tunc parem assequentur honorem, atque accidentia externa panis, quæ continent Christum ex parte repræsentationis; inde minorem, quia illa continent Christum, & adorantur per accidens cultu latrię, hæc nullo modo. Præterea illa repræsentant corpus, quod jam est, ista quod futurum est. Substantia verò non repræsentat, nisi ratione accidentium. Unde hac ex parte non est honore afficienda, nisi impropriè ratione accidentium. Hoc est dicere, accidentia illa honorari in substantia quatenus repræsentant.

Sed tamen substantia panis cultui divino dedicatur, & debet transire in corpus Christi: inde ergo habet omnem suam excellentiam ex ista dedicatione.

At hæc non efficit, ut substantia panis debeat adorari, neque per se cultu latriæ, neque per accidens, ut species sacramentales, cùm non contineat Christum. Ergo longe alio cultu minore, qui conveniat aliis quoque rebus sacris, & divino cultui dedicatis.

Sed Philadelphiensis in eo vim ponit, quod debeat necessarò fieri corpus Christi. Si intelligat necessariò, quia ex nulla alia re, nisi ex pane fit corpus Christi, id verum est: sed tunc non est ad rem, alioquin omnis panis esset adorandus. Si verò intelligat, ut intelligere videtur, quòd iste panis hîc & nunc, necessariò fiet corpus Christi, hoc non adeo certum & verum est; posset enim sacerdos non habere intentionem consecrandi, unde nullus effectus necessariò sequeretur. Præterea cœptum sacrum sacerdos relinquere potest ex rationabili causa.

Sed demus, panem illum necessariò futurum corpus Christi; adhuc tamen non est adeo adorandus, ac tanto honore prosequendus. Tum quia non est capax honoris, ut est natura rationalis, nisi secundùm quid, quatenus repræsentat, & reducitur ad aliud, estque divino cultui dedicatus. Neque alium honorem fingere, nedum assignare facile est. Tum etiam quia post consecrationem substantia panis desinit esse. Quare dicere, panis iste adorandus est, quia corpus Christi futurus est, est planè dicere, panis iste adorandus est, quia futurus non est. Quippe desinit esse, & non est amplius panis.

Quocirca exemplum etiam quorundam Græcorum de filio Regis, qui honoratur, eo quod futurus sit Rex, non est ad rem. Nam filius Regis & remanet idem adepta Regia dignitate, & aptitudinem habuit ad eam consequendam, hoc ipso quod filius Regis esset. Idem dico de aliquo adoptivo, est enim natura intelligens, cui convenire potest honor, & fit apta per adoptionem ad obtinendam Regiam dignitatem. At verò substantia panis neque remanet post consecrationem, neque ullam aptitudinem per se habuit, ut euaderet corpus Christi, nisi ex mera institutione Christi; eâ autem quilibet panis est aptus.

Unde quemadmodum ineptissimus esset, si quis aliquam vilem materiam magni æstimaret, quia ingeniosissimus artifex admiranda quædam solet ex ea parare: ita etiam superstitiosissimi, & minus religiosi, ne dicam gravius, viderentur mihi Græci, si panem adorarent, quia Christus Dominus,

minus, eum in suum corpus mutare solet. Hic enim magnitudo effectus non materiæ, sed Deo adscribitur.

At non propterea Græci passim adorant, quia panis est futurus corpus Christi; sed quia verè credunt ex imperitia esse verum corpus Christi, quando adorant. Et certè minùs errat populus, qui ex ignorantia Christum adorat, & si sciret ibi non esse utique non adoraret, quàm Philadelphiensis, qui cùm sciat non esse, tamen adorat. Unde populus materialiter, iste formaliter peccat.

Non ita verò dissererem de aliqua natura intelligenti. Quippe si Deus vellet naturam Angelicam alicujus Angeli, destructo illius supposito, hypostaticè sibi unire, & nobis de fide per revelationem id constaret, certè eam naturam etiam ante Unionem majori honore, quàm reliquos Angelos prosequeremur, propter futuram unionem. At verò res inanima propriè non est capax honoris, nisi quatenus reducitur ad aliud. Quamvis enim habeat aliquid excellentiæ in se, & causam honoris in se, tamen illa causa tota pendet ab alio. Et hoc modo signa rerum sacrarum sunt venerabilia; habent enim in se relationem similitudinis, sive repræsentationem rei sacræ, & proinde quandam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra.

Observandum autem est, signa repræsentantia rem aliquam in duplici genere esse constituta. Quædam repræsentant ratione figuræ aut formæ, aut colorum, ut imagines depictæ, vel sculptæ. Alia verò repræsentant partim ut signa ad placitum, sic hedera signum est venditionis vini, & verba sunt signa rerum; partim ob analogiam naturalem inter effectus ipsorum signorum, & rei significatæ: Quemadmodum linguæ illæ igneæ, quæ super Apostolos apparuerunt, rectissimè significabant donum eloquentiæ divinitus datum Apostolis, ob analogiam inter linguam & illud donum. Et hoc postremo modo repræsentant sacramenta. Sunt enim partim ad placitum, partim ob aliquam naturalem analogiam instituta. Verbi gratiâ, aqua, si non esset instituta à Christo Domino, non inserviret baptismo, unde est signum ad placitum, & analogiam tamen habet ad internam lotionem. Idem dicendum de aliis sacramentis.

Panis itaque secundi generis honorandus est non propter se, sed quia habet similitudinem cum corpore Christi, & quia est applicatus ad cultum divinum. Addo etiam quia est à sacerdote benedictus. Quamvis ea benedictio sacerdotis per illam orationem, ὁ θεὸς, ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ τὸν οὐράνιον ἄρτον, non sit de essentia Sacramenti, sed potiùs ad ornatum Sacramenti ex institutione Ecclesiæ, non Christi. Quare majus quid est applicare panem ad cultum divinum, quàm eum benedicere. Quamvis possit applicari & cum prece aliqua, & sine prece. Applicatur autem etiam si super altare non ponatur; sed modò velit aliquis eum consecrare, nullis adhibitis præviis precationibus, jam applicatus intelligitur.

Quocirca sanctus Lucianus Presbyter Antiochenus, qui passus est Nicomediæ 13. Januarij, teste Eusebio lib. 8. cap. 28 & lib. 9. cap. 5. in carcere compedibus constrictus, cùm erigere seipsum non posset, panem consecravit supra pectus suum absque præparatione usitata. Refert id etiam Nicephorus libro 8. Historiæ cap. 31. & Apostoli existimantur, teste Gregorio Magno, à principio antequam disposuissent ordinem Ecclesiasticum, & scriptæ essent Evangelia & Epistolæ, recitata Dominica precatione, statim pronunciasse verba consecrationis, & absolvisse sacrificium.

Decipitur autem valde Philadelphiensis, qui prævias dispositiones necessariò requirit, & Virgines nescio quas mihi commemorat, quæ panes fermentent, & Sacerdotum preces. Quasi verò sine istis Sacramentum fieri nequeat. Nam si in patrandis aliis miraculis Christus Dominus nulla est usus prævia dispositione, vel certè aliquando contraria, ut cùm cæco à nativitate visum donare voluit, luto illius oculos oblinivit; Quantò magis hîc nullius indigebit dispositionis, ubi facit miracu-

lum miraculorum? Quare sancti Patres nullam hîc humanam agnoſcunt virtutem: οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἔργα τὰ προκείμενα. ὁ τότε ταῦτα ποιήσας ἐν ἐκείνῳ τῷ δείπνῳ, οὗτος καὶ νῦν αὐτὰ ἐργάζεται ἡμῖν. ὑπηρετῶν τάξιν ἐπέχομεν ἡμεῖς, ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτὰ,
» καὶ μετασκευάζων, αὐτός ἐστι. Non ſunt huma-
» næ virtutis (inquit Chryſoſtomus) opera
» propoſita. Qui tunc ea fecit in illa cœna,
» is etiam nunc ea conficit. Nos miniſtro-
» rum locum tenemus, qui verò ſanctificat
ea & immutat, ipſe eſt. Et S. Auguſtinus in Sermone, quem citat Beda in cap. 10.
» prioris ad Corinthios: Non omnis, inquit,
» panis, ſed accipiens benedictionem Chri-
» ſti, fit corpus Chriſti. Nihil hîc de præviis diſpoſitionibus. Per benedictionem autem Chriſti, veram conſecrationem intelligit.

Dices, cur igitur adhibetur in liturgia hujuſmodi benedictio? Reſpondeo adhiberi ab Eccleſia, ne, quod aiunt, illotis manibus tantum myſterium tractaremus, ſed potiùs per ſimiles precationes nos ipſos præpararemus, & ad pietatem excitaremus. Et ut ſummatim dicam, multa fiunt ad ornatum Sacramenti, quæ Sacerdos nulla ratione omittere debet, ſi Patrum, & Eccleſiæ conſtitutionibus, ut par eſt, parere vult. Similiter benedicitur aqua Baptiſmi, & quidem benedictione ſolemni. Quod etiam ex traditione habemus, ut teſtatur Baſilius, & tamen ea benedictio non eſt de neceſſitate Sacramenti. Valet enim Baptiſmus à laïco adminiſtratus aqua ſimplici, & minus ſanctificata.

De imagine Salvatoris, & pane benedicto. Vtrum magis ſit honorandum?

Caput XXIII.

Sed quid dicemus de imagine Chriſti Domini, ſi conferatur cum pane illo benedicto, Utrum magis ſit honorandum?

Ut honorem imaginis quantus ſit dijudicare valeamus, celebris quædam ſententia Baſiliana, ſæpius in Concilio ſeptimo repetita commemoranda eſt, quæ talis eſt. ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ, ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.
Honor imagini exhibitus, ad ejus proto- «
typum, ſeu exemplar tranſit. Inde nonnulli «
colligunt eundem honorem convenire imagini & exemplari. Quare ſi exemplar colitur latriâ, etiam imago. Et confirmatur ex Ariſtotele, qui libro de memoria & reminiſcentia dicit, eundem eſſe motum in imaginem, ut imago eſt alterius, & in ipſum exemplar. Id eſſet contra Philadelphienſem.

Sed hæc ſententia pugnat cum decretis Conciliorum, Septimi ſeſſ. ſeptima, & Octavi ſeſſ. 10. Canone 3. Ubi Concilia decernunt imagines eſſe honorandas propriè & per ſe, ſed non cultu latriæ, ſed eo modo quæ veneramur Evangelia, & ſacra vaſa. Pugnat etiam cum ratione. Nam ſicut ſe habet imago ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago eſt ipſum exemplar analogicè, & ſecundùm quid, ut homo pictus eſt homo ſecundùm quid. Igitur illius quoque cultus erit imperfectus, & longè inferior, quàm exemplaris. Reducitur tamen cultus imaginis, ad cultum exemplaris, ut imago reducitur ad ſpeciem exemplaris. Quippe homo pictus, & equus pictus differunt ſpecie, quia homo verus, & equus verus differunt ſpecie.

Alij contrà ex eodem fundamento Baſilij, quando quidem honor non in ipſam imaginem, ſed per ipſam in exemplar tranſit, & terminatur, imaginem nullo pacto, ſed exemplar adorandum eſſe docent. Nam imagini non convenit vera latria, prototypo convenit: igitur honor, qui tranſit ad prototypum, non remanet in imagine. Et ita deſtituitur honore imago.

Sed hæc opinio ſimiliter contraria eſt tum prædictis Conciliis, tum rationi. Concilium quippe ſeptimum actione prima, Baſilium Ancyranum, & actione tertia Conſtantinum Cypri Epiſcopum coëgit hæreſim abjurare. Qui dicunt, ſe recipere, & colere imagines, non tamen latriâ, rationi quoque repugnat. Nam in imagine Chriſti, ut imago Chriſti eſt, quædam ineſt excellentia, nimirum ſimilitudo ad

rem sacram, & ipsa divino cultui dedicatio, igitur ipsa in se honore digna est. Quis igitur sensus est illius sententiæ Basilianæ, & quo honore dignæ sunt imagines, declarandum est.

Notandum est. Imago tripliciter considerari potest. Primò, accipitur propriè, ut imago est, hoc est, quatenus suis coloribus, & lineamentis repræsentat id, cujus est imago. Estque in imagine relatio similitudinis ad rem sacram. Et tunc si sit imago Christi, non adoratur latriâ. Quanta enim est differentia inter excellentiam picturæ, & exemplaris, tantum est discrimen inter honorem imaginis Christi, & ipsummet Christum. Quare negat Concilium adorandam esse latriâ. Idem dixeris de imagine Deiparæ, & aliorum Beatorum. Non enim adorantur honore propriè hyperduliæ, nec duliæ, sed ille tamen honor ad istos cultus reducitur.

Secundò, imago accipitur aliquando loco exemplaris, & ea, quæ fierent circa ipsum exemplar, si adesset præsens, fiunt circa imaginem, mente tamen defixa in exemplari. Sic Concionatores alloquuntur imaginem Crucifixi, eique dicunt, Tu nos redemisti, tu nos Patri reconciliasti. Ista enim non dicuntur imagini, nec ut lignum est, nec ut imago est, sed ut accipitur loco exemplaris: id est, dicuntur ipsi Christo, cujus tamen imago vicem gerit. Quemadmodum etiam in die Parasceves, cùm crucifixus paulatim detegitur, & ostenditur, & adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipsi Christo vero exhiberi intelliguntur. Tunc autem propriè nullus honor defertur imagini, sed soli exemplari; tamen impropriè dici potest ipsa etiam imago honorari. Sic legatus Regius aliquando honoratur ut legatus, & tunc ipse propriè honoratur, licet propter alium honoretur. Aliquando honoratur loco Regis, honore proprio Regibus, & tunc ipse impropriè honoratur, propriè autem Rex in ipso tunc honoratur. Id clariùs apparet quando unus pro alio accipit possessionem aliquam, vel matrimonium contrahit. Vel cùm funus celebratur absente corpore circa statuam, & fiunt circa statuam omnia, quæ circa corpus fierent. Similiter Græci in die Parasceves solemnem ἐπιτάφιον absoluunt in honorem Christi. Quippe, imaginem Christi Domini in feretro positam cum hymnis & copia magna luminum circumducunt, & ea canunt & recitant, quæ imagini, ut imago est, minimè quadrant, Christo autem Domino, cujus vicem imago gerit, soli conveniunt.

Tertio modo imago accipitur, non pro imagine tantùm, nec pro exemplari tantùm, sed quatenus exemplar objectivè relucet in imagine, & ipsum sic repræsentatum, & quasi vestitum imagine veneramur. Tunc autem necessariò, & propriè adoramus imaginem eodem cultu, quo ipsum exemplar, sed per accidens. Nam qui adorat aliquem, adorat etiam omnia, quæ cum illo conjuncta sunt. Ita qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solùm, sed etiam vestes quodam modo adorabant. Neque enim jubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent, aut animo, & cogitatione separabant à vestibus cùm adorarent, sed simpliciter Christum, ut tum se habebat, adorabant, per accidens tamen. Quia vestes non erant ratio adorationis, nec erant suppositum. Ita neque imago, sed quiddam adjunctum. Immo idem dicere possumus de humanitate Christi. Cogitemus enim Verbum divinum humanitate sua vestitum, & tunc propriè adorandum est cultu latriæ, per accidens tamen humanitas modo explicato.

Dices, qua igitur in re humanitas Christi differt ab imagine? Respondeo, humanitas Christi, hoc est corpus & anima Christi, seu corpus animatum per se colitur vel duliâ, vel hyperduliâ modo superiùs explicato. At verò imago Christi non potest per se coli neque cultu latriæ, neque hyperduliæ, neque duliæ. Hujusmodi enim cultus conveniunt naturæ intelligenti. Colitur autem cultu quodam latriæ secundùm quid, & quatenus reducitur, ut imperfectum ad perfectum, ad latriam. Et quoniam aliquid plus vel minus potest reduci, quatenus habet majorem vel minorem excellentiam, ex hac

quoque parte magis honoranda est humanitas Christi, quæ conjuncta est Verbo divino cultu latriæ, quàm imago Christi, quamvis per accidens.

Porrò secundùm distinctiones datas explicatur quoque sententia Basiliana. Quando enim imago accipitur propriè, & adoratur ut imago Christi, tunc terminatur honor in ipsam imaginem, & nihilominus mediatè, & consequenter honor transit ad exemplar. Nam qui honorat imaginem alicujus, sine dubio honorat propter eum, cujus est imago. Quemadmodum qui honorat famulum Regis, certè honorat ipsum Regem. Et tamen longè aliter honorat Regem ipsum in propria persona, quàm in famulo suo. Et qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur. Non quod eleemosyna immediate non tendat in pauperem; sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christum facit, & Christum honorat in paupere. Itaque honor exhibitus imagini, redundat in exemplar. Estque iste sensus usitatissimus, verissimus, & valde facilis. Et Concilium in eum sensum adducit sententiam Basilij. Quamvis enim sæpiùs iteret ex Basilio, honorem transire ad prototypum, nihilominus decernit, imagines esse quidem colendas, sed non latriâ. Unde vult, talem honorem, qui non sit vera latria, transire ad exemplar. Neque est absurdum dicere, Christum Dominum honorari minùs in alio, ut est per participationem, quàm ut est in se, ut ab exemplis allatis notum est.

Quando verò imago accipitur loco exemplaris, & quatenus ipsa gerit exemplar, tum honor imaginis immediatè & formaliter transit ad exemplar, & est cultus latriæ; impropriè verò cultu illo honoratur imago: ut legatus impropriè honoratur, quando honoratur proprio honore Regibus. Deinde quando imago conjungitur unà cum exemplari, seu potius exemplar quasi vestitum sua imagine consideratur, tunc similiter est cultus latriæ, & honor fertur in Christum per se, in imaginem per accidens. Non itaque sensus est, honorem imaginis ita transire ad exemplar, ut nullus remaneat in ipsa imagine. Remanet enim honor semper aliquis modo explicato.

Ex his autem solvitur argumentum primæ sententiæ depromptum ex Aristotele de eodem motu imaginis & exemplaris. Quamvis enim idem motus sit & intellectus & voluntatis erga imaginem, ut imago Christi est, & exemplar; quia tamen alio atque alio modo motus fertur ad terminos, inde provenit discrimen cultus non in uno tantùm termino, sed in ambobus. Quando enim concipitur imago propriè, & in recto ut imago Christi est, tunc fertur honor in ipsam imaginem, & consequenter in Christum, sed cultus veræ latriæ in neutro est. Quando verò imago honoratur loco exemplaris, tunc idem motus est, sed in Christum fertur propriè, in imaginem impropriè, & est vera latria. Denique quando in obliquo ponitur imago, & concipitur Christus quatenus relucet in ipsa, tunc idem motus est, sed fertur in Christum per se; & est similiter vera latria, in imaginem per accidens. Quocirca pro varia notione imaginis, varia quoque auctores docuerunt. Nonnulli enim censent, eundem esse honorem exemplaris & imaginis, vel quia honor imaginis reducitur ad honorem exemplaris, vel impropriè, vel per accidens. Alij negãt, nimirum propriè & per se illum esse honorem, sed longè inferiorem. Quare facilè Doctores inter se convenire possunt.

Modò ad difficultatem à principio positam redeo, de pane benedicto, & imagine.

Dico primò, Ut adoratur imago in se, quatenus est imago Christi, non cultu latriæ, sed longè inferiore; ita panis ut in se habet excellentiam quandam, honoratur non cultu vero latriæ, sed longè inferiore. Atque hac ex parte similiter ambo possunt honorari.

Dico secundò, Cùm imago Christi, ipsum Christum præsentem, id est hypostasim divinam humana carne vestitam repræsentet, sicut imago cujuslibet hominis non solùm figuram & colorem, sed etiam personam, & totum ipsum hominem re-

præsentat; inde fit, ut aliquando imago accipiatur pro exemplari, vel unà cum exemplari, & tunc adoretur vel impropriè, vel si propriè, per accidens tamen cultu latriæ.

At verò panis benedictus, cùm secundum quid repræsentet, & corpus Christi futurum repræsentet, non potest in præsenti absolutè pro exemplari accipi, sed in futuro poterit accipi, quando jam exemplar præsens aderit: tunc verò substantia panis non adoratur, quia desinit esse; species verò quæ remanent, hoc modo illum repræsentant, Unde & cultu latriæ per accidens adorantur, priùs verò minimè. Alioquin Christus potest esse & in simplici pane, si quis eum consecret, nulla priùs adhibita benedictione, & tamen non propterea panis est adorandus, ac si loco exemplaris accipi posset. Quare nemo rectè dixerit ad panem illum benedictum, nondum tamen consecratum, tu nos redemisti, tu nos Patri reconciliasti: ut quandoq; dicitur imagini. Atque hac ex parte magis est honoranda imago, quàm panis, qui latriâ per accidens coli non potest. Et eodem honore adorantur species sacramentales. Unde quanta differentia est inter illas & panem benedictum, tanta est inter imaginem, & panem benedictum. Populo tamen, qui has distinctiones ignorat, simpliciter dicendum est, æquè adorandam esse imaginem, atq; panem illum benedictum, sicut & cęteras res sacras, Evangelium, crucem, materias Sacramentorum, & similia. Id enim fit ordinariè, & ut plurimùm in imagine, ut etiam Concilium docet.

Soluuntur argumenta Gabrielis de pane benedicto, nondum tamen consecrato, & imagine Christi.

Caput XXIV.

Venio ad argumenta Philadelphiensis. Materia, quæ est apta & destinata, ut corpus Christi fiat, majori est honore afficienda, quàm ea, quæ non est capax hujus mutationis. Distinguo majorem, quando materia aliqua est apta ad suscipiendam aliquam nobilissimam formam ex sua natura, utique magis æstimanda est, præsertim si ea materia postea remaneat, quàm ea, quæ minus apta est ex sua natura. At verò quando id habet non ex sua natura, sed ex virtute & placito alterius, tunc nullam arguit excellentiam materiæ, sed nobilitatem agentis, & artificis. Sed panis & vinum ejusmodi materia sunt. Nego per se, & ex sua natura, tantùm ex institutione Christi. Nam ex sua natura non magis panis est aptus, ut fiat corpus Christi, quàm cæteræ res comestibiles: Immo quàm lapides. Quippe Gregorius Nazianzenus illud dictum Christi Domini, Potest Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, ut sonant verba intelligit. Et dæmon tentans Dominum dicebat, Dic ut lapides isti panes fiant. Similiter naturalis aqua nullam habet aptitudinem ad luendas sordes animi, sed assumitur à principali agente ad hoc efficiendum, quod inter valdè admiranda meritò enumerandum est: & tamen aquam non adoramus. Idem dixeris de unguento, & oleo, quæ sunt materia quorundam sacramentorum. Quocirca talem aptitudinem habet panis ex se ad corpus Christi, qualem lapis. Et stultissimum esset credere panem mutari in corpus Christi, nisi Christus dixisset, Caro mea vere est cibus: &, Hoc est corpus meum: sed quia Christus Deus est, qui dixit: potuit præstare quod dicebat. Alioquin si argumentum Philadelphiensis aliquid probat, probat etiam Beatorum Apostolorum corpora, & Joannis præcursoris, immo & B. Virginis minore honore afficienda esse, nec solùm corpora, sed & ipsos, quàm illum panem: Quòd eorum corpora & ipsi corpus Christi effici nequeant. Adde quòd materia & substantia panis postea non remanet, sed per mutationem in corpus Christi desinit esse.

Ad secundum argumentum. Omne quod sibi vendicat sanctitatē indelebilem magis est honorandum, quàm id quod ea conditione caret: Concedo majorem, si sint cætera paria. At munera illa magis habent hanc indelebilem sanctitatem, quàm ima-

go Christi: Nego minorem. Ad probationem, Dico imaginem, ut imago est, non in eo consistere, ut de illius essentia sit aliqua crassa & lignea materia, sed in lineamentis, & figura externa illius, cujus est imago, totam consistere. Unde quemadmodum quandiu durat panis, durat etiã benedictio, & sanctitas panis; ita etiam quandiu durat imago, durat illa similitudo ad exemplar, & excellentia, quæ inde redundat. Et hac ex parte non magis sibi vendicat indelebilem sanctitatem panis, quàm imago. At verò ex alia parte, quia imago repræsentat totum Christum, & aliquando accipitur pro exemplari; Inde & honoratur honore exemplaris, quamvis impropriè, vel si propriè, tamen per accidens, ex eo imago Christi magis est honoranda, quàm panis. Alioquin si Philadelphiensis vult naturam imaginis constare in crassitudine ligni, tunc non solũ panis sacrificio destinatus, sed etiam simplex & usitatissimus panis à sacerdote in mensa communi benedictus, erit magis honorandus quàm imago Christi: quippe qui habeat indelebilem sanctitatem, eo modo quo explicat Philadelphiensis. Quod & ridiculum, & impium est. At non existit natura imaginis in crassitudine ligni; alioquin deletis lineamentis, atque corrupta figura, & interlita, crassitudinem illam adhuc honore aliquo afficeremus.

Ad tertium argumentum. Omne quod immediatè corpus & sanguis Christi fieri potest, magis est honorandum, quàm ea quæ immediatè non possunt; sed sacra munera immediatè possunt; ergo magis sunt honoranda, quàm ea, quæ immediaté non possunt. Concedo totum argumentũ, sed nihil cõcludit contra imagines. Dũ enim dicit immediatè, comparationem facit cum iis, quæ non quidem immediatè, sed mediatè possunt fieri corpus Christi. Alioquin quorsum istud verbum προσεχῶς, immediatè, & exemplum de secundis substantiis & generibus, si conferatur cum primis? Quòd nimirum magis sint substantiæ species, quàm genera, eo quòd immediatè tangant primas substantias, hoc est, individua. Unde concederem panem divino cultui destinatum, & altari sacro impositum, eo quòd immediatè fieri possit corpus Christi, magis esse honorandum, quàm panem venalem in foro, vel triticum in campis, quod mediatè potest fieri. Quamvis, cùm dicimus panem benedictum immediatè posse fieri corpus Christi, profanum verò minimè, sano modo intelligimus, nimirum ex præcepto Ecclesiæ. Alioquin quilibet panis immediatè potest fieri, etiam qui in foro venalis est. At imago neque immediatè, neque mediatè fieri potest.

Dices, ergo minus est honoranda. Nego consequentiam. Alioquin etiam triticum magis esset honorandum, quàm imago Christi. Quia illud saltem mediatè corpus Christi fieri potest, illa verò minimè.

Quòd si absolutè dixeris, omne quod potest fieri corpus Christi, magis est honorandum, quàm illud, quod fieri non potest; Tum redimus ad primum argumentum, & solutio ex eo loco petenda est.

Ad auctoritates sanctorum Patrum. Bellarminus libro 2. de Missa cap. 21. meritò dicit appellari sancta & illibata, quia jam dedicata, & consecrata sunt ad usum divinum per priorem oblationem. Et etiam quia pura & sancta intentione offeruntur ab Ecclesia: συνήθες δὲ τῇ θείᾳ γραφῇ τὸ τοιοῦτον τῆς λέξεως σημαινόμενον, ὡς τὸ πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, ἅγιον τῷ κυρίῳ κληθήσεται. τουτέστιν, ἀφωρισμένον. καὶ πάλιν ἐν τοῖς κριταῖς, τέξῃ υἱὸν, καὶ οὐκ ἀναβήσεται σίδηρος ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ὅτι ἡγιασμένον ἐστὶ τὸ παιδάριον. καὶ μυρία ἄλλα. οὕτω δὴ καὶ ἁγιάζεσθαι τὸν τόπον, ἢ τὸν ἄρτον, ἢ τὸν οἶνον, ἃ τῷ θεῷ φαμὲν ἀφορίζεσθαι, καὶ πρὸς μηδεμίαν κοινὴν ὑποφέρεσθαι χρῆσιν. Est autem, (inquit Jobius, teste Photio in sua bibliotheca fol. 313) familiare divinæ scripturæ hoc vocis significatum, ut illud, Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur, hoc est, segregatum. Et rursus in libro Judicum, Paries filium, & non ascendet ferrum super caput ejus, quoniam sanctus est puellulus, & infinita alia. Sic etiam locum, vel panem, seu vinum sanctificari dicimus, quod ea Deo segregentur, ac nulli com-

muni usui destinentur. Sic ille.

Deinde respondeo, Evangelia quoque dici ἅγια, θεῖα, ἱερὰ, τίμια. Et vasa sacra ubi conficitur sacratissima Eucharistia meritò appellari posse ἄχραντα, & ἄψαυστα. Laici enim prohibebãtur, & modò prohibentur tãgere vel servare hujusmodi vasa. Ut patet ex Epistola Synodi Alexãdrinæ in Apologia 2. Athanasij contra Arianos. Ubi probat calicem quendã nõ fuisse sacrum, quia servabatur in domo laici hominis. Et Nazianzenus in oratione cõtra Arianos & de seipso, mysterij vasa populo tangere prohibitum esse dicit. Quod autem spectat ad vocem ἄῤῥητα, Baptismi quoque aqua & unguentum Confirmationis, & oleum extremæ unctionis hoc eodem nomine vocari possent, quia Deus per hujusmodi instrumenta mira efficit. Sic Nyssenus in oratione de baptismate, oleum appellat μυστικὸν arcanum. δῶρα verò vocantur, quia offeruntur à nobis, & creatutæ dicuntur munera Dei, nobis divinitus concessæ, nedum panis benedictus. Unde nos ex muneribus à Deo acceptis, munera Deo panem & vinum offerimus. Oblationem porro ea vocamus, quia ipsa Deo dedicavimus, & consecravimus, ex quibus debet fieri sacrificium. Denique vocamus ea sacrificium per anticipationem, quia in Dei obsequium consumuntur, & quia sunt materia ex qua conficiendum est sacrificium. Nam & in lege veteri dicebantur passim sacrificia oves adhuc viventes, quando scilicet adducebantur, ut immolarentur. Neque alienum est hoc à modo loquendi scripturæ divinæ. Siquidem Levitici 4. 5. 6. & alibi, jubentur singuli quique de populo offerre agnum, vel aliquid ejusmodi in sacrificium pro peccato, & tamen non quilibet de populo propriè sacrificabat, id enim erat solius sacerdotis munus. Sed dicebantur illi offerre sacrificium pro peccato, quia offerebant materiam, ex qua sacrificium pro peccato faciendum erat, Ut egregiè more suo respõdet Bellarminus loco citato. Sic etiam modò Græci panes illos, quos Virgines parant, & habent sacrificio destinatos, quamvis nondum benedictos; passim tamen vocant προσφορὰς, & eadem ratione θυσίαν possent appellare. Quare istud nominis ante consecrationem ferme nullum panibus importat honorem. Igitur honorem, qui exhibetur sacris Evangeliis, vasis, materiis sacramentorum, cæterisque rebus divino cultui consecratis, exhibeant Græci pani benedicto, & nulla erit inter nos controversia.

De nonnullis notandis circa formam hujus Sacramenti.

CAPUT XXV.

FOrmam consecrationis nobis tractare volentibus, nonnulla præmittenda sunt, quæ à Theologis in genere de Sacramentis differentibus tractari solent.

Nota primò, Sacramenta ex institutione sua debere esse sensibilia, hoc est, signa, quæ aliud ingerant sensibus, aliud faciant in cognitionem venire. Quia nimirum producunt divinam gratiam, quæ omnem sensum effugit. Cùm enim exhibeantur homini, qui animo constat & corpore, inde fit, ut ea quoque sensibilia existant; & tamen rem spiritualem efficiant. Nam sive conditionem humanam consideres, quæ ortum à sensibus ducit, & sensuum adminiculo indiget ad divina intelligenda; sive honorem Deo debitum contempleris, qui non solùm corde, sed etiam exteriore cultu colitur; sive signa veluti notas spectes, quibus populus peculiaris & Deo carus ab aliis populis distinguitur; sive morbum spiritualem hominis animo complectaris, qui ex duplici substantia oritur: ob has & similes congruentias necessarium fuit, ut sacramenta sensibilia instituerentur. Quæquidem quãvis corporea, vim tamen spiritualem habentia, Christianum populum ad capessendam & contemplandam internam sanctificationem manu ducerent, ad colendum Deum corpore & animo excitarent, veluti nota regia insignitum à cæteris separarent, denique corpore & animo Numen divinum offendentem curarent.

Nota secundò. Commune id esse omnibus Sacramentis cùm antiquæ, tùm Evangelicæ legis. Quippe antiqua & sensibilia erant, & sua significatione minimè carebant. In eo tamen distinguuntur, quantum attinet ad hoc, sacra mysteria novæ legis à veteribus, omissis aliis excellentiis, quòd illa constarent sensibilibus quidem rebus, permanentibus tamen, ac (ut ita dicam) corporeis, crassis, & materialibus: nostra verò plerumque constent partim rebus corporeis, partim verbis. Quæquidem verba quamvis sensu percipiantur, & hoc modo sensibilia sint; quia tamen sunt in fieri, nihilque post eorum prolationem remanet, quod subsistat, quasi non corporea distinguuntur à rebus sensibilibus, quæ manu tanguntur.

Porro hæc institutio Sacramentorum, quæ præter res etiam verba requirit, ex mero placito Christi Salvatoris instituentis pendet. Hujus tamen placiti variæ assignantur à Theologis rationes, & congruentiæ. Cùm enim instituens sit Verbum incarnatum, convenientissimum fuisse videtur, rebus addere verba. Cùm etiã propter hominem animo & corpore constantem instituerentur, non alienum videbatur, duplices res statuere, quæ partim essent materiales, partim minus corporeæ, ac permanentes. Ad extremum, status veteris legis imperfectus fuit, in quo fides & obscurior, & magis implicita erat, & ideo non oportuit Sacramenta illius temporis habere tam expressam significationem: At cùm sacramenta novæ legis sint perfectissima, & exellentia sua longè superent illa prisca, debuerunt etiam esse signa magis expressa, magisque determinata ac certa, quod fit per verba. Nam aqua significare potest & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem. Cùm igitur dicimus, Ego te baptizo, vel baptizatur talis, emundationem animæ spiritualem significamus. Quocirca quò magis est aliquod Sacramentum perfectum, eò magis requirit verborum certam determinationem. Et quoniam sacramentum Eucharistiæ est inter omnia præstantissimum, propterea Christus Dominus & suis propriis verbis, & talibus verbis non solùm instituit, sed etiam peregit.

Nota tertiò, Non cujusvis esse determinare res Sacramentorum, & multominus verba, quæ se tenent ex parte formæ, suntque nobiliora, utpote quæ determinant materiam; sed hoc peculiarissimum esse Christi Salvatoris, qui meritum sacratissimæ suæ Passionis ad nos applicat per Sacramenta. Tametsi enim potuerit instituere Sacramenta non determinando certam materiam in specie, & formam in verbis certis, sed liberam hominibus dando facultatem, ut quibus rebus & verbis vellent, uterentur ad Sacramenta conficienda, tamen certum est, non ita fecisse. Idque pertinet ad majorem perfectionem sacramentorum novæ legis. Ut enim ceremonias sacramentorum in veteri lege Deus ipse definierat; ita etiam Christus nova sacramenta determinavit, ne quid minus haberent in hoc ista, quàm illa. Deinde meliùs scivit Deus res naturales secundùm quandam proportionem accomodare significationi sacramentorum, quàm homines. Ad hæc, ipse est auctor gratiæ: igitur & instrumenta gratiæ, qualia sunt sacramenta, ipse debuit definire. Postremò, quia in essentiali cultu exteriori colendi Deum (puta in sacramentis, & sacrificio) ad conservandum majorem unitatem Ecclesia tota conspirare debet & convenire, longè meliùs id fit, si ab uno eadem materia & forma sacramentorum, quàm à diversis diversa statuatur. Et præterea longè majorem conciliat Sacramentis reverentiam, si non solùm ab uno quolibet homine, quantumvis licet sanctissimo, sed ab ipsomet Christo Domino sancita esse intellexerimus. Quis enim non vereatur, & summo honore prosequatur ritum à Christo traditum, & ipsius verbis confectum? Sic instituit Baptismi materiam cũ à Joanne in Jordane baptizatus est, & vim aquis dedit sanctificandi, & eam materiam postea explicavit, cùm dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua: & formam, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic instituit Eucharistiæ materiam, dũ Evangelistæ aiunt, Accepit Jesus panem,

formam

formam cùm dixit, Hoc eſt corpus meum. Sic pœnitentiæ formam, inquiens, quorũ remiſeritis, materiam, peccata. Idem intelligas de extrema Unctione, ungentes eum oleo, ecce materia: & oratio fidei ſalvabit infirmum, ecce forma. Idem judicium eſt de cæteris ſacramentis, quamvis non ſint ita in Scripturis explicata, ex traditione tamen & expoſitione utriuſque Eccleſiæ Latinæ & Græcæ ſatis conſtat, ea Chriſtum Dominum inſtituiſſe.

Quod quidem notandum ſano modo intelligendum eſt, de formali nimirum, nõ de materiali verborum. Certum eſt enim verba quoad materiale vocis variari poſſe, integrâ eſſentiâ Sacramenti; ſed neceſſe eſt, ſemper quoad ſignificationem eadem, vel æquivalentia remanere, idque in quibuſdam cum majore, in aliis cum minore determinatione de jure divino. Certè nemo dixerit, tam eſſe neceſſarium obſervare voces eaſdem ad veritatem ſacramenti Pœnitentiæ, atque Baptiſmi, vel Euchariſtiæ. Nam in eo Sacramento quanquam Chriſtus dicit, quorum remiſeritis peccata; nõ tamen dicit, quibuſnã verbis remittenda ſint peccata. Ut etiã in extrema Unctione dicitur, Oratio fidei allevabit infirmũ; Nec tamen exprimitur certis verbis illa oratio. Similiter Apoſtoli cũ confirmarent, imponebãt manus, & adorabant, ut baptizati acciperent Spiritum ſanctum. Neque tamen in actibus Apoſtolicis indicatur, quęnam fuerit eorũ oratio. At verò in Baptiſmo, fortaſſis ob nimiam ejus neceſſitatem, expreſſius Chriſtus mandat, quanam forma verborum utendum ſit, ad eum adminiſtrandum. In Euchariſtia item cùm ob ejus moralem neceſſitatem, tum incomparabilem dignitatem & excellentiam adhuc expreſſius profert, ac præcipit, quibusnam verbis tantum myſterium ſit peragendum.

Nota quartò, Aliorum quidem verba ſacramentorum referri ab Evangeliſtis reſpectu Chriſti, ut ſunt verba inſtitutionis. At verba Euchariſtiæ, ut ſunt inſtitutionis ſimul & conſecrationis, & præterea ut aſſertionem continentia quandam auctoritate Chriſti confirmatam. Hæc enim ratio ſeparari poſſet à priori, ſi Chriſtus neque illis verbis conſecraſſet, neque ut nos illis conſecraremus, præcepiſſet. Itaque quando Salvator dixit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, tunc illis verbis Chriſtus neminem baptizavit, ſed inſtituit, quomodo Apoſtoli baptiſmum exercere debuiſſent. Ita etiam quãdo dixit, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, ſignificavit materiam, peccata, & formã, verba remittendi peccata. Tamen eo tempore cùm hæc diceret, ipſe nullum remiſit peccatum; & ſic de cæteris. At verò quando dixit, hoc eſt corpus meum, & firmiſſimè hoc enuntiatum aſſeveravit, & iiſdem planè verbis conſecravit. Quippe dixit, hoc eſt corpus meum, omnipotentique ſuo verbo factum eſt. Sic Tertullianus in libro 4. cõtra Marcionem. Acceptum panem, inquit, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo. Et Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. ὁ γὰρ εἰπὼν, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, καὶ τῷ λόγῳ τὸ πρᾶγμα βεβαιώσας, οὗτος εἶπε, πεινῶντά με ἴδετε καὶ οὐκ ἐθρέψατε. Qui dixit, hoc eſt corpus meum, & verbo factum confirmavit, hic etiam dixit, eſurientem me vidiſtis, & non paviſtis.

Quamvis enim & ſine verbo tacita voluntate Chriſtus potuerit conſecrare, non tamen quid potuerit, ſed quid re ipſa fecerit, quidve natura ſacramentorum exigeret, conſiderandum eſt. Igitur hiſce verbis conſecravit, (neque enim alia verba protulit) & ſimul inſtituit, ut iiſdemmet verbis nos quoque conſecraremus. Quod clariùs expreſſit, cùm dixit, hoc facite in meam commemorationem. Alioquin præcepiſſet nobis alium modum conſecrandi; Ne præſtantiſſimum omnium ſacramentorum ambiguum ac minus certum, proinde minus perfectum redderetur. Unde immeritò exoptat Eraſmus in annotationibus in priorem ad Corinthios, cap. 11. ut in ſacra ſcriptura nobis eſſet expreſſum, quibus verbis Chriſtus conſecravit, quibuſque nos cõſecrare oporteat. Cùm in nullo alio ſacramento ſit adeo clara forma, atque in iſto. Et hoc intereſt

inter formã Baptiſmi & Euchariſtiæ, quod ibi Chriſtus non adeo expreſſè præceperit, ut diceremus, ego te baptizo; hìc verò quod amplius eſt, apertè mandarit, ut faceremus quod ipſe fecerat. Quare ut etiam diceremus, quæ ipſe dixerat. Quando quidem dicere actio quædam eſt. Et quidem potiſſima inter ea, quæ Chriſtus fecit in hoc myſterio; Quippe dixit, hoc eſt corpus meum, & dicendo ſimul illud effecit. Quare ſi illud omitteremus, potiorem partem eorum, quæ fecit Chriſtus omitteremus, & nihil efficeremus.

Nota quintò, Res & verba ſacramentorum ſecluſa divina inſtitutione ex mera ſua natura non habere illud, quod modò ſignificant, & efficiunt. Nam aqua naturaliter non abluit ſordes animi, ſed corporis, & verbum baptizo, hoc eſt, immergo, non peccata, ſed corporis immerſionem ex hominum placito ſignificat. At verò ex inſtitutione Chriſti utrumq; efficit. Quippe Chriſtus confert illis virtutem. Et hoc intereſt inter verba & ſigna ſacramentalia, & verba & ſigna magica, quòd magica nullam habent vim. Neque enim Dæmon ſuperaddere poteſt rebus virtutem, ſed ſolus Dæmon operatur ad eorum præſentiam per motum localem, & applicando activa paſſivis. At verba ſacramentalia divina virtute ſibi communicata efficiunt quod ſignificant. Quare longè mirabilius, & ſublimius agunt, quàm ullæ incantationes poſſint. Ita communiter docent ſancti Patres Latini & Græci à ſacra ſcriptura edocti; quæ ſuo modo loquendi efficientiam phyſicam inſtrumentalem tribuit ſacramentis. De baptiſmo ad Epheſios quinto: Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Hìc deſcribit Apoſtolus materiam Baptiſmi, & formam, quam appellat verbum vitæ, quibus tribuit effectus mirabiles mundationem & vitam. Ad Titum 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. De Euchariſtia, Joannis 6. Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Et propterea dicitur panis vitæ, & dans vitam. De Confirmatione Act. 8. Oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum. Ecce verba & forma ſacramenti, oratio, per quam accipitur Spiritus ſanctus: Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Ecce materia impoſitio manus, cui adſcribitur idem effectus. De ſacro ordine 2. ad Timotheum 2. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. De ſacramento Pœnitentiæ: Quorum remiſeritis peccata Joan. 20. remittuntur eis. Ergo Sacerdos, cùm profert illa verba, Ego te abſolvo, vel æquivalentia, verè abſolvit. Ergo neceſſe etiam eſt ut verè conferat gratiam, per quam peccator à peccato abſolvitur. Sed non poteſt dici, verè conferre gratiam, niſi ſaltem ſuo verbo illam efficiat. Nam ſi ſolus Deus illam efficit ad præſentiam verbi, ergo ſolus Deus remittit, & non verè ac propriè Sacerdos abſolvit. Immo mentiretur Sacerdos. Si enim aliquo modo ipſe non abſolvit, quare dicit, ſe abſolvere? & tamen juſſus eſt abſolvere. De extrema Unctione Jacobi quinto, Oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. Per orationem fidei, forma Sacramenti ſignificatur, quæ ſalvat infirmum, & ei peccata dimittit.

Ex his, & ſimilibus loquutionibus in omni proprietate acceptis, ipſaque traditione paſſim docent Patres, rebus & verbis ſacramentorum mirabilem quandam ineſſe virtutem ad fideles ſanctificandos. S. Silveſter apud Nicephorum libro 7. cap. 33. ſic alloquitur Conſtantinum Magnum ad Baptiſmum accedentem. Hæc aqua, Imperator, divina virtute per invocationem viuificæ Trinitatis concepta, ſicut exteriùs corpus hominis abluit, ita etiam interiùs animam mundat, & ſplendiorem radiis ſolaribus efficit. Nazianzenus in prima Oratione de filio: ἐβαπτίσθη μὲν ὡς ἄνθρωπος, ἀλλ' ἁμαρτίας ἔλυσεν ὡς θεός. ἀλλ' ἵνα ἁγιάσῃ τὰ ὕδατα. Baptizatus eſt quidem ut homo, ſed à peccatis abſolvit ut Deus, ſed ut aquas conſecraret. Et oratione in Epiphaniam: πρόεισιν Ἰησοῦς ἁγιάσων τυχὸν μὲν καὶ τὸν βαπτιστὴν, τὸ δὲ πρόδηλον πάντα τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ ἵν' ἐνθάψῃ τῷ ὕδατι. πρὸ δὲ τούτων καὶ διὰ τούτοις τὸν Ἰορδάνην. Accedit Jeſus

consecraturus forsan quidem & ipsum baptizatorem. Verùm hoc manifestum est, ut veterem Adam totum in aquis sepeliat, sed ante hos & propter hos ut sanctificaret Jordanem. Et oratione in sacrum lavacrũ: φῶς παρὰ ταῦτα ἰδιοτρόπως ὁ τοῦ βαπτίσματος φωτισμὸς, περὶ οὗ νῦν ἡμῖν ὁ λόγος. μέγα καὶ θαυμαστὸν τὸ τῆς σωτηρίας ἡμῶν περιέχον μυστήριον. Lux est præter hæc peculiari quadam ratione baptismatis illuminatio, de qua nobis nunc sermo est, magnum & admirandum nostræ salutis continens mysterium. At si sacramenta tantùm essent conditiones, quibus positis Deus operaretur, nihil sanè magnum & admirandum continerent. Et infrà: αὕτη μὲν ἡ τοῦ βαπτίσματος χάρις καὶ δύναμις, οὐ κόσμου κατακλυσμὸν, ὡς πάλαι, τὴν δὲ τοῦ καθ' ἕκαστον ἁμαρτίας κάθαρσιν ἔχουσα, καὶ παντελῆ ῥύψιν τῶν ἀπὸ κακίας ἐπισελθόντων συγχωσμάτων, ἢ μολυσμάτων. Hæc est Baptismatis gratia & vis, quæ non mundi diluvium, ut olim, sed uniuscujusque peccati purgationem & omnimodam fœditatum, & inquinationum, quæ à pravitate ingressæ sunt, abstersionem continet. Et infra: μετάσχωμεν καθαρσίων ὑδάτων ὑσσώπου ῥυπτικωτέρων, σποδοῦ δαμάλεως ἱερωτέρων, ῥαντιζούσης τοὺς κεκοινωμένους καὶ πρόσκαιρον ἐχούσης σώματος κάθαρσιν, οὐ παντελῆ τῆς ἁμαρτίας ἀναίρεσιν. τί γὰρ ἔδει καθαίρεσθαι τοὺς ἅπαξ κεκαθαρμένους; Participes fiamus aquarum purgativarum, quæ hyssopo sunt expiabiliores, quæ vitulorum cinere communicantes solum aspergente, & temporaneam corporis purgationem, non tamen omnimodam peccati sublationem continente, sunt sacratiores. Cur enim oporteret semel purgatos iterum purgari? Hîc distinguit Theologus lotiones antiquæ legis à nostro baptismo, quod illa abstergerent corpus ad breve tempus, & propterea iterarentur; Baptismus verò tollat penitus sordes animi, & idcirco semel exhibeatur. Et infrà: γενέσθω σοι τὸ λουτρὸν μὴ τοῦ σώματος μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς εἰκόνος, μὴ τῶν ἁμαρτημάτων ἔκπλυσις μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ τρόπου διόρθωσις, μὴ τὸν προλαβόντα βόρβορον ἀποκλυζέτω μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πηγὴν καθαιρέτω. Fiat tibi lavacrũm non solùm corporis, sed & imaginis, quod non tantùm peccata abluat, sed & mores emendet: non solùm quod pristinam illuviem detergat, sed & fontem purget. Basilius in exhortatione ad Baptismum: ἔδειξεν Ἠλίας τοῦ βαπτίσματος τὴν ἰσχὺν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῶν ὁλοκαυτωμάτων. οὐ διὰ πυρὸς, ἀλλὰ δι' ὕδατος τὴν θυσίαν ὁλοκαυτώσας. Helias ostendit virtutem baptismatis super altare holocaustorum, qui non per ignem, sed per aquam sacrificium totum combussit. Et infrà: ἐπειδὴ τὴν ψυχήν σου ἀναθηλήσειν ἐπαγγέλλεταί σοι τὸ βάπτισμα, &c. οὐκ ἐπιθυμεῖς ἰδεῖν τὸ μέγα θαῦμα τῆς ὑποσχέσεως? Quandoquidem Baptismus pollicetur tibi fore, ut anima tua reflorescat, non optas videre hoc magnum pollicitationis miraculum?

Chrysostomus Homilia 26. in Joannem: ἄνωθεν ὑφαίνεται τῆς ἡμετέρας φύσεως ἡ κατασκευὴ ἀπὸ πνεύματος ἁγίου καὶ ὕδατος. τὸ δὲ ὕδωρ παρείληπται, τοκὰς τῷ τικτομένῳ γινόμενον. ὅπερ γάρ ἐστιν ἡ μήτρα τῷ ἐμβρύῳ, τοῦτο τῷ πιστῷ τὸ ὕδωρ. ἐν γὰρ τῷ ὕδατι διαπλάττεται καὶ μορφοῦται. Desuper naturæ nostræ intexitur opificium á Spiritu sancto & aqua. Aqua autem assumpta, genitrix genito fit. Quod enim est matrix embryoni, hoc est fideli aqua. Siquidem in aqua fingitur & formatur. Et infra: ἐξ οὗ ἐπέβη τῶν Ἰορδανείων ῥεέθρων ὁ δεσπότης, οὐκέτι ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, ἀλλὰ ψυχὰς λογικὰς καὶ πνευματοφόρους τὸ ὕδωρ ἀναδίδωσιν. Ex quo Jordanis alveum ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit. Et homilia 35. Futurum erat baptisma plenum maximæ potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum effecturum. Et homilia 16. ad Romanos circa illa verba cap. 9. In Isaac vocabitur tibi semen. Comparat eos, qui nascũtur ex aqua, cum Isaac, qui natus est, οὐ κατὰ νόμον φύσεως, οὐδὲ κατὰ δύναμιν σαρκὸς, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ἐπαγγελίας. Non secundùm legem naturæ, neque secundum vires carnis, sed secundùm vires promissionis. Quam comparationem ibi latè prosequitur, & maximam vim tribuit verbis divinis, in primis sacramentorum, explicans quid sit illud, secundùm vires promissionis: κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι πρὸς σὲ, καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός. αὕτη ἡ ἐπαγ-

γελία τοίνυν καὶ τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ τὸν Ισαὰκ διέπλασέ τε καὶ ἐγέννησε. Hoc eodem tempore veniam ad te, & erit Sarræ filius. Hæc igitur promiſſio & verbum Dei formavit ac genuit Iſaac. οὕτως καὶ ἡμεῖς γεννώμεθα διὰ τῶν ῥημάτων τοῦ θεοῦ. ἐν γὰρ τῇ κολυμβήθρᾳ τῶν ὑδάτων ῥήματά ἐστι τοῦ θεοῦ τὰ γεννῶντα ἡμᾶς καὶ διαπλάττοντα. εἰς γὰρ ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος βαπτιζόμενοι γεννώμεθα. αὕτη δὲ οὐχὶ φύσεως, ἀλλ' ἐπαγγελίας θεοῦ ἡ γέννησις. Sic etiam nos naſcimur per verba Dei. Nam in aquarum natatoria verba Dei ſunt quæ nos generant & formant. Quippe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptizati naſcimur. Hæc autem non naturæ, ſed promiſſionis Dei eſt nativitas. Ibidem explicat ſanctiſſimus Doctor quare ſit promiſſionis divinæ: ὥσπερ γὰρ τὴν τοῦ Ισαὰκ προαγορεύσας γέννησιν, τότε αὐτὴν ἐπλήρωσεν, οὕτως καὶ τὴν ἡμετέραν πρὸ πολλῶν ἀνεφώνησε χρόνων διὰ τῶν προφητῶν ἁπάντων, καὶ μετὰ ταῦτα εἰς ἔργον ἐξήγαγεν. Ut enim nativitatem Iſaac cùm antè prædixiſſet, poſtea implevit, ſic etiam noſtram ante multa ſæcula per omnes Prophetas prædicens, tandem re ipſa exequutus eſt. Ibid. Chryſoſtomus aquæ tribuit ſupernaturalem vim & efficaciam, facta pereleganter comparatione cum matrice Saræ: εἰ δὲ τὴν μήτραν μοι λέγεις, ἐγὼ κἀγὼ τὸ ὕδωρ εἰπεῖν. ἀλλ' ὥσπερ ἐνταῦθα τὸ πᾶν τοῦ πνεύματος, οὕτως κἀκεῖ τῆς ἐπαγγελίας. τοῦ γὰρ ὕδατος ψυχροτέρα ἦν ἡ μήτρα διὰ τὴν στείρωσιν καὶ τὸ γῆρας. Quòd ſi mihi matricem objicis, poſſum ego quoque opponere aquam. Sed quemadmodum hîc (in baptiſmate) totum efficit ſpiritus (quia nimirum tribuit vim elemento aquæ,) ſic etiam ibi promiſſio. Nam alioquin matrix ob ſterilitatem & ſenectutem frigidior erat, quàm eſſet aqua. Tandem comparationem concludit his verbis: καὶ καθάπερ ἐκεῖ τῆς ἡλικίας ἀπογνωσθείσης, οὕτω καὶ ἐνταῦθα τοῦ γήρως τῶν ἁμαρτημάτων ἐπελθόντος, ἐξαίφνης νέος ἀνῆλθεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ πάντες τοῦ θεοῦ γεγόναμεν παῖδες καὶ σπέρμα τοῦ Αβραάμ. Et quemadmodum ibi ætate deſperata, ſic etiam hîc ſenectute peccatorum adveniente homo repentè juvenis exivit (ab aquis) & omnes filij Dei, & ſemen Abraham facti ſumus.

Gregorius Nyſſenus in libro de Baptiſmo: μὴ καταφρονήσῃς τοῦ θείου λουτροῦ. μὴ δὲ ὡς κοινὸν αὐτὸ ἐξουτελίσῃς διὰ τὴν χρῆσιν τοῦ ὕδατος. τὸ γὰρ ἐνεργοῦν μέγα, καὶ ἀπ' ἐκείνου θαυμαστὰ γίνεται τὰ τελούμενα. Ne contemnas divinum lavacrum, neque id tanquam commune propter uſum aquæ parvi facias. Nam id quod operatur, magnum eſt, & ab illo mirabiles exiſtunt effectus. Ibidem comparat aquã Baptiſmi cum virga Moyſis, per quam Deus admiranda quędam fecit: ἡνίκα δὲ ὁ θεὸς ἠθέλησεν ἐπιτελέσαι δι' ἐκείνης τὰ ὑψηλὰ καὶ λόγου κρείττονα θαύματα, μετεβάλλετο τὸ ξύλον εἰς ὄφιν, &c. Ubi autem, inquit, Deus voluit per illam efficere ſublimia illa, quæque nulla ratio comprehendere poteſt, miracula, mutabatur lignum in ſerpentem, & quæ ſequuntur. Idem probat additis nonnullis aliis exemplis de indumento Heliſæi Prophetæ, de ſigno crucis, quod levi momento ducitur, & tamen mirabilia operatur: de rubo ardenti, per quem Moyſes Deum agnovit: de corpore mortuo Heliſæi, quod ſuo contactu alium mortuum ſuſcitavit: de luto, quo Salvator oculos cæci oblinivit, & lumen aſpexit: ὁμοίως ἑνὸς τῶν προφητῶν μηλωτή, αἰγὸς οὖσα δέρμα, προφήτην τῆς οἰκουμένης τὸν Ελισσαῖον εἰργάσατο. τὸ δὲ τοῦ σταυροῦ ξύλον, πᾶσιν ἀνθρώποις ἐστὶ σωτήριον, μέρος ὄν, ὡς ἀκούω, συκομορέας, εὐκαταφρονήτου φυτοῦ, καὶ τῶν πολλῶν ἀτιμοτέρου. καὶ θάμνος βάτου τῷ Μωυσῇ τὰ θεοφάνεια ἔδειξε. καὶ τοῦ Ελισσαίου τὰ λείψανα νεκρὸν ἀνέστησε. καὶ πηλὸς τὸν τυφλὸν τὸν ἐκ κοιλίας ἐφώτισε. καὶ ταῦτα πάντα ὕλαι τυγχάνουσαι ἄψυχοι καὶ ἀναίσθητοι τοῖς μεγάλοις θαύμασιν ἐμεσίτευσαν τὴν τοῦ θεοῦ δεξάμενα δύναμιν. Similiter unius Prophetæ pallium, quod erat ex pelle caprina, Heliſſæum Prophetam totius orbis effecit. Lignum autem crucis omnibus hominibus ſalutare eſt, cùm ſit pars ſycomori, ut audio, arboris vilis, contemptioriſque, quàm aliæ multæ ſint: & frutex rubi Moyſi, Dei apparitiones oſtendit. Item Heliſſæi reliquiæ mortuum excitaverunt; & lutum cæcum ex utero matris natum illuminavit. Atque hæc omnia cùm materiæ ſint inanimæ, ac ſenſus expertes, poſteaquam vim Dei accepiſſent, magnis miraculis media

intercesserunt. Quibus recensitis infert: κατὰ τὴν ὁμοίαν ἀκολουθίαν τῶν λογισμῶν καὶ τὸ ὕδωρ, οὐδὲν ἄλλο τυγχάνον ἢ ὕδωρ ἀνακαινίζει τὸν ἄνθρωπον εἰς τὴν νοητὴν ἀναγέννησιν τῆς ἄνωθεν χάριτος εὐλογούσης αὐτό. Simili consequentia rationum etiam aqua, cùm nihil aliud sit quàm aqua, superna gratia benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renovat regenerationem. Tandem comparat eam cum virtute miraculorum effectrice.

Cyrillus Alexandrinus libro 2. in Joannem cap. 42. postquam dixerat per baptismum dari gratiam & Spiritum sanctum, subdit: ὥσπερ γὰρ τρόπον τὸ ἐν τοῖς λέβησιν ἐκχεόμενον ὕδωρ, ταῖς τοῦ πυρὸς ὁμιλῆσαν ἀκμαῖς, τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἀναμάττεται, οὕτω διὰ τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας τὸ αἰσθητὸν ὕδωρ πρὸς θείαν τινὰ καὶ ἄρρητον ἀναστοιχειοῦται δύναμιν, ἁγιάζει τε λοιπὸν τοὺς ἐν οἷς ἂν γένοιτο. Sicut enim quæ in lebetem infunditur aqua vi flammatum effervescens virtutem ignis in se recipit; sic Spiritus sancti operatione sensibilis aqua ad divinam quandam atque ineffabilem reformatur virtutem; ac deinceps quos abluerit, sanctificat. Et libro 7. contra Julianum circa finem, dicit sacramentum Baptismi non tantùm ad res sensibiles & visibiles pertingere, sed Christum, qui magna facilitate mirabilia operatus est, dedisse illi vim, & virtutem mirabilem & supernaturalem. Et quia Julianus Apostata objiciebat, cur baptismus non etiam depelleret corporis morbos? Respondet Cyrillus, Christum, qui infinita alia egisset miracula, hoc etiam potuisse præstare, sed non propterea dedisse mysterium: οὔτε μὴν καθάπερ οἴει καὶ φρονεῖν ἀξιοῖς μέχρι τῶν ἐν αἰσθήσει καὶ ὁρατῶν πραγμάτων ἐστὶ τὸ Χριστοῦ μυστήριον. Neque sicut putas, & sentire vis, usque ad sensibiles res tantùm est Christi mysterium. Et quia hoc videbatur mirum, posse sacramentum animi sordes abstergere, recenset alia innumera miracula Christi, & infert: τί γὰρ τῶν ἄγαν τεθαυμασμένων οὐ γέγονεν παρ' αὐτοῦ; Quid enim admirabile non factum est ab illo? Tandem concludit: ὁ τοίνυν ἀμογητὶ τὰ οὕτως κατορθῶν ἐξαίρετα, καὶ αὐτοῖς δὲ τοῖς ὕδασιν ἐνιεὶς τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως τὴν ἐνέργειαν, ἆρ' οὐκ ἐθ' ὅπως καὶ ἀρρωστίας ἁπάσης σωματικῆς οὐκ ἂν ἀποφήνῃ κρείττονα τὴν διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος χάριν; ἀλλ' ἐφ' ἑτέροις ἡμῖν αὐτὴν δεδόσθαι φαμέν. Igitur qui tam eximia absque labore præclarè facit, & ipsis etiam aquis virtutis suæ efficaciam immittit, nonne omnino etiam gratiam per sanctum Baptisma quovis corporali morbo præstantiorem esse ostenderet? Sed ob alia nobis datam esse dicimus.

Ambrosius libro 1. de Sacramentis c. 5. Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi. Nota, omnem aquam naturalem esse idoneam ad baptismum, sed tamen nihil eam efficere posse sine verbis & forma. Hoc sibi vult Ambrosius: Vel aquam naturalem ab aliis artificialibus distinguit. Vel universè accipiendo aquam, non omnis aqua sanat, quoniam aqua ante Christi adventum nondum tactu illius sanctificata, minimè sanabat. Et infra: Non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit. Et libro 2. cap. 5. Venit Sacerdos ad fontem, dicit precem, invocat Patris nomen, præsentiam Filij, & Spiritus sancti. Utitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba, quæ Christi sunt. Præsentia Trinitatis adest; operatur sermo æternus. Et libro 3. cap. 1. Tibi servatum est, ut aqua te generet ad gratiam.

Augustinus tractatu 80. in Joannem: Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Et libro 3. de unico Baptismo contra Donatistas cap. 10. Non est aqua profana, & adultera, sed per quam nomen Dei invocatur.

Chromatius Episcopus Aquilanensis, teste Hieronymo in præfatione Paralipomenon, Episcoporum suis temporibus doctissimus, & sanctissimus, qui scripsit commentaria in Matthæum, quorum nunc parvæ fragmenta extant. Nunquam, inquit, aquæ Baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent.

Leo Papa de Nativitate sermone quinto: Virtus altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit, ut regeneret unda credentem.

In Euchologio dum consecratur aqua Baptismi, hæc habes: ὑπὲρ τοῦ ἁγιασθῆναι τὸ ὕδωρ τοῦτο τῇ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τοῦ καταπεμφθῆναι αὐτῷ τὴν χάριν τῆς ἀπολυτρώσεως, τὴν εὐλογίαν τοῦ Ἰορδάνου, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τοῦ καταφοιτῆσαι τοῖς ὕδασι τούτοις τὴν καθαρτικὴν τῆς ὑπερουσίου τριάδος ἐνέργειαν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι αὐτῷ (τῷ βαπτιζομένῳ) τὸ ὕδωρ τοῦτο λουτρὸν παλιγγενεσίας, ἄφεσις ἁμαρτιῶν, καὶ ἔνδυμα ἀφθαρσίας τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Ut virtute & operatione adventuque Spiritus sancti aqua ista consecretur, Dominum precemur. Ut in eam demittatur gratia redemptionis, benedictio Jordanis, Dominum precemur. Ut in hanc aquam descendat efficacia vim habens purgandi supersubstantialis Trinitatis, Dominum precemur. Ut aqua hæc fiat ipsi (qui baptizatur) lavacrum regenerationis, remissio peccatorum, & indumentum immortalitatis, Dominum precemur. Et in orationibus: σὺ δὲ τὰ Ἰορδάνεια ῥεῖθρα ἡγίασας, οὐρανόθεν καταπέμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα, καὶ τὰς κεφαλὰς τῶν ἐκεῖσε ἐμφωλευόντων συνέτριψας δρακόντων. αὐτὸς οὖν φιλάνθρωπε βασιλεῦ πάρεσο καὶ νῦν διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ ἁγίασον τὸ ὕδωρ τοῦτο. καὶ δὸς αὐτῷ τὴν χάριν τῆς ἀπολυτρώσεως, τὴν εὐλογίαν τοῦ Ἰορδάνου. ποίησον αὐτὸ ἀφθαρσίας πηγήν, ἁγιασμοῦ δῶρον, ἁμαρτημάτων λουτήριον, νοσημάτων ἀλεξιτήριον, δαίμοσιν ὀλέθριον, ταῖς ἐναντίαις δυνάμεσιν ἀπρόσιτον, ἀγγελικῆς ἰσχύος πεπληρωμένον. φυγέτωσαν ἀπ' αὐτοῦ οἱ ἐπιβουλεύοντες τῷ πλάσματί σου. ὅτι τὸ ὄνομά σου κύριε ἐπεκαλεσάμην, τὸ θαυμαστὸν, καὶ ἔνδοξον καὶ φοβερὸν τοῖς ὑπεναντίοις. Tu quoque Spiritu sancto tuo cœlitus misso fluenta Jordanis consecrasti, ibique latitantium draconum capita contrivisti. Ergo tu humanus Rex modò etiam adesto per adventum Spiritus sancti tui, & sanctifica istam aquam. Da ei gratiam redemptionis, benedictionem Jordanis. Fac eam incorruptionis fontem, sanctificationis donum, peccatorum labrum, contra languores remedium, dæmonibus perniciosam, adversariis potestatibus inaccessam, Angelicæ fortitudinis plenam: fugiant ab ea, qui creaturæ tuæ insidiantur. Quoniam Domine nomen tuum admirabile, & gloriosum, atque hostibus formidolosum imploravi. Et infra: ἀλλὰ σὺ δέσποτα τῶν ἁπάντων ἀνάδειξον τοῦτο, ὕδωρ ἀπολυτρώσεως, ὕδωρ ἁγιασμοῦ, καθαρισμὸν μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἄνεσιν δεσμῶν, ἄφεσιν παραπτωμάτων, φωτισμὸν ψυχῶν, λουτρὸν παλιγγενεσίας, ἀνακαινισμὸν πνεύματος, υἱοθεσίας χάρισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, πηγὴν ζωῆς. Sed tu Domine universorum ostende hanc aquam, aquam redemptionis, aquam sanctificationis, purgationem carnis & spiritus, dissolutionem vinculorum, remissionem delictorum, illuminationem animorum, lavacrum regenerationis, renovationem spiritus, adoptionis donum, incorruptionis indumentum, fontem vitæ.

Quæ de baptismate affirmant Patres, eadem intelligunt de aliis Sacramentis, Quare Cyrillus Hierosolymitanus de Confirmatione & Eucharistia in tertia Catechesi mystagogica sic loquitur: Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non ampliùs est panis communis, sed est corpus Christi: Sic & sanctum hoc unguentum, non ampliùs est unguentum nudum, postquam jam consecratum est, sed est Chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti per ipsius divinitatem, efficaciam habet, &c.

De hoc eodem unguento Confirmationis dum consecratur, hæc habentur in Euchologio: κατάπεμψον τὸ πανάγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τοῦτο τὸ μύρον, ποίησον αὐτὸ χρίσμα βασιλικὸν, χρίσμα πνευματικὸν, ζωῆς φυλακτήριον, ἁγιαστικὸν ψυχῶν καὶ σωμάτων, ἔλαιον ἀγαλλιάσεως. Emitte sanctissimum tuum Spiritum ad hoc unguentum. Effice illud Chrisma regium, Chrisma spirituale, vitæ conservativum, quod vim habeat animas, & corpora sanctificandi, oleum exultationis. ἀνάδειξον αὐτὸ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου καὶ προσκυνητοῦ σου πνεύματος ἔνδυμα ἀφθαρσίας, καὶ σφραγῖδα τελειοποιὸν, ἐντυποῦσαν τοῖς τὸ θεῖόν σου λουτρὸν δεχομένοις τὴν θείαν σου ὀνομασίαν. Ostende ipsum adventu sancti & adorandi tui Spiritus indumentum incorruptionis, ac signaculum quod perfectos efficiat, quodque imprimat divinum tuum lavacrum suscipientibus divinam tuam no-

menclationem. Ibidem appellatur, μέγα καὶ ζωοποιὸν μυστήριον, magnum & vivificum Sacramentum.

De Eucharistia Cyprianus in sermone de Cœna Domini: Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus procurat vitam & incrementum corporibus; ideóque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas, sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm spirituali transitione Christo nos uniri.

Chrysostomus de proditione Judæ, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμά φησι, τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταρυθμίζει. Hoc est, inquit, corpus meum. Hoc verbum proposita dona in aliam formam convertit. Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Joannem, eodem planè modò loquitur de Eucharistia atque de Baptismo.

Damascenus libro 4. de fide cap. 14. εἶπεν ὁ θεὸς, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, καὶ τοῦτό μου τὸ αἷμα, καὶ τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, καὶ τῷ παντοδυνάμῳ αὐτοῦ προστάγματι, ἕως ἂν ἔλθῃ, γίνεται. οὕτω γὰρ εἶπεν ἕως ἂν ἔλθῃ. Dixit Deus, Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem, & omnipotenti ejus præcepto donec veniat efficitur: sic enim dixit, Donec veniat. Superiùs autem in eodem capite Damascenus multis exemplis probaverat efficaciam verbi & imperij divini, quo producta sunt omnia.

Ambrosius libro 4. de Sacramentis c. 4. Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur?

Eusebius Emissenus in sermone de corpore & sanguine Domini: Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit.

De sacramento Pœnitentiæ in orationibus συγχωρητικοῖς, quæ extant in Euchologio, hæc habentur: λόγῳ λυθῆναι εὐδόκησον, &c. σὺ γὰρ εἶπας δέσποτα, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Velis ut verbo solvatur. Tu enim Domine dixisti, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Ergo verè solvunt, cùm Latini dicunt, Ego te absolvo, & Græci aiunt, ἔχω σε συγκεχωρημένον, vel aliud simile. Et in summa verbum habet vim solvendi.

Denique de oleo Extremæ Unctionis non dissimilia leguntur in Euchologio, atque de aqua Baptismi: ὑπὲρ τοῦ εὐλογηθῆναι τὸ ἔλαιον τοῦτο τῇ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Ut benedicatur hoc oleum vi, & efficacia, atque adventu Spiritus sancti, Dominum precemur: Et in Oratione: αὐτὸς δέσποτα ἁγίασον τὸ ἔλαιον τοῦτο, ὥστε γενέσθαι τοῖς χριομένοις ἐξ αὐτοῦ εἰς θεραπείαν, καὶ ἀπαλλαγὴν παντὸς πάθους, μολυσμοῦ σαρκικοῦ καὶ πνεύματος καὶ παντὸς κακοῦ. Tu Domine consecra oleum istud, ita ut fiat eo se inungentibus in medelam, & liberationem omnis passionis, inquinamenti corporis & spiritus totiusque mali. Quare hoc firmum, constans, & ratum sit, sacramenta habere virtutem à Christo Domino sibi additam, qua cœlestes effectus producant. Atque de hoc notando & aliis satis. Nunc rem ipsam explicare conemur.

De vera forma hujus Sacramenti, quæ probatur ex contextu liturgiarum.

CAPUT XXVI.

FOrma consecrationis hujus Sacramenti apud Græcos, sunt hæc certa & determinata, eaque sola verba: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Quæ sunt verba Salvatoris, & ea extant in liturgia Græcorum. Neque illa omittunt Græcorum Presbyteri etiam significativè recitare, ut de vera consecratione illorum ambigere debeamus. Immo potiùs significativè, quàm narrativè ea recitant. Cùm enim verba Christi dupliciter considerentur, vel ut connectuntur cum antece-

dentibus; vel ut per se sola enunciantur. Primo modo proculdubio narrativè sumuntur. Refert enim qui ea profert, quid egerit Christus. Secundo modo significativè accipiuntur. Nam si sola proferantur à Sacerdote, satis sunt ad consecrationem, nulla interveniente narratione. Non enim tunc refert Sacerdos, Christum ea dixisse, quia non conficit propositionem, qua id affirmet. Igitur Presbyteri Græci dum ea clara voce per se enunciant, & quodammodo ab antecedentibus verbis separant, indicare volunt, se significativè ea proferre. Quamvis autem significativè proferri queant, etiam si submissa voce enuncientur, quippe hoc pendet ab intentione Sacerdotis & Ecclesiæ ut faciunt Latini, tamen apud Græcos Spiritus sanctus prævidens futurum nonnullorum errorem, clariùs etiam id ostendere voluit. Nam si tantùm narrativè enunciarentur, nullus esset historiæ sensus, cùm populus, qui ea audit, nesciat quid in historia præcesserit. Quippe reliqua, quæ antecedunt, submissè proferuntur. Quæ igitur narratio ista est? præsertim in liturgia Chrysostomiana? Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus. Deinde eadem verba super proposita dona panem & calicem Sacerdos profert, & ea munera signo crucis benedicit. Unde rubrica Basiliana, ὁ ἱερεὺς κλίνει τὴν κεφαλὴν, καὶ αἴρει τὴν δεξιὰν αὐτοῦ, καὶ μετ' εὐλαβείας εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον ἐκφώνως λέγων. Sacerdos, inquit, inclinat caput, ac dexteram suam tollit, & cum veneratione sanctum panem benedicit, clara voce dicens: Hoc est corpus meum, &c. Immo nemo est Sacerdotum ea verba proferens, qui practicè non intendat id demonstrare, quod præ manibus, vel coram oculis habet. Ergo formaliter ea, & significativè, & per consequens effectivè, non autem solùm narrativè profert. Quorsum enim hæc ceremonia, si tunc non intendit conficere corpus Christi, ut verba sonant?

Postremò, Diaconus simul & eodem tempore dum Sacerdos hostiam benedicit, in signum veræ transubstantiationis, non eam quidem tunc ostendit populo, ut nonnulli ex Bessarione malè intellecto colligunt, sed accepta extremitate fermè stolæ (quod est ejus singulare insigne, & appellatur ὠράριον, horarium) primis duobus vel tribus digitis in ipso sanctuario, quamvis à populo minus videatur, ad sacram aram consistens, extensa manu cum stola, sacra munera demonstrat, atq; alterius instar præcursoris, qui ostendendo Christum dicebat, Ecce Agnus Dei, Diaconus ea cerimonia indicat, verum esse, quod Sacerdos induens omnino, & perfectè personam Christi enunciat, videlicet, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Populus autem ad utraque respondet, Amen. Atque illud idem confirmat, quod Sacerdos protulit, & Diaconus gestu significavit. Adeo ut in illa divinissima actione nemo sit otiosus. Sed & Sacerdos ore, intentionéque, certè si non expressa, saltem virtuali Ecclesiæ consecrat, & Diaconus manu demonstrat, & populus ea se credere firmiter profitetur. Sic Justinus Martyr in Apologia pro Christianis: οὗ (προεστῶτος) συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, ἀμήν. τὸ δὲ ἀμὴν τῇ Ἑβραΐδι φωνῇ, τὸ γένοιτο σημαίνει. Qui, inquit (Sacerdos nimirum qui præest) ubi preces absolvit, & Eucharistiam rite perfecit, populus omnis, qui adest, fausta approbatione acclamat dicens, Amen. Amen autem voce Hebræa, fiat significat. Per Eucharistiam Justinus mysterium Eucharistiæ intelligit, ut ibidem ipsemet explicat. Et est sensus, Sacerdotem priùs fundere preces, deinde panem & vinum consecrare, & sic absolvere Eucharistiam, & ad ea populum solitum esse respondere, Amen. Et nota verbum συντελέσας, & Amen quod respondet populus, quod non fit apud Græcos in alia consecratione. Quippe, quam falsò putant nonnulli Græcorum esse consecrationem, non ea clara voce profertur; neque ad eam populus respondere solet. Et B. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Ergo, inquit, non otiosè dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus. Idem repetit in libro de his, qui initiantur mysteriis cap. 8. & 9. Ante benedictionem

verborum

verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur, & tu dicis, Amen: hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur. Quod sermo sonat, affectus sentiat. Et Leo Magnus sermone sexto de jejunio septimi mensis. Hoc, inquit, ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur. Nestoriani negabant verum corpus Christi, cur ergo, dicit S. Leo, in communione dum illud sumunt, respondent, Amen? Auctores quoque Græcorum simili modo exponunt voculam illam Amen. Igitur Græci dum respondent, Amen, fatentur, verum esse corpus Christi. Immo verò nòn pauci Græcorum, vel ex ipsomet populo, dicto Amen, continuó subjiciunt, (idque puto ex antiqua consuetudine ac traditione) πιστεύω κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος,· ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτος εἰμὶ ἐγώ. Credo Domine, atque fateor te esse Christum filium Dei vivi, qui in mundum venisti, ut peccatores salvos faceres, quorum primus sum ego. Quę sunt verba principum Apostolorum, partim Petri, partim Pauli.

Nec immeritò his verbis populus præsentiam Christi profitetur. Si enim non esset adhuc verum corpus Christi, multi, qui memorata verba proferunt, ac interno affectu adorant, ἀρτολατρείαν committerent. Quin & Sacerdos personam Christi sustinens mentiretur, dum ait, Hoc est corpus meum, & falsa essent verba Christi.

Quia enim gerit sacerdos personã Christi, propterea & benedicit, & panem manibus accipit, in cœlum suspicit, & suo tempore frangit, & dividit: quæ omnia Christus gessit, & habentur in liturgia Jacobi Apostoli. Sic enim expressè in rubricis habes: εἶτα ὁ ἱερεὺς τῇ χειρὶ τὸν ἄρτον κατασχὼν λέγει. Deinde Sacerdos panem manu accipiens dicit, (sequitur textus) λαβὼν τὸν ἄρτον ἐπὶ τῶν ἁγίων καὶ ἀχράντων καὶ ἀμώμων καὶ ἀθανάτων αὐτοῦ χειρῶν, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἀναδείξας σοι τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, εὐχαριστήσας, ἁγιάσας, κλάσας ἔδωκεν ἡμῖν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰπὼν, λάβετε, φάγετε. τοῦτό μου ἐστὶ σῶμα. Accipiens panem in sanctas, immaculatas, inculpabiles, & immortales suas manus, in cœlum suspiciens, ac tibi Deo Patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangens dedit nobis discipulis suis & Apostolis dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Non igitur sacerdos solùm narrativè verba Christi profert, sed etiam significativè. Quamvis enim eæ cerimoniæ non sint simpliciter necessariæ. (Neque enim omnia, quæ tunc fecit Christus, de necessitate sunt consecrationis, ut propterea etiam Græci illas prætermittãt, excepta benedictione. Non enim solent sumere panem in manus, neque levare oculos in cœlum, licet habeantur ea verba in liturgia Basilij.) Cùm tamen adhibuerit eas Jacobus Apostolus ὁ ἀδελφόθεος, & à Latinis quoque adhibeantur, signum est, aliquid ampliùs per eas significari, nec simplicem narrationem.

Porro eadem veritas etiam ex consequentibus Canonis verbis facilè probari potest. Siquidem sacerdos peracta consecratione ita reliqua prosequitur submissa voce: μεμνημένοι τοίνυν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς, καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γενομένων, τοῦ σταυροῦ, τοῦ τάφου, τῆς τριημέρου ἀναβάσεως, τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβάσεως. τῆς ἐκ δεξιῶν καθέδρας, τῆς δευτέρας καὶ ἐνδόξου πάλιν παρουσίας (ἐκφώνως) τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα. Memores igitur hujus salutaris præcepti, & omnium, quę pro nobis gesta sunt, Crucis, sepulcri, triduanæ resurrectionis, ad cœlos ascensionis, à dextris cathedræ, secundi rursus & gloriosi adventus (clara voce) tua ex tuis tibi offerimus secundùm omnia, & propter omnia. Sequitur in liturgia submissa voce: ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν. καὶ παρακαλοῦμεν καὶ δεόμεθα καὶ ἱκετεύομεν, κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ᾽ ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, &c. Et paulò pòst, ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων, πατέρων, πατριαρχῶν, &c. ἐξαι-

ρέτως τῆς παναγίας ἀχράντου ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, ϗ ἀειπαρθένου Μαρίας, &c. ὅτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης, ὑπὲρ τῆς ἁγίας σου καθολικῆς ϗ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, &c. Præterea offerimus tibi rationabile ac incruentum hoc obſequium, & rogamus, ſupplicamus, ac depoſcimus, ut mittas Spiritum ſanctum tuum ſuper nos, & ſuper hæc appoſita munera, &c. Præterea offerimus tibi rationabile hoc obſequium pro iis, qui in fide dormierunt, pro avis, patribus, Patriarchis, Prophetis, &c. potiſſimùm pro ſanctiſſima, intemerata, ſuper cæteras omnes benedicta, Domina noſtra Deipara ſemperque Virgine Maria &c. Præterea offerimus rationabile hoc obſequium pro terrarum orbe, pro ſancta tua catholica, & Apoſtolica Eccleſia &c. Sic aliquoties iterant illud, Offerimus; variis tamen de cauſis, ut alibi diximus, cùm de particulis ageremus. Hæc omnia recēſenda erant, ut ex pulcherrimo liturgiæ ordine verum indagaremus.

Quocirca Nota primò, textum liturgiæ ita legendum eſſe, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν. Tua ex tuis tibi offerimus, non, προσφέροντες, offerentes. Quis enim ſenſus eſt duorum participiorum ſine ulla conjunctione, μεμνημένοι, προσφέροντες, memores, offerentes. Sic habetur apud Clementem, & Jacobum. Quam lectionem indicant etiam quæ ſubſequuntur, & geminantur verba προσφέρομεν, & particula ἔτι, quæ ſimilia conjungit. Alioquin ſacerdotis ut minus perfecta penderet oratio. Immo & in ipſa Latina Miſſa in ſimili propoſito, offerimus dicitur. Quāvis Nicolaus Cabaſilas in cap. 50. expoſitionis liturgiæ illud προσφέροντες ad illud quod reſpondet populus σὲ ὑμνοῦμεν, te laudamus, referat. Sed neſcio quare oratio ſacerdotis debeat eſſe imperfecta. Cùm hujus rei alibi nullum extet exemplum.

Nota ſecundò, præſtantiſſimum ordinem liturgiæ. Nā in præparatione Miſſæ, quam vocant προσκομιδὴν, oblationem, Primùm quidem offerunt in memoriam Salvatoris, mortē ipſius annuciantes; Deinde ſanctorum, tum vivorum, poſtremò etiam omnium defunctorum memorias faciunt. Quas omnes ad illam Chriſti Domini, veluti membrorum ad caput, referunt. Ita etiam hîc eadem plane repetunt. Adeo ut, ſi in præparatione liturgiæ non ſit conſecrata particula, quæ offertur in memoriam Chriſti, ut certum eſt, eam non eſſe tunc conſecratam, nec reliquæ, quæ in memoriam ſanctorum offeruntur, quæque ab illa dependent, ſint conſecratæ. Ergo ſimiliter hoc in loco; ſed hîc poſt verba Chriſti, quando pro ſanctis, vivis, & mortuis fiunt commemorationes, particulæ ſunt conſecratæ, ergo multò magis quando in memoriam Chriſti offertur. Præterquam quod nullum eſſet diſcrimen inter hanc & illam oblationem, niſi hæc foret poſt conſecrationem. Quam ob rem

Nota tertiò, Duplicem fieri oblationem, quæ ad integritatem ſacrificij pertinet tam in liturgia Græca, quàm in Miſſa Latina: Alteram, quæ conſecrationem antecedit, alteram, quæ conſecrationem ſequitur. Quamvis enim & Græci aliquoties rogent Deum, ut ſe tantis donis & oblationibus dignos efficiat; & Latini non ſemel dicant, Offerimus, ut etiam dicunt Græci in præparatione liturgiæ: tamen eæ ſunt particulares quædam oblationes ad unam principalem tendentes. Atque in Græca liturgia principalis oblatio fit ante conſecrationem, quando ſacerdos ab altari propoſitionis ad aram majorem dona transfert, atque in hunc modum orat: κύριε ὁ θεὸς ὁ παντοδύναμος, ὁ μόνος ἅγιος, ὁ δεχόμενος θυσίαν αἰνέσεως παρὰ τῶν ἐπικαλουμένων σε ἐν ὅλῃ καρδίᾳ, &c. Domine Deus omnipotens, qui ſolus ſanctus es, qui ſuſcipis ſacrificium laudis ab invocantibus te in toto corde, &c. Quæ quidem oblatio potiùs eſt diſpoſitio alterius longè nobilioris veræque oblationis. Hinc & Græcorum preſbyteri non dicunt in priori, Offerimus, quamvis optimè dici poſſet, ſed ἱκάνωσον ἡμᾶς τοῦ προσφέρειν, fac nos idoneos ad offerendum. ἀξίωσον τοῦ προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ϗ ἀναξίου δούλου σου. Dignum cenſeas, ut tibi à me peccatore, indignoque ſervo tuo

offeratur, & id genus. Altera fit peracta consecratione. Tametsi enim ipsa consecratio est oblatio (qui enim ponit super aram & sacrificat hostiam, quod fit per consecrationem, offerre intelligitur) tamen non tantùm re ipsa, sed & verbis, ac ipsomet gestu ad meliùs rem experimendam hoc idem per sacerdotem Ecclesia præstat Orientalis. Quando nimirum manibus ad modum crucis transversis offerens sacerdos accipit preciosissima dona, eaque tollens enunciat, Tua ex tuis tibi offerimus. Et ad hanc refertur illud, quod bis, terve, ac sæpius postea repetunt, ἔτι προσφέρομεν, præterea offerimus. Si igitur negabimus ad hæc usque verba factam esse consecrationem, nullam aliam oblationem in memoriam Christi Domini post quamcumque aliam consecrationem poterimus assignare; & supervacaneum erit toties offerre, si tantùm ante consecrationem oblatio fieri debeat. Jam enim non semel obtulimus. Vel si post consecrationem offerimus pro aliis, quare non in memoriam Christi? Ergo cùm sacerdos clamat, tua ex tuis tibi offerimus, oblationem verissimè consecratam offert. Quam non sine mysterio εὐφώνως, immo μεγαλοφώνως, ut & verba Dominica enunciat, tanquam oblationem κατ' ἐξοχὴν, cùm tamen in aliis oblationibus, quæ consecrationem antecedunt, & quæ post consecrationem pro aliis fiunt, submissè loquatur.

Et confirmatur auctoritate Nicolai Cabasilæ cujus scripta præsenti jam absoluta quæstione in manus meas venerunt. Is in expositione liturgiæ cap. 50. duplicem agnoscit oblationem, alteram in principio Missæ, ὡς προσαγωγὴν δώρων καὶ ἀναθημάτων, ὅτε ἀνατίθεται τὰ δῶρα, ut oblationem donorum, & munerum divino cultui consecratorum, quando dicantur dona: alteram ὡς θυσίαν ὅτε θύεται, ut sacrificium, quando sacrificantur dona. Id autem fieri docet, quando sacerdos ait: tua ex tuis tibi offerimus. Est igitur verum tum sacrificium, & vera consecratio. Quod autem Cabasilas alibi de consecratione aliter docet, nihil ad nos. Suam inconstantiam prodit. Hîc tamen varietate victus verum fatetur.

Similia verba extant in missa Latina. Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta ejusdem Christi filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.

Quæ verba similiter habentur apud Ambrosium post consecrationem libro 4. de sacramentis cap. 6. Neque verisimile est Ambrosium fuisse alienum à doctrina & liturgia Basiliana.

Sensus itaque horum verborum est. Tua ex tuis offerimus, hoc est, ex tuis creaturis, ex pane scilicet & vino offerimus tua, hoc est, Christum tuum, quem habemus per consecrationem. Dicitur autem tua in numero multitudinis, propter species sacramentales panis & vini, in quibus existit.

Atque hunc sensum in Latina Missa exprimit Innocentius libro quinto cap. 3. de mysteriis Missæ, hoc modo: Offerimus tibi hostiam puram, panem sanctum, & calicem salutis, quem ex creaturis tuis à te datis atque donatis, ex pane, inquam, & vino per consecrationem habemus. Vel illud ex tuis, similiter intelligitur de Christo, quatenus continetur in Eucharistia. Hoc sensu. Tua, hoc est Christum tuum, ut diximus antea. Quid enim est tam proprium Patris, quàm filius? Ex tuis, scilicet donis. Quod videlicet eum nobis Deus Pater & extra sacramentum, & in ipsomet etiam sacramento & sacrificio dono dederit. Filius datus est nobis. Esaiæ 9. &, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Joannis 3. Neque semel in liturgia Græca oblata vocantur τίμια δῶρα pretiosa dona, tum respectu Dei, cui offeruntur activo sensu, tum respectu nostri, quibus donatur passivo significatu. Et ἀντίδωρον Græci appellant panem benedictum, quem loco consecrati populo di-

ſtribuere ſolent, quando nimirum populus non ſe comparavit ad ipſum donum ſuſcipiendum. Quin & ipſum feſtum corporis Chriſti, quod Græci in Inſulis Venetorum unà cum Latinis celebrant, & venerabile ſacramentum ſacerdotalibus induti veſtibus honoris cauſa comitantur, trito & communi vocabulo paſſim appellant τῆς ἁγίας δωρεᾶς, alij meliùs δωρεᾶς. Ex nimia quoque Charitate Chriſtus donans innumera nobis cum Patre, tandem ipſe tranſivit in donum; Proinde meritò dicere poſſumus, tua ex tuis vel de tuis donis offerimus. Hoc eſt, filium tuum nobis donatum in ſacrificio, eundem tibi per ſacrificium offerimus.

Quod etiam magis clarum faciunt, quæ ſequuntur verba in liturgia, ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν. Præterea offerimus tibi rationabilem hunc, & incruentum cultum latriæ. Ergo idem eſt, tua ex tuis offerimus, &, rationabile hoc, & incruentum offerimus obſequium, hoc eſt, ſacrificium. Nam eandem planè rem offerunt pro diverſis beneficiis. Quod etiam indicat illa particula ἔτι præterea.

Sed quando pro minoribus beneficiis, hoc eſt pro ſanctis gratias agentes Deo, pro vivis etiam & mortuis dicimus, ἔτι προσφέρομεν, adhuc offerimus, utique conſecratam oblationem, etiam ſecùndum ipſos Græcos, offerimus; quippe hæc verba poſt illorum preces, quas putant conſecratorias eſſe, dicuntur; igitur quî fieri poteſt, ut in eodem cõtextu ſermonis pro majoribus beneficiis, paſſione, inquam, Domini, Cruce, ſepulcro, reſurrectione, ac cæteris minus conſecratam offeramus? præſertim cùm poſtremæ oblationes, ut diximus, ad illam primariam referantur.

Difficultas in liturgiis circa formam hujus ſacramenti unde oriatur.

CAPUT XXVII.

UT autem hæc ſatis ſunt per ſe perſpicua; ita nonnulla alia verba in iiſdem liturgiis ſunt non parum obſcura, & petræ ſcandali, ut etiam in errorem non paucos induxerint. Statim enim & continenter poſt ſecundum illud proximè citatum verbum, offerimus tibi rationabile hoc & incruentum obſequium, ſequitur in liturgia Chryſoſtomi, καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ δεόμεθα καταπέμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα. Et rogamus atque obſecramus, emitte Spiritum ſanctum tuum ſuper nos, & ſuper hæc propoſita munera. Deinde Græcorum preſbyteri, ut eſt videre in Euchologio, inſerunt has preces: κύριε ὁ τὸ πανάγιόν σου πνεῦμα ἐν τῇ τρίτῃ ὥρᾳ τοῖς ἀποστόλοις σου καταπέμψας, τοῦτο ἀγαθὲ μὴ ἀντανέλῃς ἀφ' ἡμῶν. Domine qui ſanctiſſimum tuum Spiritum Apoſtolis tertia hora emiſiſti, hunc ô bone, ne auferas à nobis. Diaconus reſpondet, vel ipſemet preſbyter, ſi ſolus celebret: καρδίαν καθαρὰν κτίσον ἐν ἐμοὶ ὁ θεὸς, καὶ πνεῦμα εὐθὲς ἐγκαίνισον ἐν τοῖς ἐγκάτοις μου. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Idem quod ſuprà iterat, Domine, qui ſanctiſſimum ſpiritum, &c. & ſubjicit verſiculum Davidis, Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Et tandem tertiò idem geminat, & addit tertium verſiculum, Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Poſtea ſequitur in liturgia: καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Et fac hunc panem, pretioſum corpus Chriſti tui; quod autem in poculo, pretioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutans ſpiritu tuo ſancto. Hæc illa ſunt verba obſcuriſſima quæ nobis negotium faceſſunt. Siquidem ſacerdos ſupplex invocat, atque exorat Deum Patrem, ut demittat Spiritum ſanctum ſuum ſuper ſe ipſum, & ſuper appoſita dona, utque faciat panem corpus Chriſti, & quod exiſtit in calice, ſanguinem Chriſti, eaque plane tranſmutet.

In liturgia verò Baſilij poſt illud, tua ex tuis tibi offerimus, ſequuntur hæc alia verba: διὰ τοῦτο δέσποτα πανάγιε, καὶ ἡμεῖς οἱ

ἁμαρτωλοὶ καὶ ἀνάξιοι δοῦλοί σου, οἱ καταξιωθέντες λειτουργεῖν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, οὐ διὰ τὰς δικαιοσύνας ἡμῶν, οὐ γὰρ ἐποιήσαμεν τι ἀγαθὸν ἐπὶ τῆς γῆς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἐλέη σου καὶ τοὺς οἰκτιρμούς σου, οὓς ἐξέχεας πλουσίως ἐφ᾽ ἡμᾶς, θαῤῥοῦντες προσεγγίζομεν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, σοῦ δεόμεθα, καὶ σὲ παρακαλοῦμεν ἅγιε ἁγίων ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ᾽ ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ ἐκχυθὲν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. ἡμᾶς δὲ πάντας τοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου, καὶ ποτηρίου μετέχοντας, ἑνώσαι ἀλλήλοις εἰς ἑνὸς πνεύματος ἁγίου κοινωνίαν. καὶ μηδένα ἡμῶν εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα ποιῆσαι μεταχεῖν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. Ideo Domine sanctissime, & nos peccatores & indigni servi tui, quos ipse voluisti ministrare sancto altari tuo, non propter justitias nostras, non enim fecimus quicquam boni in terra, sed propter misericordias, & miserationes tuas, quas effudisti copiosè super nos, confidentes appropinquamus sancto altari tuo, & proponentes antitypa sancti corporis, & sanguinis Christi tui, te obsecramus, & te postulamus Sancte sanctorum, beneplacita tua benignitate, ut veniat Spiritus sanctus tuus super nos, & super proposita munera ista, & benedicat ea, & sanctificet, atque ostendat panem quidem istum, ipsum pretiosum corpus Domini & Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi: quod autem est in hoc calice, ipsum pretiosum sanguinem Domini ac Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Nos autem omnes de uno pane & calice participantes coadunet invicem in unius Spiritus sancti communionem. Et nullum nostrûm ad judicium, aut condemnationem faciat accipere sanctum corpus, & sanguinem Christi tui.

Ita textus Basilianus est legendus, ut retulimus, ad hoc ut sit ἡ σύνταξις κατάλληλος. Ita etiam legit Cardinalis Bessarion in libro de sacramento Eucharistiæ; immo verò & ipse Marcus Ephesius in opusculo de verbis, quibus divina dona sanctificantur.

Porro ex verbis recitatis Basilij secundùm verum textum, dupliciter oritur difficultas. Uno modo, quòd Basilius loquatur instar Chrysostomi. Altero modo, quòd vocet pretiosissima munera ἀντίτυπα. Qui modus loquendi Basilij, & Chrysostomi, & vox ἀντίτυπα, tametsi rectè exponi possunt; tamen auget difficultatem quoad illum primum modum loquendi sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, quoad vocem antitypi Damascenus. Ille enim Catechesi quinta mystagogica sic ordinem liturgiæ refert: & ea verba ad sensum recentiorum Græcorum videtur interpretari: μετὰ τοῦτο βοᾷ ὁ ἱερεὺς, ἄνω τὰς καρδίας, &c. Postea, inquit, clamat Sacerdos, Sursum corda, &c. εἶτα ἀποκρίνεσθε, ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον. Vos deinde respondetis, Habemus ad Dominum, &c. εἶτα ὁ ἱερεὺς λέγει, εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ. Deinde dicit Sacerdos, Gratias agamus Domino, &c. εἶτα λέγετε, ἄξιον καὶ δίκαιον. Ad hæc vos subjicitis, Dignum & justum est, &c. μετὰ ταῦτα μνημονεύομεν οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ θαλάσσης, ἡλίου καὶ σελήνης ἄστρων καὶ πάσης τῆς κτίσεως λογικῆς τε καὶ ἀλόγου, ὁρατῆς τε καὶ ἀοράτου, ἀγγέλων, ἀρχαγγέλων, δυνάμεων, κυριοτήτων, ἀρχῶν, ἐξουσιῶν, θρόνων, τῶν χερουβὶμ τῶν τὸ πρόσωπον καλυπτόντων, δυνάμει λέγοντες τὸ τοῦ Δαβὶδ, μεγαλύνατε τὸν κύριον σὺν ἐμοί. μνημονεύομεν οὖν καὶ τῶν Σεραφὶμ, ἃ ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἐθεάσατο Ἡσαΐας παρεστηκότα κύκλῳ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ. καὶ ταῖς μὲν δυσὶ πτέρυξι καλύπτοντα τὸ πρόσωπον, ταῖς δὲ δυσὶ τοὺς πόδας, καὶ ταῖς δυσὶ πετόμενα καὶ λέγοντα, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος Σαβαώθ. διὰ τοῦτο γὰρ τὴν παραδοθεῖσαν ἡμῖν ἐκ τῶν Σεραφὶμ θεολογίαν ταύτην λέγομεν, ὅπως κοινωνοὶ τῆς ὑμνῳδίας ταῖς ὑπερκοσμίοις γινώμεθα στρατιαῖς. ἵνα ἁγιάσαντες ἑαυτοὺς διὰ τῶν πνευματικῶν τούτων ὕμνων παρακαλῶμεν τὸν φιλάνθρωπον θεὸν, τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα, ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸ δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ. πάντως γὰρ οὗ ἐὰν ἐφάψαιτο τὸ ἅγιον πνεῦμα τοῦτο ἡγίασται, καὶ μεταβέβληται. Facimus deinde mentionem cœli & terræ, & maris, Solis & Lunæ, & siderum, ac universæ creaturæ tam ratione præditæ, quàm irrationalis, tam istius, quæ

videtur, quàm illius, quæ sub aspectum nostrum non cadit; Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum, & Cherubim faciem operientium, quasi diceremus illud Davidis, Magnificate Dominum mecum. Commemoramus etiam illos Seraphim, quos in Spiritu sancto cernebat Esaias circumstantes Thronum Dei, & alis duabus faciem velantes atque dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana militia communicemus. Atque sic per ejusmodi hymnos, nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatum est, & transmutatum. Sic Cyrillus.

Damascenus verò eo nomine antitypi panem & vinum appellare Basilium ante consecrationem auctor est in libro 4. de fide orthodoxa cap. 14. his verbis: *εἰ δὲ καί τινες ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ θεοφόρος ἔφη Βασίλειος, οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπεν, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν τὴν προσφορὰν οὕτω καλέσαντες.* Quòd si nonnulli panem & vinum nominarunt *ἀντίτυπα* (signa typum gerentia) corporis & sanguinis Domini, sicut Deifer Basilius dixit, non post consecrationem, sed priusquam consecraretur ipsa oblatio, sic appellarunt.

Eodem modo exponitur hæc vox Basilij in 7. Synodo generali actione sexta, ubi legitur, *ἡ ἀνασκευὴ κατὰ τοῦ ὅρου τοῦ ψευδοσυλλόγου.* Refutatio definitionis Conciliabuli. Quam legendam proposuit quidam Leo Secretarius, & ex mandato Concilij eam recitarunt Joannes & Epiphanius Diaconi. Cùm enim hæretici Iconoclastæ negarent pingendas esse imagines, & unam tantùm imaginem non lineamentis expressam Saluatoris admitterent, videlicet panem & vinum in sacrificio, utique consecratum, & potuissent ad suum falsum dogma stabiliendum adducere auctoritatem Basilij, qui antitypa ea nominat, auctor illius confutationis (quem ex ipsa phrasi, & nonnullis aliis verbis Tarasium Patriarcham Cònstantinopolitanum esse, nonnulli viri docti existimant) ille, inquam, quicunque sit auctor, quasi tacitæ objectioni occurrens ad locum Basilij audientibus Concilij Patribus, ita respondet: *σαφῶς ἀποδέδεικται, ὅτι οὐδαμοῦ οὔτε ὁ κύριος, οὔτε οἱ ἀπόστολοι, ἢ πατέρες εἰκόνα εἶπον τὴν διὰ τοῦ ἱερέως προσφερομένην ἀναίμακτον θυσίαν, ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα, καὶ αὐτὸ τὸ αἷμα. καὶ πρὸ μὲν τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ τελειώσεως ἀντίτυπα τισὶ τῶν ἁγίων πατέρων εὐσεβῶς ἔδοξεν ὀνομάζεσθαι. ὧν ἐστιν Εὐστάθιος ὁ εὐσταθὴς πρόμαχος τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ τῆς Ἀρειανῆς κακοδαιμονίας καταλυτής. καὶ Βασίλειος τῆς αὐτῆς δεισιδαιμονίας καθαιρέτης, ὁ τὴν ὑφ' ἥλιον τὴν λείαν βάσιν τῶν ὀρθῶν ἐκδιδάξας δογμάτων. ἐξ ἑνὸς γὰρ καὶ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος φθεγγόμενοι, ὁ μὲν ἑρμηνεύων τὸ ἐν ταῖς παροιμίαις Σολομώντειον ῥητὸν, φάγετε τὸν ἐμὸν ἄρτον, καὶ πίετε οἶνον, ὃν κεκέρακα ὑμῖν, τάδε φησὶ, διὰ τοῦ οἴνου καὶ τῶν ἄρτων τὰ ἀντίτυπα τῶν σωματικῶν τοῦ Χριστοῦ κηρύττει μελῶν. ὁ δὲ ἐκ τῆς αὐτῆς πηγῆς ἀπαντλήσας, ὡς ἴσασι πάντες οἱ τῆς ἱερωσύνης μυστιπόλοι ἐν τῇ εὐχῇ τῆς θείας ἀναφορᾶς ὧδέ πως λέγει, θαῤῥοῦντες προσεγγίζομεν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, δεόμεθα, καὶ σὲ παρακαλοῦμεν, καὶ τὸ ἑξῆς ἐπιφερόμενον ἐκδηλοτέραν τὴν ἔννοιαν τοῦ πατρὸς καταρτίζει, ὡς πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι ἐκλήθη ἀντίτυπα. μετὰ δὲ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως καὶ αἷμα Χριστοῦ λέγονται καὶ εἰσὶ καὶ πιστεύονται.* Manifestè ostensum est, quòd nullibi neque Dominus, neque Apostoli, vel Patres imaginem dixerunt incruentum sacrificium per Sacerdotem oblatum, sed ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem, quibusdam Patribus piè sanè visum est antitypa nominare. Quorum de numero Eustathius est, orthodoxæ fidei constans (ut scilicet nomen sonat) propugnator, & Arianæ insaniæ expugnator. Basilius item ejusdem superstitionis extinctor, qui planam basim (hoc est, planum iter, allusio fit ad nomen Basilij) rectorum dogmatum totum orbem perdocuit. Uno namque &

eodem ſpiritu cùm loquerentur, hic quidem exponens dictum illud in proverbiis Salomonis, Edite meum panem, & bibite vinum, quod miſcui vobis, hæc ait. Per panem & vinum antitypa membrorum corporalium Chriſti prædicat. Ille verò ex eodem fonte hauriens, ut omnes ſacerdotij myſtæ in precatione divinæ oblationis norunt, ad hunc fere modum ait: Confidentes tuo ſacro altari appropinquamus, & proponentes antitypa ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, te precamur & invocamus: & quod deinceps ſequitur mentem Patris manifeſtiorem reddit, quod antequam ſanctificarentur, antitypa vocata ſunt; poſt conſecrationem autem corpus propriè, & ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt, atque creduntur. Sic ibi.

Dicere autem inverſum eſſe ordinem liturgiarum, & orationes poſtpoſitas, ut probabiliter conjectat Cardinalis Beſſarion, & quidam alij ſumpto argumento ex ordine Miſſæ Latinæ, quæ ſimiles orationes ponit ante conſecrationem; non eſt veriſimile. Neque enim Baſilius & Chryſoſtomus primi excogitarunt has precationes in liturgia, ſed ita leguntur, & eodem ordine collocantur apud Clementem, Jacobum, Marcum, & expoſitorem liturgiæ ſanctum Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, coetaneum Damaſceni.

Clemens Romanus in conſtitutionibus Apoſtolicis libro 8. cap. 13. ſic habet ad verbum: μεμνημένοι οὖν ὧν δι' ἡμᾶς ὑπέμεινεν, εὐχαριστοῦμέν σοι θεὲ παντοκράτορ, οὐχ ὅσον ὀφείλομεν, ἀλλ' ὅσον δυνάμεθα. καὶ τὴν διάταξιν αὐτοῦ πληροῦμεν. ἐν ᾗ γὰρ νυκτὶ παρεδίδοτο λαβὼν ἄρτον ταῖς ἁγίαις καὶ ἀμώμοις αὐτοῦ χερσὶ, καὶ ἀναβλέψας πρὸς σὲ τὸν θεὸν αὐτοῦ καὶ πατέρα, καὶ κλάσας ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς εἰπὼν, τοῦτο τὸ μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης. λάβετε ἐξ αὐτοῦ, φάγετε. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ περὶ πολλῶν θρυπτόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ ἁγιάσας ἐπέδωκεν αὐτοῖς λέγων, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ πίνητε τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν θάνατον τὸν ἐμὸν καταγγέλλετε ἕως ἂν ἔλθω. μεμνημένοι τοίνυν τοῦ πάθους αὐτοῦ καὶ τοῦ θανάτου καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἐπανόδου, καὶ τῆς μελλούσης αὐτοῦ δευτέρας παρουσίας, ἐν ᾗ ἔρχεται μετὰ δόξης καὶ δυνάμεως κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, προσφέρομέν σοι τῷ βασιλεῖ καὶ θεῷ κατὰ τὴν αὐτοῦ διάταξιν τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο εὐχαριστοῦντές σοι δι' αὐτοῦ ἐφ' οἷς κατηξίωσας ἡμᾶς ἑστάναι ἐνώπιόν σου, καὶ ἱερατεύειν σοι. καὶ ἀξιοῦμέν σε, ὅπως εὐμενῶς ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐνώπιόν σου, σὺ ὁ ἀνενδεὴς θεός. καὶ εὐδοκήσῃς ἐπ' αὐτοῖς εἰς τιμὴν τοῦ Χριστοῦ σου. καὶ καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. Memores igitur eorum, quæ propter nos paſſus eſt, gratias tibi agimus Deus omnipotens, non quantum debemus, ſed quantum poſſumus, & ejus mandatum adimplemus. In qua enim nocte tradebatur, accipiens panem in ſanctas & immaculatas ſuas manus, & elevatis oculis ad te Deum ſuum & Patrem, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite ex eo, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro multis comminuitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem ex vino & aqua temperatum ſanctificavit, deditque ipſis dicens; Bibite ex eo, hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem meam annunciabitis, donec veniam. Memores igitur paſſionis ejus, mortis, ex mortuis reſurrectionis, reditus in cœlos, & futuri ejus ſecundi adventus, in quo veniet cum Majeſtate ac poteſtate judicaturus vivos & mortuos, redditurusque unicuique ſecundùm opera ſua, offerimus tibi Regi, ac Deo ſecundum ejus inſtitutionem, panem hũc, & hunc calicem, gratias tibi per eum agentes, quòd nos dignatus fueris, adſtare coram te, & tibi ſacrificare. Et te rogamus, ut propitio ſerenoque vultu reſpicias ſuper hæc propoſita dona coram te, tu qui nullius indiges Deus. Et tibi complacitum

» ſit in eis ad honorem Chriſti tui. Et mitte-
» re digneris ſanctum tuum Spiritum ſuper
» hoc ſacrificium , teſtem paſſionum Do-
» mini Jeſu ; ut (ἀποφήνῃ) oſtendat panem
» hunc corpus Chriſti tui , & calicem hunc
» ſanguinem Chriſti tui.

Beatus quoque Jacobus Apoſtolus Hieroſolymorum primus Epiſcopus ,in ſua Myſtagogia his conſona ſcribir : μεμνημένοι οὖν καὶ ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ τῶν ζωοποιῶν αὐτοῦ παθημάτων , τοῦ σωτηρίου σταυροῦ , καὶ τοῦ θανάτου, καὶ τῆς ταφῆς , καὶ τῆς τριημέρου ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου, καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καθέδρας , καὶ τῆς δευτέρας ἐνδόξου καὶ φοβερᾶς αὐτοῦ παρουσίας , ὅταν ἔλθῃ μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς , ὅταν μέλλῃ ἀποδιδόναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ , προσφέρομέν σοι δέσποτα τὴν φοβερὰν ταύτην , καὶ ἀναί-
» μακτον θυσίαν. Memores igitur & nos pec-
» catores paſſionum ejus vivificarum , crucis
» ſalutaris, ac mortis , ſepulcri , & reſurre-
» ctionis tertio die à mortuis , aſcenſionis in
» cœlos, & aſſeſſionis ejus ad dexteram tuam
» Dei & Patris , & ſecundi glorioſi & tre-
» mendi ejus adventus , quando veniet cum
» gloria ad judicandum vivos & mortuos,
» quando reddet unicuique ſecundùm ope-
» ra ſua, offerimus tibi Domine hoc ſacrifi-
» cium verendum , & incruentum. Et poſt
pauca : ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου , καὶ ἐξαπόστειλον ἐφ' ἡμᾶς , καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον , τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν , τὸ σύνθρονόν σοι τῷ θεῷ καὶ πατρὶ , καὶ τῷ μονογενεῖ σου υἱῷ , τὸ συμβασιλεῦον, τὸ ὁμοούσιόν τε καὶ συναΐδιον , τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ καὶ προφήταις , καὶ τῇ καινῇ σου διαθήκῃ. τὸ καταβὰν ἐν εἴδει περιστερᾶς ἐπὶ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ , καὶ μεῖναν ἐπ' αὐτόν. τὸ καταβὰν ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους σου ἐν εἴδει πυρίνων γλωσσῶν ἐν τῷ ὑπερῴῳ τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου Σιὼν , ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς Πεντηκοστῆς. αὐτὸ τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον κατάπεμψον δέσποτα ἐφ' ἡμᾶς , καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα ἅγια δῶρα ταῦτα. ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον
» τοῦτο, αἷμα τίμιον τοῦ Χριστοῦ σου. Miſerere no-
» ſtri Deus ſecundùm magnam miſericor-
» diam tuam, & mitte ſuper nos , & ſuper
» hæc propoſita dona Spiritum tuum ſan-
ctiſſimum , Dominum , vivificum , unà ti- «
bi Deo Patri , & unigenito filio tuo aſ- «
ſidentem , ſimul regnantem , conſubſtan- «
tialem , & coæternum , qui loquutus eſt in «
lege , & Prophetis , & in novo tuo teſta- «
mento , qui deſcendit in ſpecie columbæ «
ſuper Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum «
in Jordane fluvio , & manſit ſuper eum, «
qui deſcendit ſuper Apoſtolos tuos in ſpe- «
cie ignearum linguarum , in cœnaculo ſan- «
ctæ & glorioſæ Sion , in die Pentecoſtes. «
Ipſum Spiritum tuum ſanctiſſimum mitte «
Domine in nos , & in hæc ſancta propoſita «
dona , ut ſuperveniens ſancta & bona & «
glorioſa ſua præſentia ſanctificet , & effi- «
ciat hunc panem corpus ſanctum Chriſti «
tui, & calicem hunc, pretioſum ſanguinem «
Chriſti tui. «

His ſimilia tradit S. Marcus Evangeliſta in ea, quam compoſuit, liturgia : ἐξαπόστειλον, &c. ἐφ' ἡμᾶς , καὶ ἐπὶ τοὺς ἄρτους τούτους, καὶ ἐπὶ τὰ ποτήρια ταῦτα τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἵνα αὐτὰ ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ ὡς παντοδύναμος θεὸς , καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα , τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος , καὶ παμβασιλέως ἡμῶν Ἰησοῦ Χρι-
στοῦ. Emitte ſuper nos, & ſuper hos panes, «
& calices iſtos Spiritum ſanctum tuum, ut «
eos ſanctificet, & perficiat tanquam Deus «
omnipotens , & faciat panem quidem cor- «
pus , calicem autem ſanguinem novi teſta- «
menti ipſius Domini & Dei Salvatoris , & «
ſummi Regis noſtri Jeſu Chriſti. «

Quinetiam in ipſa Miſſa Latina poſt verba Chriſti, tres ad minus ponuntur in Canone orationes ſuper divina munera. Prima eſt , ſupra quæ (ſcilicet panem ſanctum & calicem) propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris , & accepta habere ; ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ , & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech , ſanctum ſacrificium , immaculatam hoſtiam.

Secunda eſt , ſupplices te rogamus , omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ.

Tertia eſt , per quem (Chriſtum) hæc

omnia Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis.

Ex quibus verbis liturgiarum Clementis, Iacobi, Marci, Baſilij, Chriſoſtomi, immò & Latinorum male intellectis, & interpretatione Damaſceni, ſi tamen Damaſceni, poſteriores Græcorum pernicioſiſſimum errorem hauſerunt. Quippe nõnulli (quos ſequuti ſunt poſteà multi) abſolutè exiſtimarunt, conſecrationem non verbis Domini fieri à Sacerdote prolatis, ſed tantùm hiſce precibus Sacerdotis. Alij verò, cùm ab Orthodoxis Græcis urgerentur teſtimoniis Græcorum Patrum, modeſtius agentes, & verbis Chriſti, & precibus memoratis abſolvi ſacrificium arbitrati ſunt.

De errore Nicolai Cabaſilæ, Marci Epheſij, Simeonis, Theſſalonicenſis, & quorundam aliorum Græcorum circa formam hujus Sacramenti.

Caput XXVIII.

Nicolaus Cabaſilas in expoſitione liturgiæ cap. 27. 29. & 30. in primis docet, Verba Chriſti, quæ dicuntur modo in ſacro à Sacerdotibus merè διηγηματικῶς, per modum narrationis duntaxat enunciari, ac nihil ea conſecrationi conducere, non ſecus atque ſi omnino ea non enunciarentur. Id ex ipſius verbis infra conſtabit. Sed quæ eſt inconſtantia hæreticorum & ſchiſmaticorum, idem, qui ea ſpreverat, ac rejecerat, ibidem docet, ea non ſatis eſſe ad conficiendum Sacramentum: τὸ δὲ τὸν τοῦ κυρίου περὶ τῶν μυστηρίων λόγον, ἐν εἴδει διηγήσεως λεγόμενον, πρὸς ἁγιασμὸν τῶν δώρων ἀρκεῖν, οὐδεὶς οὔτε τῶν ἀποστόλων, οὔτε τῶν διδασκάλων εἰπὼν φαίνεται. Quod autem (inquit in fine capitis 29.) ſermo Domini, qui de myſteriis in forma narrationis dicitur, ſufficiat ad donorum ſanctificationem, nullus neque Apoſtolus, neque Doctor dixiſſe cernitur. Quo modo loquendi ſignificat aliquo modo verba Dominica pertinere ad myſterium. Quod autem non ſufficiant, ſed aliquid amplius requiratur, probat etiam argumento ad hominem. Nam & Latini præter verba Dominica non quemlibet hominem, ſed Sacerdotem, & altare præterea poſtulant. Non igitur mirum, ſi etiam precationes ſint adhibendæ: οὔτε γὰρ παρ' ἰδιώτου λεγόμενον τὸν τοῦ κυρίου λόγον, τελεσιουργὸν εἶναι φαῖεν ἂν οὐδ' αὐτοὶ, οὔτε χωρὶς θυσιαστηρίου. Non enim (inquit in eodem capite) ſermonem Domini ab idiota privatave perſona prolatum, efficiendi ſacramenti vim habere nec ipſi (Latini) dixerint, neque ſine altari. Immeritò tamen ea verba quoquo modo requirit Cabaſilas. Si enim ex ipſius ſententia merè narrativè proferuntur, nulla ratione ad conſecrationem pertinere poſſunt.

Secundò docet, verba Chriſti ſemel ab ipſomet Chriſto in cœna myſtica prolata eadem numero, quamvis tranſierint, ea demum conſecrationem efficere, ſi à ſacerdote ſacrificante ad eam rem applicentur. Applicantur autem, ſeu applicari intelliguntur, non quando, vel quia proferuntur à ſacerdote, quippe non eadem numero; & narrativè tantùm, non etiam ſignificativè proferuntur, & non ore Chriſti proferuntur; ſed quando, & quia ſacerdos in Miſſa Græca poſtea dicit, fac hunc panem pretioſum corpus Chriſti tui, in Miſſa Latina, jube ſurſum ferri dona hæc in manu Angeli ad ſupercœleſte tuum altare.

Et quoniam hoc modo videbatur adſcribere imbecillitatem verbis Chriſti; idque ipſi à catholicis objiciebatur, ſi applicationem ejuſmodi & preces requireret; Nihil inde, reſpondet, ſequi abſurdi. Nam & ſermo divinus alioquin efficaciſſimus, ad generationem tamen requirit matrimonium, nutrimentum, & cætera. Mors item Chriſti Domini ſola quidem remiſſionem peccatorum attulit mundo, & tamen ſacramentis opus eſt, ut ea applicetur. His igitur exemplis declarat, & auctoritate Chryſoſtomi, qua urgebatur, de ſermone efficaciſſimo creatoris, confirmat ſuam doctrinam Cabaſilas; vultque ſermonem Chriſti præteritum, eundem-

que numero non aliter modò, quàm interventu precum sacerdotis operari.

Sed quia præterea opponebant Catholici, preces sacerdotis præsertim peccatoris, planè inefficaces esse, ipse in aliud absurdum devenit, ut diceret, nullum sacramentum posse confici, & absolui sine precibus sacerdotis. Unde tertiò docere videtur, cunctorum formas sacramentorum esse deprecatorias.

Interrogandus igitur esset, quomodo ipse intelligat verba Christi Domini eadem numero concurrere ad consecrationem, instar-ne formæ sacramenti, an conditionis sine qua non, ut est approximatio ignis ad calefaciendum? Illud prius res ipsa necessariò exigere videtur; si enim verba Christi sunt efficacissima, potentissima, nullamque admittunt imbecillitatem, sed solùm applicantur per preces; potiùs ipsis ratio formalis sacramenti, quàm precibus est attribuenda, alioquin digniores essent preces verbis Domini. Contra verò verba Domini non esse formam sacramenti, sed preces sacerdotis, suadent quæ docet Cabasilas de formis aliorum sacramentorum. Si enim reliqua sacramenta orationibus, ac precibus formaliter absoluuntur, cur non etiam sacramentum Eucharistiæ? Et quo spectat ea Cabasilæ comparatio? Quod si per preces non formas intelligat, non ad rem loquitur. Adde quod preces, neque ut conditio sine qua non, accipi possunt. Sine quibus nimirum sacramenta confici possunt. Ut constat de baptismo in necessitate. Si quis etiam non adhibitis ullis precibus, sed tantùm Dominicis verbis mysterium Eucharistiæ perageret, utique conficeret & consecraret, sed peccaret non servato ordine ab Apostolis & Ecclesia assignato. Sed hæc obiter. Præstat modò hîc singillatim ejus verba subiicere, ut clariora fiant quæ diximus: εἶτα ἱερουργεῖ τὰ τίμια δῶρα, καὶ ἡ θυσία τελεῖται πᾶσα. καὶ τίνα τρόπον; τὸ φρικτὸν ἐκεῖνο διηγησάμενος δεῖπνον, καὶ ὅπως αὐτὸ παρέδωκε πρὸ τοῦ πάθους τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, καὶ ὡς ἐδέξατο ποτήριον, καὶ ὡς ἔλαβεν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας ἡγίασε. καὶ ὡς εἶπε δι' ὧν ἐδήλωσε τὸ μυστήριον, καὶ αὐτὰ τὰ ῥήματα, ἀνειπών. εἶτα προσπίπτει, καὶ εὔχεται, καὶ ἱκετεύει τὰς θείας ἐκείνας φωνὰς τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ υἱοῦ τοῦ σωτῆρος ἐφαρμόσαι καὶ ἐπὶ τῶν προκειμένων δώρων. καὶ δεξάμενα τὸ πανάγιον αὐτοῦ καὶ παντοδύναμον πνεῦμα, μεταβληθῆναι τὸν μὲν ἄρτον εἰς αὐτὸ τὸ τίμιον αὐτοῦ καὶ ἅγιον σῶμα. τὸν δὲ οἶνον εἰς αὐτὸ τὸ ἄχραντον αὐτοῦ καὶ ἅγιον αἷμα. τούτων δὴ ηὐγμένων καὶ εἰρημένων τὸ πᾶν τῆς ἱερουργίας ἤνυσται καὶ τετέλεσται. Deinde (inquit in capite 27.) pretiosa dona (Sacerdos) consecrat, & totum sacrificium peragitur. Et quonammodo? Cùm venerandam illam cœnam narravit, & quomodo ipsam ante passionem dedit sanctis suis discipulis, & quod accepit calicem, & quod accepit panem; & actis gratiis sanctificavit, & quod dixit ea, per quæ significavit mysterium; & cùm ea ipsa verba dixit, deinde procidit & orat, & supplicat, ut divinas illas voces ipsius unigeniti Salvatoris nostri etiam ad dona proposita applicet, & suscepto ejus sanctissimo, & omnipotente spiritu, cōvertatur quidem panis in ipsum pretiosum & sanctum ejus corpus, convertatur verò vinum in ipsum immaculatum & sanctum ejus sanguinem. Hæc cùm oravit, & dixit, universum sacrificium peractum, & perfectum est.

Et in capite 29. εἶπεν ὁ θεὸς αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε. τί οὖν μετὰ τὸν λόγον ἐκεῖνον οὐδενὸς πρὸς τοῦτο δεόμεθα, καὶ χρεία ἡμῖν ἄλλου τινὸς πρὸς τὴν αὔξησιν οὐδεμία; ἢ καὶ γάμου καὶ συναφείας δεῖ, καὶ ἄλλης ἐπιμελείας καὶ τούτων χωρὶς οὐ δυνατὸν συνεστάναι τὸ γένος καὶ προχωρεῖν; οὐκοῦν καθάπερ ἐκεῖ πρὸς παιδοποιΐαν ἀναγκαῖον ἡγούμεθα τὸν γάμον, καὶ μετὰ τὸν γάμον ὑπὲρ αὐτοῦ τούτου πάλιν εὐχόμεθα, καὶ οὐ δοκοῦμεν ἀτιμάζειν τὸν δημιουργὸν λόγον, εἰδότες αἴτιον μὲν αὐτὸν τῆς γενέσεως, ἀλλὰ τὸν τρόπον τοῦτον, διὰ γάμου. διὰ τροφῆς, διὰ τῶν ἄλλων. οὕτω καὶ ἐνταῦθα, πιστεύομεν αὐτὸν εἶναι τὸν ἐνεργοῦντα τὸ μυστήριον τοῦ κυρίου λόγον, ἀλλ' οὕτω διὰ ἱερέως, δι' ἐντεύξεως αὐτοῦ, καὶ εὐχῆς. οὐ γὰρ διὰ πάντων ἐνεργεῖ ἁπλῶς, οὐδὲ ὅπως δήποτε, ἀλλὰ πολλὰ τὰ ζητούμενα, ὧν χωρὶς οὐ ποιήσει τὰ ἑαυτοῦ. τὸν δὲ Χριστοῦ θάνατον τίς οὐκ οἶδεν, ὡς αὐτὸς ἐστὶ μόνος, ὁ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν εἰσενεγκὼν εἰς τὸν κόσμον, ἀλλὰ κἀκεῖνο γινώσκομεν, ὅτι μετὰ τὸν θάνατον ἐκεῖνον, καὶ πίστεως χρεία, καὶ μετανοίας, καὶ ἐξομολογήσεως, καὶ τῆς τῶν ἱερέων εὐχῆς. καὶ οὐκ ἔστι λυθῆναι τῶν ἁμαρτιῶν ἄνθρωπον, μὴ

τούτων ἠγνοημένων. Dixit Deus, creſcite, & multiplicamini. Quid ergo? Poſt illum ſermonem nullo ad id igemus, & nullo nobis alio opus eſt ad generis incrementũ? An etiam matrimonio, & conjunctione, & alia cura opus eſt, & ſine his fieri non poteſt, ut genus conſtet, & propagetur? Ergo ſicut illic ad liberorum procreationem, matrimonium neceſſarium ducimus, & poſt matrimonium, pro eo ipſo rurſus oramus, nec videmur opificem ſermonem habere deſpicatui, ſcientes ipſum quidem eſſe cauſum generationis, ſed hoc modo per matrimonium, per nutrimentum, per alia. Ita etiam hîc credimus ipſum eſſe, quod operatur myſterium, Domini ſcilicet ſermonem, ſed ſic, per ſacerdotem, per ejus interpellationem, & orationem. Nõ enim per omnia ſimpliciter operatur, neque quomodocunque, ſed multa ſunt, quæ requiruntur, ſine quibus non faciet, quæ ſua ſunt. De morte autem Chriſti, quis neſcit, eam eſſe ſolam, quæ peccatorum remiſſionem in mundum introduxerit? Sed illud etiam ſcimus, quod poſt mortem illam, etiam fide, & pœnitentia, & confeſſione opus eſt, & ſacerdotum oratione. Nec poteſt homo ſolvi á peccatis, niſi hæc præceſſerint.

Agnoſcit itaque Cabaſilas verbum Domini eſſe quod operatur, ſed non ſolùm. At neque verbum Chriſti intelligit, quod modò profertur à ſacerdote, ſed quod olim prolatum eſt à Chriſto; ideo addit in fine capitis: τὸ δὲ τὸν τοῦ κυρίου περὶ τῶν μυστηρίων λόγον ἐν εἴδει διηγήσεως λεγόμενον, πρὸς ἁγιασμὸν τῶν δώρων ἀρκεῖν, οὐδεὶς οὔτε τῶν ἀποστόλων, οὔτε τῶν διδασκάλων εἰπὼν φαίνεται. ἀλλ' ὅτι μὲν ἅπαξ ὑπὸ τοῦ κυρίου ῥηθεὶς αὐτῷ τῷ ὑπ' ἐκείνου λέγεσθαι, καθάπερ ὁ δημιουργὸς λόγος ἀεὶ ἐνεργεῖ καὶ ὁ μακάριος Ιωάννης φησιν. ὅτι δὲ νῦν ὑπὸ τοῦ ἱερέως λεγόμενος. διὰ τὸ ὑπ' ἐκείνου λέγεσθαι, τοῦτο δύναται, οὐδαμόθεν ἔστι μαθεῖν. ἐπεὶ οὐδ' αὐτὸς ὁ δημιουργικὸς λόγος ἐνεργεῖ, ὅτι ἐφ' ἑκάστῳ τῶν γινομένων, ὑπό τινος ἀνθρώπου λέγεται., ἀλλ' ὅτι ἔστιν ἅπαξ ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰρημένος. Quod autem ſermo Domini, qui de myſteriis in forma narrationis dicitur, ſufficiat ad donorum ſanctificationem, nullus neque Apoſtolus, nec doctor dixiſſe cernitur. Sed quod ſemel à Domino dictus, eo ipſo quod ab illo dictus ſit, ſicut opifex ſermo ſemper operatur, & dicit etiam B. Joannes (Chryſoſtomus.) Quod autem nũc dictus à ſacerdote, eo quod ab ipſo dicatur, hoc poſſit, nullo ex loco ſciri poteſt, Quando quidem nec ipſe ſermo opifex operatur, quod in unoquoque eorum, quæ fiunt, ab aliquo homine dicatur, ſed quod ſemel à Deo dictus ſit.

Nota illa verba, ſermonem ſemel dictum à Chriſto, eundem ſcilicet numero ſemper agere. Similitudinem item Cabaſilæ. ſi enim verba Chriſti à ſacerdote prolata ſunt veluti ſermo effector, non ab ipſo Deo, ſed ab aliquo homine pronuntiatus, certè ut ejuſmodi ſermo, alioquin efficaciſſimus, ab homine prolatus nihil penitus operatur; (Non enim quia homo dicit, creſcite & multiplicamini, ob id ſequitur effectus, ſed ſive proferat ea verba, ſive non proferat, producuntur res divini imperij poteſtate; idque intelligitur ſermonis efficacia à Deo prolati) ita etiam cœleſtia verba Chriſti à ſacerdote prolata ex ſententia Cabaſilæ, nihil planè operantur. Quare neque ſpectant aliqua ratione ad conſecrationem. Quid igitur erat opus dicere, ea non ſufficere, & argumentari ad hominem?

De formis ſacramentorum in eodem capite ita diſſerit: ἐπεὶ καὶ τὸ πανάγιον μύρον, ὃ τῇ θείᾳ κοινωνίᾳ ὁ μακάριος Διονύσιός φησιν, ὁμοταγὲς εἶναι, τῇ εὐχῇ τελεῖται καὶ ἁγιάζεται. καὶ ὡς εἴη τελεστικὸν, καὶ ἁγιαστικὸν, οὐδεμία τοῖς εὐσεβέσιν ἀμφιβολία. καὶ ἡ τοῦ ἱερέως χειροτονία τὸν ἴσον τρόπον. καὶ ἡ τοῦ ἀρχιερέως διὰ τῆς εὐχῆς ἱερουργεῖται. εὐχόμεθα γάρ φησιν, ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος. μετὰ τὴν ἐπίθεσιν τῆς χειρὸς ὁ χειροτονῶν πρὸς τὸν κλῆρον βοᾷ. καὶ ἐν τῇ τῶν Λατίνων ἐκκλησίᾳ τελουμένη χειροτονία τοῦ ἀρχιερέως, μετὰ τὸ ἐπιχέαι τὸ μύρον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ χειροτονουμένου, ὁ τελῶν εὔχεται τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος πλουσίαν ἐπ' αὐτὸν κατελθεῖν. καὶ ἄφεσις ἁμαρτιῶν τοῖς μετανοοῦσι διὰ τῆς εὐχῆς τῶν ἱερέων δίδοται. καὶ τὸ τελευταῖον τοῦ ἐλαίου μυστήριον ὡσαύτως καὶ ἡ τῶν ἱερέων εὐχὴ τελεσιουργεῖ. ὃ καὶ ἴασιν σωματικῆς νόσου, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τοῖς τελουμένοις δύναται. ὡς ἡ ἀποστολικὴ παράδοσις

ἔχει. ἀσθενεῖ γάρ τις ἐν ὑμῖν φησι, προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα. καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος. κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. οἱ τοίνυν τὴν εὐχὴν ἐν τοῖς μυστηρίοις ἀποδοκιμάζοντες, πρὸς ταῦτα τί ἐροῦσιν; εἰ γὰρ ἄδηλον τὸ παρὰ τῶν εὐχῶν, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ἄδηλον μὲν ὁ ἱερεὺς, εἰ τοῦτό ἐστιν ὃ καλεῖται. ἄδηλον δὲ τὸ μύρον, εἰ δύναται ἁγιάζειν. καὶ οὕτως οὐδὲ τὸ μυστήριον συνεστάναι δύναται τῆς ἱερᾶς κοινωνίας, οὔτε ἱερέως ἀληθῶς ὄντος, οὔτε θυσιαστηρίου, &c. ἔτι δὲ καὶ ἁμαρτιῶν ἄφεσιν τίς ἡμῖν δώσει βεβαίως, τῶν ἱερέων καὶ τῆς αὐτῶν δεήσεως ἀμφιβαλομένων; καὶ ὅλως οὐδὲν ἄλλο λοιπὸν, ἢ πάντα τὸν χριστιανισμὸν ἐκ μέσου ποιῆται τοὺς καινοτομίαις ἀκολουθοῦντας αὐτῶν, &c. ὅτι μὲν γὰρ εὐχομένοις ὁ θεὸς ἐπινεύει, καὶ δίδωσι πνεῦμα ἅγιον τοῖς αἰτοῦσιν αὐτὸν, καὶ οὐδὲν ἀδυνατεῖ τοῖς μετὰ πίστεως αὐτοῦ δεομένοις, αὐτὸς εἶπεν ὁ θεὸς, καὶ οὐδεμία μηχανὴ μὴ ταῦτα ἀληθῆ εἶναι. ὅτι δὲ διηγουμένοις ὁτιοῦν τῶν λογίων, συμβαίνει τι τοιοῦτον, οὐδαμοῦ λέγεται. καὶ τὸ μὲν εὐχῇ τὰ μυστήρια τελεῖν, οἱ πατέρες παρέδωσαν, ἀπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνοις ἐκδεξαμένων παραλαβόντες, τά τε ἄλλα, καθάπερ ἔφην, καὶ τὴν ἱερὰν εὐχαριστίαν, μετὰ πολλοῖς ἄλλοις καὶ Βασίλειος ὁ μέγας, καὶ Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος οἱ μεγάλοι τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλοι. οἷς τοὺς ἀντιλέγοντας οὐδὲ λόγου τινὸς ἀξιοῦν χρὴ, τοὺς εὐσεβεῖν βουλομένους. Nam etiam ſanctiſſimum unguentum, quod ejuſdem eſſe ordinis cum divina communione dicit Dionyſius, oratione peragitur, & ſanctificatur. Quod autem unguentum myſterij vim habeat, & ſanctificet, nulla eſt piis dubitatio. Et ſacerdotis & Pontificis ordinatio ſimili modo per orationem peragitur. Oremus enim, inquit, pro ipſo, ut veniat in ipſum gratia ſanctiſſimi ſpiritus, poſt impoſitionem manus is, qui ordinat, ad clerum clamat. Et in ea, quæ fit in Latinorum Eccleſia Pontificis ordinatione, poſtquam infudit unguentum qui ordinat, in caput ejus qui ordinatur, optat ut locuples ſancti Spiritus gratia in eum deſcendat. Peccatorum quoque remiſſio pænitentibus datur per orationem ſacerdotum. Et ultimum olei ſacramentum ſimiliter perficit ſacerdotum oratio. Quod etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remiſſionem dat iis, quibus peragitur, ut habet Apoſtolica traditio. Infirmatur enim aliquis in vobis, inquit, accerſat preſbyteros Eccleſiæ; & orent pro ipſo, unguentes eum oleo, & oratio fidei ſalvabit laborantem, & ſuſcitabit eum Dominus, & ſi peccata fecerit, remittentur ei. qui ergo orationem in ſacramentis reprobant, ad hæc quid dicent? Si enim eſt incertum quod fit à precibus, ut ipſi dicunt, incertum quidem eſt, an id ſit ſacerdos quod eſſe dicitur; incertum autem an unguentum poſſit ſanctificare. Et ita nec ſacramentum quidem conſtare poteſt ſacrę cõmunionis, cùm neque ſit verè ſacerdos, nec altare. &c. Præterea peccatorum remiſſionem quis ſacerdos nobis certò dabit, ſi de eorum oratione dubitetur? Et nihil omnino aliud reſtat, quàm ut omnem Chriſtianiſmum de medio tollant, qui eorum novitates ſequuntur. &c. Quod enim orationibus Deus annuit, & dat ſpiritum ſanctum iis, qui ipſum petunt, & nihil ſit impoſſibile iis, qui cum fide ipſum rogant, ipſe dixit Deus, nec ulla ratione fieri poteſt, quin hæc vera ſint. Quod autem tale quid evenerit iis, qui quidpiam ex eloquiis narrant, nuſquam dicitur. Et oratione quidem ſacramenta peragere, tradiderunt patres, qui ab Apoſtolis, & qui eis ſucceſſerunt, acceperunt, & alia, ſicut dixi, & ſacram Euchariſtiam poſt multos alios & Magnus Baſilius & Joannes Chryſoſtomus magni Eccleſiæ Doctores. quibus qui contradicunt, eorum nullam rationem ducere oportet eos, qui pij eſſe volunt.

Tandem in capite 30. ita ſcribit: καὶ ἡ τῶν Λατίνων ἐκκλησία, εἰς ἣν ἀναφέρειν ἑαυτοὺς δοκοῦσι, μετὰ τὸν τοῦ κυρίου λόγον, εὔχεσθαι ὑπὲρ τῶν δώρων οὐ παραιτεῖται, &c. τίς δὲ ἡ εὐχή; κέλευσον ἀνενεχθῆναι τὰ δῶρα ταῦτα ἐν χειρὶ ἀγγέλου εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον, &c. αὕτη ἡ εὐχὴ οὐδὲν ἕτερόν ἐστι δυναμένη τοῖς δώροις, ἢ τὴν εἰς τὸ κυριακὸν σῶμα καὶ αἷμα μεταβολήν. Etiam Latinorum Eccleſia, ad quam ſe referre videntur, poſt verba Domini pro donis orare non recuſat. &c. Quæ eſt autem oratio? Jube ſurſum ferri dona hæc in manu Angeli ad ſupercœleſte tuum

altare &c. Hæc oratio nihil aliud confert donis, quàm mutationem in corpus & ſanguinem Domini. Sic egregius interpres Cabaſilas.

Marcus Epheſiorum antiſtes pertinacia, ſermone ambiguo, inconſtantia, erroreque ipſo prorſus eſt alter Cabaſilas, à quo hæc omnia, vel ipſamet verba mutuatus eſt: Jn opuſculo, cujus inſcriptio: ὅτι οὐ μόνον ἀπὸ τῆς φωνῆς τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων ἁγιάζονται, τὰ θεῖα δῶρα, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς μετὰ ταῦτα εὐχῆς καὶ εὐλογίας τοῦ ἱερέως. Quod non ſolùm à voce Dominicorum verborum ſanctificantur divina dona, verùm à conſequente oratione & benedictione ſacerdotis. Nam ex ipſo titulo, & nonnullis aliis verbis, quæ ipſe inſerit opuſculo, videtur concedere, verbis quidem Chriſti à ſacerdote prolatis conſecrationem fieri, ſed non ſolis. Sic igitur ſcribit fermè à principio. παρ᾽ οὐδενὶ τούτων εὕρομεν, ὑπ᾽ αὐτῶν τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων καὶ μόνων ἁγιάζεσθαι καὶ τελειοῦσθαι τὸ τῆς εὐχαριστίας δῶρον. Apud eorum (Apoſtolorum & Doctorum Eccleſiæ) nullum reperimus, ab ipſis Dominicis verbis, idque ſolis ſanctificari, & perfici Euchariſtię donum. Nota in titulo, & hîc verbum μόνον. ἀλλὰ προλεγόμενα μὲν διηγηματικῶς τὰ ῥήματα παρὰ πᾶσι συμφώνως, ἡμᾶς τε ἀναφέροντα πρὸς τὴν μνήμην τοῦ τότε πραχθέντος, καὶ δύναμιν ὥσπερ ἐνιέντα τοῖς προκειμένοις εἰς τὴν μεταβολήν, ἐπιγινομένην δὲ μετὰ ταῦτα τὴν εὐχήν τε καὶ εὐλογίαν τοῦ ἱερέως, ἐνεργείᾳ μεταποιεῖν ἤδη τὰ δῶρα πρὸς αὐτὸ τὸ πρωτότυπον ἐκεῖνο σῶμα τὸ δεσποτικόν. Sed prius, inquit, apud omnes unanimi conſenſu per modũ narrationis recitata verba, nos ad memoriam rei tum geſtæ revocant, & vim, potentiamque in propoſita dona ad tranſmutationem quaſi immittunt; dein etiam accedente oratione, & benedictione ſacerdotis, actu jam dona tranſmutant in illud ipſum exemplar, Dominicum, inquam, corpus.

Hîc exponit Epheſius quæ verba intelligat. Verum, inquit, prius recitata verba. Sed ante preces ſacerdotis eadem numero verba Chriſti non recitantur, neque poſſunt recitari, ergo de verbis Chriſti loquitur à ſacerdote prolatis. Hoc idem ſibi volunt etiam illa verba in titulo, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς μετὰ ταῦτα εὐχῆς, ſed ab oratione ſacerdotis quæ poſtea dicitur. Ergo & verba Chriſti, quæ in liturgia recitantur, requirit, ad ea enim reſpiciens dicit, ἐκ τῆς μετὰ ταῦτα. Horum autem duplex aſſignat munus. Nam revocant, inquit, nobis in memoriam feſtum Chriſti, nimirum ἱστορικῶς & διηγηματικῶς, & potentiam illam, quam Chriſtus Dominus verbis ſemel à ſe prolatis communicavit, quodam modo immittunt, ſeu transferunt, ſeu applicant ad propoſita dona, eoque modo concurrunt ad conſecrationem. Per has circuitiones atque anfractus incedit Epheſius. Et infra: διὰ τοῦτο καὶ ὁ μέγας Βασίλειος μετὰ τὸ εἰπεῖν τὰ δεσποτικὰ ῥήματα διηγηματικῶς ὡς παρ᾽ αὐτοῦ εἰρημένα ἐπὶ τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος, ἀντίτυπα καλεῖ τὰ προκείμενα δῶρα, δῆλον ὡς μήπω τετελεσμένα διὰ τῶν ῥημάτων ἐκείνων, ἀλλ᾽ ἔτι τύπον τινὰ καὶ εἰκόνα φέροντα. Idcirco, inquit, & Magnus Baſilius poſt recitata Dominica verba, ut à ſe narratiuè dicta ſuper ſancto corpore & ſanguine, antitypa vocat propoſita dona, nimirum quaſi nondum perfecta per ea verba, verùm adhuc typum quendam, & imaginem ferentia.

Et paulò pòſt ad objectionem Catholicorum, quod Græci ſuis precibus confiderent, & verbis Chriſti videlicet à ſacerdote prolatis, imbecillitatem adſcriberent, ita cum Cabaſila, & ex Cabaſila reſpondet Epheſius: οὐ τοίνυν τῇ ἡμετέρᾳ εὐχῇ θαῤῥοῦντες, οὐδὲ τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀδυναμίαν καταγινώσκοντες, ἐπευχόμεθα τοῖς προκειμένοις, καὶ οὕτως αὐτὰ τελειοῦσθαι πιστεύομεν, ἀλλὰ καὶ τὰ ῥήματα τὴν οἰκείαν σώζειν ὁμολογοῦμεν ἰσχύν, καὶ τὴν τῆς θείας ἱερωσύνης ἐπιδείκνυμεν δύναμιν, τελειωτικὴν οὖσαν παντὸς μυστηρίου τῇ ἐπικλήσει τοῦ δι᾽ αὐτῆς ἐνεργοῦντος ἁγίου πνεύματος. Non igitur orationi, quam fundimus, confidentes, neque verbis illis ut impotentibus detrahentes, propoſitis donis adprecamur, ac ita ipſa confici credimus; ſed & verba ipſa proprium retinere robur credimus, & divini ſacerdotij facultatem inſuper demonſtramus. Quæ conficiendi omnis myſterij invocatione Spiritus ſancti, per eam operantis, vim habeat.

Et infrà: ὁ δὲ παρὰ Λατίνοις ἱερεὺς μέμνηται

μὴν καὶ αὐτὸς διηγηματικῶς τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων, ὅτι αὐτὸς προσέταξε, λάβετε, φάγετε, καὶ πίετε πάντες, καὶ τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ἱερουργεῖ δὲ οὐδὲν μᾶλλον, ἀλλ' οἴεται τὴν διήγησιν αὐτὴν τῶν ῥημάτων πρὸς τὸν ἁγιασμὸν καὶ τὴν ἱερουργίαν ἀρκεῖν. Latinorum verò Sacerdos recitat quidem & ipse Dominica verba, quod ipse præceperit, Accipite, comedite, & bibite omnes, & hoc facite in meam commemorationem: verùm nihilo magis consecrat, sed arbitratur recitationem hanc verborum ad sanctificationem, & consecrationem sufficere.

Hîc quidem Ephesius utrumque & verba Christi à sacerdote prolata, & preces sacerdotis ad absolvendum mysterium concurrere fatetur. At verò in aliis suis paragraphis ejusdem opusculi verba Christi à sacerdote prolata penitus rejicit, atque contemnit. Et meritò quidem, ac ipsius opinioni satis congruenter. Si enim ex sententia ipsius hujusmodi verba merè narrativè recitantur, quod non semel repetit, quî fieri potest, ut ad consecrationem concurrant? Alioquin tota liturgia hoc modo concurreret. Verba verò Christi ab eodem Christo prolata, eadem numero una cum Cabasila probat, & amplectitur. Recitatisque verbis Cabasilæ ad hoc astruendum in fine opusculi clarius idem docet, cùm ita scribit: ἀλλ' ὁ Χρυσόστομός φησι, τὸν δεσποτικὸν λόγον ἅπαξ ῥηθέντα τὴν θυσίαν ἀπηρτισμένην ἐργάζεσθαι. ἅπαξ ῥηθέντα φησίν, οὐ νῦν ὑπὸ τοῦ ἱερέως λεγόμενον, ἀλλ' ἅπαξ ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ῥηθέντα τὴν τελεωτικὴν δύναμιν ἐνιέναι τοῖς προκειμένοις, οὐκ ἤδη καὶ ἐνεργείᾳ τελειοῦν αὐτά. τοῦτο γὰρ ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησις ἐργάζεται διὰ τῆς τοῦ ἱερέως εὐχῆς. Verùm Chrysostomus ait, Dominicum verbum semel dictum sacrificium consummatum efficere. Semel dictum, inquit, non quod nunc à Sacerdote dicitur, sed quod semel à Salvatore dictum est, perfectricem immittere propositis donis vim, atque potentiam, non item & actu ea perficere. Hoc enim sancti Spiritus adventus per sacerdotis orationem efficit. Sic ille.

Ubi notanda est primò illius inconstantia. Nam á principio, & circa medium opusculi aiebat, verba Christi, quę recitantur in liturgia duplici officio fungi, nimirum & renovare nobis memoriam facti Christi, & transmittere potentiam illam Christi ad proposita dona. Hîc verò hoc posterius non verbis Christi à sacerdote recitatis, sed ipsissimis (quod aiunt) verbis Christi iisdemque numero ab eo prolatis attribuit.

Deinde intra paucas lineas ejusdem paragraphi de eadem re contraria scribit. ait enim, Dominicum verbum semel à Christo dictum, secundum Chrysostomum, sacrificium consummatum efficere, idque bis repetit. Et idem verbum semel à Christo prolatum, dicit, perfectricem immittere propositis donis vim atque potentiam, non autem & actu ea perficere. Ergo doceat nos ille, quæso, quomodo verbum Christi semel prolatum consummatum efficiat sacrificium, & tamen actu illud non perficiat. Et si potentiam immittit ad proposita dona, quare non per eadem verba Christi à sacerdote prolata, sed per sacerdotis potiùs orationem?

De formis aliorum sacramentorum idem docet planè quod Cabasilas; ἢ σύγε τυχὸν ἐκ τούτου καὶ τὸ βάπτισμα ὑποπτεύσειας, δι' εὐχῶν ὁμοίως καὶ ἐπικλήσεων τελειούμενον; καὶ τὴν τῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσιν, εἰ ἀληθῶς ἐδέξω δισταγμόν τινα σχοίης διὰ τῆς ἱερατικῆς χάριτος ἐπιδιδομένην; καὶ τ' ἄλλα πάνθ' ὁμοίως ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια διαγράψειας; ἀλλ' οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστι. Tu-ne etiam, inquit, fortassis ex hoc baptisma quoque suspectum habeas, quod precibus pariter & invocationibus conficitur. Et peccatorum remissionem, an verè acceperis, dubitationem aliquam habeas, quæ tibi Sacerdotali gratia conceditur? Itemque alia omnia Ecclesiastica præscribas mysteria? Non ita est profectò, non ita est.

Horum auctorum opinionem modò in hanc, modò in illam partem inclinantium, eo diligentiùs recensui, quo deinde meliùs explodatur. Nam nonnulli Theologorum citant Cabasilam & Ephesium, ac si tantùm docerent, non solis verbis Christi à Sacerdote videlicet prolatis, sed etiam quibusdam aliis additis sacramentum confici. Quod fatentur illi quidem, ut adver-

timus, ſed aliquando à verbis Chriſti à Sacerdote prolatis, ad eadem verba Chriſti, à Chriſto prolata confugiunt. Qua æquivocatione conantur declinare incommoda; ſi quando ipſis objecti fuerint ſancti, qui aſſerant, verbis Chriſti, confici corpus Chriſti. Dicent enim, verbis quidem Chriſti, non tamen à Sacerdote, ſed ſemel à Chriſto prolatis.

Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis nihil dicit de verbis Domini, ſint-ne de eſſentia Sacramenti, & qua ratione ſint; tamen in eodem errore verſatur. Agens enim de particulis, quæ offeruntur in liturgia pro ſanctis, pro vivis, pro mortuis, ita ſcribit: ἐν τῇ τελειώσει ὁ ἱερεὺς, ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον φησίν. In conſummatione, ſeu perfectione Sacerdos dicit, Fac hunc panem. Ubi per τελείωσιν conſecrationem intelligit, qua perficitur, hoc eſt, non mancum, ſed perfectum, immò verò perfectiſſimum fit corpus Chriſti. Igitur verba illa, Fac hunc panem, τελεωτικὰ & conſecratoria eſſe exiſtimat.

Samonas Archiepiſcopus Gazæ in diſceptatione cum quodam Saraceno videtur ſentire, Sacerdoti non ſufficere verba Chriſti ad myſterium peragendum, ſed illi opus eſſe multis precibus. Nam interrogatus à Saraceno, cur in liturgia multas adhibeamus preces, cùm Chriſtus, quando myſterium diſcipulis ſuis tradidit, non multas preces dicere nobis juſſerit. Reſpondet: ὁ Χριστὸς καθὸ θεὸς κύριος ἦν καὶ τοῦ ἑαυτοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς, ᾗ φησιν αὐτὸς, ὅτι ἐξουσίαν ἔχω τὴν ψυχήν μου δοῦναι, καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν. καὶ αὐτὸς φύσει θεὸς ὢν, ἡγίασεν εὐθὺς τῇ αὐτοῦ θείᾳ δυνάμει καὶ χάριτι τότε τὸν ἄρτον, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, εἰπὼν, ἔχων δὲ τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα ἐν ἑαυτῷ. καὶ οὕτως τὸν ἄρτον οἰκεῖον σῶμα ἐποίησε. καὶ οὐκ ἐδεῖτο ἑτέρου τινὸς ὑπερέχοντος, καὶ τὸν ἄρτον ἁγιάσοντος. τὸ γὰρ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. αὐτὸς δὲ ὁ Χριστὸς οὐκ ἐλάττων ὢν τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ πνεύματος, αὐτεξουσίως ἐποίει ὅσα ἐβούλετο. ὁ δέ γε παρ' ἡμῖν ἱερεὺς, εἰ καὶ τύπον φέρει Χριστοῦ, ἀλλ' ἄνθρωπός ἐστι παντὶ τρόπῳ ὑποκείμενος ἁμαρτίαις καὶ κατεχόμενος. οὐδεὶς γὰρ ἀναμάρτητος, ὡς τὸ θεῖον λόγιον, κἂν μία ὥρα ἐστὶν ἡ ζωὴ αὐτοῦ, εἰ μὴ μόνος ὁ θεός. διὰ τοῦτο δεῖται πολλῶν εὐχῶν, καὶ πρότερον μὲν ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἀγνοημάτων, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ, ὥς φησιν ὁ ἀπόστολος Παῦλος. διὸ καὶ πᾶς ὁ λαὸς παρεστάμενος ἔξω τοῦ ἀδύτου, συμπονεῖ καὶ συμπαρεύχεται τῷ ἱερεῖ. δέεται τοίνυν ὁ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, ὡς μέσον θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἱστάμενος πρέσβυς, ἵνα μὴ κώλυμα γένηται τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπελεύσεως, ἀλλὰ καταπέμψῃ καὶ αὖθις τὸ πανταχοῦ παρὸν θεῖον καὶ τελεταρχικὸν καὶ ἁγιαστικὸν πνεῦμα, (δι' οὗ τὰ πάντα τά τε ἐν οὐρανῷ, τά τε ἐπὶ γῆς λεγόμενα ἅγια τῇ μετοχῇ τῆς ἁγιαστικῆς αὐτοῦ χάριτος ἁγιάζεται,) εἰς τὸ τελεσιουργῆσαι τὸ προκείμενον εἰς θυσίαν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον, καὶ ποιῆσαι αὐτὰ, αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ κυριακὸν σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ. Chriſtus quatenus Deus, Dominus erat ſui corporis & animæ, ut ipſe ait, poteſtatem habeo dandi animam meam, & rurſum accipiendi eam. Cùm igitur ipſe natura eſſet Deus, illico tunc panem ſua potentia divina & gratia ſanctificavit, Hoc eſt corpus meum, inquiens, habens Patrem & Spiritum ſanctum in ſemetipſo, ſicque panem in proprium corpus convertit, nec alio quopiam ſe præſtantiore opus habuit, qui ſanctificaret panem. Nãm quod inferius eſt, benedicitur à ſuperiore. Siquidem ipſe Chriſtus cùm non ſit inferior Patre, & Spiritu ſancto, ſua potentia quicquid vellet efficiebat. Sacerdos autem qui eſt apud nos, & ſi Chriſti typum gerat, tamen homo eſt, omnino obnoxius peccatis, & obvinctus, (nemo enim expers peccati, ut divinus ſermo habet, licet unius horæ ſit vita ejus, niſi ſolus Deus,) propterea indiget multis precibus, & primum quidem pro ignorantiis propriis, deinde pro peccatis populi, ut ait Apoſtolus Paulus. Quocirca & omnis populus adſtans extra adytum cum ſacerdote comprecatur, eumque adjuvat. Sacerdos igitur Deum Patrem orat, utpotè qui ſit inter Deum & homines conſtitutus legatus, ne quid intercedat impedimenti, quo minus ſacroſanctus Spiritus adveniat; ſed rurſus demittat Spiritum divinum (hæc fermè ſunt verba Baſilij) ſacræ hujus operationis initiatorem, atque ſanctificatorem, qui nullo non loco præſens eſt, (per quem omnia, quæ in cœlo & in terra ſancta dicuntur, participatione ejus

sanctificantis gratię sanctificantur) ut propositum panem & calicem in sacrificium perficiat, & ea faciat illud ipsum Dominicum corpus, & sanguinem Christi.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in capite 10. suæ censuræ more quorundam sanctorum Patrum loquitur. Quare si nihil aliud esset, illius verba in bonam partem acciperemus: μεταποιουμένου καὶ μεταβαλλομένου τῇ ἐπικλήσει καὶ χάριτι τοῦ παντοδυνάμου, καὶ τελεταρχικοῦ πνεύματος διὰ τῶν θείων καὶ ἱερῶν εὐχῶν καὶ λογίων τοῦ μὲν ἄρτου εἰς αὐτὸ τὸ τοῦ κυρίου σῶμα, τοῦ δὲ οἴνου εἰς αὐτὸ τὸ τοῦ κυρίου αἷμα. Invocatione, inquit, & gratia omnipotentis, sacrorumque rituum antistitis Spiritus, sacrarũ precationum, & divinorũ oculorum interventu panis quidem in ipsum Domini corpus, vinum vero in ipsum Domini sanguinem convertitur & transmutatur. Vel itaq, per preces & oracula more sanctorũ idem intelligit, hoc est verba Christi, quæ habētur in sacris literis; vel ad minus certũ est, eũ per λόγια intelligere Dominica verba; sine ulla limitatione quamvis à sacerdote proferātur; immò ea intervenire, quia à sacerdote proferuntur, ut etiam preces.

Præterea in capite 13. ubi agit de usu sacramentorum, de ipsa consecratione rectè sentire videtur: ὁ μὲν γὰρ τῶν δώρων ἁγιασμὸς, αὐτὴ ἡ θυσία τὸν θάνατον αὐτοῦ καταγγέλλει, καὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ τὴν ἀνάληψιν, ὅτι τὰ τίμια ταῦτα δῶρα εἰς αὐτὸ τὸ κυριακὸν μεταβάλλει σῶμα τὸ ταῦτα πάντα δεξάμενον, τὸ σταυρωθὲν, τὸ ἀναστὰν, τὸ εἰς οὐρανοὺς ἀνεληλυθός. τὰ δὲ πρὸ τῆς θυσίας τὰ πρὸ τοῦ θανάτου, τὴν παρουσίαν, τὴν ἀνάδειξιν, τὴν τελείαν φανέρωσιν. τὰ δὲ μετὰ τὴν θυσίαν, τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ὡς αὐτὸς εἶπε, τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς τοὺς ἀποστόλους κάθοδον, τὴν τῶν ἐθνῶν δι' ἐκείνων ἐπιστροφὴν καὶ κοινωνίαν. Donorum enim consecratio, ipsa sacrificatio mortem ejus annunciat, & resurrectionem, & ascensionem. Quia venerabilia hæc dona (consecratio) in ipsum Dominicum transmutat corpus, quod hæc omnia in se recepit, quod crucifixum fuit, quod resurrexit, quod in cœlos ascendit. Quæ verò sacrificationem antecedunt, significant ea, quæ mortem præcesserunt, adventum scilicet Domini, exhibitionem, perfectam manifestationem. Quæ verò sacrificationem sequuntur, promissionem Patris annunciant, sicut ipse dixit, & Spiritus sancti in Apostolos descensum, & per illos Gentium conversionem, & communionem.

Hîc Hieremias mutuatus, ut opinor, à Cabasila cap. 16. docet in liturgia totam fermè Salvatoris vitam, & gesta repræsentari. Nam ante consecrationem repræsentantur, quæ ante mortem acciderunt, scilicet adventus Christi, & ipsius in mundo manifestatio. In ipsa consecratione, qua vertitur panis in corpus Christi, potissimum repræsentatur ipsius mors, resurrectio, item ascensio, ex eo quod hæc omnia in corpore Christi gesta fuerint. Tandem post consecrationem reliqua repræsentantur, adventus Spiritus sancti, conversio Gentium, & per consequens communio, quæ fit in fine liturgiæ.

Nota, hanc observationem Hieremiæ non esse ineptam. Quamvis enim non adeo exactè id observetur in liturgia, præsertim in ejus præparatione, ubi ponuntur nonnulla præposterè, & in introductione donorum à minori ad altare majus, quæ fit ante consecrationem, & depositionem à cruce, ac deductionem ad sepulchrum ex sententia sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani repræsentat; universè tamen loquendo, res ita se habet, ut Hieremias testatur.

Quare consecratio cum his omnibus ad eum locum terminatur, ubi dicitur, tua ex tuis tibi offerimus. Nam post verba Salvatoris sequitur, Memores igitur crucis, sepulchri, resurrectionis, ascensionis, &c. tua ex tuis tibi offerimus. Hinc verò habemus ex sententia Hieremiæ, consecrationem fieri antequam dicantur in liturgia illa verba: κύριε ὁ τὸ πανάγιόν σου πνεῦμα ἐν τῇ τρίτῃ ὥρᾳ τοῖς ἀποστόλοις σου καταπέμψας, τοῦτο ἀγαθὲ μὴ ἀντανέλῃς ἀφ' ἡμῶν. Domine, qui tertia hora sanctissimum tuum Spiritum ad tuos Apostolos demisisti, hũc, bone, ne auferas à nobis. Quæ verba sacrificantium Sacerdotum præcedunt illa alia verba, ποίησον τὸν μὲν ἄρτον, fac hunc panem.

nem. Igitur signum est, ea quoque verba minimè spectare ad consecrationem, sed ad tertiam, & postremam partem liturgiæ pertinere, cùm & adventus Spiritus sancti ad eam pertineat. Et hìc quidem Hieremias ita sentire videtur. At verò in cap. 4. secundi responsi deceptus auctoritate Damasceni, auctoritate, inquam, non vera, sed ab aliquo impostore inserta, ut infra probabitur; docet, panem & vinum apud Basilium ἀντίτυπα, vocari ante consecrationem. Sed Basilius appellat antitypa post verba Christi: igitur existimat Hieremias verba Christi quæ habentur in sacro, non pertinere ad consecrationem; qui est error Cabasilæ.

Philadelphiæ Antistes in libro de Sacramentis, quem edidit anno Domini 1600. agens de forma Eucharistiæ, & verba Christi simpliciter, & preces Sacerdotum requirit: τὸ εἶδος προηγουμένως μὲν τὰ κυριακὰ λόγια, συνεπόμενα ἔχον καὶ τὰ ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἐφεξῆς λεγόμενα ῥήματα, καθάπερ ἐν
» τῇ θείᾳ φέρεται λειτουργίᾳ. Forma, inquit,
» antecedenter quidem sunt verba Domi-
» nica, consequenter verò sunt ea etiam,
» quæ deinceps à Sacerdote dicuntur, ut
» habetur in divina liturgia. Sensus est, in forma sacramenti Eucharistiæ ordine antecedunt verba Christi, quippe priùs dicuntur à sacerdote, seu etiam dignitate; (nam illud προηγουμένως significat etiam in primis) sed ea non sufficiunt. Proinde subsequuntur verba Sacerdotis, & hoc modo absolvitur forma sacramenti, & per consequens sacramentum. Alioquin explicet ipse, quid sibi vult, προηγουμένως, & συνεπομένως, antecedenter, & consequenter. Nisi velit intelligere more Cabasilæ verba Christi non præsentia, sed præterita. Quod ego non credo, cùm referat, ita haberi in liturgia.

At verò in libello, quem quadriennio post edidit περὶ τῶν μερίδων, de particulis, ad probandum panem nondum consecratum, sed sacrificio destinatum, ac simpliciter benedictum, esse adorandum, varia profert testimonia sanctorum Patrum, qui panem illum variis nominibus exornant, idque ante consecrationem, atque inter cætera producit auctoritatem Basilij Magni, qui ante consecrationem, ut ipsius fert sententia, panem & vinum vocat ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος in liturgia. Sed apud Basilium, ut antea dixi, hujusmodi verba extant post verba Christi; igitur verba Christi non pertinent ad consecrationem. Contra quam prius docuerat. Quod si verba Christi pertinent, igitur dicuntur antitypa non ante consecrationem, sed in ipsa consecratione, contra auctoritatem Damasceni, à quo accepit illam expositionem. Et si in ipsa consecratione dicuntur ἀντίτυπα, non ad rem affert Philadelphiensis illud testimonium. Quippe qui conatur ostendere, panem ante consecrationem diversis nominibus appellari, indéque concludere vult adorationem panis ante consecrationem. Neque potest dicere, ἀντίτυπα vocari ante consecrationem, quamvis sint ἀντίτυπα in ipsa consecratione, quia consecratio non est absoluta. Nam etiam reliqua omnia verba liturgiæ, quæ antecedunt preces Sacerdotis meritò dicuntur esse ante consecrationem, & hac ratione nullum esset discrimen inter illa verba Christi, & tamen illa non spectant ad consecrationem. Sic scripta hæreticorum & schismaticorum in dogmatibus fidei solent sibi constare, & cohærere.

Testimonia Sanctorum Patrum afferuntur, quæ videri possunt favere Græcis.

CAPUT XXIX.

CÆterum, dicet aliquis, auctoritate sua sancti Patres has duas recitatas opiniones fulcire posse videntur. Nam in primis ex Dionysio colligimus, consecrationem fieri post illa verba, Hoc facite in meam commemorationem. Igitur verba Dominica, quæ antecedunt, non ad eam spectare videntur. Itaque Dionysius capite 3. de Eccles. Hierar. priùs recenset verba Christi, deinde consecrationem Sacerdotis, cùm ita scribit: ἔνθεν ὁ θεῖος ἱεράρχης ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου καταστὰς, ὑμνεῖ τὰς εἰρημένας

ἱερᾶς θεουργίας Ἰησοῦ τῆς θειοτάτης ἡμῶν προνοίας, ἃς ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ γένους ἡμῶν εὐδοκίᾳ τοῦ παναγιωτάτου πατρὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ κατὰ τὸ λόγιον ἐτελείωσεν. ὑμνήσας δὲ καὶ τὴν σεβασμίαν αὐτῶν, καὶ νοητὴν θεωρίαν ἐν νοητοῖς ὀφθαλμοῖς ἐποπτεύσας, ἐπὶ τὴν συμβολικὴν αὐτῶν ἱερουργίαν ἔρχεται. καὶ τοῦτο θεοπαραδότως. ὅθεν εὐλαβῶς τε ἅμα, καὶ ἱεραρχικῶς μετὰ τοὺς ἱεροὺς τῶν θεουργιῶν ὕμνους, ὑπὲρ τῆς ὑπὲρ αὐτὸν ἱερουργίας ἀπολογεῖται, πρότερον ἱερῶς πρὸς αὐτὸν ἀναβοῶν, σὺ εἶπας, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. εἶτα τῆς θεομιμήτου ταύτης ἱερουργίας ἄξιος αἰτήσας γενέσθαι, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν Χριστὸν ἀφομοιώσει τὰ θεῖα τελέσαι, καὶ διαδοῦναι παναγνῶς, καὶ τοὺς τῶν ἱερῶν μεθέξοντας ἱεροπρεπῶς μετασχεῖν, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. Inde divinus Pontifex coram ſacro altari ſtans, laudat ſancta divináque Jeſu, diviniſſimæ noſtri providentiæ quæ diximus opera. Quæ pro ſalute generis noſtri beneplacito ſanctiſſimi Patris in Spiritu ſancto, ut loquuntur divina ſcripta, perfecit. Poſtquam autem laudavit, & venerandam intellectualemque ſpeculationem eorum mentis oculis perſpexit, ad ſymbolicam eorum conſecrationem venit; idque ſecundum traditionem divinam. Unde religioſè ſimul, & ut Pontificem decet, poſt ſacras divinorum operum laudes, ὑπὲρ τῆς ὑπὲρ αὐτῶν ἱερουργίας, de conſecratione eorum, (vel ὑπὲρ αὐτὸν, quæ ipſius dignitatem ſuperat) ſe purgat, dum primò devotè ad eum clamat, tu dixiſti, Hoc facite in meam commemorationem. Deinde cùm rogavit, ut dignus fiat hac conſecratione, & ad ſimilitudinem Chriſti hæc divina perficiat, caſtéque diſtribuat, & ij, qui ſacramenta participaturi ſunt dignè ſumant, conſecrat diviniſſima, & manifeſtat laudata per ſymbola ſanctè propoſita.

Damaſcenus item ſententiam Cabaſilæ innuere videtur libro 4. de fide orthodoxa cap. 14. εἶπεν ἐν ἀρχῇ, ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου, καὶ μέχρι τοῦ νῦν τοῦ ὑετοῦ γινομένου ἐξάγει τὰ ἴδια βλαστήματα τῷ θείῳ συνελαυνομένη καὶ δυναμουμένη προστάγματι, εἶπεν ὁ θεὸς, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, καὶ τοῦτό μου τὸ αἷμα, καὶ τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. καὶ τῷ παντοδυναμῷ αὐτοῦ προστάγματι, ἕως ἂν ἔλθῃ γίνεται. οὕτω γὰρ εἶπεν ἕως ἂν ἔλθῃ. καὶ γίνεται ὑετὸς τῇ καινῇ ταύτῃ γεωργίᾳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπισκιάζουσα δύναμις. ὥσπερ γὰρ πάντα ὅσα ἐποίησεν ὁ θεὸς, τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργείᾳ ἐποίησεν, οὕτω καὶ νῦν ἡ τοῦ πνεύματος ἐνέργεια τὰ ὑπὲρ φύσιν ἐργάζεται. Dixit, inquit, in principio, producat terra herbam virentem, atque ea etiam nunc orto imbre fœtus ſuos producit, divino præcepto impulſa ac roborata. Dixit Deus, Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem. atque omnipotenti ipſius præcepto, donec ipſe veniat hoc efficitur. Sic enim dixit, donec veniat. (quaſi dicat, non eſſe opus, ut verba iterentur, ſatis eſt, quod à Chriſto ſemel prolata fuerint.) Et pluvia huic novæ ſegeti per invocationem exiſtit ſancti Spiritus vis inumbrans. Quemadmodum enim quicquid Deus fecit, id ſancti Spiritus opera fecit, eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea, quæ naturam ſuperant, efficit. Sic ille.

Præterea non deſunt, qui invocatione Dei, & Spiritus ſancti, qui item precibus, quod idem eſt, corpus Chriſti fieri clarè doceant. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia capite ultimo, vocat formas ſacramentorum, τελεστικὰς ἐπικλήσεις, conſecratorias invocationes. Irenæus libro 4. contra hæreſes capite 34. Quemadmodum, inquit, qui eſt à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti, ſic & corpora noſtra. Euſebius Emiſſenus ſermone quinto de Paſchate: Quando, ait, benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam invocatione ſummi numinis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini. Optatus Milevitanus in libro 6. contra Parmenianum: Quid, inquit, eſt tã ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere, radere, removere? quo Deus omnipotens invocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus. Quæ poſtrema verba propter conſecrationem dicta eſſe videntur. Cyrillus Hieroſoly-

mitanus in Catecheſi 3. myſtagogica: ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐκέτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. Panis, inquit, Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti. Baſilius Magnus in iis, quæ de Spiritu ſancto tradit capite 27. τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἡμῖν καταλέλοιπεν; οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν ὁ ἀπόστολος, ἢ τὸ εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν, καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχὺν, ἐκ τῆς ἀγράφου διδασκαλίας παραλαβόντες. Invocationis, inquit, verba in oſtenſione panis Euchariſtiæ, & poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis ſcripto reliquit? Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus, aut Evangelium mentionem fecit, ſed & ante & poſt alia dicimus veluti magnum robur ad myſterium habentia, quæ ex doctrina ſcripto non prodita nos accepimus.

Neque poſſumus dicere per verba invocationis Baſilium intelligere conſecratoria verba Chriſti, ſiquidem ea diſtinguit ab iis, quæ habentur in Evangelicis & Apoſtolicis ſcriptis. Et tamen dicit, hujuſmodi verba invocationis maximam habere vim ad myſterium. Ea igitur ſunt, quæ habentur in liturgiis, & nobis objecimus.

Quod ſi quis dixerit, illa verba intelligenda eſſe, quæ dicuntur, quando re vera circa finem liturgiæ Euchariſtia oſtenditur populo, quippe invitatur ad communionem. Fallitur. Nulla enim ibi tunc temporis fit invocatio.

Neque officit, quod Baſilius dicat, in oſtenſione panis. Quanquam enim, cùm recitantur ea verba, non oſtendatur panis conſecratus populo; tamen Diaconus, dum commemorata verba recitãtur, in ſanctuario exiſtens, quãvis non videatur à populo, duobus digitis apprehenſa ſtola oſtendit panem jam conſecratum à Sacerdote, & ille iterum benedicit, non aliter atque fecerat in ipſa conſecratione. idque vocare videtur Baſilius, oſtenſionem panis.

Neq; tamen ex iſta cerimonia poſtremæ oſtenſionis concludet aliquis, (ut hoc etiã obiter addam) eo tempore fieri conſecrationem. Nam ea cerimonia jam anteceſſit, & potius hęc poſterior confirmat priorem.

Damaſcenus in libro 4. de fide cap. 14. ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος οἶνός τε καὶ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καὶ τὸ αἷμα. Propoſitionis, inquit, panis, vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutantur in corpus Chriſti, & ſanguinem.

Jam de precibus Juſtinus Martyr in Apologia 2. pro Chriſtianis, τὴν δι᾽ εὐχῆς εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν. Per precem Euchariſtiam factum cibum. Et ſępius idem iterat in eadem Apologia. Origenes in cap. 15. Matthæi, quod nos edimus de pane verbo Dei, & per obſecrationem ſanctificato. Ubi diſtinguit Origines verbum Dei ab obſecratione. Ibidem, cibus ille, qui ſanctificatur per verbum Dei, & orationem. Et lib. 8. contra Celſum: προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι. Oblatos panes edimus, corpus ſanctum quoddam per preces effectos. B. Hieronymus in Epiſtola 85. ad Evagrium. Quis patiatur menſarum, & viduarum miniſter, ut ſuprà eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur? S. Auguſtinus libro 3. de Trinitate cap. 4. Corpus Chriſti, & ſanguinem dicimus illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus. Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus de traditione divinæ liturgiæ. Per has, inquit, preces (recenſet multas precationes & pſalmodias, quales adhibebant Apoſtoli, potiſſimum B. Jacobus in ſua liturgia) Spiritus ſancti adventum expectabant, ut ejus divina præſentia propoſitum in ſacrificio panem, & vinum aqua permixtum, ipſum illud corpus & ſanguinem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti efficeret. S. Gregorius Papa conſecrationem appellat Catholicam precem, teſte Paulo Diacono in ejus vita.

Verba Christi non præterita, sed quæ modò à sacerdote cum intentione consecrandi proferuntur, conficere corpus Christi.

Caput XXX.

SEd ad hæc respondere non erit onerosum, si prius duo probaverimus. Alterum, verba Christi Domini, non illa præterita, quæ non sunt, & nulla ratione agere physicè amplius possunt, sed quæ modò à sacerdotibus personam Christi gerentibus proferuntur, ea conficere corpus Christi. Alterum, ea sola conficere, sine ullo prorsus adminiculo humanarum precum. Atque ut à primo initium sumamus.

Implicat contradictionem, ut aliquid nō sit, & tamen non aliter atque si esset, physicè agat, & operetur; sed verba Christi eadem numero non amplius sunt, neque possunt esse sine novo miraculo Dei; ergo non possunt illa eadem numero physicè amplius agere. Et explicatur. Nam virtus verborum, vel nihil aliud est, quàm ipsamet verba, quare pereuntibus verbis, ipsa quoque perit: Vel si aliqua qualitas est, certè illa non potest sine novo miraculo conservari transeuntibus verbis, aut de subjecto in subjectum migrare.

Dices, passionem Christi non esse, & tamen agere, quia sacramenta virtutem suam quam habent, à passione Christi habent.

Respondeo, id nihil aliud esse, quàm Christum passione sua meruisse ac impetrasse, ut sacramenta haberent hanc vim conferendi gratiam; Non autem modò passionem influere realiter in sacramenta, quæ jam præteriit. Fuit enim mutatio quædam, quæ jam non est. Quare agit moraliter, non physicè. Et secundum hanc rationem Christus Dominus poterat, si voluisset, mereri, ac impetrare, hoc ipso, quod illa verba, Hoc est corpus meum, semel protulerat, ut in posterum si quis orasset, etiam consecraret. Sed tunc & debuisset ipsemet hominibus hoc ipsum declarare, ac patefacere, immo ut conformior esset ubique religio, mandare in quam formam orari vellet, ut sacerdotes mysterium absolverent; quod tamen non fecit; & verba præterita Christi, quæ semel fuerunt instrumentum physicum, quando Christus ea protulit & consecravit, & modò secundum nos illa eadem numero verba, ut pote præterita neque physicè, neque moraliter ad consecrationem concurrunt, secundum hanc opinionem instar passionis præteritæ Christi instrumentum forent morale, preces verò sacerdotum essent physicum ad consecrationem peragendam. At non ea est Patrum sententia, qui unanimi consensu docent in hoc sacramento non preces hominum, sed verba Christi à sacerdote prolata mirabilem quandam habere vim, atque per modum instrumenti physici concurrere ad producendum corpus Christi; ut cæteræ quoque aliorum sacramentorum formæ, à Christo Domino institutæ virtutem sibi superadditam habent ad producendam gratiam; ut in ultimo notando advertimus.

Dicet fortassis Cabasilas, Christum instituisse instar formæ illas preces, quod quidem habemus per traditionem. Alioquin Jacobus Apostolus, Clemens, Marcus Evangelista, & Græci Doctores non eas in suis scriptis inseruissent.

Contra. Nam in primis forma tanti sacramenti deberet esse certa ac determinata ob certitudinem præsentiæ Christi. At illæ precationes apud hos auctores sunt variæ. Aliter enim supplicat Clemens, aliter precatur Jacobus, aliter postulant alij. Et illi quidem optando, Chrysostomus imperando.

Dices, convenire eos in sensu. Esto, convenire eos aliquo modo in sensu, sed etiam aio, aliquo modo eos non convenire in sensu. Nam Clemens, Jacobus, & alij, excepto uno Chrysostomo, dato precibus consecrationem fieri prius, consecrant panem in corpus Dominicum, deinde vinum in sanguinem; At Chrysostomus utraque simul, minus respondens ritui, ac præcepto Domini, qui nobis idem, quod

ipse fecerat, facere jussit, & per consequens, ut distinctè consecraremus. Sic igitur habes apud Chrysostomum. Diaconus ait, εὐλόγησον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον τοῦτον. Benedic Domine hunc sanctum panem. Sacerdos. Et fac panem istum quidem, pretiosum corpus Christi tui. Diaconus, εὐλόγησον δέσποτα τὸ ἅγιον ποτήριον τοῦτο. Benedic Domine sanctum hoc poculum. Sacerdos. Quod autem est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui. Diaconus: εὐλόγησον δέσποτα τὰ ἀμφότερα. Benedic Domine utraque. Sacerdos. Transmutans Spiritu tuo sancto. Quæro itaque: vel sanctificatus est panis, cùm dixit, fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui, & vinum, cùm dixit, quod autem in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui, vel non? Si est sanctificatus, ergo frustra dicit postea. transmutans Spiritu tuo sancto. Et videtur veræ formæ aliam formam addere. Atque à simili posset aliquis dicere, verbis Christi, quæ sunt vera forma sacramenti, alias formas addi non necessarias. Si autem non sunt sanctificata, nisi in ultimo instanti post prolationem illorum verborum, transmutans Spiritu tuo sancto. Ergo simul ambo consecrantur, & minimè servatur ordo Christi. Atque hac ratione Doctores sacri inter se minimè conveniunt.

Deinde, si propterea verba Christi, quæ habentur in liturgia, non sunt vera forma, quod hæ preces consequantur, & post verba Christi dicantur. (Neque enim aliam rationem hujus rei assignare nobis Cabasilas potest, quam quod ita extant, & ordinentur in liturgia) igitur à simili, hæ preces non erunt forma, quod aliæ preces longè post has de pretiosis donis consequantur. Sic enim habes apud Jacobum: ὑπὲρ τῶν προσκομισθέντων καὶ ἁγιασθέντων, τιμίων, ἐπουρανίων, ἀῤῥήτων, ἀχράντων, ἐνδόξων, φοβερῶν, φρικτῶν, θείων δώρων κυρίῳ τῷ θεῷ, δεηθῶμεν. Pro oblatis Domino Deo, & sanctificatis, pretiosis, supercœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, timendis, tremendis, divinis donis, precemur. Et similes extant apud Basilium, & Chrysostomum. Ergo vel inferas hucusque minimè factam esse consecrationem; vel admittas alium sensum illarum precationum, & sano modo interpreteris. Immò verò si precibus fit corpus Christi, quare non illis, quæ antecedunt in liturgia verba Christi? quales sunt apud Jacobum: ὁ θεὸς, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὸν οὐράνιον ἄρτον, τὴν τροφὴν τοῦ παντὸς κόσμου, τὸν κύριον ἡμῶν καὶ θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξαποστείλας σωτῆρα, καὶ λυτρωτὴν, καὶ εὐεργέτην, εὐλογοῦντα καὶ ἁγιάζοντα ἡμᾶς. αὐτὸς εὐλόγησον τὴν πρόθεσιν ταύτην, καὶ πρόσδεξαι αὐτὴν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον. Deus, Deus noster, qui panem cœlestem, cibum universi mundi, Dominum nostrum & Deum Jesum Christum misisti, Salvatorem, Redemptorem, ac benefactorem, benedicentem, & sanctificantem nos. Ipse benedic hanc oblationem, & eam admitte ad supercœleste tuum altare. Hæc enim verba quamvis apud Basilium, & Chrysostomum recitentur in ipsa præparatione liturgiæ, tamen apud Iacobum, à quo illi Patres hæc acceperunt, habentur, & recitantur, μετὰ τὴν μεγάλην εἴσοδον, post ingressum magnum donorum. Et similia sunt verbis in Missa Latina post Dominica verba extantibus, quibus vult Cabasilas fieri consecrationem.

Quin apud Jacobum & Basilium in media fermé liturgia, ante tamen verba Dominica, hæc alia repetuntur: πρόσδεξαι ἡμᾶς προσεγγίζοντας τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ κατὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους σου, ἵνα γενώμεθα ἄξιοι τοῦ προσφέρειν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον θυσίαν, ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων. ἣν προσδεξάμενος εἰς τὸ ἅγιον καὶ ὑπερουράνιον καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. Suscipe nos appropinquantes sancto altari tuo secundum multitudinem misericordiæ tuæ, ut simus digni, qui tibi offeramus rationabile istud & incruentum sacrificium pro nostris peccatis, & populi ignorantia. Quod sacrificium ubi admiseris in sanctum & supercœleste, ac intelligibile tuum altare in odorem suavitatis, vicissim emitte nobis gratiam sancti tui Spiritus.

Præterea Jacobus ante verba Dominica, sic precatur: ὑπὲρ τῶν προσκειμένων τιμίων, ἐπουρανίων, ἀῤῥήτων, ἀχράντων, ἐνδόξων

φοβερῶν, φρικτῶν, θείων δώρων, &c. κύριον τὸν θεὸν ἱκετεύσωμεν. Pro propositis, pretiosis, cœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, tremendis, horrendis, & divinis donis Dominum Deum supplices imploremus. Et eodem modo precatus est post illas preces Græcorum, ut observavimus, & retulimus. Et infrà, ante tamen consecrationem Græcorum: εὐδόκησον κύριε δεκτὰ γενέσθαι τὰ προσαγόμενα ταῦτα δῶρα διὰ τῶν ἡμετέρων χειρῶν. Placeat tibi Domine, ut hæc, quæ offerimus dona manibus nostris, accepta tibi sint. Et alibi: ὁ θεὸς ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἔπιδε ἐπὶ τὴν λογικὴν λατρείαν ἡμῶν ταύτην, καὶ πρόσδεξαι αὐτὴν ὡς προσεδέξω Ἄβελ τὰ δῶρα, Νῶε τὰς θυσίας, Μωσέως καὶ Ἀαρὼν τὰς ἱερωσύνας, Σαμουὴλ τὰς εἰρηνικὰς, Δαβὶδ τὴν μετάνοιαν, Ζαχαρείου τὸ θυμίαμα. ὡς προσεδέξω ἐκ χειρὸς τῶν ἀποστόλων σου τὴν ἀληθινὴν ταύτην λατρείαν. οὕτω πρόσδεξαι καὶ ἐκ χειρῶν ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐν τῇ χρηστότητί σου. καὶ δὸς γενέσθαι τὴν προσφορὰν ἡμῶν εὐπρόσδεκτον, ἡγιασμένην ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Deus respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequiũ, (Græcè λατρείαν) intuere, idque accipe, ut Abel dona accepisti, Noë sacrificia, Mosis & Aaronis sacerdotia, Samuelis pacifica, Davidis pœnitentiam, Zachariæ incensum, ut de manu Apostolorum tuorum verum hunc cultum latriæ accepisti. Ita quoque è manibus nostris, qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita per tuã benignitatem; & fac, ut oblatio nostra grata, & acceptabilis sit per Spiritum sanctum sanctificata. Hæc etiam fermè extant in Basiliana liturgia. Quippe Basilius, teste Proclo Constantinopolitano Patriarcha, liturgiam Jacobi præcidit, & eam breviorem recitandam dedit. Chrysostomus quoque multò ante verba Dominica, & per consequens ante illas preces Græcorum in oratione, quæ post oblationem dicitur munerum, καταξίωσον εὑρεῖν χάριν ἐνώπιόν σου, τοῦ γενέσθαι σοι εὐπρόσδεκτον τὴν θυσίαν ἡμῶν, καὶ ἐπισκηνῶσαι τὸ πνεῦμα τῆς χάριτός σου τὸ ἀγαθὸν ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα. Dignos, inquit, nos fac Domine, ut coram te gratiam inveniamus, & acceptum tibi fiat sacrificium nostrum, & inhabitet Spiritus gratiæ tuæ bonus super nos, & super hæc proposita munera. His ergo verbis, dicet aliquis, fieri consecrationem, si valent, quæ profitetur Cabasilas. Siquidem æquè bene possunt applicari per has preces ad mysterium præterita verba Christi. Cur enim non queant, indicet nobis Cabasilas.

Idem Chrysostomus ante consecrationem: εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ ὑπὲρ τῆς λειτουργίας ταύτης, ἣν ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν δέξασθαι κατηξίωσας. Gratias, inquit, agimus tibi & pro ministerio atque obsequio isto (hoc est, sacrificio) quod ex manibus nostris acceptare dignatus es. Si acceptavit, ergo, dicet aliquis, sacrificium absolutum est. Id enim sequitur, si superficie tenus verba spectemus.

Præterea, verba Sacramentorum, ut à principio notavimus, ex institutione Christi, eo quod fuerint verba & actiones ipsiusmet Christi, habent vim efficiẽdi quod significant. Quemadmodum & materiæ sacramentorum. Quare si quid horum desit, nulla ratione subsequitur sacramentũ, & effectus sacramenti ex tali virtute proveniens. Unde si non adhiberetur materia, nihil fieret, & multo magis forma, quę determinat materiam. Sed verba Christi eadem numero non possunt adhiberi, quia præterierunt, & jam non sunt. Immò Christus Dominus si vellet iisdem numero verbis denuo consecrare non posset, nisi ut Deus miraculosè ea de novo produceret. Quod si nolet pro ducere, deberet ea iterare, vel alia ratione consecrare.

Quare quod ait Cabasilas est plane ἀνατανόντον, & ἀδυνάτον. Quo circa etiam ineptè applicat sensum illorum verborum, crescite, & multiplicamini, ad sensum verborum Christi. Quod nimirum semel sint dicta; neque amplius sint iteranda, & hac ratione sermo præteritus Christi modo operetur, non tamen sine precibus sacerdotis; ut ibi sermo opifex non operatur sine matrimonio, alimento, & cæteris. Hæc inquam; non rectè applicat. Non enim in eo consistit Chrisostomi similitudo; sed in eo, quod quemadmodum illic in propagatione generis humani divinus sermo

ſemel prolatus fœcunditatem contulit naturæ ad generationem ; ita etiam hîc ſemel Chriſtus ea verba loquutus , hoc eſt corpus meum &c. tantam illis virtutem addidit , ut quotieſcumque , dum peragitur in Eccleſiis ſuper ſacratiſſimas aras ſacrificium , à legitimo miniſtro ſacerdotali charactere inſignito prolata fuerint , tanquam potentiſſima , & à Chriſto corroborata , neceſſariò producant effectum , non aliter atque natura humana divino imperio confirmata propagatur. At verò in aliis maxima eſt diſſimilitudo. Nam illa verba , creſcite & multiplicamini , quibus figuratè divinum imperium exprimitur , nihil aliud ſibi volunt , quàm quod opifex omnium rerum marem & fæminam ſemel ea lege creavit , ut non niſi per conjunctionem eorum animalia propagentur. Quare non illico productus eſt effectus, ſed intervenientibus ſecundis cauſis. Nempe debuit antecedere matrimonium , alimentum & cætera. Et propterea ea verba , Creſcite, & multiplicamini , ad futurum referuntur , & ea , quæ ad generationem requiruntur , includunt. Quippe talis eſt natura procreationis ex divino præcepto. Hîc autem Chriſtus immediatè corpus ſuum per tranſubſtantiationem produxit , illiſque verbis , Hoc eſt corpus meum , re ipſa ſubſiſtentem ſui corporis præſentiam ſignificavit, Ibi nihil nobis in procreatione liberorum mandavit , ut diceremus. Hîc , quia virtutem verbis addidit , ut ipſe fecit , fieri juſſit; ut ſermo ejus eſſet efficax, & operans eo ipſo momento , quo dicitur , non quando jam tranſiit. Quamobrem & Chryſoſtomus , quieam ponit ſimilitudinem in ſermone de proditione Judæ : καθάπερ ἐκείνη ἡ φωνὴ ἡ λέγουσα , αὐξάνεσθε , καὶ πληθύνεσθε, καὶ πληρώσατε τὴν γῆν , ἐῤῥέθη μὲν ἅπαξ , διὰ παντὸς δὲ τοῦ χρόνου γίνεται ἔργον ἐνδυναμοῦσα τὴν φύσιν τὴν ἡμετέραν πρὸς παιδοποιΐαν , οὕτω καὶ αὕτη ἡ φωνὴ ἅπαξ λεχθεῖσα παρὰ τῆς θείας γλώττης ἐκείνης , τὸ τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα καθ' ἑκάστην τράπεζαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐκείνου τοῦ ῥήματος ἡ δύναμις μέχρι τῆς σήμερον , καὶ ἄχρι τῆς αὐτοῦ παρουσίας τὴν θυσίαν ἀπηρτισμένην ἐργάζεται. Quemadmodum illa vox, quæ dicit , creſcite , & multiplicamini , & replete terram , ſemel quidem dicta eſt , ſed omni tempore munere ſuo fungitur , & efficax eſt , naturam noſtram ad generationem corroborans ; ita etiam vox iſta ſemel quidem ab illo divino ore prolata eſt , ſed illius verbi vis & poteſtas per omnes menſas Eccleſiæ uſque in hodiernam diem , & uſque ad ejus adventum ſacrificium perfectiſſimum efficit. Chryſoſtomus , inquam , qui hanc ponit ſimilitudinem, de ſacerdote tamen , qui hæc eadem verba neceſſariò proferat , idem Doctor in eodem ſermone immediatè ante commemoratam ſimilitudinem ſic diſſerit : σχῆμα πληρῶν μόνον ἕστηκεν ὁ ἱερεὺς, καὶ προσφέρει τὴν δέησιν τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα , ἡ δὲ χάρις καὶ δύναμις ἐστὶ τοῦ θεοῦ, ἡ τὰ πάντα ἐργαζομένη. Perſonam Chriſti ſolùm gerit ſacerdos, ac deprecatur illa verba pronuncians, gratia verò & vis eſt Dei , quæ omnia operatur. Et ſtatim ſubjungit , quænam ſint illa verba , quæ ſacerdos pronunciat : τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, φησὶ , τοῦτο τὸ σῶμα τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. Hoc eſt corpus meum , inquit , hoc verbum propoſita dona tranſmutat. Nota verbum, φησὶ, quod præſentem actionem ſacerdotis ſacrum celebrantis ſignificat. Sic aureus ille Doctor. Quem tamen adeo clarum perfricta fronte non erubeſcunt pro ſe citare Cabaſilas & Epheſius. Sed repetunt, Chryſoſtomum dicere , Dominicum verbum ſemel dictum, non quod nunc à ſacerdote dicitur : ſed mentita eſt iniquitas ſibi. Nam & modò neceſſe eſt proferatur, & de virtute hujus Dominici verbi ſanctiſſimus Doctor ait: τὴν θυσίαν ἀπηρτισμένην ἐργάζεται. Quare cùm dicit , ἡ δὲ χάρις καὶ δύναμις ἐστὶ τοῦ θεοῦ ἡ τὰ πάντα ἐργαζομένη, intelligit per verba , quippe Chriſtus Deus addit illam vim verbis. Si autem Deus per vim ſuorum verborum omnia operatur, & ſacrificium abſolutiſſimum reddit , qua ratione preces humanæ cooperari poterunt ? qui enim per verbum omnia operatur , & perfectum ſacrificium efficit , nihil ſane alteri relinquit, quod perficiat.

Superius argumentum confirmatur. Nam verba Chriſti eadem numero non poſſunt applicari per modum formæ ad

materiam, quam modò consecrant sacerdotes. Quando enim Christus dicebat, hoc est corpus meum, respiciebat panem, quem ipse præ manibus habebat, non autem panem, quem modò habent sacerdotes, quippe falsò dixisset Christus de hoc pane, hoc est corpus meum, quem ipse non habebat, neque poterat aliis ostendere. Ergo falsa redduntur verba Christi eadem numero, si ad hos panes applicentur.

Præterea hoc differunt verba magiæ à verbis, quæ sunt formæ sacramentorum, quod ad prolationem illorum solus dæmon ex pacto operatur, cùm illa verba nullam virtutem in se habeant, neque ullam ipsis dæmon addere possit. Non sic verba sacramentorum, quæ physicè concurrunt ad producendum effectum, & gratiam. At in reliquis conveniunt, ut nimirum, certa sint, ac determinata, & omnino iterentur, ut similis, & alter numero sequatur effectus. Neque enim dæmon operatur illis non pronunciatis, quod idem fit in sacramentis. Vide Tertullianum libro 1. contra Marcionem, & Justinum Martyrem in Apologia 2. ad Antoninum de materiis, & certis verbis, veluti formis, quibus utitur dęmon ad imitationem Christi. Et notandum dæmonem veluti simiam ad decipiendum homines, quam simillima gesta Deo, semper efficere velle.

Præterea verba Principis æquè pollent, si ab ipso in Senatu, deinde si ex mandato ipsius à prorege, vel Judice in aliqua provincia proferantur. Cur igitur non valeant verba Christi à Sacerdotibus prolata vicem ipsius gerentibus?

Dicet aliquis pro Cabasila, ex antecedentibus, & consequentibus verbis Canonis manifestum esse, ea verba narrativè proferri. Quippe refert Sacerdos, quid Christus dixerit, quid fecerit, quid mandarit, cui gratias egerit, quibus seipsum impertierit.

Est quidem ita, verùm non solùm narrativè, sed etiam significativè simul potest aliquis eadem verba pronunciare, ut non etiam mirum sit, si sacerdos duplici sensu eadem verba enunciet. Ut si quis dicat (exemplum Bessarionis est) Rex vestræ salutis cupidus, vestramque rempublicam in felicitate, ac copia omnium rerum tenere desiderans, continuò iis rebus invigilat & leges condit, quas ad id existimat utiles, ac necessarias. Unde cùm in multis aliorum exempla sequutus, tum plurimorum ipse inventor, hanc legem sancit. Volo quilibet vestrûm, qui conditis à me legibus paruerit, talentum auri ex ærario publico tot annis accipiat. Profectò non solùm narrativè hæc dicit, sed simul atque dicta sunt, rata fiunt, quæ jubentur. Præsertim si ita princeps sanciat, ut promulgator legis in prima persona ea verba referat.

Similiter si Regium consilium (quæ sunt exempla novitiorum Theologorum) hoc vel simili modo sententiam proferat: nobis injunctum est, ut sententiam feramus dicentes. Ego Rex in hac causa dico, &c. Si quis etiam dicat, Christus docuit orare dicens, Pater noster, &c. potest simul recitare factum Christi & orare. Aliud exemplum est, si quis ita loquatur. Aristoteles dixit, quod ego etiam dico: mundus fuit ab æterno. Ille simul recitativè proferret illa verba, mundus fuit ab æterno, & significativè. Nam sic loquendo, hæreticus esset.

Nec refert quod illud pronomen, hoc, aliud demonstret in ore Christi, aliud in ore sacerdotis. Nam proportionaliter idem demonstrat, scilicet corpus Christi sub speciebus panis præsentibus. Unde non repugnat, sacerdotem simul, & eodem verbo, referre Christum dixisse hoc, quod sibi erat præsens, esse corpus suum, & simul affirmare, hoc quod sibi est præsens, esse corpus Christi. Præsertim quia idem Christus operatur per sacerdotem, & quia illa verba, hoc est corpus meum, considerari possunt, vel ut continuantur cum præcedentibus, & hoc modo tenent se materialiter, & narrativè: vel præcisè, & absolutè, ac si sola dicerentur, & hoc posteri modo tenent se formaliter, & significativè.

Præterea non adhibetur eadem numero materia, neque potest adhiberi. Non enim eundem

eundem numero panem, quem Christus Dominus sanctificavit, consecramus, & tamen valet sacramentum. Quare igitur non valebit, si forma non eadem numero adhibebitur, quæ similiter non potest adhiberi?

Ad hæc, verba Christi Domini in aliis sacramentis toties geminantur, quoties & ipsamet sacramenta iterantur, nullum enim fit sacramentum, nisi iis cum intentione à legitimo ministro prolatis. Egregiè Basilius de baptismo in libro de Spiritu sancto, eum à gratia excidere, ait, qui detrahit, aut addit ad verba præscripta in sacramento Baptismi. Ea esse intelligit Evangelica. Irenæus libro primo cap. 18. reprehendit hæreticos quosdam, quod mutarent formam verborum à Christo præscriptam in sacramento Baptismi. Tertullianus in libro de Baptismo. Lex, inquit, „ tingendi imposita est, & forma præscripta. „ Ite, inquit, ad omnes gentes, tingentes „ eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus „ sancti. Augustinus libro 6. contra Donatistas cap. 2. Certa sunt verba Evangelica, „ sine quibus non potest consecrari Baptismus. Damascenus libro 4. de fide cap. 16. „ Quæ forma in Baptismo adhibenda sit „ Dominus exposuit dicens, baptizantes „ eos, &c.

Unde igitur habent hanc exceptionem Cabasilas, & Ephesius qui volunt solam Eucharistiam sine verbis iteratis Domini confici?

Præterea, formæ sacramentorum non possunt ab alio institui, nisi à Christo auctore gratiæ. Unde celebre axioma Theologorum est, sacramentorum materias, & formas à Christo Domino, esse institutas, quod à principio notavimus. Quis enim alius posset gratiam concedere sacramentis? Sed illæ preces sacerdotum non sunt institutæ à Christo, ergo non sunt forma sacramenti. Quicquid enim instituit Christus in hoc sacramento nobis constat ab Evangelistis, Apostolo Paulo, & traditione sanctorum Patrum, sed nullus scribit illas preces esse traditas, & institutas à Christo, ut de verbis Domini tradunt.

Præterea si formæ sunt institutæ à Christo, certum est à nemine eas posse immutari, malè igitur immutantur à Cabasila, qui verba Christi à presbytero in liturgia prolata nihil efficere posse, preces consecrare contendit.

Dicere posset Cabasilas, immò verò, & clarè dicit, esse quidem verba Christi, sed præterita, & applicari per preces sacerdotis.

Contra, Nam eodem modo possemus disserere de cæteris quoque sacramentis, & eorũ veras formas penitùs objicere. Quippe diceremus, formam Baptismi esse quidem verba Christi, ego te baptizo, vel baptizatur servus Dei in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Sed tamen satis esse quod prolata fuerint semel à Christo, modò verò proferri à nobis per modum narrationis, vel non necessariò proferri, adeò ut si etiam prætermitterentur, valeret sacramentum, illa verò tantum præterita verba Christi à nobis applicari per preces, ad hoc ut Baptismus consequatur suum effectum, quod idem dico de aliis sacramentis. At non ita sentiunt Patres, quorum testimonia supra de Baptismo retulimus. Ut igitur illa quotiescunque Baptismus fit necesse est proferantur, ita etiam ista quotiescumque fit Eucharistia.

Quod enim aiunt Cabasilas, & Ephesius, cætera quoque sacramenta precibus sacerdotis absolvi, suam crassam ignorantiam produnt. Quippe formæ sacramentorum non solùm apud Latinos, sed ne apud Græcos quidem sunt deprecatoriæ, ut partim disseruimus, partim in aliis sacramentis ostendemus. Excepta forma Extremæ Unctionis, quam habemus ex scriptis Apostolicis, nimirum promulgatam quidem ab Apostolo Jacobo, sed à Christo Domino institutam.

Postremò hæc doctrina Cabasilæ planè destruit præceptum Christi. Nam Christus Dominus cùm panem accepit, & benedixit, certa verba super illum pronunciavit, scilicet, Hoc est corpus meum, nullis aliis verbis additis, ac deinde jussit nos idem facere. Hoc, inquit, facite in meam commemorationem; hoc est, transmutate panem in meum corpus, & vinum

in meum sanguinem, eodem modo, quo ego transmutavi. Alioquin jubere, & modum non præscribere, vanum esset. Ut si vellet aves volare, non præstitis alis. Sed concedit Cabasilas illis solis verbis Christum transmutasse. Debemus igitur, & nos illis iisdem verbis uti, si facere volumus, quod ipse fecit, & nobis imperavit, & non addere alia verba. Immo in aliis sacramentis solùm nobis imperavit, & ea instituit, hic verò & fecit, & imperavit, ac expressiùs tradidit normam absolvendi sacramentum, idque propter incomparabilem tanti mysterij dignitatem.

Diceret fortassis Cabasilas, Christum imperasse; ut baptizaremus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Non autem in conficienda Eucharistia, ut diceremus verba, quæ ipse dixit.

Sed fallitur. Nam Christus eodem modo, immo & expressiùs dixit hoc facite, quod ipse fecit, sed ipse fecit suum corpus dicendo, hoc est corpus meum, quod ne ipse quidem Cabasilas negat.

Alioquin si liceret illa Christi verba, hoc facite, coarctare ad factum, non etiam ea referre ad totam actionem Christi, ita ut comprehendat etiam verba, tunc etiam liceret dicere, nobis non imperasse, ut diceremus, ego te baptizo, vel baptizatur servus Dei. Non enim Dominus ait, dicite ego te baptizo. Satis igitur erit, si aspergentes aquam dicamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut egregiè notavit Cardinalis Bellarminus, immò neque dixit Dominus, dicite, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed solùm ait, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quæ verba non cogunt ut dicamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed solùm ut baptizemus auctoritate Dei, nimirum, ut ejus ministri. Quod potest fieri etiam si nihil dicamus, id quod ex aliis similibus locis demonstrari potest. Nam Marci ultimo Dominus ait, In nomine meo dæmonia ejicient, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et tamen non erat opus, ut Apostoli, cùm aliquem curare volebant, dicerent voce, in nomine Domini, sed satis erat si cogitatione. Nam Actor. 9. Petrus excitavit Tabithan, & Act. 14. Paulus sanavit claudum sine ulla mentione nominis Christi. Sic etiam Matthæi 18. Dominus ait, Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum, & tamen non est opus, ut qui volunt congregari in nomine Christi, dicant verbis, congregamur in nomine Christi; sed satis est, si conveniant Christi auctoritate. Sic denique Joannis 5. Dominus ait, Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius in nomine suo venerit, illum recipietis, ubi non significatur aliud per nomen, nisi auctoritas.

Dices, ex scriptura non posse illud colligi efficaciter, sed colligi tamen adjuncta traditione, & usu Ecclesiæ Catholicæ.

Rectè sanè. Eandem igitur recipias traditionem in Eucharistia. Non enim sine causa Ecclesia Latina & Græca verba Christi in liturgia profert. Et quidem Latini statim post verba Dominica Eucharistiam adorandam populo exhibent. Græcis verò quamvis non ita sit in more positum, tamen ex gestu sacerdotis, benedictione, & ostensione Diaconi, ac responsione populi satis constat, non solùm narrativè, ut imaginatur Cabasilas, sed etiam significativè ut res ipsa postulat, ea verba eos proferre.

Quamvis aliquid ampliùs clarius, ac manifestiùs sit præcepti Dominici in Eucharistia, quàm in Baptismo, sed si in illo sacramento ex verbis Domini rectè colligunt Patres formam Baptismi ne ipsis quidem hæreticis contradicentibus, multomagis idem colligunt in mysterio sacratissimæ Eucharistiæ.

Sola verba Christi sine ullis precibus sufficere consecrationi.

Caput XXXI.

PRobemus modò sola verba Christi à sacerdote prolata satis esse ad cõsecrationẽ (quamvis nonnulla ex his, quæ diximus, huic etiam membro accommodari queãt.)

Nam in primis contraria ſententia continet in ſe contradictionem, atque ſe ipſam penitus deſtruit. Dicere enim, illa verba Dominica requiri de eſſentia ſacramenti, quamvis non ea ſola, & illis prolatis, nondum eſſe corpus Chriſti, perinde eſt, ac ſi aliquis diceret, hoc eſt corpus meum, & hoc non eſt corpus meum. Siquidem pronunciantur à ſacerdote illa verba, hoc eſt corpus meum, & tamen ex ſententia horum Theologaſtrorum nondum eſt corpus Chriſti, quæ eſt manifeſta contradictio.

Deinde, vel ſatis ſunt verba Chriſti ad conficiendum corpus Chriſti, vel non, ſecundum non poteſt dici, hac enim ratione Chriſtus Dominus ſuum corpus non conſecraſſet. Neque enim alia verba protulit. Et quod animus horret cogitare, aures audire, & calamus exarare, falſum dixiſſet veritas, quando protulit, hoc eſt corpus meum. Ergo ſufficiunt verba Dominica.

Dicere enim, (ut videntur indicare Cabaſilas, & Samonas) verba illa ſola ſine aliis precibus ſatis quidem fuiſſe Chriſto Domino ad conſecrandum, minimè verò ſacerdotibus, nullo prorſus nititur fundamento. Nam præterquam quod perfectiſſimam hujus ſacramenti formam à Chriſto prolatam, & inſtitutam, imperfectam efficiunt, atque additione precum eam immutant (qua poteſtate ipſi viderint) non etiam alius fuit olim Chriſtus, & modò alter, ut ipſi non eadem verba ſufficiant. Sed ille idem Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui nunquam moritur, ut quis illi ſuccedere debeat, & qui tunc ſolus ore ſuo benedicto, & ſacratiſſimo conſecraverat, modò conſecrat per os Sacerdotis. Quemadmodum egregiè philoſophantur ſacri Doctores, Cyprianus ſermone de cœna Domini, qui de Chriſto ait, Uſque hodie hoc veraciſſimum, & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus dividit.

Et Chryſoſtomus hom. 82. in Matthæum, οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἔργα τὰ προκείμενα. ὁ τότε ταῦτα ποιήσας ἐν ἐκείνῳ τῷ δείπνῳ, οὗτος καὶ νῦν αὐτὰ ἐργάζεται ἡμῖν. ὑπηρετῶν τάξιν ἐπέχομεν ἡμεῖς, ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτὰ καὶ μετασκευάζων, αὐτός ἐστι. Non ſunt, inquiens, humanæ virtutis hæc opera, qui tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque nobis operatur. Miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt. Ibidem ferè continenter, αὕτη ἐκείνη ἐστὶν ἡ τράπεζα, καὶ οὐδὲν ἔλαττον ἔχει. οὐ γὰρ ἐκείνην μὲν ὁ Χριστὸς, ταύτην δὲ ἄνθρωπος δημιουργεῖ, ἀλλὰ καὶ ταύτην αὐτός. Hæc illa non alia menſa eſt; hæc nulla re minor, quàm illa eſt. Non enim illam Chriſtus, hanc homo quiſpiam facit, ſed utramque ipſe. Et homilia de proditione Judæ: καὶ νῦν πάρεστι Χριστὸς ἐκεῖνος τὴν τράπεζαν ταύτην κοσμῶν. ὁ γὰρ τὴν τράπεζαν ἐκείνην κοσμήσας, οὗτος καὶ ταύτην διακοσμεῖ νῦν. οὐ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα, καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν Χριστός. σχῆμα πληρῶν μόνον ἕστηκεν ὁ ἱερεὺς, καὶ προσφέρει τὴν δέησιν τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα, τὸ, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. ἡ δὲ χάρις καὶ δύναμις ἐστὶ τοῦ θεοῦ ἡ τὰ πάντα ἐργαζομένη Et nunc ille præſto eſt Chriſtus hanc menſam decorans, qui enim illam ornavit, ipſe iſtam quoque nunc exornat. Non enim homo eſt, qui quę ſunt in menſa propoſita corpus Chriſti, & ſanguinem facienda curat, ſed ipſe qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus. Figuram adimplens aſtat Sacerdos, ac deprecatur illa verba pronuncians, Hoc eſt corpus meum, gratia verò, & potentia Dei eſt, quæ omnia operatur.

Quin & ipſe Sacerdos in liturgia fatetur, Chriſtum eſſe qui offerat, ſe verò indignum miniſtrum, & ſervum, σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος. Tu enim (inquit) es offerens, & oblatus.

Quocirca Samonas, qui aliquid probabile afferre videtur cur ſacerdos offerat preces, ut in objectionibus retulimus, non diſtinguit inter formam ſacramenti, & alia verba, ſed confuſè loquitur, atque ad illud ſibi objectum potiùs reſpondere videtur; quare liturgia ſit adeò prolixa, cùm Chriſtus auctor myſterij breviter illud expedierit. Unde & ſacerdotem multas preces fundere, & aſtantem populum, ait, una cum ſacerdote orare; cùm tamen preces ſacerdotis, quas Græci putant conſe-

cratorias, haud multæ sint & preces populi nulla ratione ad essentiam sacramenti spectent. Itaque rationes illius rectè concludunt, si ad personam sacerdotis referantur, non quatenus agit personam Christi, sed quatenus agit personam propriam, ut enim assequi fructum mysterij, & sine peccato administrare valeat sacramenta, non solùm Christi, sed & suam personam agere solet. Atque ut gerit personam Christi est minister Christi; & semper exauditur, quippe semper sequitur effectus sacramenti. Gerit verò cum hac differentia, quia, quando in aliis sacramentis loquitur activè in præsenti, & in prima & sua persona, actionem suam semper ad alium dirigere videtur, Ego te baptizo, te confirmo, te absolvo; At verò in hoc sacramento totam actionem ad se refert, non enim dicit, quasi loquatur de aliqua alia re, hoc est corpus Christi, sed hoc est corpus meum, ac si ipse esset Christus, adeo induit personam Christi. Quomodo Exodi 3. Angelus dicit, ego sum Deus patris tui. Ubi verò in sacramentis non loquitur in præsenti indicativi modi & in prima, & sua persona, sed vel imperat, vel passivè in tertia persona formam pronuntiat, ibi nihilominus non excludit suam personam, ut est minister Christi, ut verbi gratia, Accipe potestatem offerendi sacrificium, nimirum intelligitur à me, vel à Deo per me. Et baptizatur servus Dei, scilicet à me. Ut autem sacerdos non solùm loquitur in persona sua, sed etiam agit personam suam, ut cùm laudat Deum, orat, gratias agit, diict se indignum esse ad tantum opus, & confitetur peccata sua, tunc quatenus, inquam, agit personam suam, sive in hoc, sive in aliis sacramentis, non est minister Christi, quare non infallibiliter assequitur, quod deprecatur, præsertim si sit improbus, & expers divinæ gratiæ. At certum est Græcorum presbyteros illas preces, fac hunc panem, proferre, quatenus agunt personam propriam. Unde effectus sacramentorum, quia est certissimus, non pendet à re dubia, & incerta, sed ut aiunt Theologi, pendet ex opere operato, non ex opere operantis. Itaque quod hæretici, & mali sacerdotes verè baptizent, hoc non provenit ex eorum persona, & precibus, sed quatenus sunt ministri Christi. Sunt autem ministri, dum proferunt verba Evangelica, & veram formam baptismi, cui est alligata divina promissio, ut egregiè docet sanctus Augustinus libro 6. contra Donatistas cap. 25.

Sed objicit Cabasilas formam Extremæ Unctionis, quæ sunt preces sacerdotis, & sine dubio exaudiuntur à Deo. Unde colligit, cæteras quoque preces in sacramentis exaudiri.

Respondeo, illas preces Extremæ-Unctionis non esse preces sacerdotis, quatenus agit personam suam, sed ut est minister Christi Domini sacramentorum institutoris. Et ideo exaudiri. Christus enim voluit, ut illius sacramenti forma esset deprecatoria, quod est quid peculiare illius sacramenti.

Dices, Unde scimus illas preces esse formam illius sacramenti, & tamen in sacramento Eucharistiæ preces non esse de ratione formæ?

Respondeo, ex apostolicis literis S. Jacobi, ac traditione Ecclesiæ habemus, formam illius sacramenti esse preces. Unde dicitur, Oratio fidei salvabit infirmum. Eucharistiæ verò non preces, sed verba Domini, ut testantur, & clamant unanimi consensu Evangelistæ. Neque duæ formæ, idque disparitæ uni adhibentur mysterio. Quod idem dicendum est de aliis formis sacramentorum, quas veras esse colligimus, vel ex scriptis Evangelicis, & Apostolicis, vel ex traditione majorum, & auctoritate Ecclesiæ. De illis autem precibus, fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui, nihil tale nobis ex divinis literis constat. Inter sanctos Patres verò videtur quidem esse aliqua dissensio, sed obscuriores à clarioribus exponendi sunt, & pauci cum pluribus consociandi, vel majorum, & doctiorum, & longè plurium auctoritas sequenda est.

Præterea, in sacramentis novæ legis, hæc duo significare, & efficere non separantur. Quicquid enim significant sacramenta, illud etiam efficiunt, & nihil potest

fieri per sacramenta, quod non significetur per verba sacramentorum. Sed inter duas istas propositiones, Hoc est corpus meum, & fac hunc panem corpus Christi tui, prima verè significat illud esse, quare, & simul efficit. Secunda non significat esse, sed optat, & rogat ut sit. Non igitur illis verbis fit corpus Christi.

Deinde, ut illud esse significaret. Non tamen quicquid verba significant, efficiunt ex natura sua, nisi ex institutione Christi; sed illæ preces, ut dixi, non sunt institutæ à Christo; & contrà, illa alia verba, Hoc est corpus meum, sunt instituta; ergo illa sola efficiunt quod significant.

Præterea, Christus non solùm instituit, sed etiam simul administravit hoc sacramentum, sed nullam aliam adhibuit formam, præter sua divina verba; ergo illa sola sunt vera forma. Alioquin unum sacramentum duas haberet formas.

Præterea, addere ad verba Scripturæ, vel ea mutare nullo pacto licet, igitur nec verba sacramentorum mutari ullo modo debent, aut possunt. Presertim cùm verba Scripturæ solùm ad significandum, verba sacramentorum ad significandum, & sanctificandum instituta sint.

Præterea, si quis mutaret materiam sacramenti, aliam materiam addendo, non perficeret sacramentum, ergo & formam. Non enim minor, immo major est ratio. Sed additis precibus mutantur verba Christi, immo & penitus destruuntur, ergo.

Præterea, si verba Dominica non sufficiunt, & antecedunt, videntur esse tanquam præviæ dispositiones, & preces tanquam vera forma; non enim & verba, & preces tanquam forma, præsertim cùm sejungantur, & non continuò proferantur. Quocirca & præstantiores erunt humanæ preces verbis cœlestibus. Quippe prolatis dominicis verbis nihil fit: absolutis precibus fit corpus Christi. Neque enim possunt dicere inchoativè fieri corpus Christi per verba Christi, & imperfectum esse donec absolvatur per preces. Nam corpus Christi ubicunque est profectò perfectissimum est; vel ubi dicitur minus perfectum esse, ibi nulla ratione est, quare per verba Christi nihil fit, si imperfectum corpus debet esse. Deinde ut hoc verum sit, inchoativè esse per verba Christi hoc ipso preces erunt digniores, quæ illud non inchoant, sed absoluunt.

Ad hæc, cunctæ aliæ formæ sacramentorum continenter proferuntur nullo intervallo relicto, & unam integram sententiam efficiunt. Neque ratio reddi potest, cur forma debeat secari, ac dividi. Sed illæ preces, fac hunc panem non continuò pronunciantur, cùm inter verba Domini, & illas intercedant aliquot aliæ orationes, quæ non sunt de essentia sacramenti. Neque unam integram sententiam constituunt. Qualis enim est hujusmodi sententia, & contextus sermonis, Hoc est corpus meum, & Fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui. Ergo illæ preces non sunt pars sacramenti.

Præterea, in hoc sacramento substantia panis, remanentibus accidentibus, desinit esse in instanti, cùm sit etiam indivisibilis, idque virtute non unius, aut alterius verbi formæ, seu syllabæ, seu dictionis, quod ea per se nihil significent, sed vi totius sententiæ, quæ tunc censetur esse perfecta, & absoluta, cùm jam desinit tota ejus prolatio. Nam in omni rigore, & proprietate propositionum de præsenti tota significatio refertur ad instans, quod est terminus prolationis earum. Alioquin falsæ redduntur propositiones, vel imperfectum, non autem quem volumus, sensum efficiunt, ut si quis dicat, Adam est mortuus, verum dicit: At si dixerit, Adam est, & ibi sistatur, falsa erit propositio, quia significabit, Adam esse; ita in illa propositione, Hoc est corpus, ut efficiat sensum quem voluit Christus, necesse est addatur integrum prædicatum, meum. Idem videre est in propositionibus modi optandi, vel imperandi. Nam in hoc exemplo, Fac hunc panem, suspensa est significatio, & si addideris pretiosum corpus, adhuc non est absoluta, quia posset adjungi alia determinatio, Petri, vel Pauli. Donec ergo addatur, Christi tui, suspensa est significatio,

& completur in primo non esse verborum. Quamprimum enim desinunt verba formæ in instanti negativè per primum sui non esse, ut loquuntur Philosophi, desinit etiam in eodem instanti substantia panis per primum sui non esse, & incipit esse corpus Christi per primum sui esse. Quod etiam accidit in mutationibus naturalibus propter substantiæ annexas qualitates, dum corruptio unius fit generatio alterius.

Hæc itaque instantanea mutatio vel fit post prolationem verborum Christi præcisè, ac separatim, & tunc solis verbis Christi fit, vel post preces sacerdotis similiter sejunctim, & tunc solis precibus sacerdotis fit. Vel post verba Christi, sed conjunctim auxilio videlicet mox futurarum precum sacerdotis. Vel tandem post preces sacerdotis, non tamen seorsum, sed potestate quoque jam prolatorum verborum Christi. Hisce postremis membris divisionis simile quid excogitavit Ambrosius Catharinus in opusculo de verbis consecrationis circa finem, vir quidem Catholicus & doctus, sed qui in nonnullis, quæ est mortalium conditio, sine pertinacia erraverit. Nam existimat deprecationem necessariam, quamvis interdum anteponi possit, interdum postponi verbis Christi, & consequenter sentit, quando deprecatio anteponitur, ut nunc fit in Ecclesia Latina, statim post verba Christi incipere corpus esse in sacramento; si verò postponatur, non incipere donec fiat deprecatio. Hæc opinio, explosa superiore, unà quoque explodetur. Atque ut præposterè incipiamus, hoc postremum quod finxit Cabasilas, & Catharinus in gratiam Græcorum, adeo implicat contradictionem, ut non solùm homines, sed ne ipse quidem Christus non dico de facto non fecerit, sed neque per absolutam divinam potentiam efficere potuerit. Quid enim? An poterat ἡ αὐτοαλήθεια, Christus Dominus dicere, Hoc est corpus meum: deinde quasi non verax, & quasi nondum esset illud corpus suum, rogare, ut fieret? Propterea Evangelistæ cætera, quæ fecerat Christus, antecessisse commemorant, Accepisse panem, gratias egisse, fregisse, benedixisse, oculos elevasse in cœlum, quod habemus ex traditione, & est in liturgia sancti Jacobi, & Basiliana, quod etiam refert Ambrosius in libro 4. de Sacramentis cap. 5. & tandem dixisse, Hoc est corpus meum. Deinde tametsi illæ preces cum sententia Domini in sensu non discreparent, neque contradictioni subjicerentur, tamen eo ipso, quòd sint preces humanæ, non possunt esse pars formæ. Alioquin exæquabimus illas cum verbis divinis, & maximam injuriam faciemus verbis Domini, si tantam eis imbecillitatem attribuerimus, ut per ea sola nihil nos posse efficere existimemus, nisi deinde ad auxilium humanarum precum confugerimus. At non ita veteres Patres, qui tantùm miraculum, & miraculorum omnium maximum, nunquam precibus humanis fieri fassi sunt. Sed interrogati, qua ratione fieret tantum opus, nihil aliud sciverunt respondere, quàm majestate, imperioque verbi Domini, quo cuncta cætera in rerum natura sunt procreata. Sic divinus Ambrosius libro de mysteriis init. c. 9. De totius, inquit, mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse “ mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Chri- “ sti, qui potuit ex nihilo facere quod non “ erat; non potest ea, quæ sunt, in id muta- “ re, quod non erant? non enim minus est, “ novas rebus dare, quam mutare naturas. Et “ in libro 4. de sacramentis cap. 4. Ergo, in- “ quit, sermo Christi hoc conficit sacramen- “ tum. Quis sermo Christi? nempe is, quo “ facta sunt omnia; Jussit Dominus, & fa- “ ctum est cœlum. Jussit Dominus, & facta “ est terra. Jussit Dominus, & facta sunt ma- “ ria. Jussit Dominus, & omnis creatura ge- “ nerata est. Vides ergo quam operatorius sit “ sermo Christi: Si ergo tanta vis est in ser- “ mone Domini Jesu, ut inciperent esse, “ quæ non erant; quantò magis operatorius “ est, ut sint quæ erant, & in aliud commu- “ tentur? Cœlum non erat, mare non erat, “ terra non erat, sed audi dicentem, Ipse “ dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata “ sunt. Ergo tibi, ut respondeam non erat “ corpus Christi ante consecrationem, sed “ post consecrationem dico tibi, quòd jam “

est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est. Sic Eusebius Emissenus, seu quicumque sit, vetustus sanè, atque insignis auctor in sermone de corpore, & sanguine Domini, cujus initium, Magnitudo cœlestium beneficiorum Quando, ait, benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi numinis consecrentur, substantia illic est panis, & vini. Post verba autem Christi, corpus, & sanguis est Christi. Quid mirum autem si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere? immò jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & invisibilia voluntatis imperio suscitare. Et rursus: Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: Accipite, & edite, Hoc est enim corpus meum, & sanctificatione repetita, Accipite, & bibite, hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis verbo præbetur virtus, & rei seruit effectus.

Sic Damascenus in libro 4. de fide Orthodoxa cap. 14. Si igitur verbum Dei vivens est, & efficax, & omnia quæcunque voluit Dominus, fecit, si dixit, fiat lux, & facta est lux, fiat firmamentum, & factum est. Si verbo Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Si cœlum, & terra, aqua, ignis, & aër, & omnis ornatus eorum verbo Domini perfecta sunt, & homo ipse ubique divulgatum animal; si volens ipse Deus verbum, factus est homo, & ex sanctæ Virginis purissimis, & illibatissimis sanguinibus in seipso sine semine carnem sustentavit, non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum, & aquam sanguinem? Dixit in principio, Producat terra herbam virentem; & usque nunc pluvia facta producit germina, divino coadjuta & vigorata præcepto. Dixit Deus, Hoc est corpus meum, &, Hic meus est sanguis, &, Hoc facite in meam commemorationem; & omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur. Sic enim dixit, Donec veniat, &c. Nec quicquam amplius nobis perspectum, & exploratum est, quàm quod verbum Dei verum est, & efficax, atque omnipotens. Sic illi Patres.

Postremò qua ratione quispiam intelliget vim verborum Christi esse suspensam, & expectare preces ut producat effectum, quæ unà cùm verbis jam præteriit, immo & periit, quia jam non est. Neque aliud intelligimus per vim verborum, quàm ipsamet verba à Christo instituta & roborata; unde si prætereant, præterit etiam illorum vis, & si eadem verba proferantur, altera virtus numero illorum erit, ut & ipsa verba alia numero sunt. Nisi quis dicere velit, præterita verba Christi moraliter agere in sacramenta, quod à nobis suprà meritò rejectum est.

Penultimum quoque divisionis membrum, & easdem patitur difficultates, & non dissimili contradictioni obnoxium est. Dicere enim post prolationem verborum Christi, in instanti fieri corpus Christi, & tamen vi futurarum precum, (quæ vis si concedenda est, nonnisi post absolutas preces, & integram sententiam concedenda est,) est dicere, esse jam factum, & absolutum corpus Christi, & tamen non esse factum, antequam adveniat illa vis deprecatoria. Præterquam quòd etiam diximus formâ produci corpus Christi, quatenus continet integram sententiam, quæ debet proferri. Sed verba Christi & preces Græci Sacerdotis non solùm varias, sed contrarias sententias planè constituunt; ut quod una construit, altera destruat.

Et hæc quidem ratio valet, si preces verba Christi sequantur; si verò antecedant, ut vult Catharinus esse necessarias apud Latinos, tunc quærendum est, Vtrum illæ preces habeant aliquam virtutem à Deo sibi superadditam ad hoc ut concurrant ad tantum opus, ut habent verba Christi; vel sint ut verba, & signa magica, ad

quorum præsentiam, & prolationem Deus operatur. (tametsi illud prius esset convenientius, propterea enim dæmon illis præsentibus ex pacto operatur, quòd nullam addere possit illis virtutem; non sic Deus auctor, & opifex rerum) si primum, tunc militat superius argumentum. Quomodo suspenditur illa virtus cùm verba transierint? Si secundum, quare igitur illis prolatis Deus non operatur, nec statim consequitur effectus, sed expectantur verba Dominica, quæ sejunguntur aliquo spatio temporis à precibus, & non continuò enunciantur?

Respondere posset Catharinus, hæc pendere à mero placito institutoris, qui vult, ut ea omnia, & preces postpositæ, vel antepositæ, & sua verba requirantur ad producendum effectum.

Amabo eum, indicet ergo nobis, ubi extat hoc placitum. Nam ipse cùm nihil tale constet, à posteriori philosophatur, quia videt preces in liturgiis, vel anteponi ut apud Latinos, vel postponi, ut apud Græcos. Sed illæ preces alium sensum commodissimè admittunt. Perperam igitur contra sententiam communem aliorum Theologorum ita interpretatur eas Catharinus, ut existimet ad essentiam sacramenti pertinere. Quis enim Catholicorum dixerit, aliquam orationem ex his quæ antecedunt in Canone verba Christi, adeo esse necessariam, ut si fortasse, vel oblivione omittatur, vel malitiâ mutetur, consecratio non teneat? Ad hæc, cùm alia forma sacramentorum non requirant, preces, sed per se sufficiant, quæ ista est imperfectio hujus sacramenti, ut per se forma ejus non sufficiat, cùm alioquin nobilitate cætera mysteria longè superet?

Restat igitur, rejectis aliis membris, ut corpus Christi fiat singillatim, vel solis ipsiusmet Christi verbis, vel solis precibus Sacerdotis. At enim, ut solis fiat precibus humanis, fieri non potest, ne Græci quidem ipsi hoc admittunt. Primùm enim illæ preces, quæ post verba Christi effunduntur, Salvatoris sententiam redderent falsam. Profert enim Sacerdos, seu potiùs Christus per Sacerdotem illa verba, Hoc est corpus meum. Si deinde dixeris, solis precibus fieri. Non igitur fuit antea verum corpus, dum protulit, Hoc est corpus meum.

Deinde humana verba nullam habent virtutem ad producendos supernaturales effectus. At si solis precibus fieret corpus Christi, hac ratione non solùm exæquaremus preces humanas cum verbis divinis, (quod superiùs quasi absurdum à nobis meritò explosum fuit) sed adeò eas extolleremus, ut deinde nullam proportionem, comparationemve eas admittere posse fateri cogeremur. Nempe humanæ preces forent operosæ, potentissimæ, vitales, & efficacissimæ: Verba Domini languida, infirma, mortua, planéq; otiosa.

Postremò, unde scimus, dum deprecamur, fac hunc panem, nos exauditum iri? quæ oracula, quæ revelationes nobis de hac re patefactæ sunt, præsertim si simus mali ministri? Neque enim illæ preces sunt Evangelicæ, vel præceptæ à Christo, ut eas teneatur exaudire.

Quæ enim refert Cabasilas de certitudine orationis, quam certò sit exauditurus Deus, sunt valde generica, & sano modo sunt explicanda, cùm ex parte personæ supplicantis, tum ex parte rerum, quas obtinere cupimus, tum etiam temporis. Quamvis enim dicat Christus, Quicquid petieritis in nomine meo, dabit vobis, petite, & accipietis, pulsate, & aperietur vobis. Tamen ea potissimùm intelliguntur de rebus pertinentibus ad salutem, à quibus nemo excluditur, quæ sæpenumero non statim eveniunt. Etsi petantur ab hominibus sincero corde ad Deum se convertentibus. Secus enim peccatores Deus non exaudit. Adde quòd Augustinus, Dabit vobis, intelligit, dictum esse de Apostolis. Non autem intelliguntur de conficiendis sacramentis, quæ Christus non omnibus, sed sacerdotibus, non petere, sed facere, & administrare mandat, tantùm non dicens, immo verò dicens, baptizate, sacrificate, à peccatis solvite, manus imponite, infirmos ungite. Hæc enim extant in divinis literis. Nam alioquin, & sæcularis justus petendo, Christi

ſti corpus conficeret, cæteraque ſacramenta adminiſtraret, & Sacerdos peccator nihil efficeret.

Supereſt igitur, ut nos fateamur, ſolis verbis Chriſti αὐτοτάτοις, quod aiunt, fieri corpus Chriſti. Hac enim ratione, & ſententia Chriſti vera eſt, & operatoria, & nobis de veritate tanti myſterij certum eſt, dum non humanis, ſed divinis Chriſti verbis fidem adhibemus.

Unde egregiè Magnus Baſilius in quæſtionibus breviter explicatis q. 172. τὴν δὲ πληροφορίαν ἐμποιεῖ ἡ πίστις τῶν ῥημάτων τοῦ κυρίου εἰπόντος, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. De rei, inquit, veritate certiſſimos nos reddit fides verborum Domini, qui dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in meam commemorationem.

S. Gregorius Nazianzenus in ſecunda oratione de Paſchate: Ne ſermonibus, inquit, qui de carne habentur, fidem deneges. At inter ſermones de carne, præcipui ſunt illi Chriſti, Hoc eſt corpus meum. Illiſque prolatis à Sacerdote, qui non credit eſſe verum corpus Chriſti, ſine dubio fidem derogat.

S. Epiphanius in Ancorato circa medium: Voluit, inquit, per gratiam dicere, Hoc meum eſt (corpus) & nemo non fidem habet ſermoni. Qui enim non credit eſſe ipſum verum (corpus) excidit á gratia, & ſalute. Ergo in ſtatu damnationis ſunt, qui poſt illa verba Dominica non credunt eſſe ipſum verum corpus Chriſti, ſed expectant neſcio quas preces humanas, ut fiat. Neque enim ſancti Patres magis de præterito ſacramento corpus Chriſti continente, ac manibus Chriſti exhibito loquebantur, quàm præſens ſacramentum intelligebant.

S. Gaudentius tract. 2. de Exodo: Quod annunciatum eſt, inquit, credas, quia quod accipis corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis. Nam cùm panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. Credamus, cui credidimus, neſcit mendacium veritas. Et infrà: Non infringamus os illud ſolidiſſimum, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.

S. Chryſoſtomus homilia 82. in Matth. & hom. 60. ad populum Antiochenum: πειθώμεθα πανταχοῦ τῷ θεῷ, καὶ μηδὲν ἀντιλέγωμεν, κἂν ἐναντίον εἶναι δοκῇ τοῖς ἡμετέροις λογισμοῖς καὶ ταῖς ὄψεσι τὸ λεγόμενον. ἀλλ' ἔστω καὶ λογισμῶν καὶ ὄψεως κυριώτερος αὐτοῦ ὁ λόγος. οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν μυστηρίων ποιῶμεν, οὐ τοῖς κειμένοις μόνον ἐμβλέποντες, ἀλλὰ καὶ τὰ ῥήματα αὐτοῦ κατέχοντες. ὁ μὲν γὰρ λόγος αὐτοῦ ἀπαραλόγιστος, ἡ δὲ αἴσθησις ἡμῶν εὐεξαπάτητος. οὗτος οὐδέποτε διέπεσεν, αὕτη δὲ τὰ πλείονα σφάλλεται. ἐπεὶ οὖν ὁ λόγος φησί, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ πειθώμεθα καὶ πιστεύωμεν, καὶ νοητοῖς αὐτὸ βλέπωμεν ὀφθαλμοῖς. Credamus, inquit, ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit. Superet ſenſum, & rationem noſtram ſermo ipſius. Quod in omnibus rebus, ſed præcipuè in myſteriis faciamus. Non illa quæ ante nos jacent ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis illius defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt. Illius ſermo numquam aberravit, ſenſus verò noſter plerumque fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt corpus meum, nulla dubitatione teneamur, ſed credamus, & mentis oculis illud aſpiciamus. Sic Chryſoſtomus.

Qui igitur negant eſſe perfectum corpus Chriſti, poſt illa verba, hi non credunt, cui crediderunt, infringunt os illud ſolidiſſimum; dubitatione tenentur, & Chriſti verbis defraudantur. Siquidem Chriſtus per ſacerdotem enunciat, Hoc eſt corpus meum, hi verò nondum eſſe contendunt.

Quamvis enim ea, & ſimilia loca ſanctorum, illud nos doceant, credendam eſſe veram tranſmutationem ſubſtantiæ panis in verum corpus Chriſti, quam ſimiliter omnes recentiores Græci firmiſſimè aſſeverant, & credunt; Nihilominus tamen cùm iidem Græci ſingula ſacramenta loco formarum habere quædam verba certa fateantur, ut à principio hujus operis obſervavimus; & ex parte etiam concedant

in hoc ſacramento eſſe illa verba Chriſti, cùm deinde negant illa ſufficere, falſas reddunt omnes ſanctorum Patrum ſententias, quibus hortantur nos, ut fidem præſtemus diviniſſimis illis verbis, Hoc eſt corpus meum.

Poſtremò, cùm ſancti Patres urgent nobis verba Chriſti, per conſequens urgent etiam ſignificatum illorum. At Chriſtus Dominus illis verbis ſimul, & ſemel per ſe duo voluit efficere, quorum unum penderet ab altero. Igitur illa utraque nobis credenda ſunt. Voluit enim cùm dixit, Hoc eſt corpus meum, non ſolùm ut illi fidem præſtaremus, atque de veritate ſui corporis minimè ambigeremus, ſed etiam, & multò magis illis iiſdem verbis voluit efficere ſuum corpus, & re ipſa fecit: ſi enim non feciſſet, non juſſiſſet nos illud credere. Atque hoc poſterius, videlicet fides noſtra pendet ab illo priore, quòd panem in ſuum corpus tranſmutaverit. Quamvis enim ambo hæc ſimul ſint connexa, tamen ordine naturæ, noſtro etiam modo intelligendi, illud eſt prius, eſſe corpus Chriſti, deinde illud nos credere. Proinde illa verba Hoc eſt corpus meum, priùs reſpiciunt ipſum panem, ſuper quem proferuntur, & quem tranſmutant, deinde fidem noſtram. Si enim eſt corpus Chriſti, ut ipſemet teſtatur, utique credendum eſt.

Neque poteſt aliquis dicere, alia virtute, ſeu aliis verbis Chriſtum ſuum corpus effeciſſe. Et hiſce tantum hortari nos, ut illud credamus. Nam præterquam quòd etiam ipſi Græci concedunt Chriſtum Dominum illis ſolis verbis conſecraſſe, difficile eſt aſſignare alia verba Chriſti, ſeu aliam virtutem, & modum immediatum, quo illam de facto communicet cum ſacerdotibus. Initiantur quidem ſacris presbyteri, & charactere ſacerdotali conſignantur; At ſi deinde verba Chriſti non protulerint cum intentione conficiendi corpus Chriſti, minimè conficiunt. Eſt enim hoc modo character cauſa remota, verba Chriſti propinqua producendi corpus Chriſti, quæ ſi prætermiſſa fuerint à ſacerdote, nihil planè conſequetur. Quid enim? An ſacerdos per quamcumque virtutem occultam, quam neque ipſe ſciat ſe habere, accipiens panem neque verba Chriſti proferens, quodcumque dixerit, ſeu deprecatus fuerit ſtatim efficiet, & erit corpus Chriſti? nugæ ſunt, deliramenta fanaticorum hominum, qui ſanè quicquid in buccam venerit ſine mora eructant, & evomunt.

Atque ita diſſerendum nobis eſſet, ſi deeſſent clariſſima teſtimonia Patrum. Nunc verò adeo luculenter teſtantur hanc veritatem de verbis Domini, quibus ſolis ſacratiſſima Euchariſta fiat, ut planè ſupervacaneum ſit ita velle argumentari.

Probatur veritas Catholica teſtimoniis SS. Patrum.

Caput XXXII.

PRæſtat igitur teſtimonia ſanctorum Patrum in Confirmationem adducere. Juſtinus Martyr in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem: οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν· οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ Θεοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Non enim, ait, ut " communem panem, neque communem " potum hæc ſumimus, ſed quemadmodum " per verbum Dei incarnatus Jeſus Chriſtus " Salvator noſter, & carnem & ſanguinem " pro ſalute noſtra habuit, ſic etiam per orationem " verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factum " cibum, ex quo ſanguis, & carnes noſtræ " per mutationem aluntur, illius incarnati " Jeſu, & carnem, & ſanguinem eſſe " edocti ſumus.

Nota ex illis verbis, hæc ſumimus, Juſtinum loqui de Euchariſtia, non Chriſti tempore, ſed ſuo, quomodo fieret. Comparat autem Juſtinus Euchariſtiam cum incarnatione, & ad eum modum fieri docet, ſicut & incarnatio, hoc eſt, per verbum Dei. Non ergo per humanas preces. Ut enim verbo Dei, hoc eſt imperio, &

virtute incarnatio facta est (illud enim in Scriptura, Dixit, & facta sunt, divinum imperium denotat, quod etiam in incarnatione suo modo sumitur, quia nimirum voluit Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quorum una, & eadem est voluntas, ut Filius incarnaretur) ita per orationem verbi Dei, hoc est per efficacissima, & imperiosissima verba Christi, in quibus latet divinum imperium, tunc ab ipso solo Christo Domino, modò per ministrum prolata fit Eucharistia. Neque enim Christus alias preces, seu verba protulit. Quidam recentiores viri doctissimi per verbum Dei in incarnatione, intelligunt sermonem Dei, quem habuit Archangelus ad B. Virginem, quo enunciato, & consensu à Virgine præstito, statim subsequuta est incarnatio: dicitur autem verbum Dei, quia Gabriel Archangelus, quòd nuncius Dei esset, non potuit sua, sed sui principis verba referre, & mandata exponere.

At ni ego fallor per verbum Dei intelligitur ipsum verum verbum Dei, hoc est Filius Dei: per ipsum enim, & in ipso facta est incarnatio, quemadmodum & cætera creata per ipsum facta sunt. Hunc verò sensum, & intelligentiam, & eandem similitudinem videatur mihi exprimere Gregorius Nyssenus in oratione Catechetica illis verbis, (quem locum integrum infrà citabimus): Sanctificatum est autem (corpus illud) inhabitatione verbi quod in carne habitavit, &c. Et eadem de causa nunc etiam idem fit, &c. Et idem magis exprimens consequentibus verbis addit: Illic enim verbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, &c. Hîc etiam panis, ut ait Apostolus, per verbum Dei, & orationem sanctificatur. Quicquid autem sit quod per verbum Dei in incarnatione intelligatur, in consecratione tamen certum est per illud verba Christi esse intelligenda.

Quod adhuc magis clarum faciens Justinus in eadem Apologia statim subjungit: Apostoli enim in Commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt, eum accepto pane cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in memoriam mei, Hoc est corpus meum; dixisse etiam accepto poculo, cùm egisset gratias, Hic est sanguis meus. Ipsisque solis dedisse. Quod etiam imitati mali genij in (τοῦ ἡλίου) Solis sacris faciendum tradiderunt. Panem enim, & potum aquæ poni in initiatione ejus, qui initiatur cum certis quibusdam verbis, aut scitis aut cognoscere potestis. Nota similitudinem cacodæmonis, quam refert Justinus. Quia enim Christus Dominus quædam verba dixit, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, & ea dicere Apostolis mandavit, Hoc, inquiens, facite in memoriam mei: propterea dæmon in sacrificiis (τοῦ ἡλίου) Solis, dum aliquis initiaretur, & quasi Sacerdos fieret, pane & aqua adhibitis certa verba usurpabat.

Et paulò pòst in eadem Apologia, verbum εὐχαριστῶ, præter significationem inusitatam, Justinus accipit etiam pro eo, quod est, panem & vinum cum aqua consecro. Quasi dixeris ad verbum, Eucharistizo. Et passivum verbum similiter in eadem significatione usurpat. Unde apud Justinum, εὐχαριστηθεὶς ἄρτος, Eucharistizatus panis, hoc est, consecratus intelligitur. Ubi enim verba fecisset de Sacerdote consecrante, & modo consecrationis, infert: οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, ἀμήν, &c. εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. Quo terminante preces, & Eucharistiam, omnis qui præsens est populus acclamat, dicens, Amen, &c. Peractâ verò Eucharistiâ, & universi populi acclamatione, qui à nobis vocantur Diaconi singulis præsentibus tradunt communicandum panem Eucharistizatum, (hoc est, in Eucharistiam conversum) & vinum & aquam. Et non præsentibus deferunt. Et cibus iste apud nos Eucharistia vocatur. Sic Justinus. Porrò Eucharistiam Latinè rectè dixeris, gratiarum actionem. Sed gratiarum actionem Irenæus libro 4. adversus hæreses cap. 32. appellat verba Christi ita scribens, cùm,

qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum. Igitur cùm dicit Justinus gratiarum actione fieri consecrationem, per eam intelligit verba Christi, quibus fit corpus Christi. Sed & populus ad illa verba, Hoc est corpus meum, respondet, Amen, non ad illa, quæ Græci falsò existimant, esse formam, cùm ea secretò dicantur, & populus ea minimè audire queat.

Irenæus libro 5. contra hæreses cap. 2. » Quemadmodum lignum vitis depositum » in terra, suo fructificat tempore: & gra- » num tritici decidens in terram, & dissolu- » tum, multiplex surgit per spiritum Dei, » qui continet omnia; quæ deinde per sa- » pientiam in usum hominibus veniunt, & » percipientia verbum Dei fiunt Euchari- » stia, quod est corpus, & sanguis Christi: » sic & nostra corpora ex ea nutrita, & repo- » sita in terram, & resoluta in ea resurgent » suo tempore, verbo Dei resurrectionis eis » donante in gloriam Dei Patris.

Hìc Irenæus pulchrè ascendendo de una in alteram comparationem, confert resurrectionem cum rebus, quæ seminantur & plantantur, & cum Eucharistia quoad mutationem, & modum. Sicut enim vitis plantata & granum seminatum, quamvis corrumpatur, nihilominus fructificat, & multiplicatur per spiritum Dei, hoc est per vim, & imperium, seu verbum Dei, quod illud fortè fuit, quando Deus semel » dixit, Producat terra herbam virentem, & » lignum pomiferum faciens fructum. Et hæc eadem deinde, hoc est granum, & fructus vitis per humanam sapientiam, & industriam, quodam modo immutantur, & fiunt panis, & vinum. Et præterea percipientia verbum Dei mutantur in melius, & ex corruptibilibus fiunt incorruptibilia: corpus & sanguis Christi; Ita etiam corpora nostra per Eucharistiam enutrita, quamvis deinde corrumpantur, & fiant pulveres, & cineres, nihilominus mutabuntur in corpora humana gloriosa, & immortalia, idque beneficio Eucharistiæ. Verbum enim Dei, quod in ea existit, tempore suo donabit eis resurrectionem in gloriam Dei Patris.

Cyprianus in sermone de cœna Domini, seu quisquis auctor est, antiquus sanè, & valde doctus, Hoc est, inquit, corpus meum. Manducaverant, & biberant de « eodem pane secundùm formam visibilem: « sed ante verba illa cibus ille communis « tantùm nutriendo corpori commodus erat, « & vitæ corporalis subsidium ministrabat: « sed ex quo à Domino dictum est, Hoc fa- « cite in meam commemorationem, hæc est « caro mea, & hic est sanguis meus; quo- « tiescumque his verbis, & hac fide actum « est, panis iste substantialis, & calix bene- « dictione solemni sacratus ad totius homi- « nis vitam, salutemque proficit. Simul me- « dicamentum, & holocaustum ad sanandas « infirmitates, & purgandas iniquitates exi- « stens. «

S. Ambrosius in libro 4. de Sacramentis cap. 4. Tu, inquit, fortè dicis, meus « panis est usitatus: panis est ante verba sa « cramentorum, ubi accesserit consecratio, « de pane fit caro Christi. «

Quæ sit ista consecratio explicat in eodem capite his verbis. Quomodo potest, « quod panis est, corpus esse Christi? con- « secratione. Consecratio igitur, quibus ver- « bis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. « Nam reliqua cùm dicuntur, laus Deo of- « fertur &c. ubi venitur, ut conficiatur ve- « nerabile sacramentum, jam non suis ser- « monibus sacerdos, sed utitur sermonibus « Christi. Et in libro de mysteriis init. cap. 9. « Quòd si tantum valuit humana benedi- « ctio, ut naturam converteret (recenset « miracula Moysis, Heliæ & Helisæi) quid « dicemus de ipsa consecratione divina, ubi « verba ipsa Domini Salvatoris operantur? « Nam sacramentum istud, quod accipis, « Christi sermone conficitur. «

In eodem capite. Ante benedictionem « verborum cœlestium, alia species nomi- « natur; post consecrationem, corpus Chri- « sti significatur. «

Et in Psalmum 38. Etsi nunc Christus « non videtur offerre, tamen ipse offertur « in terris quando Christi corpus offertur. « Immò ipse offerre manifestatur in nobis, « cujus sermo sanctificat sacrificium, quod « offertur. «

S. Augustinus serm. 28. de verbis Domini: Ante verba Christi, quod offertur in altari panis dicitur. Ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur.

S. Gregorius Nyssenus Basilij Magni frater in oratione Catechetica cap. 37. καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν. καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα, ἄρτος τῇ δυνάμει ἦν. ἡγιάσθη δὲ τῇ ἐπισκηνώσει τοῦ λόγου τοῦ σκηνώσαντος ἐν τῇ σαρκί. οὐκοῦν ὅθεν ἐν ἐκείνῳ τῷ σώματι μεταποιηθεὶς ἄρτος εἰς θείαν μετέστη δύναμιν, διὰ τοῦ αὐτοῦ καὶ νῦν τὸ ἴσον γίνεται. ἐκεῖ τε γὰρ ἡ τοῦ λόγου χάρις ἅγιον ἐποίησε τὸ σῶμα, ᾧ ἐκ τοῦ ἄρτου ἡ σύστασις ἦν. καὶ τρόπον τινὰ καὶ αὐτὸ ἄρτος ἦν. ἐνταῦθά τε ὡσαύτως ὁ ἄρτος, καθώς φησιν ὁ ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ λόγου θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως. οὐ διὰ βρώσεως προϊὼν εἰς τὸ σῶμα γενέσθαι τοῦ λόγου, ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα διὰ τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Rectè igitur, inquit, etiam nunc Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentiâ, sanctificatum est autem inhabitatione verbi, quod in carne habitavit. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus in divinam virtutem transiit; eadem de causa, nunc etiam idem fit. Ut enim illic verbi Dei gratia sanctum effecit illud corpus, cujus firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat; sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per verbum Dei, & orationem sanctificatur: Non quia comeditur, eò progrediens, ut verbi corpus evadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est à verbo, Hoc est corpus meum.

Hoc in loco per unum mysterium æquè difficile incarnationis Gregorius explicat alterum Eucharistiæ, hujusmodi priùs jacto fundamento, & similitudine posita. Videlicet panem esse potentiâ corpus, & è converso corpus esse quodammodo panem. Nam ut Aristoteles docet, alimentum primò quidem dissimile, postea verò simile fit ei, cujus est alimentum: hacque ratione panis est corpus potentiâ, quippe mutatur in corpus. Quemadmodum igitur corpus humanum, quod aliquo modo erat panis, transmutatum est, atque deificatum inhabitatione verbi divini; ita etiam panis in sacramento altaris statim mutatur, & sanctificatur per verbum Dei. Illud est, Hoc est corpus meum. Si itaque per verbum Dei, non igitur per preces hominum, & statim, profectò nullæ preces sunt expectandæ.

Neque refert quod Nyssenus citet Paulum, qui ait in prima ad Timotheum Epistola, omnia sanctificari per verbum Dei, & orationem. Quippe illud Apostolus de communibus cibis intelligit. Adducit verò illud sanctissimus Doctor, quia quodammodo ad suum propositum facit, ex ea parte, qua dicit Apostolus sanctificari per verbum Dei. Alioqui neque similitudo, quam ponit de incarnato Verbo, per omnia quadraret. Et infinita sunt ejusmodi exempla, & testimonia Scripturæ, quæ sancti Patres suis scriptis solent accommodare, si vel unum verbum propositæ rei respondeat.

Adde quòd in aliis, quæ Apostolus dicit, sanctificari per verbum Dei, (loquor autem de verbo transitorio, ac prætereunte, non subsistente, quod est filius Dei) verbum Dei largo modo sumitur, neque aliud, quàm ipsam orationem significat, quæ aliquid ex Psalmis, vel ex Scriptura depromptum, contineat. Hîc autem per verbum Dei intelligimus propriè, & strictè verba Verbi Dei, semel quidem ore divinissimo Christi, infinities verò à sacerdotibus prolata, & in posterum proferenda. Quapropter illa verba Apostoli non æquè omnibus accommodantur.

S. Joannes Chrysostomus in hom. 2. in secundam ad Timotheum: οὐκ οἶδας τί ἐστιν ὁ ἱερεύς; ὅτι ἄγγελος κυρίου ἐστί. μὴ γὰρ παρ' ἑαυτοῦ λέγει; εἰ καταφρονεῖς αὐτοῦ, οὐκ αὐτοῦ καταφρονεῖς, ἀλλὰ τοῦ χειροτονήσαντος αὐτὸν θεοῦ. καὶ πόθεν δῆλον ὅτι ὁ θεὸς ἐχειροτόνησεν αὐτόν φησιν. οὐκοῦν εἰ μὴ ταύτην ἔχεις τὴν ὑπόληψιν, ἡ ἐλπίς σου κεκένωται. εἰ γὰρ μηδὲν ἐνεργεῖ ὁ θεὸς δι' αὐτοῦ, οὔτε λουτρὸν ἔχεις, οὔτε μυστηρίων μετέχεις, οὔτε εὐλογιῶν ἀπολαύεις, οὐκ ἄρα χριστιανὸς εἶ. An ignoras quid sit Sacerdos? quòd

Angelus Domini est? Num enim sua loquitur? si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinavit. Sed unde, inquies, constat Deum fuisse illius ordinationis auctorem? Nempe nisi tu hanc habeas opinionem, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur Deus; neque lavacrum habes, neque mysteriorum particeps es, neque benedictionibus frueris, igitur neque Christianus es. In his ergo sacramentis, quæ recenset Chrysostomus, immo verò in omnibus non sua profert Sacerdos. Neque enim hoc modo esset Angelus Domini. Quippe proprium Nunciorum, & Legatorum est, non sua, sed suorum Principum verba referre, & mandata exponere.

In eadem homilia idem astruens, sic ratiocinatur: βούλομαί τι παράδοξον εἰπεῖν. ἀλλὰ μὴ θαυμάσητε, μηδὲ θορυβηθῆτε. τί δὴ τοῦτό ἐστιν; ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι κἂν ὁ τυχὼν προσενέγκῃ, κἂν Παῦλος, κἂν Πέτρος, ἡ αὐτή ἐστιν, ἣν ὁ Χριστὸς τοῖς μαθηταῖς ἔδωκε, καὶ ἣν νῦν οἱ ἱερεῖς ποιοῦσιν. οὐδὲν αὕτη ἐλάττων ἐκείνης, ὅτι καὶ ταύτην οὐκ ἄνθρωποι ἁγιάζουσιν, ἀλλ' αὐτὸς ὁ καὶ ἐκείνην ἁγιάσας. ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα, ἅπερ ὁ Χριστὸς ἐφθέγξατο, τὰ αὐτά ἐστιν, ἅπερ ὁ ἱερεὺς καὶ νῦν λέγει, οὕτως καὶ ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι, καὶ τὸ βάπτισμα ὅπερ ἔδωκε. Volo quiddam adjicere planè mirabile. Et nolite mirari, neque turbemini. Quid verò istud est? sacra ipsa oblatio, sive illam quilibet sacerdos, sive illam Paulus, sive Petrus offerat eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ loquutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant; ita, & oblatio eadem est. Eademque Baptismi ratio est.

Hæc clara sunt contra Græcos. Et sensus est, sacramenta non pendere à bonitate ministri, sed sive à bono, sive à malo administrentur semper eadem esse. Sic Eucharistia eadem est, quamvis ab improbis presbyteris consecretur. Non quidem propter illos, & eorum merita, quæ sunt potiùs demerita, & malè facta, seu eorum humanas preces, sed virtute verborum Christi, quibus alligata est divina promissio. Et idem dicendum est de Baptismo, quamvis ab hæretico conferatur propter veram formam Baptismi. Neque aliter sentiunt Græci de Baptismo, nimirum non esse verum, nisi propter veram formam illius, quæ sunt verba Evangelica, non humanæ precationes. Nam & hæreticos illis verbis baptizatos, & ad Ecclesiam conversos, ex Patrum placitis & Conciliorum decretis minimè anabaptizant.

Et re vera si tempore Chrysostomi hæc quæstio agitata fuisset, pro efficientia verborum Domini à presbytero prolatorum, quæso, quid clarius dici potuisset? Quæ causa est, ut Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus examinans octavum caput Confessionis Augustanæ, & præsentem locum Chrysostomi in medium pro se adducens, illam tamen periodum, (quemadmodum verba quæ loquutus est Christus eadem sunt, &c.) quia contra suos Græcos faciebat, data opera citare omiserit; cùm tamen totam fermè homiliam, & quæ illam periodum sequuntur, ad verbum citet.

Idem Doctor ibidem paulò pòst, quasi rationem concludens: καὶ τοῦτο [illegible] σῶμά ἐστι, κἀκεῖνο, ὁ δὲ νομίζων τοῦτο ἔλαττον ἐκείνου εἶναι, οὐκ οἶδεν ὅτι ὁ Χριστὸς καὶ νῦν πάρεστι, καὶ νῦν ἐνεργεῖ. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est: qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest, atque operatur. Si igitur modò etiam Christus operatur, certè non aliis verbis agit, quàm quibus antea in cœna mystica operatus est. Et de sacerdote Chrysostomus non semel ibidem, & alibi dicit: ὅτι μόνον σύμβολον καὶ σχῆμα πληροῖ, Quòd symbolum & figuram adimplet. Quasi dicat, quòd nihil prorsus de suo addit. Quod magis clarum faciens Chrysostomus illud etiam subjungit, τὸ πᾶν τῆς χάριτός ἐστι. τούτου ἐστὶν ἀνοῖξαι τὸ στόμα. τὸ δὲ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται. Totum est gratiæ. Hujus tantùm munus est aperire os, cæterùm Deus cuncta operatur.

Et in sermone de proditione Judæ tom.

3. τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμά φησιν (ὁ ἱερεὺς) τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταρυθμίζει. Hoc eſt, inquit, (Sacerdos) corpus meum. Hoc verbum propoſita in alium rythmum, ſeu formam convertit. Quod eſt per metaphoram dictum, hoc eſt, ſubſtantiam panis in corpus Dominicum tranſmutat. Non igitur humanæ preces tranſmutant.

Ex his igitur Chryſoſtomi verbis tam claris, tam expreſſis, ac nullam omnino admittentibus ambiguitatem, ſano modo exponenda ſunt verba liturgiæ Chryſoſtomi. Id enim exponendi divinam Scripturam, & ſacros Doctores regulæ poſtulant, ut obſcura, & minùs clarè dicta, à manifeſtis, & alibi expreſsè dictis dilucidentur, ne ſecus faciendo tam ſacris paginis, quàm Eccleſiæ œcumenicis Doctoribus vim inferamus, & notam contrarietatis eorum ſcriptis inuramus. Atque de Chryſoſtomo ſatis.

Euſebius Emiſſenus in ſermone de corpore, & ſanguine Domini: Quando, inquit, benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam invocatione ſummi Numinis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis & vini, poſt verba autem, Chriſti corpus & ſanguis eſt Chriſti.

Iſichius libro 6. in Leviticum cap. 22. Per ejus, inquit, virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ videntur (Nota, loquitur de Euchariſtia ſui temporis) tam ſanctificata ſunt, quàm cunctum carnis ſenſum excedunt.

Paſchaſius in libro de corpore Domini cap. 12. Virtute Spiritus ſancti per verbum Chriſti, fit ſanguis Domini.

Theophylactus in cap. 6. Joannis: μεταποιεῖται ἀπορρήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας, καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς σάρκα τοῦ κυρίου. Transformatur, inquit, arcanis verbis panis iſte per myſticam benedictionem, & acceſſionem Spiritus ſancti in carnem Domini. At quæ alia poſſunt eſſe arcana verba, ſi non ſunt Chriſti? quæ non propterea dicuntur Arcana, quòd ſecretò pronuncientur, cùm ſacerdos Græcus clara voce ea proferat, ſicut & Chriſtus; ſed tum quia cælabantur gentilibus, tum etiam propter ſignificatum, & mirabilem vim in eis contentam. Hæc ex Patribus.

Soluuntur argumenta petita ex liturgiis.

Caput XXXIII.

Sed ad principales objectiones, quæ fiunt ex liturgiis, priùs reſpondeamus. Deinceps reliqua etiam, quæ nobis objecimus, diluemus.

Beſſarion Cardinalis in opuſculo de ſacramento Euchariſtiæ, & poſteriores Theologi, controverſiarumque deciſores, ut quiſque divino zelo vehementer flagrabat, atque acumine præſtantis ingenij pollebat, varias excogitarunt ſolutiones.

Prima ſolutio eſt. Non eſſe novum, & inuſitatum orare pro donis pretioſis jam conſecratis, & ſanctificatis, ut manifeſtè conſtat ex liturgiis Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ. Neque Latini hoc Græcis objicere poſſunt, quin ſibimet ipſis hoc idem priùs objiciant.

Communis autem, eaque præcipua, ſolida, litteralis, ac meritò cæteris omnibus anteponenda tam pro Græcis, quàm pro Latinis reſponſio eſt, quam adhibuerunt Patres Græci in Concilio Florentino ſeſſ. ultima. Quippe qui interrogati ab Eugenio quarto ſummo Pontifice, Cur illas preces adderent poſt verba Chriſti, perinde ac ſi nondum eſſet peracta conſecratio: reſponderunt, ſe nihil dubitare, quin conſecratio fieret verbis Chriſti; dicere tamen illas preces, ut nobis utilitas ex tanto ſacrificio proveniat, quo ſenſu Latini etiam poſt conſecrationem rogant, ut ſacrificium per manus Angeli ad ſupercœleſte altare perferatur.

Non itaque in eum ſenſum orant, quaſi conſecratio nondum ſit peracta, ut contendebat probare Cabaſilas. Si enim ejuſmodi deprecatio pro muneribus, eſt indicium nondum eſſe conſecrata propoſita dona; igitur neque illa verba Græcorum, Fac hunc panem erunt forma conſecrationis. Nam longè poſt illa, denuo Græci

orant pro donis expressè consecratis. Sic enim precatur Diaconus, vel ipse sacerdos, si Diaconus desit: ὑπὲρ τῶν ἁγιασθέντων τιμίων δώρων τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, pro sanctificatis pretiosis donis Dominum deprecemur. Neque tantùm in his ordinariis per annum liturgiis, sed etiam idem fit in præsanctificatis quas vocant προηγιασμένας. ὑπὲρ τῶν προηγιασθέντων τιμίων δώρων τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, pro præsanctificatis pretiosis donis Dominum deprecemur. Non itaque orant pro consecratione, sed potius pro nostra imbecillitate, atque ut inde utilitatem nos capiamus, ut etiam obsequium ministri offerentis Deo placeat. Cùm alioquin oblatio ipsa, & principalis offerens Christus perpetuò sint quàm gratissima Deo: unde Jacobus: ἵνα μὴ γένηται εἰς κατάκριμα τῷ λαῷ σου τὸ οἰκονομηθὲν ἡμῖν τοῦτο πρὸς σωτηρίαν μυστήριον, ἀλλ' εἰς ἐξάλειψιν ἁμαρτιῶν, εἰς ἀνανέωσιν ψυχῶν καὶ σωμάτων εἰς εὐαρέστησιν σου τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. Ne mysterium, inquit, hoc, quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit, sed in absolutionem peccatorum, ac animarum, & corporum renovationem, utique tibi Deo & Patri gratum sit. Quod etiam inde probari potest. Nam minister rogat, ut Deus suscipiat hoc sacrificium, sicut dignatus est accepta & grata habere munera Abelis & sacrificium Patriarchæ Abrahæ. Quæ verba reperiuntur apud Jacobum Apostolum, & Basilium in liturgiis ante consecrationem, & habentur in Missa Latina, & apud Ambrosium post consecrationem in l. 4. de sacramentis c. 6.

At non conferunt sacrificium nostrum cum sacrificio Abelis & Abrahæ, ac Samuelis: cùm nostrum absque ulla controversia, & comparatione longè superet illa sacrificia, quantum res ipsa, & veritas figuras excellit. Sed optant, ut tanta fide, ac devotione sacrificium offerant, quanta illi justi, Patriarchæ, & Prophetæ obtulerunt. Et per consequens, ut æquè placeat Deo nostrum sacrificium ex parte ministri, atque illorum placuit. Et quemadmodum Hebræi postulabant, ut Deus eorum sacrificia, ubi tamen nulla fiebat consecratio, clementer aspiceret, hoc est illorum fidem & obsequium grata haberet, non oves, & boves; eodem modo minister Evangelicus rogat, ut dignus fiat, partim qui offerat, partim qui sacramentum participet, ad quæ præstanda gratiâ divinâ indiget. Unde Jacobus Apostolus post consecratoria verba Christi: μὴ δι' ἐμὲ καὶ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας ἀθετήσῃς τὸν λαόν φιλάνθρωπε κύριε. Ne propter me, inquit, & propter mea peccata repudies populum benigne Domine. Et Basilius Magnus post illas preces Græcorum: μνήσθητι κύριε καὶ τῆς ἐμῆς ἀναξιότητος, καὶ μὴ διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας, κωλύσῃς τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος ἀπὸ τῶν προκειμένων δώρων. Memento, inquit, Domine, & meæ indignitatis. Neque propter peccata mea gratiam arceas sancti tui spiritus à propositis muneribus. Immo proprium est Græcorum non solùm in hoc sacramento enunciare priùs formam sacramenti, deinde rogare, ut veniat Spiritus sanctus, sed etiam idem faciunt in sacramento Ordinis. Cùm enim priùs dicant, ἡ θεῖα χάρις προχειρίζεται, &c. & statim evadat vel Diaconus, vel Presbyter, vel Episcopus, statim inferunt: εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος. Ad quid? ut eum consecret, at jam consecratus est, & absolutum est mysterium quod pertinet ad essentiam. Non enim subsequentia verba sunt pars formæ sacramenti, ut falsò existimāt Cabasilas, & Marcus hæresiarcha Eugenicus Ephesiorum antistes. Idcirco etiam in liturgia post illa commemorata verba, (pro sanctificatis pretiosis donis Dominum deprecemur) hæc continuò sequuntur, ὅπως ὁ φιλάνθρωπος θεὸς ἡμῶν ὁ προσδεξάμενος αὐτὰ εἰς τὸ ἅγιον καὶ ὑπερουράνιον, καὶ νοερὸν αὐτοῦ θυσιαστήριον, ἀντικαταπέμψῃ ἡμῖν τὴν θείαν χάριν, καὶ τὴν δωρεὰν τοῦ παναγίου πνεύματος. Ut Deus noster humani generis amator, qui ea (munera) in sanctum, & supercœleste, ac intellectuale suum altare admisit, emittat nobis vicissim loco illorum divinam gratiam, & largitionem sanctissimi Spiritus. Huc spectant illa quoque verba Missæ Latinæ. Postquam enim supplex oravit sacerdos, ut per manus Angeli in sublime altare

pretiosa dona perferri jubeat Deus, scil. ut Deus mandet Angelo sua nos intercessione juvare, ac nostrum obsequium Deo commendare. Quemadmodum Tobiæ 12. orationes nostræ ab Angelis deferri ad Deum dicuntur, non quòd voces & verba deferant; sed quòd vota, & desideria nostra intercessione sua commendent. Vel jubeat Deus, ut sacrificium, quòd visibiliter oblatum est manibus sacerdotis in terris, per manus Christi, qui magni Consilij Angelus appellatur, offeratur in cœlis. Efficiatque Christus, quippe qui interpellat pro nobis, ut ministerium, & devotio nostra sint accepta Deo. Sic enim à Latinis explicantur ea verba Canonis, non ut Cabasilas somniat; postquam, inquam, hæc sacerdos supplex oravit, sic deinde pergit. "Ut quotquot ex hac Altaris participatione "sacrosanctum corpus & sanguinem sum-"pserimus, omni benedictione cœlesti & "gratia repleamur.

Itaq; ut ad propositam difficultatem breviter, & præcisè respondeam, dico; non simpliciter, & universè Græcorum presbyteros deprecari ut fiat corpus Christi, sed ut fiat suscipientibus. Quare Basilius non dicit, fac, sed ostende panem istum corpus Christi, hoc est, ostende per effectum panem istum sanctificatum non esse panem vulgarem, sed cœlestem. Neque dubium quin Chrysostomus idem voluerit significare illo verbo (fac) quod Basilius verbo, ostende. Alioquin illa consequentia verba: ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν, ita ut fiat percipientibus, essent ἀνανταπόδοτα. Illud etiam verbum μεταβαλών, quod tempus indeterminatum, sed tamen præteritum denotat, eundem planè constituit sensum, quasi dicat sacerdos: Tu, Deus noster, qui mirabili virtute tua, & Spiritu sancto tuo jam transmutasti panem istum, & propterea est pretiosum corpus Christi tui, fac, ut is fiat communicantibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, &c. Et idem patet ex similibus precibus, sed clarioribus quæ habentur in liturgia Latina. Nam ante consecrationem sacerdos dicit: Fiat nobis corpus, & sanguis, non autem: Fiat simpliciter. Et post consecrationem non dissimili modo loquendi utebantur olim Latini ante reformationem Missalis. Dicebant enim: Fiat commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam. Postea verò ambiguitatis tollendæ causâ, & ne præberetur alicui ansa errandi, quasi tunc fieret consecratio, addita est illa particula (hæc) & transpositum verbum (fiat). Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis.

Et certè si in Græco alter articulus tantùm apponeretur, clarior redderetur sententia. Ut si diceremus, ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τὸ τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου. τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, τὸ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. Ille enim articulus (τὸ) exprimeret quid sit ille panis, & quid illud, quod in poculo continetur. Et sensus esset, Fac iste panis, qui est pretiosum corpus Christi tui, jam Spiritu sancto tuo transmutatus (dicetur autem panis propter species visibiles) & quod est in poculo, qui est pretiosus sanguis Christi tui, fac, inquam, ut fiat participantibus in emendationem animæ, &c.

Sed & si desint articuli, hunc tamen sensum constituunt. Unde in illis verbis, τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, subintelligitur ὄντα, & similiter in aliis, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, subaudiendum est participium (ὂν) & structura sermonis Græci erit hujusmodi: σὺ ὁ μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ τὸν ἄρτον τοῦτον, ὄντα τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, ποίησον αὐτὸν γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσι. καὶ ὁ μεταβαλὼν τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, ὂν τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, ποίησον αὐτὸ γενέσθαι, &c. "Tu qui "Spiritu sancto tuo transmutasti panem "hunc, qui est pretiosum corpus Christi tui, "fac ut is fiat suscipientibus. Et qui trans-"mutasti quod est in poculo, quod est pre-"tiosus sanguis Christi tui, fac ut hoc fiat. Vel brevius sine iteratione illius (transmutasti) & illius (fac) σὺ ὁ μεταβαλὼν τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ποίησον αὐτὰ γενέσθαι. "Tu qui transmutasti panem hunc, & "quod est in calice, &c. fac ut ea fiant. Quare accusativi illi: τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ἐν τῷ

ποτηρίῳ, non referuntur immediatè ad verbum ποίησον, cùm post verbum (fac) hypodiastole ponenda sit, sed ad participium μεταβαλὼν, & ad infinitum γενέσθαι. Unde Latini obscurè, ne dicam malè ita verterunt, Fac hunc panem, & quod est in calice, quasi referant panem, & calicem ad verbum (fac). Cùm potiùs servata proprietate sermonis, in recto debuissent dicere, Fac ut iste panis, quem Spiritu sancto transmutasti, & qui est pretiosum corpus Christi tui, fiat participantibus, &c.

Dicerem etiam illa verba, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, non sic esse vertenda Latinè, Quod autem est in calice, sed τὸ δὲ τίμιον αἷμα, ut articulus (τὸ) respiciat αἷμα. ἐν τῷ ποτηρίῳ, hoc est, ὂν ἐν τῷ ποτηρίῳ. Pretiosus verò sanguis Christi tui existens in poculo, fac, ut fiat; Sic, inquam dicerem vertenda esse, nisi obstaret, quod sequitur postea participium μεταβαλὼν, quod quia æquè bene ad panem & ad calicem referri potest, ea verba priori modo verti, satius est.

Hanc verò expositionem verborum liturgiæ Chrysostomi non esse violentam, sed germanam, & literalem, cùm ipsa verba indicant, quæ nos cogunt ita ea exponere; tum facilè quilibet consenserit, modò meminerit, quæ fuerit sententia Chrysostomi de verbis Domini superiùs à nobis recitata. Neque enim par est existimare tantum Doctorem, præsertim in re tanti ponderis, & momenti, alia in Commentariis posteritati mandasse, alia, & ea contraria in sacrificio composuisse. Ad eundem modum exponendus est Jacobus Apostolus, à quo hunc modum loquendi sumpsit Chrysostomus.

Sed & Basilius Magnus pro nobis facit, qui orat, ut Spiritus sanctus veniat, atque ostendat panem ipsum pretiosum corpus, per effectum scilicet sacramentalem in anima justi: non secus, ac si aliquis dicat Regi, ostende & præbe te Regem, hoc est regia, & præclara facinora. Quæ verba accepta sunt à mystagogia Clementis. Et ideo concludit Clemens, ut qui eum (panem) participaverint, in pietate firmentur. Et Basilius: Nos autem, inquit, qui de uno pane, & calice participamus, coadunet invicem in unius Spiritus sancti communione. Et nullum nostrum ad judicium, aut condemnationem faciat accipere sanctum corpus, & sanguinem Christi tui. Idem Basilius, qui hoc in loco non est usus modo loquendi Chrysostomi, hoc idem clariùs postea in eadem liturgia petit: αὐτὸς δέσποτα τῶν ἁπάντων δὸς γενέσθαι ἡμῖν τὴν κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου εἰς πίστιν ἀκαταίσχυντον, εἰς ἀγάπην ἀνυπόκριτον, εἰς πλησμονὴν σοφίας, εἰς ἴασιν ψυχῆς καὶ σώματος, εἰς ἀποτροπὴν παντὸς ἐναντίου, εἰς περιποίησιν τῶν ἐντολῶν σου, εἰς ἀπολογίαν εὐπρόσδεκτον τὴν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ σου. Tu Domine, inquit, universorum da ut fiat in nobis Communio corporis, & sanguinis Christi tui, in fidem non confundentem, in charitatem non fictam, in multiplicationem sapientiæ, in sanitatem animi & corporis, in aversionem omnis adversarij, in observationem mandatorum tuorum, & defensionem acceptabilem in reddenda ratione ad terribile tribunal Christi tui. Hæc quidem verba, quibus certum est, non fieri consecrationem, propemodum similia sunt verbis Chrysostomi. Certè in sensu nulla ratione discrepant, sed si quæ alia maximè conveniunt.

Neminem autem movere debent illa verba Basilij, ut Spiritus sanctus veniat super munera ista, & hæc benedicat, & sanctificet. Nam sensus est: hæc benedicta, & sanctificata esse per effectum aliis faciat: Eo modo quo Deus loquitur ad Abraham Gen. 22 Nunc cognovi, quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Hoc est, nunc cognoscere feci aliis, quòd timeas Dominum. Alioquin Deus & antè optimè noverat. In Missa verò Latina quando dicitur, per quem (Christum) hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, &c. Non is sensus est, quasi tunc primò sanctificet, seu vivificet, quippe jam vivifica effecta sunt verbis Domini: sed eo modo loquendi commemorantur omnia divina beneficia circa hoc sacramentum. Nam in primis

creatur materia hujus Sacramenti: deinde ſanctificatur, cùm deſtinatur ad ſacrificium: poſtea vivificatur, quando conſecratur & fit panis vitæ: ad hæc benedicitur cùm omnis benedictionis effectum obtinet, ut ſacramentali efficacia caput cum mẽbris uniat: poſtremò omnium per communionem nobis præſtatur, ut ex eo vitam hauriamus. Ita Latini hunc locum Canonis ſolent exponere, & certè ſatis doctè.

Beſſarion diſertè, ac prolixè docet (quæ ejus ſolutio in eandem incidit) corpus Domini duplex eſſe, verum ſcilicet, & myſticum. Quod eſt Eccleſia, hoc eſt congregatio fidelium. Hanc enim negare corpus Chriſti nemo auſit, præſertim audiens Apoſtolum dicentem, Eccleſiæ caput Chriſtum eſſe. Caput enim ſine membris non eſſet caput. Quapropter membra Chriſti nos ſumus, & caput noſtrum eſt Chriſtus. Unde clamat Apoſtolus. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte. Verùm itaque corpus, ipſius Domini verbis, cujus corpus eſt, conficitur. Hoc verò quod ipſi ſumus, ſacris ſacerdotum precibus, & juſtis actionibus, vitæque, ac morum honeſtate completur, cùm dignè homines ſacram Euchariſtiam ſumunt, & ejuſdem cum Chriſto corporis efficiuntur. Idque petit ſacerdos, cùm rogat, ut deſcendat Spiritus ſanctus, & corpus Chriſti faciat, ut fiat participantibus in ſobrietatem animæ, in remiſſionem peccatorum, &c.

Nec immeritò rogat, ut corpus Chriſti per effectum nutritionis ſpiritualis fiat corpus myſticum. Nempe ad hunc finem inſtitutum eſt hoc myſterium, ut corpus verum corpus myſticum efficiat, ſi dignè ſumatur.

Et cùm in aliis ſacramentis, quæ ſignis, & rebus conſtant, ſigna tantùm ſignificent, res tantùm ſignificentur, ut in baptiſmate ablutio carnis ſignum ſit ſignificans ablationem peccatorum; remiſſio peccatorum ſit res ſignificata; in hoc Sacramento, præter id, eſt aliquid aliud peculiare. Nam res quæ ſignificatur, eſt alterius rei præterea ſignum. Quare ſpecies viſibiles panis, & vini ſunt merè ſigna; corpus verum Chriſti in eis contentum eſt res ſignificata, & præterea ſignum eſt alterius corporis myſtici.

Neque abſurdum videri debet, ſi res præſtantior quandoque ſignum ſit, & figura ignobilioris. Nam mors Chriſti mortis noſtræ ſecundum peccatum, & reſurrectio ejus, vitæ noſtræ per juſtificationem exemplum, & figura ſunt. Vas namque electionis eſt qui dicit, Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram: & Petrus Apoſtolorum Coryphæus, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum.

Quapropter tum quia corpus verum, corpus myſticum ſignificat, tum quia illud efficit, Apoſtolus quandoque utraque ſimul conjungit. Panis, ait, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini eſt? Quaſi dicat, nos corpus myſticum nonne participamus verum corpus Chriſti? & rurſus, Unus panis, & unum corpus multi ſumus: & reddens ejus rationem addit, omnes enim ex uno pane participamus. Hoc itaque petitur in liturgiis, ut panis ille conſecratus, qui eſt in ſe re vera corpus Domini, nobis quoque proficiat, & per effectum fiat corpus Domini. Qui enim indignè manducant, & bibunt, ſecundum Apoſtolum, judicium ſibi manducant, & bibunt. Sed de hac ſolutione ſatis.

Secunda ſolutio eſt, petere, quæ aliquis jam tenet, vel præſentia deſiderare, vel conceſſa, quaſi nondum conceſſa, quod ſpectat ad modum loquendi, concedere, non eſſe abſurdum, in ſacra ſcriptura, his exemplis probari poteſt. David Pſalm. 4. ἐν τῷ ἐπικαλεῖσθαί με εἰσήκουσάς μου ὁ Θεὸς τῆς δικαιοσύνης μου. ἐν θλίψει ἐπλάτυνάς με. Cum invocarem, inquit, exaudiſti me Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti me. Et ſtatim ſubjungit, quaſi non eſſet exauditus; οἰκτείρησόν με, καὶ εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου. Miſerere mei, & exaudi orationem meam. Sic illi tres juvenes in illo celeberrimo cantico, & ipſe regius Pſaltes invitant Angelos ad laudandum Deum, quaſi non ſponte & perpetuò illud facerẽt, aut non ſtudioſè, & diligenter facerent. Cùm tamen laudationem Dei, nec Angeli unquam inter-

mittant, nec remittant. Sic Marci cap. 5. mulieri, quę profluvio sanguinis laborabat, & fide, fimbriæque vestimenti contactu jam sanata fuerat, Christus nihilominus ait, Fides tua te saluam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua. Et similis modus loquendi invenitur Lucæ 7. ubi primùm dicitur de Magdalena, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et postea Dominus eidem dicit, Remittuntur tibi peccata tua: quasi tunc primum dimitterentur, cùm tamen antea jam dimissa fuissent. Non igitur mirum, si etiam Sacerdos in sacrificio petat, ut fiat corpus Domini, quod jam est factum. Similes enim loquutiones per exaggerationem, ecstasim quandam, ac divinum amorem amantis indicant erga rem amatam. Unde Theodoretus ex sententia Chrysostomi, teste Bessarione, memorati Psalmi locum exponens: Non satiatur, inquit, justus orando, sed supplicans, & impetrans, & fructus orationis colligens, adhuc orando, ac supplicando perseverat, scit enim quanta inde sequatur utilitas. Et hoc non est petere mutationem panis in corpus Domini, ut verba sonare videntur, sed potiùs confirmationem, & stabilitatem rei jam factæ. Non quòd ulla ex parte dubitet, vel timeat Sacerdos, ne sacramentum deficiat, & munus evanescat, sed ut ostendat affectum suum, ac nimium desiderium erga præsentiam corporis Dominici. Vel hujusmodi loquutiones congratulationem declarant. Lætabantur enim sanctissimi illi tres juvenes, quod Angeli laudarent Deum. Unde doctissimus, & elegantissimus Pererius exponens Canticum in Danielem: Non est, inquit, oratio tam invitantium Angelos ad faciendum quod ipsi non faciant, vel ad cumulatius faciendum, quàm faciãt, &c. Verùm est oratio gratulantium, & collætantium ipsis, quod in eo munere tam diligentes, & feruentes sint. Sic etiam Sacerdos lętatur, & gratulatur Deo, quod talem, ac tantum effectum pretiosissimum corpus Christi producat. Optatque ut semper producat, & productum conservet, non quod pertimescat, ne illa præsentia Christi sub speciebus panis duratura non sit, sed solùm, ut dixi, ad explicandum affectum.

Vel denique divinum beneplacitum hoc modo loquendi Sacerdos approbat, quæ omnia ex affectu animi, & amore proveniunt. Illa enim verba, esto sana à plaga tua, non significant, volo ut saneris, jam enim sana erat. Neque novum Christus illi concesserat beneficium, sed idem est, ac si dixisset, placet quod sanata sis, ratum habeo quod factum est. Ita Ecclesia potuit illa oratione divinum hoc beneplacitum postulare. Quemadmodum ante consecrationem idem petit Ecclesia Latina, nimirum ut fiat corpus Christi, & ut illa oblatio benedicta, adscripta, & rata habeatur, certè nihil dubitans eam talem fore. Quæ responsio arguta, & ingeniosa est, & nonnullis viris doctis placuit. Sunt aliæ duæ solutiones, sed minùs solidæ, & probabiles.

Tertia itaque solutio est, quam Bessarion secundam ponit, & multis verbis explicat. Scilicet divinum hoc sacramentum commune opus esse totius sanctissimæ Trinitatis, quare non minus Patrem, & Spiritum sanctum esse invocandos, quàm Filiũ. Cùm igitur recitantur verba Christi, Filius invocari intelligitur, & ipsius verbis verè, ac perfectè fit consecratio. Verùm quia non solus ad eam cõcurrit, idcirco deinceps rogatur Pater, ut mittat Spiritum sanctum, & eam perficiat. Non quasi nondum perfectam, perfecta enim verbis Christi est, & plusquam perfecta, sed tantùm, ut hoc modo loquendi Pater, & Spiritus sanctus una cum Filio auctores esse consecrationis intelligantur. Unde oratio illa est quidem deprecatoria, & per eam postulatur consecratio: sed tamen referenda est ad idem instans consecrationis, quod præteriit, quia non potest homo simul omnia explicare.

Hæc solutio non placet, tum quia difficilis est captu, & commodissimè potuisset hæc oratio, si ejus talis est sensus, præmitti, deinde proferri consecratio. Neque enim si prius invocetur Spiritus sanctus, quã verba Christi prolata fuerint, timendum est, ne statim fiat consecratio, quæ nonnisi verbis Christi fit, ut propterea Spiritus sanctus priùs non sit invocandus. Dum enim verba Christi enunciantur, tunc cõcurrit sanctissima Trinitas, quando sic ipsa voluit, & sta-

tuit, idque ipsius pactum est. Tum etiam quia non est opus exprimi omnes personas, quæ concurrunt quandocunque aliquid memoratur, quod à concursu omnium pendeat; sed una nominata persona, reliquæ implicitè, ut aiunt, intelliguntur. Unde Patri attribuitur omnipotentia, & per consequens opera, quæ ab ipsa producuntur, ut esse creatorem cœli & terræ, à quibus nullo pacto Filius & Spiritus sanctus excluduntur. Idem judicium feras de attributis Filij & Spiritus sancti. Quare Christus Dominus nulla invocatione facta (saltem Patris tantummodo facta, cùm ad eum elevatis oculis respexit, & gratias egit, certè non Spiritus) solis suis verbis consecravit.

Ad hæc, Bessarion ait, propter populum hæc fieri, ut is intelligat consecrationem commune opus esse Trinitatis. At hæc secretò recitantur, & populus nihil horum intelligit.

Postremò, hæc doctrina, communia esse ad extra opera Trinitatis, ex aliis locis scripturæ potest populo proponi & inculcari, non ex sacrificio, præsertim ejusmodi loquutione interveniente, ut periculum sit, ne loco hujus doctrinæ multi decipiantur, ut ex Græcis ipsis apparet, qui consecrationem eam esse falsò existimant.

Quarta solutio est, ordinem liturgiæ inversum esse, quippè similis oratio ante consecrationem habetur in Missa Latina,
» Quam oblationem tu Deus in omnibus
» quæsumus benedictam, adscriptam, ra-
» tam, rationabilem, acceptabilemque fa-
» cere digneris; ut nobis corpus, & sanguis
» fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Jesu
» Christi, qui pridiè quàm pateretur &c.

Verùm non est probabile in hoc mutatum esse ordinem universè omnium liturgiarum Græcarum, quandoquidem tot auctores antiquissimos habemus Jacobum, Marcum, Clementem, qui post consecrationem similes preces recensent. In liturgia verò Latina illam orationem ante consecrationem poni non est mirum, vel insolitum. Nam & in Græca reperiuntur aliæ orationes ante consecrationem non dissimiles.

Et in summa liberum erat Apostolis, & iis, qui liturgias composuere, ante consecrationem, vel post rogare, ut corpus Christi futurum, & consecrandum, vel præsens, & consecratum fieret nobis in emundationem animi, & corporis, &c. Idem enim sensus est. Unde auctores mystagogiæ, & mysteriorum sacratissimi duces indifferenter hæc in liturgiis inseruerunt.

Sed ad B. Cyrillum, qui nobis adversari videtur, respondeamus. Fortassis in liturgia, qua ipse utebatur, illæ preces erant ante verba Dominica, ut est apud Latinos. Idcirco ait rogari Patrem, ut mittat Spiritum sanctum, qui panem illum efficiat corpus Christi verbis ipsiusmet Christi.

Hoc responsum, facilè quilibet advertet à nobis excogitari, ut subterfugiamus potiùs, quàm ut soluamus difficultatem. Nullam enim Cyrillus composuit, vel diversam habuit liturgiam, sed ut ex tota illius expositione apparet, usus est sacra mystagogia Jacobi, præsertim cùm esset etiam Hierosolymorum antistes. Atque, ut omittam cætera, ordo eorum, quorum fit mentio in liturgia post consecrationem, istud manifestè indicat. Quippè ait, post confectum illud spirituale, & incruentum sacrificium, nos obsecrare Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro trànquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis, & pro omnibus indigentibus. Deinde commemorare sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, &c. Postremò orare pro defunctis, qui ordo fertur in liturgia Jacobi; sed immutatus reperitur in aliis, ubi primùm, omnium sanctorum fit mentio, deinde mortuorum, tandem vivorum. Quamobrem ingenuè fateor eum ita sensisse, ut scribit, & illius verba significant, nimirum tunc fieri consecrationem, quando illis precibus invocatur Spiritus sanctus. Unde in prima Catechesi, Panis, in- «
quit, & vinum Eucharistiæ ante sacram «
invocationem adorandæ Trinitatis panis «
erat, & vinum merum, peracta verò invo- «
catione, panis quidem fit corpus Christi, «

» vinum autem sanguis Christi. Et in 3. Catechesi, dicit panem post invocationem Spiritus sancti non esse ampliùs panem communem, sed corpus Christi: quæ ipsius verba sano modo exponi potuissent, nisi ipse in 5. Catechesi mystagogica eam expositionem adhibuisset. Neque mirum si Cyrillus ita senserit. Nam illa verba liturgiarum primo aspectu sensum Græcorum præseferunt; tempore verò Cyrilli minimè ista disceptatio inter Græcos, & Latinos agitabatur, ut ex ea occasione meliùs hæc considerare ac decidere sanctissimus vir potuerit, sed ea verba simpliciter, ut sonare videntur, exposuit. Sed opponendi sunt ipsi uni quidem plurimi, ac præcipui Doctores Ecclesiæ, Ambrosius, Augustinus, & Chrysostomus, item Nyssenus, & alij, quos suprà citavimus. Adde quòd una res eum quoquo modo excusare potest, quòd in adolescentia Catecheses illas scripserit, teste Hieronymo.

RESPONSIO ALTERA,
& uberior explicatio sententiæ
S. Cyrilli Hierosolymitani.

Retractanda est mihi sententia in tertio libro, quam habui de S. Cyrillo Hierosolymitano, quod spectat ad verba, quibus fit consecratio corporis & sanguinis Christi. Nempe re meliùs considerata, eum existimo non usum fuisse liturgia (ut nunc est) S. Jacobi. Quippe in ea nonnulla sunt addita à posterioribus Græcis, ut illud, ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ. quod carmen editum est, post Concilium Ephesinum, quo declaratur B. Virgo θεοτόκος. Item Angelicus ter-sanctus hymnus, qui primò canitur in Missa Græca ante Epistolam, non ille in præfatione, & vox ὁμοούσιος. Præterquam quòd structura sermonis est adeo elegans, ut nulla ex parte sapiat Hebraïsmum; idcirco sit valde suspecta, an ea sit S. Jacobi, & certum est, si ea est S. Jacobi, esse multùm immutatam. Deinde in quinta Catechesi mystagogica refert S. Cyrillus Diaconum aquam lavandis manibus Sacerdoti (hoc est, Pontifici) & Presbyteris altare circumdantibus porrexisse: quod non extat in liturgia Jacobi. Præterea recitato fidei symbolo, ἔπειτα βοᾷ ὁ διάκονος, ἀλλήλους ἀπολάβετε. Deinde, « inquit, clamat Diaconus, invicem com- « plectimini. Quæ similiter verba syllabatim, ut par est, non reperiuntur apud Jacobum. Nec illud reperitur, ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον, habemus ad Dominum, cùm tamen illud referat Cyrillus in quinta Catechesi mystagogica. Quare signum est: Cyrillum non usurpasse liturgiam S. Jacobi: vel si eam usurpavit, dicendum est, eam adhibuisse valde mutatam atque concisam, non autem tam prolixam. Multò minùs dicendum est, eum adhibuisse liturgiam Basilij, vel Chrysostomi: tum quòd illos ætate antecesserit, tum quòd nonnulla, quæ memorat S. Cyrillus, non legantur in liturgiis horum Doctorum, & multa Jacobi recitentur diverso ordine in liturgia Basilij & Chrysostomi, ut oblationis oratio, ὁ θεός, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὸν οὐράνιον ἄρτον, & commemorationes Sanctorum, vivorum, & mortuorum peracta consecratione. Cùm autem non extet liturgia, qua usus est Cyrillus, non debemus eum ex aliis liturgiis Græcorum interpretari: sed ut in Missa Latina rogant Deum, ut oblationem benedictam, adscriptam, rationabilem, acceptabilemque facere dignetur, ut corpus & sanguis fiat dilectissimi filij sui, ita potuit Cyrillus rogare Deum, ut mitteret Spiritum sanctum suum, & faceret panem corpus Christi, & vinum sanguinem Christi, deinde proferre verba Christi, & actu illud efficere. Unde Cyrillus applicabat preces invocationis Spiritus sancti ad conficiendum verum corpus Christi, quod postea fiebat prolatis verbis Christi, alij Doctores applicabant ad utilitatem corporis mystici Christi. Et alium sensum illorum verba faciunt, ut nos suprà explicavimus. Quod enim Chrysostomus ait, ποίησον ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς, &c. hoc idem significat illis verbis Jacobus cùm ait, ἐξαπόστειλον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, ἵνα ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ

τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τίμιον τοῦ Χριστοῦ σου, ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, &c. Loquitur partim ut Basilius, partim ut Chrysostomus, & eodem modo exponendus est. ἐξαπόστειλον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον, ἵνα τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον ὄντα ἅγιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο ὂν τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, ἁγιάσῃ, id est ἅγιον δείξῃ, per effectum. καὶ ποιήσῃ ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, &c. huc referendum est verbum ποιήσῃ, quod futurum respicit.

Ut autem ita sentiamus de S. Cyrillo fecit, quòd in omnibus liturgiis verba Christi Domini solemni ritu, & clara voce pronunciantur in persona Christi, tanquam aliquid pertinens ad sanctificationem & transmutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi; & cùm cæteri Patres tam disertè doceant, verbis Domini Eucharistiam confici, dubitari non potest, quin eadem quoque fuerit Cyrilli sententia; quamvis eorum verborum loco citato nullam mentionem faciat.

Dico igitur, quando sunt nonnulla testimonia Patrum subobscura, per alia clariora eorumdem, vel aliorum Patrum exponenda esse. Cyrillus itaque in prima Catechesi mystagogica, ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τῆς εὐχαριστίας πρὸ τῆς ἁγίας ἐπικλήσεως τῆς προσκυνητῆς τριάδος, ἄρτος ἦν καὶ οἶνος λιτός. ἐπικλήσεως δὲ γενομένης, ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος αἷμα Χριστοῦ. Panis, inquit, & vinum Eucharistiæ, ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat, & vinum merum, peracta verò invocatione, panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi. Explicet nobis alter Doctor quæ sit ista invocatio. Chrysostomus tomo quinto sermone 88. in Pentecosten, ostendens innumera fieri virtute Spiritus sancti, ὅταν τὴν φρικτὴν ἐκείνην θυσίαν ἀναφέρειν μέλλῃ (ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον) οὐ πρότερον ἅπτεται τῶν προκειμένων, ἕως ἂν ὑμῖν αὐτὸς ἐπεύξηται τὴν παρὰ τοῦ κυρίου χάριν, καὶ ὑμεῖς ἀποφθέγξησθε αὐτῷ, καὶ τῷ πνεύματί σου. διὰ τῆς ἀποκρίσεως αὐτῆς ἀναμιμνήσκοντες αὐτοὺς, ὅτι οὐδὲν αὐτὸς ὁ παρὼν πράττει, οὐδὲ ἀνθρωπίνης ἐστὶ φύσεως κατορθώματα τὰ προκείμενα δῶρα, ἀλλ' ἡ τοῦ πνεύματος χάρις παροῦσα, καὶ πᾶσιν ἐφαπτομένη τὴν μυστικὴν ἐκείνην κατασκευάζει θυσίαν. εἰ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ παρὼν, ἀλλ' ὁ θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν δι' αὐτοῦ. μὴ τοίνυν πρόσεχε τῇ φύσει τοῦ ὁρωμένου, ἀλλ' ἐννόει τὴν χάριν τὴν ἀόρατον. Quando (Sacerdos) inquit, tremendum illud sacrificium est oblaturus (sciunt initiati quod dicitur) non priùs aggreditur ad conficienda munera, donec ipse vobis gratiam à Domino precatus fuerit, & vos illi respondeatis, & cum Spiritu tuo. Eo responso vos ipsos in memoriam redigentes, quod nihil ipse, qui est præsens, agit, neque humanæ naturæ sunt effecta proposita munera, sed gratia Spiritus præsens, omniaque attingens mysticum illud operatur sacrificium. Quamvis enim homo sit præsens, at Deus est, qui per ipsum operatur. Ne igitur naturæ illius, qui videtur, animum adhibe, sed invisibilem considera gratiam. Sic Chrysostomus. At quibus verbis Sacerdos in liturgia precatur ipsis Domini gratiam? Illis nimirum, ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος εἴη μετὰ πάντων ἡμῶν. Gratia D. N. I. C. & charitas Dei & Patris, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Quæ sunt verba Pauli, & in liturgia recitantur immediatè ante Canonem, ad quæ populus respondet, Cum Spiritu tuo. Hanc itaque Cyrillus intelligit invocationem adorandæ Trinitatis, quæ præcedit verba Christi. Hanc invocationem sicut Chrysostomus loco citato attribuit Spiritui sancto, ita etiam Cyrillus in tertia Catechesi, ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐκέτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. Panis, inquit, Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem, non ampliùs est panis communis, sed est corpus Christi. Aliter enim si verba superficie tenus spectes, nulla fit in liturgia, cùm consecrantur dona, invocatio Trinitatis. Nisi dixeris virtualiter. Quando enim proferuntur verba Christi, tota Trinitas concurrit, cùm sit opus ad extra, ad panem & vinum transmutandum. At verò hæc invocatio, quæ virtualis est, & quam intelligit Cyrillus in objectione

facta post illam Seraphicam hymnodiam, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth, non excludit verba Christi, & adscribitur Spiritui sancto, ut cætera, quæ sanctificantur. Quamvis peractis verbis Christi consecratoriis, fiat altera invocatio Spiritus sancti, non utique ad munera transmutanda, sed ad nos, qui ea participamus, sanctificandos. Quod certè non est insolitum in aliis quoque sacramentis. Ecce tibi in sacramento Ordinis, Pontifex ordinans Diaconum, seu Presbyterum, vel etiam Episcopum, statim enunciat formam, ἡ θεία χάρις, ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται. &c. qua absoluta statim fit de clero, charactere insignitus, qui consecratur. Deinde immediatè subjungit Pontifex, εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus.

Quòd autem hujusmodi loquutiones sanctorum Patrum non excludant verba Christi, manifestè constat ex D. Chrysostomo, qui totam efficaciam formalem attribuit verbis Christi, ut videre licet in suis clarissimis testimoniis suprà citatis, præsertim iu illo, τοῦτο τὸ ῥῆμα, (τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου) τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. Is nihilominus oratione 81. tomo quinto in nomen cœmeterij & crucem Domini circa finem, reprehendens fideles, quòd tumultuosè ad communionem accederent, loquitur fermè ut S. Cyrillus, τί ποιεῖς ἄνθρωπε; ὅταν ἑστήκῃ πρὸ τῆς τραπέζης ὁ ἱερεὺς, τὰς χεῖρας ἀνατείνων εἰς τὸν οὐρανὸν, καλῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τοῦ παραγενέσθαι καὶ ἅψασθαι τῶν προκειμένων, πολλὴ ἡσυχία, πολλὴ σιγή. ὅταν διδῷ τὴν χάριν τὸ πνεῦμα, ὅταν κατέλθῃ, ὅταν ἅψηται τῶν προκειμένων, ὅταν ἴδῃς τὸ πρόβατον ἐσφαγιασμένον, καὶ ἀπηρτισμένον, τότε θόρυβον, τότε ταραχὴν, τότε φιλονεικίαν, τότε λοιδορίαν ἐπεισάγεις; Quid agis ô homo? quando stat ante mensam Sacerdos in cœlum elevans manus, Spiritum sanctum invocans, ut veniat, & attingat proposita dona, multa quies, multum silentium. Quando Spiritus concesserit gratiam, atque descenderit, & attigerit quæ proponuntur, quando videris agnum immolatum, & absolutum, tunc turbas & tumultus excitas, tunc contendis, tunc convicia jactas? Hæc similia sunt verbis Cyrilli, qui tamen noluit verba Christi recensere, veluti arcana quoad significatum & mystica; unde dicere solebant, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. Et norunt fideles, ait alicubi Augustinus. Cum verò contra hæreticos agerent, ut fidem tantæ rei facerent, ea vrgebant, & inculcabant. Idem facilè probare possumus ex B. Ambrosio, qui, ut advertimus, sine ambagibus clarè pronunciat, consecrationem fieri sermone Christi, & nihilominus in quadam oratione, quæ præfigitur Missali, precatur propositis donis adventum Spiritus sancti, cujus testimonium infrà citabimus. Aliter enim quando Sacerdos Græcus secretò recitato Canone, verba Christi clara voce profert, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Et populus respondet, Amen. Loco respondendi Amen, si juxta illos, nondum est corpus Christi, posset sacrificanti respondere, ψεύδῃ, mentiris, nondum enim credis, esse corpus Christi. Atque ad commonefaciendos nonnullos recentiores Græcos, qui in hoc errore versantur, & eorum absurdissimum sensum redarguendum, in hoc imitandus esset S. Amphilochius, qui convenientibus titulis salutato Theodosio seniore Imperatore, ad ejus filium conversus, tu quoque, inquit, salve puer. Quod cùm Imperator ægrè admodum tulisset, adjecit sanctus, esse Deum Patrem ægrè laturum, quòd Ariani ejus filium ejusdem esse Majestatis inficiarentur.

Defenditur Basilius in voce antitypi post consecrationem, & notio hujus vocis accuratè excutitur, & explicatur.

CAPUT XXXIV.

AD difficultatem, quæ oritur ex voce antitypi. Sciendum est in primis hoc verbum præter cæteras notiones, quas significat, quod spectat ad præsens negotium,

tium, cùm de ſanctiſſima Euchariſtia agitur, dupliciter poſſe accipi. Vel enim ſignificat exemplar, quaſi dixerimus ἀντὶ τοῦ τύπου, loco figuræ. Quod autem hujuſmodi eſt, exemplar eſt. Quippe figuræ, & imagini vel antecedit, vel ſuccedit veritas & exemplar. Vel non prototypum, ſed ipſum typum, figuram & imaginem ſignificat, & eam non ſimpliciter qualemcumque, ſed ἀντίτυπον, hoc eſt, ἰσότυπον, æqualem, & ſimilem figuram, quæ è regione reſpondet exemplari, & quæ cum eo de forma certare videtur, adeò ad vivum illud imitatur, & repræſentat. Qualis propriè ἀντίτυπος eſt hominis imago, quæ reſultat in ſpeculo, dum quis in illud intuetur, ut optimè obſervavit Cardinalis Bellarminus in primo lib. de Sacramentis in genere, & in libro de Sacramento Euchariſtiæ.

Prætermiſſa hac duplici ſignificatione apud profanos auctores, apud Eccleſiaſticos, & divinam ſcripturam, hoc vocabulum priori modo pro exemplari accipitur, ut nonnullis placet, in prima Epiſtola Petri cap. 3. ubi Baptiſmum vocat Princeps Apoſtolorum ἀντίτυπον diluvij, cùm tamen diluvium figura fuerit Baptiſmi. Non contra baptiſmus diluvij. Si itaque figura fuit, igitur Baptiſmus eſt veritas, & ἀντὶ τοῦ τύπου, loci figuræ eſt exemplar.

Secundo modo accipitur ad Hebræos 9. οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ᾽ εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν.
» Non enim in manufacta ſancta introivit
» Chriſtus antitypa verorum, ſed in ipſum
» cœlum. Opponit Apoſtolus veris antitypa, hoc eſt ἰσότυπα, æquales figuras, & ſimiles imagines. Ubi Chryſoſtomus hom. 17. ἄρα ἐκεῖνα ἐστὶν ἀληθινὰ, ταῦτα δὲ τύποι. καὶ γὰρ ὁ ναὸς οὕτω κατεσκεύασται, ὥσπερ ὁ οὐ-
» ρανὸς τοῦ οὐρανοῦ. Illa igitur ſunt vera, hæc
» autem figuræ. Etenim templum ita con-
» ſtructum eſt, ſicut cœlum cœli. Eodem modo accipit hanc vocem Nazianzenus in 2. oratione de Paſchate, ubi noctem Paſchalem ob infinitam ardentium cereorum multitudinem, quibus illuminabatur, vocat ἀντίτυπον firmamenti cœleſtis, ubi infinita ſtellarum lumina conſpiciuntur.

Auctores igitur nonnulli, ut Turrianus in ſcholiis ſuis Græcis in Conſtitutiones Apoſtolicas libro 5. c. 13. & Billius ſimiliter in ſcholiis in orationem Nazianzeni in funere ſororis Gorgoniæ, & quidam alij Euchariſtiam ſecundum prius ſignificatum rectè dici poſſe ἀντίτυπον putant, quia ſit exemplar, cui correſpondebant omnes antiquæ figuræ de Chriſti corpore. Nam præpoſitio Græca ἀντὶ, pro, illam vim habet ut ſignificet ἀντίτυπον, id quod loco antiquarum umbrarum datum eſt nobis. Juxta quam expoſitionem, hæc vox potiùs exprimit veritatem hujus Sacramenti. Eam confirmant ex loco prioris Epiſtolæ Petri citato, ubi Baptiſma dicitur ἀντίτυπον reſpectu Arcæ Noë. Hoc eſt veritas, & exemplar, ſeu prototypon, cùm diluvium fuerit figura.

Hæc ingenioſè dicta quis neget? Verùm iſti auctores, ut eruditè more ſuo notat Bellarminus, non ſatisfaciunt teſtimoniis Patrum, qui vocant Euchariſtiam ἀντίτυπον, non agni Paſchalis, & ipſius manna, veterumque figurarum, ſed corporis, & ſanguinis Domini.

Neque refert, quod Baptiſma vocetur ἀντίτυπον, hoc eſt, exemplar. Nam ibidem ſtatim dicitur, cujus ſit exemplar, & veritas, nimirum diluvij. Neque enim Deus inſtituit Baptiſmum, ut repræſentaret diluvium, ſed è contrario diluvium Deus induxit in mundum, tum ob alias cauſas, tum etiam ut eſſet figura Baptiſmi.

At neque ibi ea vox (ut doctè idem Bellarminus diſſerit) hoc ſignificatu recipitur, ſed rectè Latinus interpres vertit, ſimilis formæ. Nam Baptiſmus aliquo modo eſt exemplar, aliquo modo imago diluvij, & ut imago, non ut exemplar dicitur à ſancto Petro antitypon diluvij. Nam ſi conſideremus ſignificationem ad placitum, ſeu divinam ordinationem, diluvium fuit figura Baptiſmi, non contrà. At ſi conſideremus naturalem ſimilitudinem, Baptiſmus eſt potiùs imago diluvij, quàm diluvium Baptiſmi. Siquidem magis propriè, & verè diluvium ſuffocavit homines impios, quàm Baptiſmus peccata ſuffocet. Illa enim vera, & propria, hæc metaphori-

ca eſt ſuffocatio. Quia tamen valdè ſimilis eſt effectus Baptiſmi, id eſt ſuffocatio iniquitatum, effectui diluvij, id eſt, ſuffocationi hominum impiorum, ideo ſanctus Petrus Baptiſmum ἀντίτυπον, reſpectu diluvij appellavit. Quare universè notat Bellarminus, eam vocem apud ſacros antiquos auctores nunquam accipi pro exemplari, ſed pro imagine, quæ è regione reſpondet exemplari, & ita illud imitatur ad vivum exprimendo, ut cum eo contendere de forma videatur.

Relicta itaque priore ſignificatione, convenit inter alios auctores ἀντίτυπα vocari, quaſi figuras æquales, & imagines exemplorum.

Quod ex eo quoque probari poteſt. Quod eadem munera ſacratiſſimæ Euchariſtiæ æquè Patres Græci, atque Latini vocant ſymbola, imagines, ſimilitudines, typos, figuras, ſigna, notas, quæ idcirco & repræſentare corpus Chriſti aiunt. Dionyſius in 3. Eccleſ. Hier. capitulo Euchariſtiam ſymbolum nominat, cùm ita ſcribit: τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. Sacras divinas operationes Hierarcha laudans conſecrat diviniſſima, & manifeſtat, quæ laudata ſunt per ſymbola ſanctè propoſita. Et infrà, τῶν πολλῶν μὲν εἰς μόνα τὰ θεῖα σύμβολα παρακυψάντων. Populo quidem divina ſolùm ſymbola intuente. Et rurſus, τοῦ θειοτάτου δείπνου καὶ ἀρχισυμβόλου τῶν τελουμένων εἰς μνήμην ἱερὰν ἄγει. καθ' ὃ καὶ αὐτὸς ὁ τῶν συμβόλων δημιουργὸς ἀποκληροῖ δικαιότατα τὸν οὐχ ὁσίως αὐτῷ καὶ ὁμοτρόπως τὰ ἱερὰ συνδειπνήσαντα. In ſacram memoriam nos ducit divinæ cœnæ, quæ archiſymbolum fuit eorum, quæ in altari fiunt. Unde & ipſe ſymbolorum creator optimo jure eum repellit, qui non ſanctè, neque ſimili modo cum eo ſacra illa cœnaverit.

Origenes libro 8. contra Celſum, ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. Habemus etiam ejus quæ ad Deum eſt, gratiarum actionis ſymbolum, panem, qui Euchariſtia vocatur. Et ſuper 15. cap. Matth. Panem conſecratum vocat corpus ſymbolicum & typicum. Et dialogo 3. contra Megethium Marcioniſtam in fine ſecundæ partis, ſub titulo, de Chriſto homine vero ex Maria Si ut loquuntur, inquit, iſti, carne deſtitutus erat, & exanguis, cujuſmodi carnis, cujus corporis, & qualis tandem ſanguinis, ſigna, & imagines, & panem & poculum miniſtravit, juſſitque per illa diſcipulos ſui memoriam renovare?

Euſebius lib. 5. de demonſtratione c. 3. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος (ὁ Μελχισεδὲκ) ἱερεὺς ἐθνῶν τυγχάνων, οὐδαμοῦ φαίνεται θυσίαις σωματικαῖς κεχρημένος, οἴνῳ δὲ μόνῳ καὶ ἄρτῳ τὸν Ἀβραὰμ εὐλογῶν, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον. πρῶτος μὲν αὐτὸς ὁ σωτὴρ καὶ κύριος ἡμῶν, ἔπειτα οἱ ἐξ αὐτοῦ πάντες ἱερεῖς ἀνὰ πάντα τὰ ἔθνη τὴν πνευματικὴν ἐπιτελοῦντες κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς ἱερουργίαν, οἴνῳ καὶ ἄρτῳ τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος αἰνίττονται τὰ μυστήρια, τοῦ Μελχισεδὲκ ταῦτα πνεύματι θείῳ προτεθεωρηκότος, καὶ τῶν μελλόντων ταῖς εἰκόσι προκεχρημένου. Nam quemadmodum ille (Melchiſedec) qui Sacerdos Gentium erat, nuſquam videtur ſacrificiis corporalibus functus, ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit; ita ſanè primus ipſe Salvator ac Dominus noſter, deinde omnes, qui ab ipſo profecti ſunt, Sacerdotes in omnibus Gentibus ſpirituale ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones ſacrificium celebrantes, vino ac pane & corporis illius & ſalutaris ſanguinis myſteria αἰνίττονται ſub involucro exprimunt, id eſt, διὰ συμβόλων παριστῶσι, per ſymbola repræſentant. Quæ ſanè myſteria Melchiſedec tanto ante Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus uſus fuerat. Et libro 8. demonſtratione prima in fine: πάλιν γὰρ αὐτὸς τὰ σύμβολα τῆς ἐνθέου οἰκονομίας τοῖς αὐτοῦ παρεδίδου μαθηταῖς, τὴν εἰκόνα τοῦ ἰδίου σώματος ποιεῖσθαι παρακελευόμενος. ἐπειδὴ γὰρ οὐκέτι τὰς δι' αἱμάτων θυσίας, οὐδὲ τὰς παρὰ Μωσεῖ ἐν διαφόρων ζώων σφαγαῖς νενομοθετημένας προσίετο, ἄρτῳ δὲ χρῆσθαι συμβόλῳ τοῦ ἰδίου σώματος παρεδίδου, εἰκότως τὸ λαμπρὸν καὶ καθαρὸν ἠνίξατο τῆς τροφῆς, εἰπὼν καὶ λευκοὶ ὀδόντες αὐτοῦ ἢ γάλα. Rurſus enim ipſe diſpenſationis divinæ notas ſuis diſcipulis tradidit, dum hortatur, ut ſui ipſius corporis imaginem conficerent. Cùm enim non amplius

cruenta sacrificia, neque ea quæ apud Mosem in lege, diversorum animalium mactationibus sancita erant, accepta haberet, sed ut pane sui corporis nota uterentur, institueret, meritò Propheta splendorem ac puritatem illius alimenti significavit, cùm dixit, & albi dentes ejus quàm lac. In eodem libro demonstratione secunda: πότε δὲ τὰ τῆς διαθήκης τῆς καινῆς ἐδυναμοῦτο, ἢ ὅτε ὁ σωτὴρ καὶ κύριος ἡμῶν μέλλων τελεῖν τὸ μέγα μυστήριον τῆς εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ παρόδου, ᾗ νυκτὶ παρεδίδετο, τὰ σύμβολα τῶν κατ᾽ αὐτὸν ἀπορρήτων τῆς καινῆς διαθήκης λόγων τοῖς αὐτοῦ παρεδίδου μαθηταῖς; Quando verò tandem quæ ad novum pertinent testamentum, sunt confirmata, nisi cùm Salvator ac Dominus noster magno illo sui ad mortem accessus mysterio functurus, qua nocte tradebatur, occultarum ex ipsius instituto novi testamenti rationum symbola suis discipulis tradebat?

Nazianzenus in oratione 17. ad cives timore perculsos: Χριστὸν προσάγω σοι, &c. καὶ τὴν τράπεζαν ταύτην, ᾗ κοινῇ προσίμεν, καὶ τοὺς τύπους τῆς ἐμῆς σωτηρίας, οὓς ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τελῶ σόματος, ἀφ᾽ οὗ ταῦτα πρὸς σὲ πρεσβεύω, τὴν ἱερὰν καὶ ἄνω φέρουσαν ἡμᾶς μυσταγωγίαν. Christum tibi offero, &c. atque adeo mensam hanc, ad quam communiter accedimus, salutisque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te deprecationem allego. Hanc, inquam, sacrosanctam rei divinæ mystagogiam, quæ nos ad superna evehit.

Chrysostomus hom. 17. in Epistolam ad Hebræos, similiter typum Eucharistiam appellat, cujus testimonium paulò pôst citabimus. Et Psal. 22. Mensam, inquit, istam præparavit servis suis, ut quotidie in similitudinem corporis, & sanguinis sui panem, & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderet in sacramento. In eundem sensum usurpat vocabulum symboli hom. 83. in Matthæum.

Theodoretus Dialogo 2. orthod. Dic ergo mystica symbola, quæ Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorumnam dicis esse symbola? Eranistes; Corporis, & sanguinis Domini. Orthod. Corporis, quod verè est, vel verè non est? Eran. Quod verè est. Orthod. Optimè. Oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturam, & eorum quæ videntur, depingunt imagines.

Ex Latinis Tertullianus lib. primo contra Marcionem cap. 14. Panem, inquit, quo ipsum corpus suum repræsentat. Et lib. 4. contra eumdem, nomine figuræ utitur.

S. Ambrosius libro 1. cap. 48. dicit, hîc offerri Christum in imagine, in cœlo in veritate. Et libro de his qui initiantur c. 8. & 11. dicit, Eucharistiam esse verum panem, & corpus Christi significare. Itaque panem, & vinum, figuram vocat.

S. Augustinus in Psalm. 3. Christus, inquit, adhibuit Judam ad convivium, in quo corporis sui figuram discipulis commendavit: & adversus Adimantum scribens signi vocabulo utitur.

B. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, In typo, inquit, sanguinis sui, non aquam obtulit, sed vinum.

Gelasius libro contra Eutych. in fine. Imago, inquit, & similitudo corporis, & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur.

Ex his igitur constat, ἀντίτυπα secundo modo accipienda esse, pro figura simili, & imagine.

Verùm hîc quoque non una est omnium sententia. Quidam enim existimant, Basilium panem & vinum vocasse ἀντίτυπα corporis, & sanguinis Domini ante consecrationem. Poterat sanè vocasse. Nam materiæ sacramentorum, qualis est panis, & vinum in hoc mysterio, habent similitudinem, & analogiam quandam cum re significata partim naturaliter, quia sunt aptæ ad significandum; partim ex institutione divina, quia determinantur à Christo, ut significent. Quare panis, qui nutrit, nutritionem spiritualem significat, & conversus in corpus Christi, illam etiam efficit. Et similiter vinum quod & ipsum nutrit, & lætificat, hæc eadem spiritualiter significat, simul etiam consecratum efficit. Meritò itaque ob hanc similitudinem, & institutionem, signa, & figuræ corporis, & sanguinis nuncupari possent. Ita expo-

nitur Basilius à Damasceno loco citato in argumentis, & ab auctore confutationis conciliabuli Iconoclastarum, quam legit quidam Epiphanius in septima synodo. Quæ illorum expositio, ut nunc liturgia Basilij, & illorum scripta se habent, necessariò illud nobis indicat, eos existimasse, haud verbis Christi, sed orationibus sacerdotum Eucharistiam consecrari.

Verùm non solùm Basilius, sed etiam permulti alij Patres post consecrationem munera sacra vocaverunt ἀντίτυπα. Clemens Romanus libro 5. Constitut. c. 14. παραδοὺς ἡμῖν τὰ ἀντίτυπα μυστήρια τοῦ τιμίου σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος. Cùm dedisset nobis antitypa mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui. At Christus Apostolis non dedit panem simplicem, sed consecratum. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica: μὴ τῷ λάρυγγι τῷ σωματικῷ ἐπιτρέπητε τὸ διακριτικόν. οὐχί· ἀλλὰ τῇ ἀνενδοιάστῳ πίστει. γευόμενοι γὰρ οὐκ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται γεύσασθαι, ἀλλὰ ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Ne huic corporeo palato, nequaquam, sed ipsi fidei minimè dubiæ ut istud judicet, permittatis. Gustantes enim, non panem aut vinum, ut gustent jubentur, sed antitypum corporis, & sanguinis Christi.

Nazianzenus (à quo Basilium dissentire, ne minimum quidem vllo pacto credendum est) in Apologetico excusat se, propterea noluisse suscipere sacerdotium; quod cùm antea non obtulisset Deo sacrificium internum, spiritum scilicet contribulatum, & contritum, minimè aptus fuisset ad offerendum externum. Ubi Theologus de sacrificio vero, & perfecto externo loquitur quod consecratione efficitur, & perficitur, non de sacrificio ante consecrationem. Et tamen illud, magnorum mysteriorum antitypum vocat: ταῦτα οὖν εἰδὼς ἐγὼ, καὶ ὅτι μηδεὶς ἄξιος τοῦ μεγάλου καὶ θεοῦ καὶ θύματος, καὶ ἀρχιερέως, ὅστις μὴ πρότερον ἑαυτὸν παρέστησε τῷ θεῷ θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, μηδὲ τὴν λογικὴν λατρείαν εὐάρεστον ἐπεδείξατο, μηδὲ ἔθυσε τῷ θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, καὶ πνεῦμα συντετριμμένον, ἣν μόνην ὁ πάντα δοὺς ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν θυσίαν. πῶς ἔμελλον θαῤῥῆσαι προσφέρειν αὐτῷ τὴν ἔξωθεν, τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον; Hæc igitur cùm perspecta haberem, illudque insuper, neminem magno, & Deo, & sacrificio, & Pontifice dignum esse, nisi qui priùs se ipsum Deo hostiam viventem, & sanctam exhibuit, rationalemque cultum gratum, atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis, spiritumque afflictum, atque contritum obtulerit (quod unum ille sacrificium pro omnibus suis erga nos beneficiis à nobis efflagitat.) Quo tandem modo externum sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum præfidenti animo ipsi offerrem?

Et in oratione funebri sororis Gorgoniæ, ubi testatur, miraculosè sororem sanatam à morbo fuisse ex perceptione sacratissimæ Eucharistiæ, quam olim Christiani pro necessitatibus suis asseruare solebant: εἴ τι που τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισε. Si quid, inquit, uspiam antityporum pretiosi corporis, aut sanguinis, manus (Gorgoniæ) thesaurizaverat, hoc est instar Thesauri recondiderat. At non asseruabant panem non consecratum, sed veram Eucharistiam; ut propterea etiam Nazianzenus utatur illo verbo, ἐθησαύρισε, quasi rem, sicuti est, pretiosissimam.

Adde quod Nazianzenus dicit, hæc antitypa super altare collocata, & servata fuisse, ibique à sancta Gorgonia adorata. Eodem nomine post consecrationem Eucharistiam apertissimè vocat Eustathius Episcopus Ancyræ, exponens dictum illud in Proverbiis Salomonis: Edite meum panem & bibite vinum, quod miscui vobis. Hæc, inquit, per panem & vinum ἀντίτυπα membrorum corporalium Christi prædicat. Malè enim exponit ipsum auctor confutationis in 7. Synodo. Item Theodoretus in primo dialogo. Nec non Macarius Ægyptius hom. 27. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος, καὶ οἶνος, ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος, καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου, πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσιν. In Ecclesia offertur panis, & vinum antitypum carnis ejus, & sanguinis. Et qui apparentem panem participant, spiritualiter carnem Domini co-

medunt. Neque solùm ἀντίτυπα, sancti Patres oblata dona, sed etiam typos, & similibus nominibus post consecrationem appellant, ut jam vidimus.

Unde manifestè apparet, non ad mentem Basilij expositionem esse Damasceni. Nam præter testimonia ea de voce Patrum allata; quis credat Basilium post verba Domini, panem non consecratum existimasse, cùm ejus frater Nyssenus firmiter se, & alios credere asseveret, loco suprà citato, nunc etiam panem Dei verbo sanctificatum, in corpus Dei verbi transmutari? Postremò Basilius verba Dominica in liturgia adeo necessariò exigit, ut ipsis summam rei tribuat: ut infra ostendam in solutionibus. Ergo vox ἀντίτυπα, quæ consequitur, non potest non significare verum corpus & sanguinem Domini.

Rejecta itaque hac expositione Damasceni, quærendum est, cur post consecrationem panem ἀντίτυπον, & τύπον vocarint, cùm non figura sit corporis, sed ipsum verissimum corpus existat.

Non enim (ut in eodem capite rectè ait Damascenus) panis, & vinum consecrata figura sunt corporis, & sanguinis Christi, absit, sed ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, Hoc est corpus meum, & non figura corporis mei, & hic est sanguis meus, & non figura sanguinis mei.

Ad hoc tres dari solent solutiones. Prima est, corpus verum Christi vocari figuram corporis Christi, hoc est corporis mystici, quia illud significat, & repræsentat: ut in prima solutione primi argumenti diximus. Quemadmodum enim panis ex multis constans granis, ita compositus est, ut nusquam grana videantur. Et sunt quidem grana, sed propter conjunctionem nullo discrimine discernuntur; ita nos quoque & invicem, & Christo conjungimur. Et S. Augustinus, Quemadmodum, inquit, ex multis granis unus conficitur panis, & ex racemis multis unus calix exprimitur; sic ex multis fidelibus unum corpus mysticum integratur. Hanc solutionem dant Cardinales Bessarion, & Roffensis Martyr, qui in proœmio 2. libri de veritate corporis Christi adversus Oecolampadium, ait: Panis, & vinum jam in Christi corpus, & sanguinem versa, exemplaria sunt colligationis Christianorum ad invicem, velut membrorum sub uno capite. Quamvis hi auctores alias quoque dent solutiones.

Sed hæc solutio, licet verum sit, corpus vernm Christi esse figuram corporis mystici; nihil tamen nos juvat. Quippe antiqui Patres non dicunt corpus Christi esse figuram corporis mystici, sed corporis, & sanguinis Christi. Corpus autem mysticum (quantum ego sciam) non appellatur sanguis Domini.

Secunda solutio, eaque omnium solidissima est, dici hoc mysterium antitypum, seu typum, & figuram, seu symbolum, & signum corporis, & sanguinis Domini, partim ratione specierum panis, & vini, quæ sub oculorum sensum cadunt, & sunt signa corporis, & sanguinis ibi re vera existentium. Ita Cyrillus Hierosolymitanus in 4. Catechesi mystagogica, ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνωμεν Χριστοῦ. ἐν τύπῳ γὰρ δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου, δίδοταί σοι τὸ αἷμα. Quare omni cum certitudine veluti corpus, & sanguinem Christi sumimus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis. Quid sibi vult ὡς veluti, cùm sit verum corpus, & verus sanguis? Non enim, ut ipse idem ait, debemus existimare id quod Judæi, qui adhortari, ἐπὶ σαρκοφαγίαν arbitrabantur. Unde Jacobus Apostolus in liturgia circa medium sic precatur, ἐξαπόστειλον ὁ Θεὸς τὴν χάριν σου τὴν ἀγαθὴν, καὶ ἁγίασον ἡμῶν τὰς ψυχὰς καὶ τὰ σώματα. &c. καὶ τὰ περικείμενα τῇ ἱερᾷ ταύτῃ τελετῇ συμβολικῶς ἀμφιάσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀνακαλύψας, τηλαυγῶς ἡμῖν ἀνάδειξον. καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις τοῦ ἀπεριλήπτου φωτὸς πλήρωσον. Emitte, ô Deus, tuam bonam gratiam, & sanctifica animas nostras, & corpora, &c. Et revelans involucra ænigmatum, quæ symbolicè hoc sancto sacrificio circundantur, clarè nobis ostende, & imple oculos nostri intellectus luce illa incomprehensibili. Et similia precatur divinus Dionysius de Eccl. Hier. cap. 3. ἀλλ'

ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη, τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. Sed ô, inquit, diviniſſimum, & ſacroſanctum Sacramentum, quæ te circundant ſymbolicè, operimentis ænigmatum revelatis, perſpicuè nobis fac appareas, & intelligentiæ noſtræ oculos ſingulari, ac inobſcurabili lumine comple.

Et huic membro, & expoſitioni poſſemus accommodare ſententiam Cyrilli Catecheſi 13. ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τύπον ἔφερεν ἄρτου. Quod corpus ipſius ſecundum Evangelium typum ferebat panis, quia nimirum poſt illam admirandam mutationem accidentia panis remanſerant. Unde Cyrillus huic rei applicat illud Hieremiæ: Venite, mittamus lignum in panem ejus, hoc eſt in corpus ejus, quod eſt dicere, crucifigamus eum. Quamvis autem corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus, & forma panis, non dicitur tamen corpus figura panis, & ſanguis figura vini, quæ quoad ſubſtantiam ibi non ſunt, ſed contra ſpecies panis, & ſpecies vini, quæ præſeferunt figuram panis & vini, dicuntur τύποι & ἀντίτυπα corporis, & ſanguinis Domini, quia corpus, & ſanguinem in ſe continent.

Addo etiam, quia panis & vinum quæ obtulit in ſacrificium Melchiſedec, erant typus, & figura corporis, & ſanguinis Domini, & illa figura panis & vinum quoad externam formam, & ſpeciem in nova lege remanſit, & corpus & ſanguinem non ſolùm repræſentat, ſed etiam continet, idcirco vocatur τύπος & ἀντίτυπος, hòc eſt, ἰσότυπος figura & æqualis figura corporis, & ſanguinis Domini. Partim etiam vocari antitypon, & multo magis per comparationem ad corpus Chriſti in paſſione, quod erat viſibile, & palpabile. Quia ipſum corpus, & ſanguis Domini, ut ſunt ſub illis ſpeciebus, ſigna ſunt ejuſdem corporis, & ſanguinis, ut fuerunt in cruce: repræſentat enim Euchariſtia paſſionem Chriſti, & ideo fit in commemorationem.

Sic Auguſtinus in Proſperi ſententiis, Caro, inquit, ejus eſt, quam forma panis opertam in ſacramento accipimus, & ſanguis ejus, quem ſub ſpecie vini & ſapore potamus. Caro videlicet carnis, & ſanguis eſt ſacramentum ſanguinis. Carne, & ſanguine utroque inviſibili, & ſpirituali ſignificatur corpus Chriſti viſibile, & palpabile, plenum gratia, & divina majeſtate.

Chryſoſtomus etiam hom. 17. in epiſtolam ad Hebræos, ponens diſcrimen inter antiqua ſacrificia, quæ ob ſuam imperfectionem innumera erant, & ſemper offerebantur, & noſtrum quod, cùm ſit perfectiſſimum, unicum eſt, & ſemel oblatū eſt. Et objiciens ſibi, quod ſæpius noſtrum iteretur, proinde non videatur eſſe unum, ſed multa. Idem planè docet eſſe, ita tamen, ut ſui ipſius figura ſit: τί οὖν ἡμεῖς καθ' ἑκάστην οὐ προσφέρομεν; προσφέρομεν μέν, ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμεθα τοῦ θανάτου αὐτοῦ. καὶ μία (θυσία) ἐστὶν αὕτη, οὐ πολλαί. πῶς μία ἐστίν, οὐ πολλαί; ἐπειδὴ ἅπαξ προσηνέχθη. ἐκείνη εἰσηνέχθη εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. τοῦτο ἐκείνης τύπος ἐστί, καὶ αὕτη ἐκείνης. τὸν γὰρ αὐτὸν ἀεὶ προσφέρομεν, οὐ νῦν μὲν ἕτερον, νῦν δὲ ἕτερον, ἀλλ' ἀεὶ τὸν αὐτόν. Quid ergo nos, nonne per ſingulos dies offerimus? offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis ejus, & una eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo una eſt & non multæ? quoniam ſemel oblata eſt. Illa oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium typus illius eſt, eundem enim ſemper offerimus, non modò quidem alium (agnum,) modò verò alium, ſed ſemper eundem. Et hom. 83. in Matthæum, idem Doctor Euchariſtiam vocat ſymbolum Paſſionis Chriſti: εἰ γὰρ μὴ ἀπέθανεν ὁ Ἰησοῦς, τίνος σύμβολα τὰ τελούμενα; Si enim, inquit, mortuus Jeſus non eſt, cujus ſymbola ſunt, ſacra quæ celebramus?

At quomodo poteſt eſſe idem ſuiipſius figura? Roffenſis loco ſupra citato, reſpondet quod modis omnibus, & ſimpliciter idem eſt, nunquam ſuiipſius ſymbolum eſt. Verùm ſub diverſa ratione nihil prohibet ſymbolum dici, ſicut & hîc diverſa quædam ratio eſt ejuſdem corporis, ut eſt ſub ſpecie panis, & ut eſt ſub ſpecie carnis crucifixæ. Idem enim eſt, quoad ſubſtantiam, non quoad modum. Inſigni exemplo illu-

strat rem Bellarminus: Si Rex, inquit, aliquis gravissimo bello confecto, idem ipsum bellum ad oblectandum populum in scena repræsentari vellet, & ipse idem, qui verè pugnaverat, in scena seipsum repræsentaret, tunc esset ipse verè ἀντίτυπος suiipsius. Immò verò à Christo non semel idem factum est. Nam cùm tribus diebus latuit, & tandem tertia die inventus est in templo, significare voluit, teste Ambrosio in cap. 2. Lucæ, se triduò futurum in sepulchro absconditum, & tandem tertia die resurrecturum. Item Lucæ ultimo, cùm finxit se longius ire, ea fictione, teste Augustino in libro contra mendacium cap. 13. significavit se supra omnes cœlos ascensurum. Et Matthæi 17. cùm transfiguratus est in monte coram Prophetis, & Apostolis, significare voluit se eodem modo videndum in gloria cœlesti ab omnibus sanctis veteris, & novi testamenti. Idem igitur Christus non semel suiipsius typus, & figura fuit. Et ea est causa cur Patres ad vocabulum typi quandoque propositionem ἀντὶ addant, quæ apud Græcos sæpissimè æqualitatem significat, ut hoc modo indicent Eucharistiam esse quidem figuram, sed tamen adeo æqualem exemplari, ut nihil prorsus quoad substantiam ab eo differat. Ex his igitur etiam patet, istud nominis non adeo bene convenire materiæ, hoc est pani, & vino Eucharistiæ ante consecrationem, atque convenit post consecrationem. Licet enim aliqua sit analogia, & similitudo inter panem sacrificio destinatum, & corpus Christi, ut antea diximus: non potest tamen esse tanta, ut non sit longè & infinities major inter panem consecratum, hoc est verissimum corpus Christi, & ipsum corpus Christi diversimodè consideratum.

Verùm posset nobis aliquis ex Chrysostomo vocem illam, ἀντίτυπον objicere. Nã præter verba citata, ἄρα ἐκεῖνα ἀληθινὰ, ταῦτα δὲ τύποι. Igitur illa vera sunt, hæc (quæ vocantur ἀντίτυπα) figuræ. In eadem homilia sic differit: τὰ ἀντίτυπα ἄρα τύπον ἔχει μόνον, οὐχὶ τὴν ἰσχύν. ὥσπερ ἐπὶ τῶν εἰκόνων, τύπον ἔχει τοῦ ἀνθρώπου ἡ εἰκὼν, οὐχὶ τὴν ἰσχύν. ὥστε τὸ ἀληθὲς καὶ ὁ τύπος κοινωνοῦσιν ἀλλήλοις. ὁ γὰρ τύπος ἴσος, ἡ δὲ ἰσχὺς οὐκέτι. οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἐπὶ τῆς σκηνῆς, ἡ μὲν τύπος ἴσος ἦν, ἁγία γὰρ ἦν. ὁ δὲ δύναμις, καὶ τὰ ἄλλα οὐ τὰ αὐτά. Antitypa igitur formam habent tantùm, non autem virtutem, sicut in imaginibus formam habet hominis imago, non etiam virtutem. Quare veritas & typus communicant invicem. Quippe typus æqualis & similis est, virtus autem nequaquam. Sic etiam in cœlo & in tabernaculo, hoc quidem æquale, quoad formam erat, quippe sanctum erat: cœlum autem virtus erat, & in cæteris quoque non eadem sunt. Sic ille, quasi dicat? ἀντίτυπα, formam quidem habent, sed non virtutem, hoc est, non ipsam veritatem.

Ad hoc dicendum est, plerumque quidem ita esse, ut Chrysostomus rectè disserit. Nam hominis imago, & ipse homo, forma quidem simili conveniunt, re, ac virtute longè differunt. Unde imago hominis æquivocè dicitur homo. Tabernaculum item, & cœlum, quæ inter se ibi cõferuntur, non eadem virtute pollent, sed illud figura est, cœlum virtus, & veritas. At ubi idem sui ipsius figura est, ut ab exẽplis allatis constat, ibi non potest dici non esse eandem virtutem. Unde Basilius magnus in Canone liturgiæ filium vocat εἰκόνα, & σφραγῖδα ἰσότυπον, Patris imaginem, & sigillum & figuram Patri æqualem, quod videlicet in se ad vivum, ut ita dixerim, ac perfectissimè ostendat, repræsentet, & exprimat Patrem, cùm unum, & idem, sint quoad divinam substantiam ipse, & Pater. Immò Apostolus ad Hebræos 1. Filium vocat χαρακτῆρα, figuram substantiæ Patris. Ipsique adeo Chrysostomus non est veritus ut jam vidimus, Eucharistiam, hoc est, verum corpus Christi respectu sacrificij cruenti, typum vocare ejusdem corporis. Nisi fortè velimus dicere, hîc quoque non esse eandem virtutem, quod non eodem modo repræsentetur. Quippe in cruce cruenter, hîc ἀναιμάκτως. Ibi semel, hîc millies, & infinities: ibi cum infinito merito, hîc cum finito, ac determinato. Quod libenter admittimus. In cruce valoris extitit infiniti, & ob id semel oblata: hîc verò finitè applicata, & ideo infinitè frequẽtata.

Tertia solutio est, Eucharistiam dici antitypum corporis Christi veri, & visibilis, quod est in cœlo. Sic Ambrosius in libro primo Officiorum cap. 48. Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipse quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est. Et S. Maximus Scholiastes Dionysij exponens illa verba in cap. 3. de Eccles. Hierar. εἰσέλθωμεν ἀπὸ τῶν αἰτιατῶν εἰς τὰ αἴτια. Ingrediamur ab effectis ad causas. τουτέστι ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν συμβόλων ἐπὶ τὰ νοητὰ καὶ νοερά. ἤγουν ἀπὸ τῶν ἀτελεστέρων εἰς τὰ τελεώτερα. οἷον ἀπὸ τῶν τύπων ἐπὶ τὴν εἰκόνα, καὶ ἀπὸ ταύτης ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν. σκιὰ γὰρ τὰ τῆς παλαιᾶς. εἰκὼν δὲ τὰ τῆς νέας διαθήκης, ἀλήθεια δὲ ἡ τῶν μελλόντων κατάστασις. Hoc est ab iis, inquit, signis, quæ sub sensum cadunt, ad ea quæ animo cernuntur, & ratione intelliguntur, scilicet ab imperfectioribus ad perfectiora, & à figuris ad imaginem, ab ea verò ad veritatem, quippe umbra sunt, quæ sunt veteris testamenti, imago novi, status vero futurorum, veritas. Et in eodem capite Maximus notat, ubique appellari à Dionysio, συμβολικὴν τὴν θείαν ἱερουργίαν. καὶ τὰ ἅγια δῶρα, σύμβολα τῶν ἄνω καὶ ἀληθινωτέρων. Symbolicum divinum sacrificium, & sancta munera symbola eorum, quæ sursum sunt, & veriora.

Simili modo appellat ea Damascenus in libro 4. de fide cap. 14. in fine; ἀντίτυπα δὲ τῶν μελλόντων λέγονται, οὐχ ὡς μὴ ὄντα ἀληθινὰ σῶμα καὶ αἷμα, ἀλλ᾽ ὅτι νῦν μὲν δι᾽ αὐτῶν μετέχομεν τῆς Χριστοῦ θεότητος, τότε δὲ νοητῶς διὰ μόνης τῆς θέας. Antitypa verò futurorum ea nominamus, non quod non sint verè corpus, & sanguis, sed quoniam nunc quidem per ipsa divinitatis Christi sumus participes; tunc verò animo cernemus per solam visionem.

Quòd ergo Damascenus alibi ait, Corpus Christi non esse figuram, intelligendum est eo modo quo hæretici contendebant, hoc est, figuram vacuam sine ipsa re præsenti, ac veritate. Aliter enim hîc apertè fatetur esse figuram corporis gloriosi.

Quæ dicuntur in hac solutione per se considerata verissima sunt. Nam corpus Christi sub speciebus panis, & vini, partim respicit idem corpus, quatenus pependit in cruce & immolatum est, illudque repræsentat: partim corpus gloriosum existens in cœlo, quod clara visione sicuti est postea videbimus. Ut ergo corporis crucifixi corpus forma panis velatum dicitur, & est ἀντίτυπον; eodem modo corporis gloriosi potest dici antitypum. Quippe, ut ait Ambrosius, hîc in imagine Christi offertur, ibi in veritate, id est clarè, & sine velamine ipse se offert. Unde in quodam Paschali hymno, & tropario Græci canunt, δίδου ἡμῖν ἐκτυπώτερόν σου μετασχεῖν ἐν τῇ ἀνεσπέρῳ ἡμέρᾳ τῆς βασιλείας σου. Præsta nobis ut expressius, & clariùs, & non per typos tui participes efficiamur in die, quæ vespera caret, regni tui. Loquutiones item illæ, esse ἀντίτυπον, hoc est, non imaginem, sed exemplar veterum figurarum, & similiter esse figuram corporis mystici, per se verissimæ sunt. Et possent auctores hisce modis loquendi in hoc sensu optimè uti. At mea sententia, ad illa verba quæ nobis objecimus ex Basilio, ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, hæc minus se accommodant. Nam corpus Christi in cœlo non est separatum à sanguine, quemadmodum fuit in passione. Et licet in sacramento corpus per concomitantiam non sit separatum à sanguine, ex vi tamen verborum consecrationis, ac si esset separatum, illud repræsentat, quod fuit separatum à sanguine. Proinde hoc modo loquendi Basilius, Nazianzenus, & alij solùm corpus, quod pependit in cruce respexerunt, cùm aiunt, esse ἀντίτυπα corporis, & sanguinis Domini. Quandoquidem, ut Christus mandavit, in memoriam sacratissimæ passionis ejus fiunt. Hæc de antitypis.

Exponitur

Exponitur Damascenus in voce antitypi. Rejicitur auctoritas illius Epiphanij septimi Concilij, & solvitur argumentum ex Dionysio petitum.

Caput XXXV.

SEd quid dicemus ad Damascenum? Priusquam ad solutionem accedo illud notandum est. Ex memoratis ipsius verbis ut nunc se habent, colligi verba Christi, nihil prorsus conducere consecrationi. Et propterea post illa, panem & vinum vocari à Basilio, ex sententia Damasceni, ἀντίτυπα, hoc est, non verum corpus, & sanguinem, sed figuram veri corporis, & sanguinis. Quare qui tenent, & verba Christi, & preces Sacerdotis necessariò concurrere ad consecrationem, malè pro se citant testimonium Damasceni. Quod æque illis, & nobis adversatur. Si enim verba Christi requiruntur, quare post verba Domini, munera vocantur absolutè ἀντίτυπα, & non potiùs quodammodo, atque inchoativè, seu non plenè consecrata?

Si dixerint, illud plenè, & perfectè non dari in consecrationibus instantaneis, ut neque in mutationibus substantialibus secundum Philosophos.

Verùm quidem illud est, quæram tamen quid ita?

Dicent fortassis, quia nondum sit absoluta verborum sententia, in cujus fine, quãdo & sensus totius propositionis absolvitur, statim fit consecratio.

At falsum est, non esse absolutam sententiam. Quippe alium sensum, & eum quidem perfectum faciunt verba Christi, alium preces Sacerdotis, planéque contrarium. Hoc ad eos, qui, & verba Dominica, & preces sacerdotales ad consecrationem requirunt. Modò redeo ad difficultatem.

Respondent nonnulli, fortassis tempore Damasceni verbum illud antitypa in liturgia Basilij locum habuisse ante verba Dominica. Nunc verò esse transpositum. Et ideò rectè dixisse Damascenum ante consecrationem vocari à Basilio antitypa. Nam & sacras particulas (ait Bessarion) hoc est piè, sanctéque dormientium memoriam multo ante Domini verba juxta Dionysium, facere solebant. Nunc multò pòst mutato ordine facere consueverunt. Præterea illa oratio, Deus Deus noster, qui cœlestem panem, &c. apud Jacobum recitatur statim post majorem ad altare majus ingressum, apud Basilium, & Chrysostomum à principio fermè liturgiæ in ipsa præparatione. Sunt præterea quædam alia pauca mutata.

Alij rejiciunt hoc responsum, & quidem meritò. Nam S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui fuit coætaneus Damasceni, eodem ordine recenset, ac interpretatur liturgiam, quæ suo tempore erat in usu, quo nunc se habet apud Basilium. Non igitur tempore Damasceni mutatio facta est. Præterea si cæteri Doctores illud verbum, ἀντίτυπον, ut fortassis & τύπον, semper vero corpori Christi attribuunt, numquam pani non consecrato, cur Basilius ante verba Christi illud ponere debuisset? Unde obiter hoc addam, qui precibus sacerdotum contenti sunt, illisque solis vim consecrativam attribuunt, hoc ipso verbo impugnandi sunt. Nam ante illas preces sacerdotum, dona vocantur antitypa à Clemente, Nazianzeno, Basilio, Theodoreto, & aliis, hoc est figurativa quidam, sed quæ veritatem, & rem præsentem in se contineant, ut ex testimoniis allatis constat. Igitur preces, quæ illud verbum consequuntur, nulla ratione ad consecrationem pertinent.

Quidam alij dicunt, in aliis scriptis forte Basilij, quæ non extant, fuisse hoc verbum in eo sensu à Basilio usurpatum, quo ait Damascenus.

Sed quis non videt sine fundamento hæc dici ad subterfugiendam difficultatem? Nam neque ullus locus alibi reperitur Basilij, ubi dona illa sic vocentur, & propriissimus locus est liturgiæ (quem ignorasse Damascenum non est verisimile) ubi sic appellantur: Immo Epiphanius ille locum liturgiæ clarissimè indicat.

Alij respondent, quemadmodum illa

verba, fac hunc panem, non significant, ut sonant, mutationem panis in corpus Christi, sed confirmationem rei jam factæ; ita etiam vocabulum illud ἀντίτυπον quoad modum quidem loquendi, ex sententia Damasceni, usurpatum est à Basilio eo loco, ac si nondum esset panis consecratus. Cùm tamen re vera esset consecratus, & non amplius antitypum, sed ipsa veritas.

Quod igitur Damascenus dicit antitypa vocari ante consecrationem, referendum est ad modum loquendi, non ad ipsam realem consecrationem Nam etiam si tunc facta esset consecratio tamen quoad modum loquendi significabatur ut futura.

Hæc solutio nimis violenta mihi videtur, & non ad mentem esse Damasceni. Esto enim Basilium ita voluisse loqui de antitypis, ut Chrysostomus dicit, fac hunc panem, juxta ea, quæ diximus in secunda solutione ad primum argumentum; Damascenus tamen, & ille Epiphanius, qui munere fungebantur interpretis nõ debuissent ita loqui ut alterius interpretis opem desideraremus. Si enim ita intelligebant locum Basilij, ut vult solutio, (quæ sanè intelligentia non omnibus obvia est, sed indiget exemplis, quibus illustretur) cùm urgerentur ab hæreticis testimonio Basilij, debuissent clarè illud exponere, ac dicere vocari quidem à Basilio antitypa quoad modum loquendi, esse tamen verè consecrata. At illi oppositum tradunt. Propterea enim dicunt vocari antitypa, quòd nondum sint consecrata: οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπεν (ἀντίτυπα) ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν τὴν προσφορὰν, οὕτω καλέσαντες. Non postquam essent, inquiunt, sanctificata, vocarunt antitypa, sed antequam consecraretur ipsa oblatio, sic eam appellarunt. Sed hæc solutio vult, μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι, esse dicta antitypa. Neque clarissimis verbis par est offundere tenebras. Damasceno verò non fuisse difficile ita perspicuè respondere, modò ita intellexisset, accipi eam vocem à Basilio, ex eo patet, quod mox ipse in eodem capite dicat, consecratum panem, & vinum appellari antitypa futurorum. Unde apparet pios auctores conatos fuisse meliori modo, quo potuerint, excusare Damascenum.

Alij opinantur, Damascenum fuisse in hoc errore Cabasilæ, qui tamen vitio vertitur Cabasilæ, & Ephesio, minus Damasceno, quod suo tempore non fuerit agitata hæc controversia, & veritas dilucidata. Et tunc, aiunt, opponendi sunt Damasceno majoris auctoritatis sancti Patres, & Ecclesiæ Catholicæ Oecumenici Doctores tam orientales, quàm occidui.

Inducuntur autem, ut sic credant, ex eo quòd in eodem capite Damascenus dicat de Christo, sic dixit, donec veniat. Quæ verba videntur innuere sensum, quem vult Cabasilas, & Marcus Ephesius. Quasi dicat, Christus semel dixit, Hoc est corpus meum, & omnipotenti suo præcepto illud effecit, neque opus est amplius ea verba iterare, sed fit donec veniat, per applicationem nimirum precum, quas deinde fundunt Sacerdotes; & hac ratione dicunt, scripta Damasceni consona esse, atque concordare.

Verùm hæc solutio (quæ tamen solutio non est) piis viris minimè placere debet. Nam si Chrysostomus illis verbis, (hæc vox, Hoc est corpus meum, semel quidem ab illo ore divino prolata est, sed illius verbi vis singulis aris Ecclesiæ ex eo tempore usque in præsentem diem, & usque ad ejus adventum sacrificium integrè perficit:) Si, inquam, illis verbis, quæ magis videntur favere Græcis, quàm verba Damasceni, non excludit Chrysostomus iterationem eorumdem verborum per ministros in sacrificio, ut suprà ex eodem Chrysostomo notavimus, multò minus excludent iterationem verba Damasceni. Quare sensus verborum Damasceni est, dixit Christus, Hoc est corpus meum, & omnipotenti suo verbo illud effecit. Et modo dicit per suos ministros, & idem efficit, donec veniat.

Alia igitur solutio dari potest. Expositionem antityporum, quam adhibere videtur Damascenus liturgiæ Basilianæ, non esse ipsius. Argumento est, quod ea nullo modo cohæreat cum textu ejusdem met auctoris. Nam in eodem capite, ut dixi-

mus, Damaſcenus conſtanter docet, corpus Chriſti fieri imperio Chriſti, quod imperium conjungit cum verbis Chriſti.
» Immò dicere Chriſti, eſt facere. Dixit
» Deus, inquit Damaſcenus, Hoc eſt cor-
» pus meum, & hic eſt ſanguis meus, &
» hoc facite in meam commemorationem,
» & omnipotenti ſuo imperio, donec ve-
» niat, hoc efficitur. Sic enim dixit, donec veniat, ſic ille. Quid eſt, ſic dixit, donec veniat? Hoc eſt, ſemper illius divina verba à legitimo miniſtro prolata ſunt efficaciſſima, & idem efficient, quandiu durabit ſacrificium, durabit autem, donec veniat. Et paulò poſt in eodem capite.
» Nihil amplius novimus, quàm quòd ver-
» bum Dei verax eſt, & efficax, atque om-
» nipotens, modus autem inſcrutabilis. Verax, ad veritatem illius propoſitionis, hoc eſt corpus meum, refert; efficax, & omnipotens, efficacitati aſſignat, qua corpus ipſum produxit. Si igitur imperio, & verbo Dei fit iſta ineffabilis tranſmutatio, certè poſt verbum Dei, antitypa non poſſunt non ſignificare dona conſecrata.

Deinde ſi eo ſenſu acciperetur ea vox, quaſi nondum conſecrata, ſequeretur in Damaſceno manifeſta contradictio. Negare enim autitypa ſignificare verum corpus Chriſti, & Baſilium, & quoſcumque alios eo modo interpretari, deinde extremis verbis illius capitis, dum enumerat nomina Euchariſtiæ, aſſerere illam vocari antitypum reſpectu futurorum, certè manifeſta eſt contradictio.

Dixerat enim Damaſcenus Euchariſtiam nullo pacto eſſe typum corporis Domini, ſed ipſum veriſſimum corpus: dein objicit ſibi ſanctos, qui eam ἀντίτυπον nominant, & reſpondet, id eos facere ante conſecrationem. Tandem in fine capitis concedit ipſe eam appellari ἀντίτυπον, etiam poſt conſecrationem, ſed ad rationem futurorum. Unde igitur ipſe ſcit, non etiam alios ſanctos eodem ſenſu vocem illam intellexiſſe? Et nota modum loquendi, ut noſtra fert opinio, corrupti Damaſceni. Non enim dixit, eſſe nonnullos, qui eam appellant ἀντίτυπον ante conſecrationem, alios, poſt conſecrationem, ſed univerſè, ſi qui ſunt, inquit, qui panem, & vinum, ἀντίτυπα, corporis & ſanguinis nominarunt: quaſi dicat, quotquot eam ſic appellarunt, ante conſecrationem appellarunt.

Ex his autem ſequitur, totam illam primam periodum antityporum non eſſe ipſius, ſed à ſciolis quibuſdam in ipſius libro aſſutam fuiſſe, vel ex margine in textum irrepſiſſe. Fortaſſis etiam eam aliquis deſumpſit ex illa confutatione, quam recitat quidam Epiphanius in ſeptima Synodo, & in ſcriptis Damaſceni inſeruit, de qua confutatione quid ſentiendum ſit, mox dicemus.

Neque enim veriſimile eſt, tantum Theologum, Scholaſticum Doctorem, immo verò ipſius Scholaſtices patrem, & auctorem ignoraſſe veram conſecrationis formam & teſtimonia ea de re antiquorum Patrum. Ut etiam ſignificatum vocis antitypi ex Nazianzeno, cujus ſcripta fuerunt ipſi valdè trita, & familiariſſima. Quippe non aliter Damaſcenus deducit ſuas concluſiones ex Nazianzeno, atque facit Angelicus Doctor ex Auguſtino.

De illo igitur, qui in ſeptimo Concilio Oecumenico compoſuit confutationem definitionis Pſeudoſynodi adverſus imagines, ſi vocem antitypi aliter interpretatus eſt, & oppoſitum ſenſerit, parum ſolliciti ſumus: quamvis enim in multis nobis placeat, hac parte ab eo diſſentimus. Immo in ea confutatione non ſolùm iſtud eſt improbandum, ſed & illud de Canonibus Trullanis, quos ille auctor, ut legitimos & verè Synodicos recipiendos eſſe contendit. Et tamen illa πενθέκτη, Synodus nulla legitima auctoritate congregata eſt, legatis primæ ſedis non intervenientibus. Atqui, μὴ δεῖν συγκροτεῖν σύνοδον, μήτε μὴν κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου Ρώμης, non oportere celebrare Concilium, «
neque Canones Eccleſiis condere ſine con- «
ſenſu Romani Epiſcopi, vetera Concilia «
ſanxerunt, & Græcorum hiſtorici referunt. Quin & ipſe auctor confutationis reprehendens Iconoclaſtarum conciliabulum, atque ut illegitimum rejiciens, ſic in

ea tonfutatione ſcribit: πῶς δ' αὖ μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ (σύνοδος) ἣν οὔτε ἐδέξαντο, οὔτε συνεφώνησαν οἱ τῶν λοιπῶν ἐκκλησιῶν πρόεδροι, ἀλλ' ἀναθέματι ταύτην παρέπεμψαν; οὐκ ἔσχε συνεργὸν τὸν τηνικαῦτα τῆς Ρωμαίων Πάπαν, ἢ τοὺς περὶ αὐτὸν ἱερεῖς, οὔτε διὰ τοποτηρητῶν αὐτοῦ, οὔτε δι' ἐγκυκλίου ἐπιστολῆς, καθὼς νόμος ἐστὶ ταῖς συνόδοις; Quomodo autem rurſus magna, & œcumenica Synodus, quam neque receperunt, neque in ea conſenſerunt aliarum Eccleſiarum præſules, ſed eam anathemati ſubjecerunt? quæ non habuit, hoc eſt, non egit ſuas partes Pontifex cooperatorem, qui tunc præerat, Romanum Pontificem, vel eos, qui circa ipſum exiſtunt Sacerdotes? neque per ejus legatos, neque per epiſtolam encyclicam (hoc eſt circularem, & ad omnes miſſam) celebrata eſt, ut lex eſt Conciliis? Sic ille, qui propterea monet, & urget Canones illos eſſe acceptandos, quòd videret, ut ipſemet fatetur, non paucos, intelligas etiam Græcos, qui eos meritò rejicerent.

Quare quod aiunt nonnulli canoniſtæ Græcorum, potiſſimùm verò Balſamon, interfuiſſe legatos Pontificis, Baſilium Archiepiſcopum Gortynæ Cretenſem, & Archiepiſcopum Ravennatem, falſiſſimum eſt. Quamvis enim Romanus Pontifex habuerit nonnullos Græcos ob alias res, & negotia ordinarios legatos in ipſa Græcia, tamen quandocunque celebrabatur Concilium, ſemper novos, & alios de ſuo latere mittere ſolebat, qui præſiderent aliis, quibus mandata præſcriberet, & per eos toti Synodo ea patefaceret. Hinc eſt, quod & illi legati, Baſilius, inquam, Cretenſis, & fictus Ravennæ ἐπώνυμος, non primo loco ſe ſubſcripſerint, certò certiùs ſubſcripturi, ſi in eo Concilio locum Pontificis tenuiſſent. Quare ſi quid valent illi Canones, ut plerique illorum plurimùm valent, aliunde robur obtinent, nimirum quia in aliis Conciliis antea ſanciti fuerint. At verò Canones, qui Romanam Eccleſiam taxant, tanquam, qui Canones Apoſtolicos perperam exponunt, & doctrinæ Patrum è diametro planè ſe opponunt, omnino aſpernandi ſunt, atque damnandi, de quibus ſuo loco agemus.

Et hæc ſatis ſint, quantum inſtitutum noſtrum præſentis argumenti patitur ad rejiciendam illam auctoritatem confutationis, quam Concilium audivit quidem, ſed neque approbavit quoad omnia, neque improbavit. Quare in fine illius actionis recitata jam confutatione, Patres Concilij nihil dixerunt, nullas acclamationes ediderunt. Non enim propterea convenerant, ut ea ſingula, quæ in confutatione continebantur, συνοδικῶς examinarent. Neque quicquid habetur in Conciliis rem facit de fide, ſed ea tantùm, quæ à Patribus Concilij definiuntur approbante Romano Pontifice.

Quocirca ſententia illa Pſeudoſynodi, quam refert auctor confutationis, καθάπερ τὴν σάρκα ἣν ἀνέλαβε, quemadmodum carnem, quam aſſumpſit, &c. & quam retulimus in 2. capite hujus libri, dum ageremus de tranſubſtantiatione, veriſſima eſt, falſum quod inde inferebant hæretici, non eſſe alias imagines ſuo modo adorandas.

Ex dictis illud vltimò notandum eſt, Auctoritate corrupti Damaſceni, & iſtius Epiphanij nonnullos poſteriores Græcorum deceptos, timuiſſe valdè vero corpori, & ſanguini Domini iſtud nominis attribuere, cùm tamen potiùs antiquorum ſcripta volvere debuiſſent. Sic Theophylactus in Evangelium Marci: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. τοῦτο, ὃ νῦν λαμβάνετε. οὐ γὰρ ἀντίτυπος τοῦ κυριακοῦ σώματός ἐστιν ὁ ἄρτος, ἀλλ' εἰς αὐτὸ ἐκεῖνο μεταβάλλεται τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. καὶ ὁ κύριος λέγει, ὁ ἄρτος, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν. οὐκ εἶπεν, ἀντίτυπός ἐστι τῆς σαρκός μου, ἀλλ' ἡ σάρξ μού ἐστιν. Hoc eſt corpus meum, hoc quod modò accipitis. Non enim antitypus eſt panis Dominici corporis, ſed in illud ipſum Chriſti corpus tranſmutatur. Et Dominus ait: panis, quem ego dabo, caro mea eſt, non dixit, antitypus eſt carnis meæ, ſed caro mea eſt. Sic ille. Quod utique obſervandum eſt, ne alij timorem habeant, ubi non eſt timor.

Ad Dionyſium hîc ſimiliter priùs dicendum eſt: Teſtimonium Dionyſij ſi ſumatur, ut adverſarij volunt, etiam facere contra ipſos, qui, & verba Chriſti, & preces Sacerdotis ad conſecrationem pera-

gendam postulant, atque hoc modo suo se gladio jugulant. Nam si consecratio juxta Dionysium provt ipsi exponunt, fit post illa verba, Hoc facite in meam commemorationem, proinde per preces, quæ subsequuntur: igitur verba Christi, quæ illud, hoc facite antecedunt, ut minus ad consecrationem pertinentia, nulla ratione secundum ipsos sunt exigenda.

Deinde Dionysius ait, Pontificem consecrationem peragere θεοπαραδότως, secundùm divinam traditionem. Quippe Christus Deus modum, & formam consecrandi nobis ipsemet tradidit. Sed Christus tradidit nobis tantùm sua verba, Hoc est corpus meum, inquiens, Et hoc facite in meam commemorationem. Non illas preces, quæ sunt ab Ecclesia postea inventæ, atque institutæ. Non igitur illæ spectant ad consecrationem. Quare alius sensus est verborum Dionysij.

Est autem notandum ex verbis Dionysij, ordinem habuisse liturgiam, qua utebatur ipse, diversum à nostris. Nam secundùm Dionysium Pontifex accedens ad altare primò laudat divina opera Christi, quæ gessit pro salute generis humani, ea sunt, quòd in remissionem peccatorum suum corpus cruci affigendum, & sanguinem effundendum, & hæc eadem etiam in sacramento præbuerit. Deinde quia re ipsa debet manifestare, & clara facere laudata, hoc est debet consecrare, & efficere corpus Christi, & sanguinem, velut indignus purgat se quòd tantam rem aggrediatur, quippe qui non auderet, nisi jussus facere. Rogatque ut dignus, & idoneus fiat, qui & ipse consecret, sumatque, aliisve impartiet. Utque populus dignè participet, precatur. Tandem ἱερουργεῖ, consecrationem absolvit. Hunc recenset ordinem Dionysius. At in omnibus liturgiis, quascunque intelligas, sive catechumenorum, sive fidelium semper antecedit supplicatio, subsequitur laus modo contrario, atque docet Dionysius. Ut autem populus Eucharistiam dignè sumat; hoc petitur post consecrationem, etiam post illas preces, quas Græci putant consecratorias. Cùm igitur modò non extet mystagogia, qua sacrificium offerebat Dionysius, ex uno verbulo nihil potest concludi, cùm multo plura, eaque longè clariora sint in contrarium. Nam omissis testimoniis sanctorum Patrum allatis suprà de verbis Domini, quæ consecrationem integrè perficiunt; Jacobus Apostolus ante verba Christi, ita se excusat, atque precatur. Deus, qui propter magnum, atque ineffabilem erga homines amorem misisti Filium tuum unigenitum in mundum, ut ovem errantem reduceret, ne averseris nos peccatores, verendum hoc, & incruentum sacrificium attrectantes. Non enim nostræ justitiæ confidimus, sed benignæ misericordiæ tuæ, qua genus nostrum redimis. Basilius quoque ante verba Dominica non semel rogat, ut fiat dignus, qui offerat sacrificium. Chrysostomus verò ita supplicat: τὸ διακονεῖν σοι μέγα καὶ φοβερὸν καὶ αὐταῖς ταῖς ἐπουρανίοις δυνάμεσιν. ἀλλ᾽ ὅμως διὰ τὴν ἄφατον καὶ ἄμετρόν σου φιλανθρωπίαν ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως γέγονας ἄνθρωπος, καὶ ἀρχιερεὺς ἡμῶν ἐχρημάτισας, καὶ τῆς λειτουργικῆς ταύτης, καὶ ἀναιμάκτου θυσίας τὴν ἱερουργίαν παρέδωκας ἡμῖν. Ministrare tibi magnum, & formidabile est, vel ipsis cœlestibus virtutibus. Verumtamen propter infinitam clementiam tuam inconvertibiliter, & inalterabiliter factus es homo, & Pontifex noster extitisti, & ministerij hujus, ac incruentæ hostiæ sacramentum nobis tradidisti. Quasi dicat, formidarem quidem tibi ministrare, nisi tu ob infinitam bonitatem tuam factus homo, nobis hoc mysterium tradidisses, & ut ita faceremus nobis mandasses.

Et paulò pòst. Te deprecor, qui solus bonus es, & facilis ad exorandum, respice super me peccatorem, & inutilem servum tuum, & munda animam meam, & cor à mala conscientia. Et sancti tui Spiritus virtute fac me dignum sacerdotali gratia indutum, qui assistam sanctæ huic tuæ mensæ, ac consecrem sanctum corpus tuum, & pretiosum sanguinem. Tibi enim cervicem inclino, teque precor, ne avertas faciem tuam à me, neve reprobes me à pueris tuis; sed concede à me peccatore, & indigno famulo tuo offerri tibi hæc munera.

Ut igitur Jacobus dicit se non suæ justitiæ confidere in mysterium attrectando, sed misericordiæ divinæ. Et Chrysostomus ministerium hoc tremendum prædicat, quod homo meritò recusare debuisset, nisi Christus mandasset hoc fieri. Ita etiam potuit Dionysius ante verba Christi excusare se, ac dicere: tu dixisti, hoc facite, idcirco rem tantam aggredior, alioquin non auderem. Huc enim spectare videntur verba, & mens Dionysij.

Quare acutè conjectat Bellarminus, qui ait probabile esse in liturgia, qua utebatur Dionysius, bis fuisse illa verba, hoc facite. Semel in oratione quadam, qua se excusabat Sacerdos, quod auderet tantum munus aggredi, quia Dominus ipse id jussit, dicens, hoc facite. Et rursus postea in loco proprio peracta consecratione, ut in omnibus liturgiis habentur.

Quod etiam his rationibus probari potest. Nam primum quidem verba Pontificis inter alia, quibus se excusat, quæ recenset Dionysius, & quæ nobis negotium facessunt, hæc sunt. Tu dixisti, hoc facite in meam commemorationem. Illud igitur, tu dixisti, nusquam reperitur in liturgiis. Illud verò, Hoc facite in meam commemorationem, reperitur quidem post verba Christi apud Jacobum, & Basilium, non tamen in eo sensu, quem vult Dionysius, non enim per modum excusationis, sed merè narrativè dicitur. Vel si per modum excusationis dicitur, certò tamen constat, non ad consecrandum dici, sed ad offerendum iam consecratum. Sic enim habes apud Chrysostomum, μεμνημένοι τοίνυν τῆς σωτηρίου ταύτης ἐντολῆς, καὶ πάντων τῶν ὑπὲρ ἡμῶν γεγενημένων, &c. τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν. Memores igitur salutaris hujus mandati, (mandatum autem est, hoc facite) & omnium eorum, quæ pro nobis facta sunt, &c. Tua ex tuis tibi offerimus. Idem sensus invenitur similium verborum in aliis liturgiis.

Deinde in liturgiis post illa verba, Hoc facite, usque ad preces Sacerdorum, quas Græci existimant consecratorias, nulla extat oratio, qua Sacerdos petat, ut vult Dionysius, ut dignus fiat, qui ad similitudinem Christi hæc divinā perficiat, casteque aliis distribuat, utque dignè ipsi participes fiant. Non igitur illud, hoc facite, intellexit Dionysius. Hoc enim secundum Dionysiū consecrationē debet præcedere.

Postremò confirmatur hoc auctoritate sancti Maximi Confessoris, expositoris Dionysij, viri sapientissimi, qui illa verba, ὑμνήσας, &c. ἐπὶ τὴν συμβολικὴν αὐτῶν ἱερουργίαν ἔρχεται, καὶ τοῦτο θεοπαραδότως. Postquam laudaverit, ad symbolicam eorum consecrationem venit, idque secundùm divinam traditionem, exponens ait, τὸν ἄρτον, καὶ τὸ ποτήριον εὐλογῶν τῶν ἁγίων δώρων, benedicens scilicet panem, & calicem sacrorum munerum. Ergò benedictionem panis, & calicis, consecrationem ait esse Dionysius, & eam secundum divinam traditionem. Sed sacrificans benedicit panem, & calicem, quando enunciat verba Christi. Igitur verbis Christi fit consecratio. Nam in præsenti talis est mos Græcorum per totum Orientem, & in ipsa Russia, immò & Moscovia. Talis etiam fuit tempore Maximi. Idque meritò. Nam hæc benedictio fit ad imitationem Christi Domini, qui gratias agens benedixit, sanctificavit, fregit, deditque discipulis suis, dicens, Hoc est corpus meum. Ut propterea etiam Dionysius dicat, hanc benedictionem, seu consecrationem fieri θεοπαραδότως.

Et confirmatur secundò, quia sanctus Maximus illa verba Dionysij, ἱερουργεῖ, καὶ ὑπ᾽ ὄψιν ἄγει, consecrat, & in aspectum adducit, pro eodem accipere videtur, & de verbis Christi interpretatur. Quod utique non fecisset, nisi existimasset, verbis Christi, fieri consecrationem. Sic igitur habet, ὑπ᾽ ὄψιν ἄγει, τουτέστι σαφηνίζει τὰ ὑμνούμενα οἷον, ὅτι τόδε καὶ τόδε Χριστοῦ. καὶ τόδε καὶ τόδε Χριστοῦ. ὑποδείκνυσι δὲ καὶ τὰς ἐπὶ τούτοις θείας δωρεάς, οἷον, ὅτι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ ὅσα τοιαῦτα μυστικά. In aspectum profert, hoc est, (inquit Maximus) declarat, quæ laudantur. Exempli gratia, hoc & hoc Christi esse, & hoc, & hoc Christi. Insuper autem ostendit, & divina munera, quæ hæc sequuntur. Quod nimirum in remis-

ſionem peccatorum, & in vitam æternam, & quæcunque talia myſtica. Hæc igitur ſunt verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, & quod illud frangatur, is effundatur in remiſſionem peccatorum.

Et quamvis illa verba, ὑπ' ὄψιν ἄγει, aliter etiam exponat ſanctus Maximus, idque ex verbis ſubſequentibus Dionyſij; hoc tamen nihil refert. Satis eſt, quod Maximo non fuerit viſum abſurdum, ſi verba Chriſti conjungeret cum ἱερουργεῖν, & ea poſtponeret illis, tu dixiſti, Hoc facite in meam commemorationem, quæ ſunt apud Dionyſium, & Græci nobis objiciunt; immò quia ſanctus Maximus optimè ſciebat, conſecrationem fieri verbis Chriſti, propterea cenſuit alterum alterius eſſe expoſitionem, & pro eodem accipi debere. Et in ea ſententia ſtetiſſet, niſi vidiſſet ex Dionyſio illa verba, ὑπ' ὄψιν ἄγει, aliter etiam exponi poſſe, περὶ τοῦ κουφισμοῦ, καὶ τῆς ὑψώσεως τοῦ θείου ἄρτου, de elevatione ſacratiſſimæ Hoſtiæ. Et fortaſſis tempore Dionyſij ſtatim, atque conſecrabatur Euchariſtia, etiam elevabatur, & oſtendebatur populo, ut hîc indicare videtur, & modò fit apud Latinos, apud Græcos verò modò fit, cùm dicitur, ſancta ſanctis, ſed non oſtenditur populo. Nam τὰ δίπτυχα τῶν ἀποθανόντων, commemorationes mortuorum, quæ ſolæ fiebant tempore Dionyſij, ut ex verbis ipſius notat ſanctus Maximus, apud Dionyſium antecedunt conſecrationem, cùm in aliis liturgiis modò ſubſequantur. Neque mirum ſi nonnulla immutata ſunt apud Græcos; quod in ſuis ſcholiis non ſemel notat ſanctus Maximus.

Solvuntur argumenta reliqua ab auctoritate cæterorum Patrum deſumpta. Baſilianis item verbis peculiaris ſolutio adhibetur.

CAPUT XXXVI.

AD Patres, qui dicunt invocatione Dei, & Spiritus ſancti, item precibus fieri conſecrationem.

Reſpondeo primùm. Non ſolùm invocatione, ac prece, ſed etiam benedictione fieri eos docere. Cyrillus Alex. lib. 11. in Joannem. Immò, & Apoſtolus ad Corinth. 10. Calix, inquit, benedictionis, cui benedicimus, & gratiarum actione. Irenæus lib. 4. cap. 57. Neque tamen contraria docere, nam his vocibus totam appellare ſolent liturgiam, in qua fit vera conſecratio, denominationem ſacrificij ſumentes à ceremoniis, quæ in ea continentur. Hæ ſunt preces, invocationes, benedictiones, gratiarum actiones. Quando verò illas à verbis Dominicis diſtinguunt, aliter docent.

Secundò dico, deſcendendo ad particularia, & ad ſingula reſpondendo. Dicitur conſecratio Euchariſtia, & gratiarum actio. Nam per conſecrationem Chriſtus ponitur ſuper altare, & per conſequens offertur Deo, qua ſanè actione gratias agimus Deo. Idcirco dicitur ſacrificium laudis, & Euchariſtiæ. Eadem conſecratio dicitur peculiariter apud Græcos benedictio, quia ſimul fiunt. Quando enim Græcorum Preſbyteri proferunt verba Chriſti, ſimul & eodem tempore benedicunt. Invocare autem Spiritum ſanctum, vel Deum Patrem, vel Filium, & verbis Dominicis Euchariſtiam perficere, non ſunt contraria, immò ſunt inter ſe conjunctiſſima. Ideo Jacobus Apoſtolus antequam proferat verba Chriſti, immò à principio liturgiæ, ac deinceps per totam liturgiam modò Patrem, modò Filium invocat, ut ab eis obtento Spiritu ſancto, & divina gratia dignus fiat, qui offerat ſacrificium. Proinde, inquit, hanc orationem, & gratiarum actionem tibi (Patri) offero, ut mihi Spiritus tuus paracletus mittatur, fortificans, & inſtaurans me ad hanc Miſſam. Et mox in altera oratione: Domine Jeſu Chriſte, nos purga ab omni macula, puroſque nos ſiſte ſancto altari tuo, ut tibi laudis ſacrificium offeramus, ac vi illa ſpiritus tui ſanctificante, nos ſanctifica. Et rurſus in altera. Deus omnipotens, &c. ſupplices tuam imploramus, invocamuſque bonitatem, &c. Fac illabatur in nos tua bona gratia, & noſtras animas ſanctifica, corporaque, & ſpiritus,

nec non cogitationes noſtras ad pietatem converte, ut pura conſcientia tibi dona offeramus. His ſimilia multo plura ſunt in liturgia Jacobi, & in aliis. Igitur dicunt Patres invocatione Dei, & Spiritus ſancti fieri conſecrationem, quia Pater, & Spiritus ſanctus, immò verò, & Filius jam invocati quando verba Dominica enunciantur, ex promiſſione, & inſtitutione Chriſti adſunt, & conſecrant ſacrificium, cùm una eademque ſit operatio indiviſa ſanctiſſimæ Trinitatis ad extra. Licet autem non invocarentur explicitè, tamen ob eam cauſam implicitè invocari intelligerentur. Nam primarius auctor conſecrationis, ut & perfectionis reliquorum ſacramentorum Deus Trinitas eſt. Quocirca Damaſcenus loco citato. Dixit, inquit, Deus, hoc eſt corpus meum, & omnipotenti ipſius præcepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur, ſic enim dixit, donec veniat. Et pluvia huic novæ ſegeti per conſecrationem exiſtit Sancti ſpiritus vis inumbrans. Quemadmodum enim quicquid Deus fecit, id Sancti ſpiritus opera fecit, eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea, quæ naturam ſuperant, efficit. Nec quicquam amplius nobis perſpectum, & exploratum eſt, quàm quod verbum Dei verum eſt, & efficax, atque omnipotens. Sic Damaſcenus, qui ſimul verba Chriſti cum invocatione Spiritus ſancti conjungit. Et tamen Chriſtus explicitè non invocavit Spiritum ſanctum, ſed ſuo verbo totum confecit, ut & ipſe Damaſcenus teſtatur. Sanctus Ambroſius diſertiſſimis verbis non ſemel enunciat, ut ſuprà notavimus, ſermonem Chriſti eſſe operatorium, quo fit conſecratio. Idem nihilominus in illa pulcherrima oratione, quam compoſuit recitandam ante ſacrum, extatque in principio fermè Miſſalis diviſa in partes per omnes dies hebdomadæ. In feria 6. ſic rogat. Deſcendat etiam Domine illa Spiritus ſancti tui inviſibilis forma, & incomprehenſibilis Majeſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat: qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem tuum doceat tantum tractare myſterium. Et Euſebius Emiſſenus loco nobis objecto: Quando, inquit, benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam invocatione ſummi numinis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis, & vini, poſt verba autem Chriſti, corpus, & ſanguis eſt Chriſti. Hîc ſimiliter verba Chriſti cum invocatione conjungit. Quare optimè ſimul ſtare poſſunt, & invocatio, & verba Chriſti. Invocatur autem Spiritus ſanctus etiam poſt verba Chriſti, ſed ad alium finem, ut nimirum dignos efficiat eos, qui ſumpturi, non conſecraturi ſunt corpus Chriſti. Et ſecundum hanc doctrinam reliquæ quoque formæ ſacramentorum ἐπικλήσεις, vocari poſſunt, ut eas appellat Dionyſius. Quamvis eo in loco ſolam formam ordinis intelligat ut interpretantur expoſitores: ἐπιτελεστικὰς ἐπικλήσεις, τὰς ἐπὶ τῆ χειροτονίας εὐχάς. Initiatorias, ſeu conſecratorias invocationes, quæ ſacris ordinibus adhibentur, à τελέω, unde τελεσθεὶς, initiatus, & τελετὴ initiatio. Sed hoc nihil refert, nam & reliquę formæ ſic appellari poſſunt, & Sacramenta τελεταὶ vocantur.

Porro patres peculiari quadam ratione invocationi Spiritus ſancti conſecrationem ſæpius attribuunt. Quia volunt explicare modum hujus ineffabilis tranſſubſtantiationis. Nam antiquitus interrogati, qua ratione fieret res talis, ac tanta, ignorantes modum, ſolebant reſpondere per aliam quæſtionem æquè difficilem, & ignotam. Quomodo venerabile corpus Chriſti formatum ſit in utero Virgineo? ſcilicet virtute Spiritus ſancti. Non diſſimili modo fit mirabilis iſta μεταποίησις, ſubſtantialis mutatio. Sic Auguſtinus libro 3. de Trinitate cap. 4. Illud tantum (corpus Chriſti dicimus) quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis. Quod cùm per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, ut ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei. Cùm hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur. Sic Fulgentius

tius ad Monim. libro 2. Quando autem convenientiùs, quàm ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta Ecclesia, quæ corpus est Christi, Spiritus sancti deposcat adventum? Quæ ipsum caput suum secundum carnem de Spiritu sancto noverit natum?

Sic Remigius in Commentariis cap. 10. prioris ad Corinthios, Panis quem frangimus in altari, nonne participatio Domini est? utique primùm consecratur, & benedicitur à Sacerdotibus, & à Spiritu sancto.

Sic S. Gregorius Papa, de quo sic Paulus Diaconus in vita ipsius: Præscius conditor nostræ infirmitatis ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper Virginis operante Spiritu sancto fabricavit, panem, & vinum aqua mixtum manente propria specie in carnem, & sanguinem suum ad Catholicam precem ob reparationem nostram spiritus sui sanctificatione convertit.

Sic Damascenus verbis disertis illud pronunciat libro 4. cap. 14. πῶς ἔσται μοι τοῦτό φησιν ἡ ἁγία παρθένος, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; ἀποκρίνεται Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος, πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. καὶ νῦν ἐρωτᾷς πῶς ὁ ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ; καὶ ὁ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ αἷμα Χριστοῦ; λέγω σοι κἀγὼ, πνεῦμα ἅγιον ἐπιφοιτᾷ, καὶ ταῦτα ποιεῖ τὰ ὑπὲρ λόγον καὶ ἔννοιαν. Quomodo fiet mihi istud, dicit sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinum, & aqua fit sanguis Christi? Ego quoque respondeo tibi, Spiritus sanctus supervenit, & hæc operatur, supra quam dici, & intelligi possit. Idem paulò pòst: σῶμά ἐστιν ἀληθῶς ἡνωμένον θεότητι τὸ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου σῶμα, οὐχ ὅτι αὐτὸ τὸ ἀναληφθὲν σῶμα ἐξ οὐρανοῦ κατέρχεται, ἀλλ᾽ ὅτι αὐτὸς ὁ ἄρτος, καὶ ὁ οἶνος μεταποιοῦνται εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ θεοῦ. εἰ δὲ τὸν τρόπον ἐπιζητεῖς, πῶς γίνεται; ἀρκεῖ σοι ἀκοῦσαι, ὅτι διὰ πνεύματος ἁγίου ἑαυτῷ καὶ ἐν ἑαυτῷ ὁ κύριος σάρκα ὑπεστήσατο, καὶ πλέον οὐδὲν γινώσκομεν. Corpus secundùm veritatem est conjunctum divinitati, quod ex sancta Virgine corpus est. Non quòd corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quod ipse panis, & vinum transmutantur in corpus, & sanguinem Dei. Si autem modum requiris quonam pacto fiat, satis sit tibi audire, quoniam per Spiritum sanctum sibi, & in se Dominus carnem hypostaticè univit, & nil amplius novimus. Hæc Damascenus.

Ob eamque causam Presbyter celebrans simul cum Diacono, quam primum ex parvo altari, (quod vocant propositionis) ad majus benedicta munera, nondum tamen consecrata asportaverit, & obtulerit, dicit ad Diaconum, ora pro me Diacone: qui respondens ait, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quasi ad tantum opus efficiendum Spiritus sanctus vires illi suppeditet. Sic enim legendum est in liturgia; ut verum, & legitimum sensum habeat: ὁ ἱερεὺς πρὸς τὸν διάκονον, εὖξαι ὑπὲρ ἐμοῦ διάκονε. ὁ διάκονος. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. ὁ ἱερεὺς, τὸ αὐτὸ ἅγιον πνεῦμα συλλειτουργήσει ὑμῖν καὶ ἡμῖν. Quòd autem ita sit corrigendum, & legendum, manifestè constat ex liturgia Jacobi, ubi eadem verba cæteri dicunt ad sacerdotem. Itaque verba Dominica sunt instrumentum hujus ineffabilis transubstantiationis. Virtus verò una eademque communissima vivificæ Trinitatis operatur, quæ attribuitur Spiritui sancto, quemadmodum etiam in mysterio incarnationis.

Hæc solutio valet universè ad Patrum dicta, qui invocationem Spiritus sancti commemorant. Verbis tamen Basilij minimè convenit. Nam Basilius per invocationem, non eam intelligit, quam virtualiter fieri hucusque contendimus, quando proferuntur verba Dominica, sed eam prorsus à verbis Christi distinguit. Non enim, inquit, his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Evangelium mentionem fecit, sed alia dicimus, &c. Et ne nobis errandi daretur occasio, & aliam invocationem ante verba Dominica intelligeremus, subjunxit, in ostensione panis Eucharistiæ, & poculi benedictionis. At nulla ostensio fit Eucharistiæ ante verba Domini, sed tantùm in ipsis verbis Domini, hoc est, dum

fit conſecratio. Et deinde paulò pòſt, quando invocatur Pater, ut mittat Spiritum ſanctum, & dicuntur illæ preces ſacerdotum, tandem circa finem Miſſæ, quando dividitur hoſtia, & illius pars mittitur in calicem, nulla tamen tunc interveniente invocatione. In his omnibus actionibus Diaconus accepta tribus primis digitis extremitate ſtolæ, oſtendit Euchariſtiam, ut à principio hujus quæſtionis dicebamus.

Baſilius autem primam oſtenſionem non intelligit, quia eam diſtinguit à verbis Dominicis: neque poſtremam, quando nulla tunc fit invocatio: igitur mediam, quæ fit, quando recitantur illæ preces Sacerdotum, quibus putant Græci conſecrationem fieri. Huic verò mediæ Baſilius maximam vim attribuit.

Reſpondeo, teſtimonium Baſilij ſic eſſe intelligendum, ut modò expoſuimus, & nobis objecimus. Dico autem primò illud facere contra Cabaſilam, qui vult præterita verba Chriſti agere, non præſentia quæ ſecundum ipſum dicuntur, διηγηματικῶς, per modum narrationis. At Baſilius ait, Non enim his contenti ſumus, quæ Evangelium, & Apoſtolus commemorant, ſed & quædam alia dicimus. Quaſi dicat, & verba Evangelica tanquam neceſſaria proferimus, & præterea nonnulla alia dicimus.

Secundò dico difficultati ſatisfaciens, tribuere quidem virtutem Baſilium hujuſmodi verbis invocationis, & precibus, non tamen tantam, quantam tribuit verbis Dominicis, ſed quantam adſcribit quibuſdam aliis verbis, quæ Dominica verba præcedunt. Non enim, inquit, his contenti ſumus &c. ἀλλὰ καὶ προλέγομεν, καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχύν. Sed & ante, & poſt quædam alia dicimus, veluti magnum robur ad myſterium habentia. Sic ſanctiſſimus Doctor.

At certè nemo unquam Græcorum dixerit, antecedentibus verbis corpus Chriſti confici, licet ex ſententia Baſilij magnam vim habeant; igitur neque conſequentibus. Immò ſi quis diligenter verba Doctoris perpendit, facilè reperiet in verbis Dominicis ſummam rei conſiſtere. Quamvis enim videatur Baſilius aliis quoque verbis vim tribuere, tamen ea vocat, προλεγόμενα καὶ ἐπιλεγόμενα, adeo ut verba Dominica ſint ipſa res, καὶ αὐτὸς ὁ λόγος. Quocirca qualem rationem habent prologus, & Epilogus ad ipſam orationem, talem habent cætera verba ad voces Dominicas. Itaque hoc vult indicare Baſilius, ad conficiendum Euchariſtiæ ſacramentum, ſufficerent quidem verba Evangelica, & quæ recitat de hac materia B. Paulus; attamen multa alia cum his connectuntur, & pòſt, & antea, non alia profectò de cauſa, niſi quia ea per traditionem ad poſteros devenerunt, ideoque maximam vim habent. Non quidem ad rem eſſentialem præſtandam, ſed ad decentiam, decorem, ornatum, & ſplendorem tanti ſacrificij, ut decenter, honorificè, & cum quadam auguſtiſſima majeſtate conficiatur. Et quatenus non poſſunt omitti ſine ingenti ſcelere, cùm ſint ex traditione. Licet enim non ſint de neceſſitate ſacramenti, ſunt tamen de neceſſitate miniſtri, ut legitimè conſecrationem perficiat. Sacerdos enim celebrans ritum Eccleſiæ ſervare in omnibus debet, & ordinationi ſanctorum Patrum parere, alioquin graviter puniendus eſſet. Hic eſt ſenſus germanus Baſilij. Exiſtimo autem per verba, quæ antè dicuntur, & pòſt, intelligere Baſilium totum Canonem, qui ſine dubio & antiquitate ſua, & nobilitate, cùm auctores habeat Apoſtolos, aliis orationibus jure optimo præferendus eſt; præſertim quando etiam verba Dominica in ſe complectitur.

Sufficerent hæc ad objectionem etiam quæ fit de precibus, ut tamen nihil non ſolutum exactè remaneat. Reſpondeo, nonnullos ſanctorum adeo eſſe claros, ut non ſit opus eos exponere. Juſtinus enim explicat ſe, quales intelligat preces, dum addit, λόγου τοῦ θεοῦ, verbi Dei. Quare verba Chriſti vocat preces. Neque enim Chriſtus alias preces protulit, vel certè non illas Græcorum. Similiter Chryſoſtomus in homilia citata de proditione Judæ: σχῆμα πληρῶν μόνον ἕστηκεν ὁ ἱερεὺς, καὶ προσφέρει τὴν δέησιν. Perſonam, inquit, tantùm Chriſti

» gerit ſacerdos, & preces offert. Atque ut intelligas quales ſunt iſtæ preces, ſtatim infert, τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα, illa verba pronuncians (ſcilicet hoc eſt còrpus meum.) Has preces ſacerdotum eſſe Hieronymus ait, quia nimirum ore ipſorum enunciantur, quas Diaconi efficaciter proferre minimè valent, cum quibus comparat Hieronymus ſacerdotes. Sed & Origenes, qui per verbum, & preces non ſemel ait ſanctificari panem, in alio teſtimonio enunciat, per preces panes effici corpus ſanctum Chriſti, utique non excludens verbum Dei, quod toties alibi repetit, & primo loco ponit. Si autem illud includit, ergo verbum Dei precem appellat. Atque per clariores Doctores, obſcuriores nullo negotio explicari poſſunt. Nam de Cypriano & Auguſtino, ac ſimilibus interpretandis, non eſt cur laboremus, cùm eorum mens qualis fuerit, ex locis ſupra citatis luce meridiana clariùs pateat. Alludunt porro ſacri Doctores ad verba Pauli, qui 1. Timothei 4. dicit, omnia ſanctificari per verbum Dei, & orationem. Dicuntur præterea verba Chriſti preces, quod virtute precationem contineant. Vult enim, atque omnino poſtulat, & efflagitat Sacerdos, dum verba Chriſti profert, fieri quod profert. Et hunc Theologi eſſe ſcopum Sacerdotis intelligunt, ut etiam diximus de invocatione.

Proclus Conſtantinopolitanus Patriarcha non ait diſertè per preces fieri corpus Chriſti, ſed per preces expectari Spiritus ſancti adventum, ut ſua divina præſentia illud efficiat, efficiat, inquam, per verba Chriſti. Ut de invocatione diximus. Hoc fieri ſupplicat Sacerdos. Neque enim fas eſt illotis, quod aiunt, manibus tantum myſterium aggredi. Itaque per preces commodiſſimè poſſumus intelligere eas, quæ verba Chriſti præcedunt. Quod his rationibus probatur. Primò, quia Proclus has preces dicit fuiſſe prolixas, & ob eam cauſam à poſterioribus Patribus præciſas, & abbreviatas propter commoditatem po-
» puli. Fuſiſſimè, inquit, & longa oratione
» Miſſam Apoſtoli decantabant. Et rurſus,
» Contrito ſpiritu multas preces decantabant, divinum numen impensè orantes. «
Et ſic infert, per has igitur preces Spiritus «
ſancti adventum expectabant. Sed verba «
conſecratoria, ſeu preces illæ Græcorum, etiam ſecundum Græcos non ſunt prolixæ, ſed valdè paucæ; igitur Proclus non has Græcorum intelligit.

Deinde quia ibidem Proclus veram inculcat formam, & de ſanctis Apoſtolis, & antiquiſſimis Patribus, quorum mirificum affectum erga hoc ſacramentum deſcribit, dicit eos in memoria ſemper habuiſſe verbum illud Domini, Hoc eſt corpus meum, &, hoc facite in meam commemorationem. Non igitur aliis precibus præterquam verbis Chriſti intelligebat fieri corpus Chriſti.

Adde quod Proclus, vir doctiſſimus, fuit diſcipulus Joannis Chryſoſtomi, neque eſt veriſimile eum in tanta re à Chryſoſtomo diſſentire.

Vtrum Græci conſecrent.

Caput XXXVII.

In fine hujus quæſtionis quæritur, utrum Græci, qui aliis verbis, quàm Dominicis exiſtimant fieri conſecrationem, verè conſecrent. Ratio dubitandi eſt, quia cùm in conficiendis ſacramentis tria requirantur, materia, forma, & intentio miniſtri, hîc videtur deeſſe intentio, & per conſequens forma. Licet enim proferant verba Chriſti, tamen ex falſa doctrina putant ſe non formaliter, hoc eſt, ſignificativè, & inſtar Chriſti, qui quod ſignificavit ſimul effecit, ſed tantùm materialiter, ac per modum ſolius narrationis proferre.

Item pono caſum, ſi quis, dum celebrat, expreſsè intendat, ſe nolle tunc conſecrare, quando profert verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, ſed quando dicit, Fac hunc panem, &c. Vtrum is conſecret?

Reſpondeo varia, juxta ea, quę propoſita ſunt. Quod igitur ad primum attinet, dico ſecundum communem Theologorum ſententiam eos verè conſecrare. Quamvis enim opinentur verba Chriſti non eſſe

formam, quando tamen celebrant si non habent contrariam intentionem actu, & intendunt facere quod jussit Christus, verè consecrant. Quippe illorum universalis intentio, cùm sit veluti formalis, corrigit particularem errorem, & intentionem, quæ materialis est. Nam hæc particularis alteri universali se subjicit.

Secus si non haberent hanc universalem intentionem. Sed nemo est adeo temerarius, qui directè generalem intentionem excludat, si suæ privatæ repugnet. Si quis enim intendat non proferre verba Christi formaliter, etiam si ex Christi institutione sciat formaliter esse proferenda, certè is nihil conficit. Ut in dissimili materia quidam Ruthenus Consul Vilnensis, cùm vrgeretur testimoniis scripturæ in materia genuflexionis, quam Christus Dominus, & Apostoli sæpe in precibus adhibuerunt, & in usu habuerunt; respondit, ita quidem esse, se tamen nolle genua flectere, ne cum Latinis in hoc conveniat, & eos imitari videatur. Si quis ergo similis adeo stultus esset, ut in despectum Latinorum, quamvis sciret veram formam, eam tamen intentione minus formaliter enunciaret, nihil sanè efficeret. Sed vix puto aliquem hujusmodi posse inveniri.


Ad casum autem propositum, si quis sit, qui expressè nolit consecrare, quando profert verba Christi, quia nimirum existimat illa verba non esse formam, sed preces sacerdotum à Christo Domino per Apostolos institutas.

Respondeo, eum nihil penitus efficere. Quia implicat, eum consecrare, qui intentionem in contrarium habeat. Hæc enim particularis intentio hîc, & nunc expressa non continetur virtute in universali, sed potiùs illam destruit.

De figura sacratissimæ Hostiæ.

CAPUT XXXVIII.

Figura, quæ sigillo imprimitur pani fermentato Græcorum, qui sacrificio destinatur, duplex est, vel circularis, quæ



tamen in se quadrangulum una cum Cruce & his literis abbreviatis, Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ, Jesus Christus vincit, continet, qualem hîc expressam vides; vel meré quadrangularis cum cruce, & literis. Uarius enim hic modus formandi hostiam viget in Græcia.

In sacrificio autem quamvis circularis sit, quadrangularem tamen in circulari contentam Sacerdotes semper conceptis quibusdam verbis, quatuor item adhibitis incisuris ex toto pane eximunt ad consecrandum, ut constat ex liturgia Græcorum.

Circularis figuræ panis, & quidem consecrati mentionem facit S. Epiphanius in Ancorato circa medium, cùm ita scribit: ὁρῶμεν ὅτι ἔλαβεν ὁ σωτὴρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὡς ἔχει ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, ὅτι ἀνέστη ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ ἔλαβε τάδε, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό μού ἐστι τόδε. καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς καὶ ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μού ἐστι τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ. ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σωτηρίας. Videmus quod accepit Salvator in manus suas, veluti Evangelium habet. Quod surrexit in cœna, & accepit hæc, & ubi gratias egisset, dixit, Hoc meum est hoc. Et videmus quod non æquale neque simile, non imagini incarnatæ, non invisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ, & insensibile quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere, Hoc meum est hoc; & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia, & salute. Hactenus Epiphanius.

Parum autem, vel nihil soliciti esse de-

bemus de figura, modò sit vera materia, quæ est de essentia Sacramenti. Unde Græci consecrant alias quoque particulas, ut in materia de particulis disseruimus in honorem Deiparæ, Sanctorum, pro vivis, pro vita functis, quæ propter parvam quãtitatem neque rotundam, neque quadratam figuram præseferunt, sed potiùs triangularem. Quamvis in hoc quoque mos varius Ecclesiarum servandus sit. Nam non sine aliqua convenienti ratione, vel Romana Ecclesia circularem, vel Græca circularem, & quadrangularem usurpat. Quocirca nihil hîc erat dicendum de his figuris, nisi nimia petulãtia Simeonis Thessalonicensis bilem mihi commovisset. Is enim in libro de Sacramentis, sic scribit contra Latinos. Titulus est cujusdam capitis: ὅτι οὐκ ὀρθῶς κἂν τούτῳ ποιοῦσι Λατῖνοι ἄζυμά τε καὶ κυκλοειδῆ ταῦτα προσφέροντες. σεσάρκωται γὰρ ὁ Χριστὸς, τὸ σῶμα δὲ ἐκ στοιχείων. Quod non rectè in hoc quoque faciunt Latini azyma, & ea circularis figuræ offerentes. Nam Christus incarnatus est, corpus verò constat ex elementis. Deinde sequitur caput: τετραμερὴς δὲ ὁ ἄρτος, ἀλλ' οὐ κυκλοτερής τε καὶ ἄζυμος, ὡς ὁ παρὰ Λατίνοις θυόμενος, ὅτι τέλειος, ὡς εἰρήκαμεν. διὰ τὸ τέλειον τὸν ἄνθρωπον ὅλον ἔκ τε ψυχῆς καὶ τεσσάρων στοιχείων τὸν θεὸν προσλαβέσθαι. καὶ ὅτι τετραμερὴς ὁ κόσμος, καὶ αὐτὸς ὁ Λόγος τοῦ κόσμου δημιουργός. καὶ ὅτι ἐκ τεσσάρων στοιχείων τὸ σῶμα, ὃ προσελάβετο ὁ Χριστός. καὶ ὅτι τὰ πέρατα πάντα τοῦ κόσμου ἡγίασε σαρκωθεὶς ὁ λόγος, καὶ τὰ οὐράνια καὶ τὰ ἐπίγεια. καὶ ὅτι τὸ σχῆμα αὐτοῦ τυποῖ τὸν σταυρὸν, δι' οὗ προσπαγεὶς ἐν αὐτῷ καὶ ἀποθανὼν ἡμᾶς καὶ τὸν κόσμον πάντα ἐπηνώρθωσεν.

Ἀλλ' οἱ Λατῖνοι φασὶν, ὡς τὸ κυκλοειδὲς τὸ ἄναρχον αὐτοῦ σημαίνει καὶ ἀτελεύτητον τῆς θεότητος. καὶ τί τοῦτο οἱ ὀρθοδόξως φρονοῦντες φαμέν; οὐ περὶ θεολογίας γὰρ νῦν ὁ λόγος. τὸ μυστήριον δὲ τῆς σαρκώσεως, καὶ τοῦ πάθους κηρύττεται. καὶ τὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως ὧδε ἐκτυποῦται, καὶ τῆς σταυρώσεως. ὅμως οὐδὲ τὸ σχῆμα τοῦτο ἀφείθη, ἢ κατελείφθη, ἀλλ' ἐν τῇ σφραγῖδι ὁρᾶται. καὶ ἀναγκαῖον μᾶλλον ἐκεῖ. ὅτι τὰ μὲν τῆς οἰκονομίας τοῦ σωτῆρος τέλεια ἐν τῷ ἄρτῳ, καὶ ἐν τῷ σχήματι αὐτοῦ τετραμερεῖ ὄντι καθορᾶται. τὰ δὲ τῆς θεότητος ἐν τῇ τοῦ ἄρτου σφραγῖδι, ἥτις κυκλοειδής ἐστι, καὶ μέσον ταύτης ὁ σταυρὸς, ἢ αὐτὸς ὁ σωτὴρ ἐξεικονιζόμενος. τὸν ἄναρχόν τε καὶ ἀτελεύτητον λόγον σεσαρκωμένον πάντων ὁμοῦ δεικνύντων, καὶ θεὸν ὄντα καὶ καθ' ἡμᾶς ὀφθέντα, καὶ σαρκωθέντα ἀληθῶς, καὶ παθόντα, καὶ τὸν ἐν μορφῇ θεοῦ ὄντα, καὶ ἐν μορφῇ ἀνθρώπου γενόμενον. διὸ οὐ χρὴ μόνον εἰκονίζειν τὰ τῆς θεότητος, ἀλλὰ καὶ τὰ ἀνθρωπότητος. ἵνα μὴ δόξῃ κατά τινας αἱρετίζοντας, ὡς τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἠφανίσθη, καὶ ὁ λόγος θεὸς γέγονε, καθὰ καὶ οἱ τὴν μίαν φασὶ δοξάζοντες φύσιν. Panis verò quadripartitus est, non circularis, & azymus, ut est, qui apud Latinos sacrificatur. Quia perfectus est, ut diximus. Eo quod perfectum hominem totum ex anima, & quatuor elementis Deus assumpserit. (Hæc Simeon dicit propter azyma, quia putat fermentum in pane animæ instar esse. Sequentibus verbis figuram astruit.) Et quia totus mundus quatuor partes habet, ipsumque Verbum mundi fabricator existit. Et quia corpus, quod Christus assumpsit, ex quatuor elementis constat. Et quia omnes fines mundi, cœlestia item & terrena Verbum incarnatum sanctificavit. Postremò etiam quia figura hujusmodi panis crucem exprimit, per quam ipsi affixus, & mortuus, nos, & totum mundum instauravit.

Verùm Latini aiunt, figuram circularem divinitatem Christi significare, quæ principio & fine caret. At nos qui rectè sentimus dicimus. Quorsum hæc? Non enim de divinitate nunc sermo est, sed mysterium incarnationis, & passionis prædicatur, & quæ ad humanitatem, & crucem spectant, hîc exprimuntur. Neque tamen ipsa figura circularis prætermissa est, sed in ipso sigillo conspicitur, estque magis necessarium, ut in sigillo conspiciatur, quam in pane. (Utraque figura est in pane, sed quadrata in pane, seu in particula panis, quæ eximitur ad consecrandum, idcirco vocat eam figuram panis, circularis est in pane, qui remanet, quam hic appellat Simeon figuram signaculi. Sic intelligendus Simeon, quamvis obscurè loquatur.)

Nam quæ Salvator egit propter dispensationem perfectè in ipso pane, & ipsius figura, quæ quadripartita est, repræsentantur. Quæ verò pertinent ad ipsius divinitatem in panis signaculo figurantur,

» quod circulare est, atque in ipsius medio
» crux, vel ipse Salvator expressus extat.
» Quæ omnia simul ostendunt, Verbum,
» quod principio, & fine caret, incarnatum
» fuisse, & Deum esse, ac secundum nos
» apparuisse verè incarnatum, & passum, &
» cùm in forma Dei esset, etiam in forma
» hominis factum esse. Quapropter non so-
» lùm quæ divinitatis sunt, verùm etiam
» quæ humanitatis oportet repræsentari.
» Ne videantur, secundùm quosdam hære-
» ticos, quæ humanitatis erant disparuisse,
» & verbum Deum evasisse. Quemadmo-
» dum aiunt qui unam Christi opinantur na-
» turam. Sic ille.

Non possum satis mirari levitatem Simeonis. Nam in primis reprehendit Latinos, quod non adhibeant figuram quadratam propter illius significata, quæ ipse egregius Mathematicus tradit. Deinde ait, hîc de mysterio incarnationis agi, non de divinitate. Quasi verò malum sit in hoc mysterio utraque simul divinitatem, & humanitatem conjungere, ut re ipsa sunt ineffabiliter conjunctissima.

Postremò docet, utramque figuram adhibendam esse, quadratam quidem ad declarandam passionem Christi, & quæ pertinent ad mysterium dispensationis; circularem verò ad indicandam ejus divinitatem.

At si odio in Latinos Simeon non exarsisset, profectò in meridiana luce minimè cœcutiisset. Poterat enim facilè hæc duo significata, quæ requirit ex figuris in hostia Latinorum reperire. Circularis est propter assignatam causam. Et Christum Dominum in cruce pendentem in se continet. Quid igitur amplius postulat Simeon? An melius quadrata figura, & lineæ mathematicæ passionem Salvatoris exprimunt, quam figura Christi in cruce pendentis? & si quatuor partes exigit, crux istas habet, quæ in medio sculpta est. An quia hostia caret quatuor angulis, propterea sequetur Latinos non agnoscere salvas esse quatuor partes mundi per Christum?

Deinde panem, qui mutatur in corpus Christi, ait perfectum esse quadrangularem, quod corpus humanum constet ex quatuor elementis.

At si sequamur has congruentias, ne dixerim nugas, possumus & nos dicere, cùm verbum totum hominem assumpserit, qui à philosophis μικρόκοσμος appellatur, meritò circulari figura longè omnium perfectissima eum exprimi. Quippe mundus rotundus est.

Ad hæc, si rotunda figura est in pane, certè illa cum pane remanente non consecratur. Ergo neque spectat ad mysterium, & per consequens non exprimit divinitatem Christi. Quare secundum Doctrinam Simeonis inferamus, Græcos in hoc Sacramento minus credere Christi divinitatem, & longè melius facere Latinos, qui utrumque exprimunt.

Postremò, cùm quadrata figura non solùm sit in pane, qui consecrandus est, sed etiam in sigillo, ut loquitur Simeon, hoc est in pane remanente non consecrando; id enim in usu modo apud plerosque Græcorum est; dicamus propterea eos minus credere Christi divinitatem. Puerilia hæc quidem sunt.

Quæ tamen volui referre, ut nostri Græci, modò polleant mediocri judicio, pudore afficiantur. Tales enim sequuntur plerumque Doctores, & novos Theologos in rebus quandoque maximi momenti, & ponderis. Qui ubi cum Latinis consentiunt, non ineptas ad probandum aliquid rationes afferre solent. Ubi verò Romanam Ecclesiam petere volunt, solidissimæ illisi petræ, supra quam illa fundata est, miserrimum naufragium faciunt, hoc est nugas nugantur, & desipiunt.

Nota præterea in calce modum loquendi Simeonis, ὁ λόγος θεὸς γέγονε. Debuit enim dicere ἡ σὰρξ τοῦ λόγου θεὸς γέγονε. Nam Eutyches inter cætera impia dogmata hoc etiam asseverabat, carnem Christi non fuisse nostræ similem, nec re vera illum de Virgine natum, sed è cœlo corpus descendisse, ac tanquam solis radios Virginis uterum penetrasse; in ipso autem incarnationis articulo carnem fuisse commutatam in divinitatem docebat. Adeo quidem ut una facta fuerit, & carnis, & Deitatis substan-

tia; per consequens Christum fuisse passum secundum divinam naturam aiebat. Duas itaque in Christo naturas esse inficiabatur.

De mentione Patriarchæ in sacrificio.

CAPUT XXXIX.

IN sacrificio Missæ fit mentio antistitum hoc ordine. Presbyter supplicat pro suo Episcopo, Episcopus pro Archiepiscopo, & Metropolita, is verò pro Patriarcha, qui olim item pro summo Pontifice Numen divinum exorare solebat. Ubi verò Episcopi Græcorum non sunt, ut in Insulis Venetorum, ibi sacerdotes solius Patriarchæ faciunt mentionem clara voce hisce honorificentissimis verbis: ἐν πρώτοις μνήσθητι κύριε τοῦ ἀρχιεπισκόπου ἡμῶν τοῦ δεῖνος. ὃν χάρισαι ταῖς ἁγίαις σου ἐκκλησίαις ἐν εἰρήνῃ, σῶον, ἔντιμον, ὑγιῆ, μακροημερεύοντα, καὶ ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς σῆς ἀληθείας. In
» primis memento Domine Archiepiscopi
» nostri N. quem concede sanctis tuis Eccle-
» siis in pace salvum, honorabilem, sanum,
» longævum, & rectè tractantem verbum
» veritatis tuæ.

Et sanè quòd ipsi mentionem faciant, non est mirum; ante schisma enim etiam faciebant, & quod attinet ad hoc, nihil de antiqua consuetudine immutarunt, nisi quòd ubi priùs etiam Romani Pontificis fiebat mentio, nulla modò fit apud eos.

At verò in quæstionem venit de alumnis Collegij Græcorum in Urbe, ceterisque parochis Græcis cum Ecclesia Romana in fide conjunctis. An idem præstare, & in hoc schismaticos imitari debeant. Quamvis enim antiqua Ecclesia non solùm pro Regibus infidelibus, sed etiam pro errantibus, & hæreticis, atque pro toto orbe terrarum sacrificium offerret, & publicè oraret, ut constat ex liturgiis Jacobi, Basilij, & Chrysostomi. Eadem tamen Ecclesia postea prohibuit capite, A nobis, De sententia excommunicationis, publicè orare pro excommunicatis, & consequenter pro hæreticis, qui sunt omnes excommunicati, quos omnes arcet à communibus piorum suffragiis, & precibus.

Dices, Græcos non esse nominatim excommunicatos, neque declaratos hæreticos. Proinde possumus tum communicare cum illis, tùm etiam orare, si placet.

Hac ex parte huic opinioni assentior. Verùm quia sunt nonnulli Græcorum, qui ex hujusmodi precatione jactant se optimè sacerdotes agnoscere Græci veri-ne sint, καὶ μὴ λατινόφρονες, ut illi aiunt, an verò Latini, hoc est ut ego interpretor, Græci-ne schismatici sint, an verò Latini, & Latinorum sequaces Catholici. Idcirco non tantùm Jure Ecclesiastico, sed etiam diuino istud vetamur. Quod in contemptum Romani Pontificis, & per consequens fidei, mentionem fieri Patriarchæ à sacerdotibus cum Romana Ecclesia consociatis Græci postulent.

His adde, Propterea Græcos omisisse mentionem facere in sacro Romani Pontificis, quòd eum hæreticum esse existiment. Ergo contra nobis quoque idem de illis sentientibus non licebit eorum mentionem facere.

Ad extremum, si vellemus obsecrare pro illis, deberemus aliis verbis uti, nimirum ut eos Deus ab omni errore mentis liberet, & cum vera Dei Ecclesia jungat. Idque non publicè, & nomine totius Ecclesiæ, sed privatim, & proprio nomine. At ista precatione in primis, & præcipuè Memento Domine Archiepiscopi nostri, &c. potius eorum fidem commendare, & approbare videremur, quippe optatio ista, & obsecratio vel in ipsum summum Pontificem optimè quadrat.

At populus ni ita fiant ægrè admodum fert, & rei divinæ ne intersit, diligenter cavet; Neque faciles præbebit aures sana dogmata prædicantibus, neque ullus animarum fructus consequetur. Immò non sine populi scandalo, & sacerdotis periculo poterit omitti hujusmodi deprecatio.

Verùm quid ad nos? Non equidem reor facienda esse mala, ut eveniant bona. Prudentis tamen esset, ubi tale aliquid acci-

dere poſſet (accidet autem in tota Græcia) potiùs occaſionem vitare periculi nolendo celebrare, quàm incœpto ſacro ſubire periculum.

Unde non ſine cauſa Illuſtriſſimi Cardinales Protectores, qui Collegij Græcorum in Urbe curam, & patrocinium gerunt, poterunt cogitare ac perpendere, Utrum expediat alumnos, quos in Græciã deſtinant, ad ſacerdotij ordines promovere. Nam ibi propter periculum ſacerdotale munus eos exercere minimè poſſe, certum eſt, ſi memoratam mentionem Patriarchæ, ut par eſt, neglexerint.

Hoc etiam ſi fieri poſſet, non improbarem, ut ſcilicet nulla facta mentione Patriarchæ, nulla etiam fieret κατ' ἐκφώνησιν Pontificis, ſed ſecretò. Non enim nomen Pontificis æquè omnes venerantur. Et tunc poſſent in hanc formam rogare non aliter, atque ſi ſedes vacaret: μνήσθητι κύριε πάσης ἐπισκοπῆς ὀρθοδόξων τῶν ὀρθοτομούντων τὸν λόγον τῆς σῆς ἀληθείας. Memento Do-
» mine omnis Epiſcopatus orthodoxorum,
» qui rectè tractant ſermonem tuæ veritatis,
» Vel aliquid aliud ſimile.

Hoc autem aſſero habita ratione loci, hoc eſt in Græcia. Nam in partibus Italiæ aliter faciendam cenſeo. Epiſcopi enim Latini omnino curare debent, ut ſibi ſubditi parochi Græci in unione Catholici ſint, & ſummum Paſtorem agnoſcant. Juxtaque veterum morem pro illo ſolemniter deprecentur. Vel ſaltem ipſorum Latinorum Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus degunt, mentionem faciant. Quod ſi obfirmati in ſchiſmate, ac hæreſi perſtiterint, parvipendenda eſt illorum deprecatio. Quippe ipſorum oratio fit in peccato, & peccatores Deus non exaudit; ac in eorum locum alij viri Catholici ſubſtituendi erunt.

De aqua fervida in ſacrificio Græcorum.

CAPUT XXXIX.

PRæter vinum & aquam frigidam, quæ à principio ſacrificij in calice miſcent, ac temperant, infundunt aquam ferventem in calicem peracta jam conſecratione, immediatè ante communionem.

S. Thomas 3.p.q.77.a.8. quærit, Utrum aliquis liquor poſſit vino conſecrato commiſceri? Suppoſito autem quod ſicut ſpecies ſacramentales virtute conſecrationis adipiſcuntur modum eſſendi ſubſtantiæ, ita etiam conſequantur modum agendi & patiendi, reſpondet primò, poſſe fieri miſtionem. Secundò hujus miſtionis effectum diverſum oriri docet pro diverſitate formæ, liquoris, & quantitatis. Si enim liquor ſit ejuſdem generis, ut vinum cum ſpeciebus vini, oriri tertium non idem numero, ſed ſpecie. Si ſit alterius, ut aqua cum ſpeciebus vini, oriri tertium diverſum ſpecie. Si in tanta quantitate, ut per totum diffundatur, totum corrumpi: ſi non per totum, partem corrumpi. Inde infert qu.83. ar. ultimo ad 4. nullo modo miſceri debere aquam (vel parvam) vino jam conſecrato, quod corruptio ſacramenti pro aliqua parte ſequatur. Sic B. Thomas.

Qui, ut apparet, exiſtimavit, duas dimenſiones in rebus liquidis, ſi permiſceantur, entitativè corrumpi, & tertiam quandam novam oriri. Quod principium in philoſophia communiter ab aliis non recipitur. Non enim fit miſtio quædam eſſentialis, ſed accidentalis, & illa miſcibilia ſunt potius juxta-poſita. Unde & arte à peritis ſeparantur, & in priſtinum ſtatum rediguntur. Quamvis autem aqua elementaris ſit majoris activitatis, & poſſit vinum in ſe convertere, tamen non ſtatim, nec in parva quantitate ſit, qualis eſt ea, quam infundunt Græci. Ut propterea etiam nulla ſequatur omnino in ſacramento corruptio. Nam Ariſtoteles in primo de generatione c.10. tex.88. Gutta, inquit, vini decies millenis aquæ menſuris nō miſcetur, quia forma vini perit, atque vinum in totam aquam vertitur. Cùm ergo non una, aut altera gutta, ſed multum vini generoſi (cujuſmodi ſunt Græca) ſit in calice, etiam ſi tantumdem aquæ infundatur poſtea, non eſt timendum, ne ſpecies ſacramentales vini corrumpantur, & evaneſcant. Sed miſtio quædam fit, ut dixi, accidentalis.

Præſertim

Præsertim cùm etiam parum temporis intercedat ab ea mistione ad communionem. Quo circa si S. Thomas scivisset, Basilium Magnum, & Chrysostomum ea ceremonia post consecrationem usos fuisse, ut constat ex ipsorum liturgiis, profectò aliter sensisset.

Hæc tamen doctrina B. Thomæ præbuit ansam Latinis, ut accusarent Græcos, cùm sæpe antea, tum etiam in Concilio Florentino: si quidem inter alia hoc etiam in calce Concilij tertio loco quæsivit à Græcis Eugenius summus Pontifex, cui tamen satisfecit Mytilenensis Antistes, ut ibi dicitur. Eandem fortè retulit rationem, quam alij quoque Græcorum reddere solent, quia nimirum hoc modo re ipsa exprimere volunt magis vim miraculi, ea ratione qua factum est. Quippe sanguis, & aqua à latere Christi Domini fluxerunt non frigida, sed calida: calida verò, quia quamvis è corpore mortuo, & ab anima destituto, non tamen divinitatis experte, proinde vitali manarunt. Et hoc facto istud quoque dogma Græci stabiliunt, Christum Dominum, quod semel assumpserat, nunquam deseruisse.

Unde Balsamon Canonista in responsione 18. ad quæsita Marci Patriarchæ Alexandrini, ut est videre in jure Orientali sic scribit: βάλλεται δὲ (τὸ ζέον ὕδωρ) εἰς πληροφορίαν τοῦ εἶναι ζωοποιὰ τὰ ῥεύσαντα ἀπὸ τῆς ἁγίας πλευρᾶς τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ σωτηρίου πάθους αὐτοῦ τὸ αἷμα δηλονότι καὶ τὸ ὕδωρ. ἅ τινα ἐξέῤῥευσαν ζέοντα ὡς ἐκ ζωοποιοῦ τεθεωμένου σώματος ζωοποιά. Infunditur autem (aqua fervens) ut videlicet sanguis, & aqua, quæ fluxerunt è sancto latere Domini, & Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus, vivifica esse constet. Quæ ferventia effluxerunt, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica.

Cæterùm quod deinde addit Balsamon, οἱ γοῦν μὴ ποιοῦντες οὕτω, καὶ τὸ τοῦ θαύματος κἀντεῦθεν μεγαλύνοντες μέγεθος, ἀλλὰ διὰ ψυχροῦ ὕδατος καὶ οἴνου τὴν τῶν θείων μυστηρίων ποιοῦντες μετάληψιν, οὐ πιστεύουσι καὶ μετὰ τὸν σωτήριον τοῦ κυρίου θάνατον, παρὰ τῷ ἁγίῳ σώματι αὐτοῦ τὴν θεότητα εἶναι, ἀλλὰ ἀποστῆναι ἐκ τούτου, καὶ εἶναι κατὰ τὰ ἡμέτερα σώματα. ὅπερ μεγάλης αἱρέσεώς ἐστι φλυάρημα. Igitur qui non ita peragunt mysterium, neque magnitudinem miraculi hoc facto extollunt, sed per aquam frigidam & vinum divinam communionem participant. Hi non credunt etiam post salutarem Domini mortem, divinitatem in sancto ejus corpore fuisse, sed ab eo discessisse, & fuisse illud juxta conditionem nostrorum corporum. Quod magnæ hæreseos est deliramentum.

Istud, inquam, quod subjungit Balsamon, si de suis Græcis intelligat, qui eodem tenore sacrum mysteriorum munus obeunt, potest habere locum. Si verò universè de omnibus intelligat, falsissimum est. Nam Latini quamvis ea ceremonia in sacro non utantur, dogma tamen firmissimè credunt, & aliis prædicant. Sed redeo ad incœptum.

Matthæus quoque Blastarius in Nomocanone præsentem ceremoniam tuetur, atque ita respondet Latinis: οὐ δεῖ δὲ τοῖς Λατίνοις ἡμᾶς αἰτιᾶσθαι, εἰ πρὸς τῷ τέλει τῆς ἱερουργίας ζέον ὕδωρ τῷ ποτηρίῳ ἐγχέομεν. οὐ γὰρ μεταβάλλει τοῦτο τὴν δι' οἴνου καὶ ὕδατος τοῦ ποτηρίου ἕνωσιν. ἐπεὶ μὴ ἐστιν ἕτερόν τι τὴν φύσιν τοῦ πρὶν ἐμβληθέντος ὕδατος. πιστοῦται δὲ μόνον τὸ τοῦ θαύματος μέγεθος, τὸ καὶ τῇ γεύσει πείθειν ἡμᾶς μὴ ἐκ νεκροῦ, ἀλλ' ἐκ ζῶντος σώματος τὸ αἷμα καὶ τὸ ὕδωρ ῥυῆναι. ἐκ νεκροῦ γὰρ ἀτμίζον αἷμα οὐ πέφυκε καταῤῥεῖν. ἐκ δὲ τοῦ κυριακοῦ σώματος, ὡς ζῶντος καὶ ζωοποιοῦ τὰ ζωοποιὰ ἐῤῥύη, τὸ αἷμά φημι καὶ τὸ ὕδωρ. οὐκ εἰσάγεται δὲ τὸ ζέον κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἑνώσεως, ἵνα μὴ ψυχρὸν αὖθις ἐν τῷ καιρῷ τῆς μεταλήψεως γεγονὸς εἰς τὸν πρότερον ἐπανέλθῃ λόγον. Non est cur Latini nos reprehendant, si circa finem sacrificij ferventem aquam in calicem fundimus. Non enim aqua illa transmutat ex vino & aqua mixtionem calicis. Neque enim aqua differt natura posterior à priori infusa. Testatur solùm magnitudinem miraculi, eo quòd etiam gustu nobis suadet, sanguinem, & aquam non ex mortuo, sed vivo effluxisse corpore. Quippe minimè natura comparatum est, ut sanguis exhalans è corpore mortuo defluat. At è dominico corpore veluti vivo, ac vivifico, quæ vim habent vivificandi, sanguis, inquam, & aqua effluxerunt. Idcirco autem à

principio mixtionis fervens aqua non adhibetur, ne tempore communionis rursus evadat frigida, & ad pristinam redeat conditionem, ac proprietatem. Sic ille. Illud Blastarij castigandum est, quòd aqua posterior non differat à priori. Nam post consecrationem non est amplius aqua, sed vel immediatè, vel mediatè, ut quidam volunt, in sanguinem Christi versa est: remanentibus ibi accidentibus. Quocirca & diversæ naturæ est. Cætera quæ affert Blastarius ad declarandam cerimoniam, & probandum mysterium, admittenda sunt.

Nam certè istud quicquid sit, redolere tamen antiquitatem ex eo patet, quòd ante hos auctores sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui anno Domini 730. floruit, in Theoria liturgiæ hujus rei mentionem facit, immo, & eandem interpretationem adhibet, & significatum explicat his verbis: κομίζεται ὕδωρ θερμότατον εἰς μικρὸν λεβητεῖον, καὶ κιρνῶσιν ἐξ αὐτοῦ τὰ προκείμενα τῇ θείᾳ τραπέζῃ εἴτε κρατῆρες, εἴτε ποτήρια εἶεν. ἵν' ὥσπερ ἐκ ζώσης προῆλθον τῆς θείας πλευρᾶς ἀμφότερα θερμότητος πεπληρωμένα, οὕτω δὴ καὶ τὸ ὕδωρ θερμότατον ἐν τῷ καιρῷ τῆς μεταλήψεως ἐπεμβαλλόμενον, τέλειον τὸν τύπον τοῦ μυστηρίου ἀναπληρῇ. τῶν μεταλαμβανόντων τῆς θηλῆς τοῦ ποτηρίου, ὡς αὐτῆς τῆς ζωοπαρόχου πλευρᾶς ψαυόντων. Adfertur, inquit, aqua calidissima in exiguo lebete, ex eaque temperant, quæ divinæ mensæ proposita sunt, sive crateres, sive pocula sint. Ut quemadmodum ex vivente divino latere processerunt utraque calore referta; ita sanè & aqua calidissima tempore communionis injecta absolutum typum mysterij expleat. Quasi ipsum latus porrigens vitam contrectarent, qui mammam poculi participant.

Et hæc quidem satis congrua est ratio, quam assignant nominati Græcorum auctores. Quod verò ait S. Germanus ex vivo latere effluxisse, sano modo intelligendum est. Nam vivum latus appellat propter divinitatem. Quare non ex vivo, sed veluti ex vivo corpore manasse dicendum est. Miraculosè enim ex mortuo corpore, veluti ex vivo sanguis, & aqua effluxerunt; estq; hoc modo duplicatum, seu potius triplex miraculum, quod ex mortuo corpore, quòd sanguis, & aqua, & ea calida effluxerint. Hoc itaque nomine immeritò Græci à Latinis arguebantur.

De Communione puerorum, & infantium.

Chap. XL.

Communicare pueros, & infantes, quod Græci faciunt, antiquum valde est, atque id veteres in usu habebant, ut suprà in materia de Baptismate ostendimus. Ac præter Dionysium, & alios ibi citatos Clemens Rom. hoc idem recenset, & mandat in sua liturgia lib. 8. Const. cap. 20. his verbis: μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι, καὶ ὑποδιάκονοι, καὶ οἱ ἀναγνῶσται, καὶ οἱ ψάλται, καὶ οἱ ἀσκηταί. καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶ αἱ διάκονοι, καὶ αἱ παρθένοι, καὶ αἱ χῆραι. εἶτα τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν. Post hoc (id est postquam Episcopus dixerit sancta sanctis) communicet ipse Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, Subdiaconi, Lectores, atque Cantores, & Solitarij. Tum inter mulieres Diaconissæ, Virgines & Viduæ Postea pueri: tum demum omnis populus suo ordine. Pueri autem intelliguntur, & appellantur, qui nondum ratione utuntur. Eandem consuetudinem insinuat Concilium Tolet. 11. cap. 11. cùm dicit, eum qui ob infirmitatem, necessitatem, mentis incapacitatem, vel infantiam susceptam Eucharistiam evomuerit, puniendum non esse. Supponit ergo solere infantes sumere Eucharistiam. Cyprianus verò in sermone de lapsis rem memorabilem, & admirandam de quadam puella parvula narrat, cui cùm datum esset Sacramentum illud deglutire non potuit, quia idolothyta priùs comederat. Et apertè supponit illam non habuisse usum rationis, neque peccasse in illo facto. Augustinus quoque locupletissimus est hujus consuetudinis testis epistola 23, ad Bonifacium, & apertè dicit epistola 107. infantes Eucharistiam manducasse, & libro 4. de Trinit. cap. 10. & libro de Ecclesiasticis dogmat. cap. 52. ut omittam cætera ejus loca. Item mos fuit

antiquus in Ecclesia Græcorum, ut reliquiæ Eucharistiæ darentur pueris innocentibus manducandæ. Quæ est etiam ratio inter alias, cur infantibus porrigant S. Eucharistiam, scilicet propter innocentiam. Cùm enim pueri nullum ponant neque possint ponere obicem, Sacramentum infallibiliter confert illis gratiam. Quæ res miraculo comprobata est Constantinopoli tempore Justiniani Imperatoris, & Menæ Patriarchæ teste Evagrio Ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 35. Nam puer filius cujusdam Hebræi arte vitrarij, cùm frequentaret scholas unà cum pueris Christianorum, & inscius cum aliis pueris pariter mysteriorum reliquias comedisset, & propterea ultra solitam horam moratus tardè domum rediisset, à parente re cognita in ardentem clibanum injectus est: sed Reginæ cœlorum patrocinio munitus triduò pòst à matre luctu miserabiliter divexata, illæsus inter flammas repertus est.

Ex quà narratione (ut hoc obiter addam) usum unius speciei manifestè colligimus. Eandem historiam repetit Nicephorus libro 17. cap. 25. addens se reliquias corporis Domini ad eundem modum, cùm puer esset, edisse frequenter. Quod idem scribit Gregorius Turonicus libro 1. de gloria Martyrum cap. 18. & Concilium Matisconense cap. 6. ibi enim statuitur, ut feria 4. & 6. advocentur innocentes parvuli, & indicto eis jejunio, detur ipsis, si quid ex Sacramenti particulis sumendum est.

Verum est etiam veteres aliquando communicasse infantes, sed sub una specie tantùm, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini. Non enim possunt infantes cibum aliquem solidum sumere. Quod testatur Hugo à sancto Victore de
» Sacramentis lib. 1. c. 20. Pueris, inquit, re-
» cens natis idem Sacramentum in specie
» sanguinis est ministrandum digito sacerdo-
» tis. Quia tales naturaliter sugere possunt.
» Augustinus ad Bonifacium contra hæresim
» Pelagianorum. In Ecclesia Salvatoris per
» alios parvuli credunt, sicut ex aliis, quæ in
» baptismo dimittuntur, peccata traxerunt.
» Nec illud cogitetis, eos vitam habere non
posse, qui sunt expertes corporis, & san- «
guinis Christi, dicente ipso Domino; Nisi «
manducaveritis carnem filij hominis, & «
biberitis ejus sanguinem, &c. Ergo si sine «
periculo fieri potest juxta primariam Eccle- «
siæ institutionem, Sacramentum Euchari- «
stiæ in specie sanguinis est tradendum pue- «
ris. Unde ignorantia presbyterorum ad- «
huc formam retinens, sed non rem, dat eis «
loco sanguinis vinum. Quod penitus su- «
pervacuum arbitrarer, si sine scandalo «
simplicium dimitti posset. Si autem in ser- «
vando sanguinem Christi, vel ministrando «
pueris immineat periculum, potiùs super- «
sedendum videtur. Nec terreant vos præ- «
missa Augustini verba. Ipse enim alibi
quasi ea determinans dicit: Nulli est ali- «
quatenus ambigendum, tunc unumquem- «
que fidelium corporis sanguinisque Do- «
mini participem fieri, quando in baptismo «
membrum corporis Christi efficitur. Nec «
alienari ab illius panis consortio, etiam «
si antequam illum panem comedat, & cali- «
cem bibat, de hoc sæculo, in unitate cor- «
poris Christi constitutus, abscedat. Hactenus Hugo. «

Porro hanc vetustissimam consuetudinem in toto ferme Oriente, & alicubi in Occidente à sanctissimis, & eruditissimis Episcopis olim approbatam & usurpatam Concilium Tridentinum nullatenus reprehendit, cùm sess. 21. cap. 4. dicat, Antiquos Patres pro sui temporis ratione probabilem causam sui facti habuisse. Nam in primitiva Ecclesia, quando minor erat fidelium numerus, faciliùs poterant vitari incommoda, quibus illa consuetudo exposita est. Quare ex superabundanti utilitas major & augmentum gratiæ parvulis procurabatur. Postmodum verò crescente numero fidelium, & refrigescente charitate, cùm minori cura, ac diligentia sacramenta administrarentur, magis ad decentiam, & reverentiam sacramenti expedire, & conducere visum est, si parvulis ante usum rationis sacramentum denegaretur, quàm si aliquali utilitati eorum provideretur.

Quocirca Græci si vellent se in hac re conformes Romanæ Ecclesiæ reddere, longè melius facerent, quàm si persistant in

antiqua consuetudine; ut enim illam illis temporibus in usu habitam Concilium Tridentinum minimè damnat; ita his temporibus minimè laudat, immo potiùs à se rejicit, & condemnat. Et apud Græcos esse in usu fortè tolerat, cùm illius gentis noverit τὸ δυσπειθές. Quod est dicere, non propter illam consuetudinem Græcos damnat.

Est autem maximum discrimen quoad hoc inter Græcos & hæreticos; quia cùm Græci ab hinc multis sæculis perpetuo tenore hunc morem habuerint, non est mirum, si modò etiam eum mordicus retineant, modò rectè de ipso dogmate sentiant. Quod ita esse, illud argumento est; quòd communiter Græci non damnant Latinos non porrigentes communionem parvulis. Non sic hæretici, qui necessariò exigunt pro infantibus sacramentum Eucharistiæ. Quapropter circa hunc articulum fidei toto cœlo errant.

Verùm in hoc quoque minùs felices nonnulli posteriores Græcorum extiterunt. Quorum sententia nullo pacto est sequenda; neque ex illorum placitis, & prava expositione usus Græcorum est interpretandus. Illi namque germanum sensum divinæ scripturæ minùs assecuti, nonnullaque dicta sanctorum Patrum obscuriora non intelligentes, consuetudinem hanc, alioquin, ut antiquam laudabilem, ut recentem & in praxi modò apud Græcos existentem, tolerabilem, in errorem commutarunt. Opinantur enim de necessitate salutis requiri hoc sacramentum tam adultis, quam infantibus. Sic docent, qui subjiciuntur auctores. Simeon Thessalonicensis in libro de Sacramentis; ὥσπερ ὁ μὴ ἀναγεννηθεὶς δι' ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὕτω καὶ ὁ μὴ φαγὼν τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς εἶπεν αὐτὸς ὁ κύριος, μηδὲ πιὼν αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Quemadmodum qui non renatus fuerit per aquam & spiritum, non intrabit regnum cœlorum; ita etiam qui non comederit carnem filij hominis, ut ipse Dominus dixit, neque biberit ejus sanguinem, non habet vitam æternam. Sermonem autem habet Simeon ibi de infantibus, ubi & reprehendit Latinos, quòd illud sacramentum minimè impertiant pueris.

Nicolaus Cabasilas in prima oratione de vita in Christo: τοῦτό ἐστιν ἡ ζωή, ἣν ὁ κύριος ἧκε φέρων, τὸ διὰ τῶν μυστηρίων τούτων ἐλθόντας μετασχεῖν αὐτῷ τοῦ θανάτου, καὶ κοινωνῆσαι τοῦ πάθους. καὶ τούτου χωρὶς τὸν θάνατον οὐκ ἔνι διαφυγεῖν. οὔτε γὰρ μὴ βαπτισθέντα ἐν ὕδατι καὶ πνεύματι δυνατὸν εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν. οὔτε οἱ μὴ φαγόντες τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πόντες αὐτοῦ τὸ αἷμα δύνανται ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν. Hæc est vita, quam Dominus veniens attulit; per hæc mysteria participare cum ipso mortem, & socios fieri passionis. Et sine hoc mortem vitare non datur. Neque enim si quis non baptizatus fuerit in aqua, & spiritu, fieri potest, ut in vitam ingrediatur. Neque qui non comederint carnem filij hominis, & biberint ejus sanguinem, possunt habere vitam in semetipsis.

Hieremias Patriarcha Constantinop. in secunda Apologia suæ censuræ cap. de Chrismate: κἂν γὰρ τὰ κυριώτερα τῶν μυστηρίων τὸ βάπτισμα καὶ ἡ κοινωνία ἡ θεία ἐστι, καὶ ὧν δίχα σωθῆναι ἀδύνατον, ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρέδωκεν ἡ ἐκκλησία. Etsi enim cæteris sacramentis potiora sunt baptisma, & divina communio, sine quibus salus nullo modo contingere potest. Attamen, & hæc (scilicet reliqua sacramenta) Ecclesia tradidit.

Philadelphiensis in libro de Sacramentis: ἡ δὲ θεία κοινωνία ἐστὶν ἀναγκαία, ὅτι φησὶν ὁ κύριος, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίνητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. Divina communio est necessaria, quoniam Dominus ait, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis ipsis. Similiter hoc in loco Philadelphiensis intelligit Eucharistiam esse omnibus simpliciter necessariam ad salutem. Siquidem dividit sacramenta inter necessaria, & utilia. Atque inter necessaria ex verbis Christi enumerat baptismum, & Eucharistiam. Quocirca hoc ipsum nobis ordine tractandum est.

Quæritur an hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem; & præmissa explicatione terminorum ponuntur argumenta pro parte affirmativa.

Caput XLI.

QUoniam necessitas, de qua nunc agimus, varia est, & vario quoque modo ad diversos applicatur, ad rem præsentem meliùs enodandam, & aliis facilem intellectu proponendam, nonnulli termini priùs declarandi sunt. Ante omnia igitur sciendum est, duobus modis posse intelligi aliquid esse necessarium ad salutem. Uno quidem necessitate præcepti, alio verò modo necessitate medij. Necessarium necessitate præcepti dicitur id, quod necessarium est, quia præcipitur; nam quia præceptum inducit obligationem ad peccatum, & cum peccato nemo salvus esse potest, hinc fit, ut quod præcipitur sit necessarium ad vitam æternam. Quia scilicet sine illo committitur peccatum, & cum peccato non est salus.

Necessarium verò necessitate medij dicitur id, quod est medium, sine quo haberi vita æterna non potest. Ejusmodi medium est quidem semper etiam pręceptum, quantum est de se, quia unusquisque tenetur adhibere omnia necessaria ad salutem, non tamen accipit necessitatem suam ex præcepto. Immò potiùs ex necessitate, quam habet, fit ut etiam sit præceptum. Quare necessarium necessitate medij propriè, & per se est ad obtinendam salutem. Quia Deus non vult dare vitam æternam nisi adhibito illo medio. Hoc autem in hoc consistit: Quod sacramentum sit institutum per se ad conferendum aliquem effectum gratiæ simpliciter necessarium ad salutem. Quando verò sacramentum aliquod nullum effectum per se ita necessarium producit, & tamen præcipitur, tunc dicitur necessarium necessitate præcepti.

Dices, si sacramentum aliquod non producit effectum simpliciter necessarium ad salutem, quare præcipitur? nam hoc modo ex non necessario fit necessarium.

Respondeo, istud pendere ex mero placito institutoris, qui tamen illud præcipit propter ingentes alias utilitates, & fortassis ob incomparabilem dignitatem, & singularem excellentiam ipsius sacramenti. Neque tamen fit necessarium necessitate medij.

Contrà, nam quemadmodum Deus non præbet vitam æternam non adhibentibus medium, ita etiam non adimplentibus præceptum: quæ igitur differentia erit inter præceptum & medium?

Respondeo, quòd interdum potest aliquis saluari sine iis quæ sunt necessaria necessitate præcepti; quia nimirum potest contingere, ut non teneatur præceptum adimplere, ut si existens in gratia ante tempus implendi præceptum moriatur, vel incidat in phrenesim, vel aliquod simile patiatur. Tunc enim non adimplendo, non peccat, & consequenter saluatur, quia est in gratia, neque amittit illam. At verò sine medio nulla ratione potest saluari. Unde potest quis etiam sine culpa sua carere illo, & damnari, ut patet in parvulis carentibus baptismo, qui non assequuntur vitam æternam, & tamen nullâ suâ culpâ carent baptismo. Et in eo qui attritus it cubitum cum animo confitendi, & dormiens moritur cum peccato mortali. Nam sine novo peccato caret confessione, & ex hoc solo defectu damnatur: hoc est, si confessionem habuisset, fuisset salvus. Quamobrem medium est res ejusmodi, quæ nullum tempus excludit, & omnes complectitur. Præceptum verò, quatenus præceptum, nonnisi capaces præcepti, & tempus debitum comprehendit.

Præter has necessitates, est alia moralis necessitas, juxta quam dicitur aliquid necessarium, hoc est, valdè utile, & efficax, & ad melius esse. Sicut equus dicitur necessarius ad iter: hæc necessitas dicitur aliis verbis, necessitas medij secundùm quid, quia ægrè vitari possit peccatum sine illo medio, aut quia sine gratia per tale medium collata non sit omnino vitaturus aliquis illud peccatum. Unde talis necessitas in duobus consistit, scilicet in commensuratione

virium ad resistendum tentationibus, & in eo quod est ex suppositione actus futuri. Et quidem ratione virium dicitur necessitas esse secundùm quid, quando vires tantæ sunt, ut sufficiant quidem, sed admodum ægrè. Ut, verbi gratiâ, si difficultas sit ut octo, vires sint ut novem, tunc quidem satis est virium, & nihilominus actus non consequetur. Nam quod difficilè admodum fit, vix unquam fit ab iis, qui liberè agunt: & ideo licet simpliciter sit possibile fieri, tamen considerato actu, qui numquam, aut fere numquam est, quando est tanta difficultas, dicitur impossibile. Atque hic est unus modus necessitatis & impossibilitatis secundùm quid; necessitatis ex parte medij, impossibilitatis ex parte agentis. Ad hoc igitur ut actus sequatur, & fiat, apponendum est aliquod medium, quod magis impellat, hoc autem dicitur necessarium secundùm quid. Unde est alter modus necessitatis & impossibilitatis, qui priorem consequitur ex suppositione actus futuri, nisi tale remedium apponatur; tunc enim necesse est, nisi remedium fiat, actum illum esse, si suppositio est vera. Nam sicut necesse est, ut si est facturus peccatum non posito tali medio, faciat illud, ita necessarium est poni tale medium, ne peccatum fiat: quę est necessitas ex suppositione.

Ad hæc, sacramenta suscipiuntur, vel in re ut in baptismate ab iis, qui baptizantur, id est actu, & re ipsa baptismum suscipiunt. Uel in voto ab iis, qui baptizari volunt, & desiderant. Quod est dicere, interdum haberi potest res sacramenti, sine sacramenti ipsius perceptione, ut patet in eo, qui antequam baptizetur, per votum sacramenti desiderans baptismum, conteritur corde, & justificatur. Unde Ambrosius in libro de obitu Valentiniani, qui catechumenus obierat: Quem, inquit, regeneraturus eram amisi. Uerumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.

Haberi autem aliquid in voto idem est atque in voluntate, & desiderio. Quare tot modis aliquid haberi in voto poterit, quot etiam modis volitum esse potest: & cùm dupliciter aliquid volitum sit, vel propria voluntate, vel aliena, prout scilicet vel voluntas nostra nobis ipsis constat, vel translata censetur in alium; duplex quoque votum sacramenti intelligere possumus. Unum quidem proprium, idque dupliciter, vel expressa scilicet voluntate, quando quis expresse per actum proprium desiderat talem rem: habet autem vim conferendæ gratiæ hæc voluntas, quia per affectum conjungit homini sacramentum, quod est applicatio quædam meritorum Christi. Unde vi termini conjuncti per affectum, applicatur homini Christus, & salvatur homo. Uel implicita, quando quis habet aliquem proprium actum explicitum alicujus rei, ex qua re sequitur alia necessariò, is dicitur velle implicitè id quod sequitur tanquam inclusum virtute in ea re, paratus enim est, si sciat illud facere. Exempli gratiâ, in contritione includitur propositum non peccandi in posterum, & ratio est: quia cùm cōtritio sit absolutum odium peccati, ut est offensa Dei, eo ipso est odiū cujusque peccati etiam futuri ex vi ejusdem rationis formalis, quia est offensa Dei. Ac proinde est virtuale propositum non peccandi, immò est etiam propositum virtuale exequendi tam media necessaria ad salutem, quàm observandi præcepta. Aliud verò votum est alienum, cùm aliquis alius pro ipso cupit, itaut ille actus alienus illi applicetur, & ipsius esse censeatur. Sicut videmus quòd fides Ecclesiæ applicatur parvulo, eumque sufficienter reddit fidelem ad susceptionem baptismi. Hoc autem votum similiter bifariam dividitur, vel enim explicitum est, ut in exemplo dato fidei Ecclesiæ in parvulis. Quippe infans voto alieno explicitè vult baptismum: vel implicitum, & virtuale, ut in reliquis, quæ consequuntur baptismum, quod votum parvuli debito tempore tenentur servere; talis enim est connexio, & consociatio inter se rerum, sive physicè, sive moraliter, ut una sequatur ex alia, in eaque includatur; Idcirco is, qui illam primam rem vult, vel in re, vel in voto, nō actu propriæ voluntatis, sed alterius adipiscitur. Pari ratione aliena quoque voluntate velle id implicitè dicetur, quod

ex illa prima re vel sequitur, vel cum illa necessitate quadam connectitur. His itaque suppositis, quæritur in presenti, Utrum Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium infantibus necessitate medij in re susceptum? Partem affirmativam citati auctores Græcorum in superiori capite his rationibus astruere possent.

Primò auctoritate scripturæ Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ex quibus verbis fit talis ratio. Dominus eodem modo loquutus est de baptismo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non videbit regnum Dei; sed ibi sine dubio est sermo de necessitate medij, ergo & hîc. Nam similis loquutio similem habet significationem.

Addamus expositionem Doctorum. Chrysostomus ita loquitur homilia 46. Græcè 47. in eum locum: φρίκης ἄξια τὰ λεγόμενα, καὶ πῶς ἄκουε. ἀμὴν γὰρ φησι λέγω ὑμῖν, ἐὰν μή τις μου φάγῃ τὴν σάρκα, καὶ πίῃ μου τὸ αἷμα, οὐκ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ. ἐπειδὴ ἔμπροσθεν ἔλεγον, ὅτι ἀδύνατον τοῦτό ἐστι, δείκνυσιν αὐτὸς, οὐ μόνον οὐκ ἀδύνατον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἀναγκαῖον. Horrore sunt digna, quæ dicuntur, & quomodo audi. Amen, inquit, dico vobis, si quis non manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habet vitam in semetipso. Etenim cùm superiùs dicerent, id fieri non posse, ostendit ipse non solùm non impossibile, sed & valde necessarium. Et paulò pòst: συνεχῶς στρέφει τὸν περὶ τῶν μυστηρίων λόγον, δεικνὺς τοῦ πράγματος τὸ ἀναγκαῖον, καὶ ὅτι αὐτὸ πάντως γενέσθαι δεῖ. Frequenter de mysteriis sermonem versat ostendens rei necessitatem, & quòd ipsam rem omnino fieri oporteat. Consequenter ibidem: ἡ σάρξ μου ἀληθής ἐστι βρῶσις, καὶ τὸ αἷμά μου, ἀληθής ἐστι πόσις. τί ἐστιν ὃ λέγει; ἢ τοῦτο βούλεται εἰπεῖν, ὅτι ἀληθὴς βρῶσις αὕτη ἐστὶν ἡ ψυχὴν σώζουσα. ἢ πιστώσασθαι αὐτοὺς περὶ τῶν εἰρημένων, ὥστε μὴ νομίζειν αἴνιγμα εἶναι τὸ εἰρημένον, καὶ παραβολὴν, ἀλλ᾽ εἰδέναι ὅτι πάντως δεῖ φαγεῖν τὸ σῶμα. Quid significat, quod ait, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus? aut quod is est verus cibus, qui saluat animam, aut ut eos in prædictis confirmet, ne obscurè loquutum in Parabolis arbitrentur, sed scirent omnino necessarium esse, ut corpus comederent. Et infrà: τί οὖν σκληρὸς ἐστιν ὁ λόγος, ὅτι ζωὴν ἐπαγγέλλεται, καὶ ἀνάστασιν; ὅτι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔφη καταβεβηκέναι; ἀλλ᾽ ὅτι σωθῆναι ἀδύνατον τὸν μὴ φαγόντα αὐτοῦ τὴν σάρκα; ταῦτα οὖν ἐστὶ μοι σκληρά; Quid ergo durus est hic sermo? num quod vitam annunciat, & resurrectionem? quod ex cœlo dixerit se descendisse? an quod salvus fieri nemo posset, qui ejus carnem non manducaret? num igitur hæc dura sunt? Et tursus ibidem: πῶς οὖν οὐδὲν ὠφελεῖ ἡ σάρξ, ἧς ἄνευ ζῆν οὐκ ἔνι; Quomodo igitur nihil prodest caro, sine qua nemo potest vivere? Et in libro 3. de Sacerdotio, ubi Chrysostomus commendat potestatem Sacerdotis: εἰ γὰρ οὐ δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ δι᾽ ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναγεννηθῇ, καὶ ὁ μὴ τρώγων τὴν σάρκα τοῦ κυρίου καὶ τὸ αἷμα πίνων ἐκβέβληται τῆς αἰωνίου ζωῆς, πάντα δὲ ταῦτα δι᾽ ἑτέρου μὲν οὐδενὸς, μόνον δὲ διὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων ἐπιτελεῖται χειρῶν, τῶν τοῦ ἱερέως λέγω. πῶς ἄν τις τούτων ἐκτὸς, ἢ τὸ τῆς γεέννης δυνήσεται πῦρ ἐκφυγεῖν, ἢ τῶν ἀποκειμένων στεφάνων ἐπιτυχεῖν; Nam si non potest, inquit, quis in regnum cœlorum ingredi, nisi per aquam, & spiritum regeneratus fuerit, & qui non manducat carnem Domini, & sanguinem ejus non bibit, æterna vita privatur. Omnia autem hæc haud aliter quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, Sacerdotis; quî fiet ut sine istis possit aliquis, vel ignem gehennæ effugere, aut repositas assequi coronas?

Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Joan. cap. 14. super illis verbis, Nisi manducaveritis: ἀμέτοχοι γὰρ παντελῶς καὶ ἄγευστοι μένουσι τῆς ἐν ἁγιασμῷ καὶ μακαριότητι ζωῆς, οἱ διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας οὐ παραδεξάμενοι τὸν υἱόν. Omnino enim, inquit, vitæ, quæ in sanctimonia, & beatitudine posita est atque consistit, expertes sunt, minimeque eam gustare possunt, qui per mysticam benedictionem filium non susceperunt.

Theophylactus in 6. cap. Joan. Chrysostomum imitatus eadem repetit: διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς θέλων δεῖξαι, ὅτι οὐκ ἔστι τοῦτο ἀδύνατον,

ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἀναγκαῖον, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλως ἔχειν ζωήν, φησιν, ἐὰν μή μου τὴν σάρκα φάγητε. Propterea & ipſe volens oſtendere, hoc non eſſe impoſſibile, ſed & valdè neceſſarium, & quod aliter fieri non poteſt, ut habeatur vita, dicit, Niſi carnem meam manducaveritis. In eodem capite: δεῖ τοίνυν ἡμᾶς ἀκούσαντας, ὅτι ἐὰν μὴ φάγωμεν τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ, οὐκ ἔχομεν ζωήν, ἐν ταῖς μεταλήψεσι τῶν θείων μυστηρίων πίστιν ἔχειν ἀδιάστακτον, καὶ μὴ ζητεῖν τὸ πῶς. ὁ γὰρ ψυχικὸς ἄνθρωπος, τουτέστιν ὁ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις καὶ ψυχικοῖς, ἤτοι φυσικοῖς ἑπόμενος, οὐ δέχεται τὰ ὑπὲρ φύσιν καὶ πνευματικά. ὥσπερ οὖν καὶ τὴν πνευματικὴν βρῶσιν τῆς τοῦ κυρίου σαρκὸς οὐ νοεῖ. ἧς οἱ μὴ μεταλαμβάνοντες, ἀμέτοχοι ἔσονται τῆς αἰωνίου ζωῆς, ὡς μὴ παραδεξάμενοι τὸν Ἰησοῦν τὸν ὄντα ζωὴν ἀληθινήν. Oportet igitur, cùm audierimus, quia niſi manducaverimus carnem Filij, non habemus vitam, in ſumptionibus divinorum myſteriorum habere fidem omnis dubitationis expertem, & non illud, quomodo, quærere. Animalis enim homo, hoc eſt qui rationes humanas, & animales, id eſt naturales ſequitur, quæ ſupra naturam, & ſpiritualia ſunt, minimè recipit, quemadmodum etiam ſpiritualem cibum carnis Domini non intelligit. Quam qui non ſumunt, æternæ vitæ haud participes erunt, tanquam qui Jeſum veram vitam exiſtentem non ſuſceperint.

Sic Expoſitores, qui quidem universè loqui videntur, nullus tamen eorum infantes expreſsè commemorat. Sed multo clariùs S. Innocentius Pontifex in epiſtola ad patres Concilij Milevitani, quæ habetur inter Epiſtolas Auguſtini Epiſtola 93. Illud verò, inquit, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filij hominis, & biberint ejus ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis.

Quam ſententiam Innocentij tanquam definitionem ſedis Apoſtolicæ citat S. Auguſtinus, & amplectitur libro primo contra Julianum Pelag. Sancto Innocentio, inquit, vide quid reſpondeas, qui parvulos definivit, niſi manducaverint carnem filij hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Huic reſponde, immo potius Domino, cujus ille antiſtes uſus eſt teſtimonio.

Unde tale argumentum formare poſſumus. Neceſſitas præcepti non obligat, niſi eos, qui intelligunt, & poſſunt adimplere præceptum. At verò neceſſitas medij eſt pro omnibus, & intelligentibus, & non intelligentibus, & potentibus, & non potentibus. Sed neceſſitas, quæ ſignificatur verbis ſalvatoris eſt hujuſmodi, ergo. Probatur minor. Quia ut patet ex Innocentio, & Auguſtino, illa ſententia etiam parvuli comprehenduntur, qui ſine dubio neque intelligunt præceptum, neque poſſunt præceptum adimplere. Unde ſi carent non carent culpa ſua.

Neque valet ſi reſpondeas, primò cum Suario diſput. 40. ſect. 2. §. ad fundamenta. Quod Sanctus Auguſtinus, & Innocentius intelligunt illa verba de ſpirituali manducatione; quæ eſt per fidem, qua conjunguntur Chriſto in unitatem corporis Eccleſiæ. Nam Sanctus Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis cap. 20. interpretatur illa verba de Sacramento Altaris, & ait, perſpicuè & clarè loqui Dominum. Neque poſſe, niſi pertinaciter negari, quod verba illa non dicantur etiam de parvulis. Cùm enim Pelagiani negantes peccatum originale, urgerentur, quod parvuli non baptizati damnantur, quia niſi quis renatus fuerit, non videbit regnum Dei. Reſpondebant, illos carituros quidem regno Dei, hoc eſt non regnaturos cum Chriſto, cui conjuncti per baptiſmum non erant; non tamen ideo carituros vita æterna, quam, quia juſti erant, debebant accipere, ſed non per Chriſtum. Hanc eorum fugam poſtquam retulit S. Auguſtinus, hæc ſubdit. Auferatur ergo jam dubitatio, Dominum audiamus, non ſuſpiciones, conjecturaſque mortalium. Dominum audiamus, inquam, Non quidem hoc de ſacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſacræ menſæ ſuæ, quo nemo ritè, niſi baptizatus accedit. Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam

» in vobis. Quid ad hoc respondere pote-
» runt, nisi pertinacia pugnaces nervos ad-
» versus constantiam perspicuæ veritatis in-
» tenderint?

In quibus Augustini verbis illud est notandum ad præsentem difficultatem, quod loquitur de perceptione sacramenti mensæ Christi, eo modo quo, ut ritè suscipiatur prærequirit Baptismum. Nam hanc mensam desiderare possunt etiam Catechumeni. Unde loquitur non solùm de sacramentali, sed etiam de reali perceptione sacramenti. Atque hanc ita perspicuè necessariam esse dicit, voce Domini, ut negari, nisi à pertinaci non possit.

Multò minus valere videtur, quod quidam dicunt, esse præceptum de sumenda Eucharistia tantùm datum pro adultis. Quod intelligunt ex eo quod Dominus alloquitur eos, quibus hoc injungitur. Non loqueretur autem ita, si res spectaret ad parvulos, quia illi intelligere non possunt. Hoc, inquam, non valet, sic enim eo loco
» Augustinus: An verò quisquam etiam hoc
» dicere audebit, quod ad parvulos hæc
» sententia non pertineat, possintque sine
» perceptione corporis hujus & sanguinis
» in se habere vitam: quia non ait, qui non
» manducaverit, sed ait, si non manducave-
» ritis, veluti eos alloquens, qui audire, &
» intelligere poterant. Quod utique non va-
» lent parvuli. Sed qui hoc dicit, non atten-
» dit, quia nisi omnes ista sententia teneat,
» ut sine corpore, & sanguine Filij homi-
» nis vitam habere non possint, frustra e-
» tiam ætas major id curat. Potest enim, si
» non voluntatem, sed verba loquentis at-
» tendas, eis solis videri dictum, quibus tunc
» Dominus loquebatur. Quia non ait, qui nō
» manducaverit, sed, si non manducaveritis.
» Et ubi est, quod eodem loco de hac ipsa
» re ait: Panis quem ego dedero, caro mea
» est pro sæculi vita? Secundum hoc enim
» etiam ad nos pertinere illud Sacramentum
» intelligimus, qui tunc nondum fuimus,
» quando ista dicebat. Quia non possumus
» dicere ad sæculum nos non pertinere, pro
» cujus vita Christus suam carnem dedit.
» Quis autem ambigat seculi nomine homi-
» nes significatos esse, qui nascendo in hoc
seculum veniunt. Nam sicut alibi ait, filij «
seculi hujus generant, & generantur. Ac «
per hoc etiam pro parvulorum vita caro «
data est, quæ data est pro sæculi vita. Et si «
non manducaverint carnem filij hominis, «
nec ipsi habebunt vitam. Sic Augustinus, «
cuius rationes sunt perpendendæ.

Idem docet libro ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagij c. 22. Nec illud »
cogitatis, inquit, eos (parvulos) vi- «
tam habere non posse, qui fuerint exper- «
tes corporis, & sanguinis Christi. Dicente «
ipso, Nisi manducaueritis carnem meam, «
& biberitis sanguinem meum, non habe- «
bitis vitam in vobis. Et confirmatur totum hoc ex cap. 24. eiusdem libri de peccatorum meritis. Vbi Augustinus docet peccatum originale solui tantùm per hæc duo sacramenta Eucharistiæ scilicet, & Baptismi. Quod non ita potest intelligi, quasi alterum sufficiat. Nam cùm semper Baptismus præcedat Eucharistiam, nunquam solueretur, nisi per Baptismum, idque ex natura, & genere suo, quia ut ait idem Augustinus cap. 20. ad mensam Domini nemo rite nisi baptizatus accedit. Intelligendum est ergo, quod peccatum originale soluitur per utrumque simul, consequenter, quod etiam Sacramentum Eucharistiæ est de necessitate medij. Optimè, «
inquit, Punici Christiani Baptismum ip- «
sum nihil aliud quàm salutem, & Sacra- «
mentum corporis Christi, nihil aliud quam «
vitam vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut «
existimo, & Apostolica traditione, qua «
Ecclesiæ Christi insitum tenent præter «
baptismum, & participationem dominicæ «
mensæ, non modò non ad regnum Dei, sed «
nec ad salutem, & vitam æternam posse «
quempiam hominum pervenire? Hoc «
enim & scriptura testatur secundum ea, «
quæ suprà diximus. Nam quid aliud te- «
nent, qui baptismum nomine salutis ap- «
pellant, nisi quod dictum est: saluos nos «
fecit, per lavacrum regenerationis, & quod «
Petrus ait: sic & vos simili forma baptisma «
salvos facit? Quid aliud etiam qui Sacra- «
mentum mensæ Dominicæ vitam vocant, «
nisi quod dictum est: ego sum panis vitæ, «
qui de cælo descendi, & panis quem ego «

» dedero caro mea est, pro seculi vita, & si » non manducaveritis carnem filij hominis, » & sanguinem biberitis, non habebitis vi- » tam in vobis? Si ergo ut tot, & tanta divina » testimonia concinunt, nec salus, nec vita » æterna sine baptismo, & corpore, & san- » guine Domini cuiquam speranda est, fru- » stra sine his promittitur parvulis. Porrò si » à salute, & vita æterna hominem nisi pec- » cata non separant, per hæc Sacramenta, » non nisi peccati reatus in parvulis solvitur. » De quo reatu scriptum est, neminem esse » mundum, neque si unius diei fuerit vita » ejus. Similia passim apud Augustinum occurrunt in disputationibus contra Pelagianos.

His consona videntur tradere alij sancti Patres, qui Sacramentum hoc, aiunt, remittere peccata, nec solùm venialia, sed etiam mortalia. Ut ergo baptismus: est simpliciter necessarius, & pœnitentia lapsis, ita etiam hoc erit necessarium. Quod autem remittat peccata probatur Jo. 6. Hic est panis, qui dat vitam mundo. Quid autem est dare vitam, nisi remissis peccatis peccatorem justificare? Ignatius Martyr Epist 14. » ad Ephesios, Frangentes, inquit, panem » unum, quod pharmacum immortalitatis » est, mortis antidotum, vitamque in Deo » concilians per Jesum Christum, medica- » mentum purgans vitia, & omnia pellens » mala. Cyprianus sermone de cœna Domi- » ni, Hæc ebrietas non accendit, sed extin- » guit peccatum. Et infra. In hujus præsen- » tia non supervacuè mendicant lachrymæ » veniam. Nec unquam patitur contriti cor- » dis holocaustum repulsam. Et iterum, Pa- » nis hic ad totius hominis vitam, salutem- » que proficit, simul medicamentum, & ho- » locaustum ad sanandas infirmitates, & pur- » gandas iniquitates existens. Et rursus, » Panis propter nutrimenti congruentiam, » sanguis propter vivificationis efficientiam. » Et rursus, Ut penetrans omnia tanti medi- » camenti virtus, sanaret quicquid mor- » bi carni, vel spiritui veteris vitæ adli- » nierat corruptela. Et epistola 63. dicit, hoc Sacramento fieri, ut mœstum pectus, ac triste, quod priùs peccatis ingentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resoluatur. Ambrosius libro de Bened. Patriar. cap. 9. Panis hic remissio peccato- « rum est. Et sermone 15. in Psal. 118. Acce- « dat ad illud poculum, quo inebriatur af- « fectus fidelium, & lætitiam induat de re- « missione peccati. Augustinus sermone 28. « Vulnus est, quia sub peccato sumus, me- « dicina est cæleste, & venerabile Sacra- « mentum. Chrysostomus homilia 4. in « Matth. Omnis morbus hoc remedio ex- « tinguitur. Et homilia 83. facit compara- « tionem hujus Sacramenti cum veteri agno, & de Sacramento ait: si hoc remissionem peccatorũ facit, sicut certè facit, supervacaneum illud omnino est; & homilia 45. in Joa. Hoc nostrarum animarum salus « est, hoc lavatur anima, hoc ornatur. Da- « mascenus lib. 4. de fide cap. 14. Iis, qui « Sacramentum hoc per fidem dignè susci- « piunt, in peccatorum remissionem, & vi- « tam æternam, animique, & corporis præ- « sidium cedit. Omne incommodum pro- « pulsat. Eamque vim habet, ut spurcitiam « omnem abstergat. Neque in quibus sumus « peccatis considerat, sed ægrotos curat, « collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, « qui animam suam pro ovibus suis posuit, « ab omni nos eripit casu. In Missa Latina « orat Ecclesia, ut hoc sacramentum sit fortitudo fragilium, & ablutio scelerum. In liturgiis Græcorum precantur, ut hoc sacramentum fiat communicantibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, & veniam delictorum. Et infinita sunt ejusmodi testimonia sanctorum Patrum, quæ ex parte animi probant hoc sacramentum esse necessarium, quatenus remittit peccatum. Ex parte verò corporis probatur esse necessarium, quia gloria corporis, & resurrectio est effectus hujus sacramenti. Sed illa sunt ad salutem necessaria, igitur & hoc sacramentum, Joan. 6. Qui manducat hunc panem vivet « in æternum, & qui manducat me, vivit « propter me, & qui manducat meam car- « nem, & bibit meum sanguinem, habet vi- « tam æternam, & ego resuscitabo eum in « novissimo die. Ego, inquit Cyrillus, hoc est, caro mea. Unde appellatur hoc sacramentum à Concilio Nicæno, symbolum

resurrectionis. Ab Ignatio martyre, pharmacum immortalitatis. A Cyrillo Alex. cibus nutriens ad immortalitatem, & vitam æternam. Idem Cyrillus libro 10. in Jo. c. 13. loquens de hoc Sacramento, Non poterat, inquit, aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Gregorius Nyssenus oratione catechetica cap. 37. Corpus, ait, nostrum non posse consequi immortalitatem, nisi huic corpori immortali Christi fuerit conjunctum. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. Quomodo, inquit, dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur? Et infra, Quemadmodum, qui ex terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus existens, terrena, & cœlesti: ita, & corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Præterea Basilius Magnus in sermone primo de Baptismo cap. 13. docet: ὅτι δεῖ τὸν ἀναγεννηθέντα διὰ τοῦ βαπτίσματος, τρέφεσθαι λοιπὸν τῇ μεταλήψει τῶν θείων μυστηρίων. Eum, qui per baptismum regeneratus est, participatione divinorum mysteriorum deinceps nutriri oportere. Et S. Cyprianus sermone de cœna Domini: Sicut panis communis vita est corporis; ita supersubstantialis vita est animæ. Unde fit argumentum ex metaphora cibi, qua etiam utitur Concilium Florentinum. Propterea enim hoc Sacramentum sub forma cibi institutum est, quia servata proportione Eucharistia præstat animo illa omnia, quæ cibus corporalis tribuit corpori: sed corporalis cibus ad corporis conservationem, & præservationem à morbo est simpliciter necessarius: ergo sacramentum hoc etiam erit simpliciter necessarium ad præservandum hominem in gratia usque in finem.

Præterea Dionysius de Eccles. Hierar. cap. 3. quærit, cur hoc sacramentum vocetur, σύναξις καὶ κοινωνία, collectio, & communio, quandoquidem cætera quoque sacramenta nos colligunt, & consociant cum Deo?

Respondet autem, quia cæterorum sacramentorum, quæ nos uniunt cum Deo, perfectio, & consummatio ex hoc provenit sacramento. Unde neque τελεταὶ, hoc est perfecta sacramenta à τελέω, quod est perficio, vocarentur, nisi hoc sacramentum tanquam vltima manus, & finis accederet. Quamobrem & τελετὴ τελετῶν, à Hierotheo vocitatur. Si ergo necessarium est, cætera sacramenta suam perfectionem adipisci, necessarium quoque erit hoc sacramentum, sine quo reliqua non possunt eam obtinere. Vel si nonnulla sacramenta sunt necessaria, multo magis erit Eucharistiæ sacramentum, propter quod reliqua sunt talia.

Et confirmatur. Nam hoc Sacramentum est majus, & nobilius, quàm pœnitentia, vel Baptismus: ergo etiam debuit imponi sub majore, vel certè sub æquali necessitate.

Postremò probatur ex consuetudine veteris Ecclesiæ, quæ si non in eum sensum accepisset verba Christi Joan. 6. utique non impertiisset Eucharistiam pueris, & infantibus: sed quia existimavit jure divino illis deberi, esseque medium necessarium, propterea ipsis hoc minimè denegavit.

Probatur Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii ad salutem.

Caput XLII.

Contra verò, Eucharistiam non esse medium necessarium ad salutem, est de fide definitum in Concilio Trident. sess. 21. cap. 4. & can. 4. de communione. Facilè autem hac ratione probari potest.

Ex duplici capite videtur aliquid esse medium simpliciter necessarium ad salutem, vel quia delet peccatum, sive originale, sive actuale (quandoquidem nihil est, quod arceat, & separet hominem à Deo nisi peccatum) & per consequens confert primam gratiam: vel quia conservat gratiam usque in finem. Decedēti enim ex hac vita in gratia, & amicitia Dei, datur

vita æterna, & regnum cœleste. Eo quod qui sit in gratia, sit etiam filius Dei, filio autem debetur hereditas, quæ est vita æterna, secundum illud Apostoli: si filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; & in summa secundum principia fidei, qui fuerit justus, & in justitia perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Unde si aliquid est necessarium ad permanentiam gratiæ, est etiam necessarium ad vitam æternam. Non enim datur gloria ei, qui habuit, sed ei qui habet gratiam, quando decedit. Præter hæc, & ea quibus necessariò hæc comparantur, neque fingere facile est, quid aliud necessariò requiratur ad salutem. Igitur sacramentum Eucharistiæ secundum hæc principia, quæ sunt verissima, & certissima, si est medium necessarium, est quia producit aliquem ex his effectibus, hoc est, quia remittit peccatum, & consequenter non habenti confert gratiam, vel quia eam finaliter conservat. At enim primum effectum ut Eucharistia producat, fieri non potest: quippe baptismus, antequam sumatur Eucharistia, & mundat animam à peccato, & confert gratiam. Quod his rationibus probatur.

Primò, quia Christus ei, qui credens baptizatus fuerit, promittit salutem. Et Apostolus, Quotquot, inquit, in Christum baptizati estis Christum induistis. Et rursus, Mundans nos lavacro aquæ in verbo vitæ Et alibi, Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Et patet, quia Dominus baptizabat, & discipuli ejus baptizabant multo tempore ante institutam Eucharistiam, & erat verum sacramentum Baptisma Christi. Neque dici potest, quod nihil contulerit ita baptizatis. Unde etiam S. Petrus, cùm interrogarent, quid tandem agere deberent, insinuans ea, quæ erant necessaria, Pœnitemini, inquit, & baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum. Quia scilicet necesse erat pœnitere, & baptizari. Et ita videmus quòd Apostoli baptizatis imponebant manus, & recipiebant Spiritum sanctum, etiam ante vllam mentionem Eucharistiæ Eunuchus item Reginæ Æthiopum à Philippo Diacono baptizatus tantùm est, qui tamen à Spiritu missus fuerat, ut salvaret eum. Unde dicendum est necessariò eum justificatum fuisse in baptismo.

Secundò probatur, quia ideò vocatur renasci, & regenerari: ergo vi Baptismi datur vita animæ, & consequenter tollitur peccatum, quæ est mors animæ.

Tertiò, ipsa significatio est talis. Significatur enim tunc ablui, & mundari anima per Christum. Unde sancti Patres cùm de Baptismo agunt, illud Esaiæ usurpant, Lavamini, mundi estote, quod non fit sine remissione peccati, & infusione gratiæ, & ideò in symbolo ponitur unum baptisma in remissionem peccatorum. Quæ fides semper fuit in Ecclesia ab Apostolis usque ad hunc diem.

Unde etiam sancti Patres à sancta Scriptura edocti hunc effectum Baptismo attribuunt, quorum testimonia cùm infinita penè sint, proferam ex innumeris pauca. Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi: μέγα τὸ προκείμενον βάπτισμα, αἰχμαλώτοις λύτρον, ἁμαρτημάτων ἄφεσις, θάνατος ἁμαρτίας, παλιγγενεσία ψυχῆς, ἔνδυμα φωτεινὸν, σφραγὶς ἁγία ἀκατάλυτος, ὄχημα πρὸς οὐρανὸν, παραδείσου τρυφὴ, βασιλείας πρόξενον, υἱοθεσίας χάρισμα. Magnum est, inquit, propositum hoc Baptisma Captivorum liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum indelebile currus ad cœlum, deliciæ Paradisi, regni cœlestis conciliatio, adoptionis filiorum charisma. Et Catechesi 18. ὥσπερ γὰρ πληγῆς προχωρησάσης ἐν τῷ σώματι, κἂν θεραπεία γένηταί τις, ὅμως ἡ οὐλὴ μένει. οὕτω καὶ ἡ ἁμαρτία πλήσσει τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα. καὶ μένουσιν οἱ τύποι τῶν οὐλῶν ἐν πᾶσι. περιαιρεῖται δὲ μόνον ἀπὸ τῶν λαμβανόντων τὸ λουτρόν. τὰ μὲν οὖν παρελθόντα ψυχῆς καὶ σώματος τραύματα θεραπεύει θεὸς διὰ τοῦ βαπτίσματος. Ut enim, inquit, plaga altè inflicta corpori, etiam si aliquo modo curata sit, cicatrix tamen manet: sic & peccatum vulnerat corpus, & animam, & manent signa cicatricum in omnibus. Tolluntur autem tantùm (pondera verbum μόνον tantùm, ad excludendam Eucharistiam) ab iis qui lavacrum ac

cipiunt. Itaque quæ baptiſmum anteceſſerunt animi, & corporis vulnera, curat Deus per Baptiſmum. Et Catecheſi 2. myſtagogica : μηδεὶς οὖν νομιζέτω τὸ βάπτισμα ἀφέσεως ἁμαρτιῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ υἱοθεσίας χάριν τυγχάνειν. Nemo igitur exiſtimet quod Baptiſma tantùm remiſſionem peccatorum præſtet, ſed etiam quod gratiam adoptionis filiorum conciliet.

Baſilius Magnus in exhortatione ad Baptiſma eadem recenſet, quæ & Cyrillus, & alia longè plura. Quippe illud appellat, καθαρότητα, ἁγιασμὸν ψυχῆς, ἀνακαινισμὸν, ἀνάπλασιν, θεραπευσιν, ἐλευθερίαν, ὑγείαν, λύσιν αἰχμαλωσίας, ἄφεσιν τῶν παρελθόντων ὀφλημάτων, δωρεὰν τῆς μελλόντων χάριν ἄφθονον, αἰχμαλώτοις λύτρον, θάνατον ἁμαρτίας, παλιγγενεσίαν ψυχῆς, ἄνευ μητρος ἀναγέννησιν, ἔνδυμα φωτεινὸν, σφραγῖδα ἀνεπιχείρητον, ὄχημα πρὸς οὐρανὸν, βασιλείας πρόξενον, υἱοθεσίας χάρισμα. Quod efficiat animam, ἀναθάλλειν, ἀνηβᾷν, hominem ἰσοπολίτην τοῖς ἀγγέλοις. Quod conjungat τῷ βασιλεῖ. Quod ſit cauſa, ut εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ τάξιν acceptetur. Quod oſtendat hominem, υἱὸν θεοῦ εἰς ποιηθέντα διὰ τῆς χάριτος, κληρονόμον τῶν ἀγαθῶν τοῦ Χριστοῦ. Hæc & ſimilia reperiuntur ſparſa in illa aurea homilia. Ponam tamen unum, aut alterum locum, qui ad rem noſtram faciat : Ἰωάννης ἐκήρυσσε βάπτισμα μετανοίας, καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία. κύριος κηρύσσει βάπτισμα υἱοθεσίας, καὶ τίς τῶν εἰς αὐτὸν ἠλπικότων οὐχ ὑπακούσεται; ἐκεῖνο εἰσαγωγικὸν τὸ βάπτισμα, τοῦτο τελειωτικόν. ἐκεῖνο ἁμαρτίας ἀναχώρησις, τοῦτο οἰκείωσις πρὸς θεόν. Joannes prædicabat baptiſma pœnitentiæ, & egrediebatur ad illum tota Judæa. Dominus prædicabat baptiſma adoptionis in filios, & quis ex his, qui in ipſum ſperant, non obediet? illud baptiſma introductoriũ erat; hoc perfectivum eſt. Illud ſeceſſus à peccato, hoc conſortium ad Deum. Ἡλίας ἅρμα πυρὸς, καὶ ἵπποις πυρίνοις πρὸς αὐτὸν ἐλθόντας οὐ κατεπλάγη, ἀλλ᾽ ἐπιθυμίᾳ τῆς ἄνω πορείας τῶν φοβερῶν κατετόλμησε, καὶ μετὰ περιχαρείας ἐπέβη τῶν φλογίνων ἁρμάτων, ὁ ἐν σαρκὶ ζῶν ἔτι. σὺ δὲ οὐ πυρίνων ἁρμάτων ἐπιβήσεσθαι μέλλων, ἀλλὰ δι᾽ ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναβαίνειν εἰς οὐρανὸν, οὐκ ἐπινεύεις τῇ κλήσει; Helias currum ignis, & equos igneos ad ipſum venientes non expavit, ſed ob cupiditatem profectionis ad ſuperna, contra horrenda audax fuit, & cum gaudio flammeos currus conſcendit, atque hoc in carne adhuc vivens. Tu autem non igneos currus conſcenſurus, ſed per aquam, & ſpiritum ad cœlum aſcenſurus, non accurris ad vocationem? Explicat deinde Baſilius, quid ſibi voluerit Heliæ illa trina infuſio aquæ ad aram ſacrificij, quæ flammam excitavit, & conſumpſit holocauſtum, δεικνῦντος τοῦ λόγου, ὅτι διὰ τοῦ βαπτίσματος τῷ θεῷ οἰκειοῦται ὁ προσαγόμενος. καὶ ὅτι φῶς καθαρὸν καὶ οὐράνιον ταῖς τῶν προσιόντων ψυχαῖς διὰ τῆς εἰς τὴν τριάδα πίστεως ἀναλάμπει. Ut per hoc oſtenderetur, quod qui adducitur per baptiſma, Deo familiaris redditur. Et quod lux pura, & cœleſtis in animis accedentium per fidem in Trinitatem refulget.

Gregorius Nazianzenus eadem habet, quæ & Baſilius. Ut enim erant animo conjunctiſſimi, & pari doctrina exculti; ita prorſus eadem animi ſenſa promunt. Ut non ſit opus eadem iterare. Ponam tamen ex oratione illius in ſanctum Baptiſma unum, aut alterum teſtimonium: αὕτη μὲν ἡ τοῦ βαπτίσματος χάρις καὶ δύναμις, οὐ κόσμου κατακλυσμὸν ὡς πάλαι, τῆς δὲ τῶν καθ᾽ ἕκαστον ἁμαρτίας κάθαρσιν ἔχουσα, καὶ παντελῆ ῥύψιν τῶν ἀπὸ κακίας ἐπεισελθόντων συγχωσμάτων, ἢ μολυσμάτων. Hæc eſt Baptiſmatis gratia, & vis, quæ non mũdi diluvium, ut olim, ſed uniuſcujuſque peccati purgationem, & omnimodam fœditatum, & inquinationum, quæ à pravitate ingreſſæ ſunt, abſterſionem continet. Deinde paulò pòſt ſubjungit, καινοὺς ἀντὶ παλαιῶν, καὶ θεοειδεῖς ἀντὶ τῶν νῦν ὄντων ἐργάζεται. Ex veteribus novos, & ex humanis divinos efficit.

Gregorius Nyſſenus homilia de Baptiſmate : ἐγὼ δὲ ἀμφοτέροις συνήδομαι, τοῖς μὲν τελεσθεῖσιν, ὅτι μεγάλην δωρεὰν ἐπλουτήσατε. τοῖς δὲ ἀμυήτοις, ὅτι καλὴν προσδοκίαν ἐλπίζετε. ἄφεσιν εὐθυνῶν, λύσιν δεσμῶν, οἰκείωσιν πρὸς θεὸν, παῤῥησίαν ἐλευθέριον ἀντὶ δουλικῆς ταπεινότητος, ἰσοτιμίαν τὴν πρὸς ἀγγέλους. ταῦτα γὰρ ἡμῖν καὶ εἴτι τούτοις ἀκόλουθον ἡ τοῦ λουτροῦ χάρις ἐγγυᾶται καὶ δίδωσι. Ego verò, inquit, gratulor utriſque: initiatis quidem, quod magno dono ditati eſtis; non initiatis verò, quod bona futura ſperatis, judicij ſcilicet, & pœ-

næ remiſſionem, vinculorum ſolutionem, conciliationem, & conjunctionem cum Deo, fiduciam ingenuam, & aditum liberum loco ſervilis humilitatis, parem cum Angelis honoris conditionem: hæc enim nobis, ac ſi quid his ſimile eſt, & affine, lavacri gratia ſpondet, & præbet.

Chryſoſtomus homilia ad baptizandos: τὴν τοιαύτην τινὰ κηλῖδα τὸ Ἰουδαϊκὸν ἐξεκάθαρε λουτρὸν, τὸ δὲ τῆς χάριτος οὐ τοιαύτην, ἀλλὰ τὴν ὄντως ἀκαθαρσίαν τὴν μετὰ τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς πολλὴν ἐντεθεῖσαν τὴν κηλῖδα. οὐ γὰρ τοὺς νεκρῶν ἁψαμένους σωμάτων, ἀλλὰ τοὺς νεκρῶν πράξεων ἁψαμένους τούτους ποιεῖ καθαρούς. κἂν μαλακὸς, κἂν πόρνος ᾖ τις, κἂν εἰδωλολάτρης, κἂν ὅτι ἂν εἰργασμένος δεινὸν, κἂν ἅπασαν τὴν ἐν ἀνθρώποις πονηρίαν ἔχων ᾖ, ἐμπεσὼν εἰς τὴν τῶν ὑδάτων κολυμβήθραν, τῶν ἡλιακῶν καθαρώτερος ἀκτίνων ἄνεισιν ἀπὸ τῶν θείων ναμάτων. καὶ ἵνα μὴ νομίσῃς κόμπον εἶναι τὰ λεγόμενα, ἄκουσον Παύλου λέγοντος περὶ τῆς τοῦ λουτροῦ δυνάμεως. μὴ πλανᾶσθε, οὔτε εἰδωλολάτραι, οὔτε πόρνοι, οὔτε μοιχοὶ, οὔτε μαλακοὶ, οὔτε ἀρσενοκοῖται, οὔτε πλεονέκται, οὐ μέθυσοι, οὐ λοίδοροι, οὐχ ἅρπαγες βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι. καὶ τί τοῦτο πρὸς τὰ εἰρημένα φησί; τὸ γὰρ ζητούμενον δεῖξαι, εἰ πάντα ἐκκαθαίρει ταῦτα ἡ τοῦ λουτροῦ δύναμις. οὐκοῦν ἄκουσον τῶν ἑξῆς. καὶ ταῦτά τινες ἦτε, ἀπελούσασθε, ἀλλ᾽ ἡγιάσθητε, ἀλλ᾽ ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ θεοῦ ἡμῶν. ἡμεῖς μὲν ὑπισχνούμεθα δεῖξαι ὑμῖν, καθαροὺς πονηρίας γινομένους ἁπάσης τοὺς τῷ λουτρῷ προσιόντας. ὁ δὲ λόγος πλέον ἀπέδειξεν. οὐ καθαροὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἁγίους, καὶ δικαίους γινομένους. οὐ γὰρ εἶπεν, ἀπελούσασθε, ἀλλὰ καὶ ἡγιάσθητε, καὶ ἐδικαιώθητε. Sordes corporis judaicum lavacrum emundabat; divinæ autem gratiæ lavacrum non tantùm corporis, ſed & animæ maculam veraſq; ſordes mundare conſuevit. Non enim eos, qui mortua corpora, ſed eos qui opera mortua tetigerunt, efficit mundos. Et ſi mollis, ſi fornicator, ſi idolis ſerviens, & ſi quid aliud hujuſmodi gerens quiſpiam reperiatur. Et ſi omni humana deteſtabilitate fuerit prægravatus, & ſi totius malitiæ modis adſtrictus; cùm ad illam natatoriam venerit, cum illius fontis divinos ſenſerit rivos, ſolis radiis mundior elevatur. Et ne putes oſtentationis gratiâ hæc verba proferri, audi Paulum de hujus lavacri virtute dicentem: Nolite errare, nec hi, qui Idolis ſerviunt, nec fornicatores, nec adulteri, nec molles, nec maſculorum concubitores, nec avari, nec ebrij, nec fures, nec ſuſurratores, nec rapaces regnum Dei poſſidebunt. Sed, inquis, quid hæc ad rem propoſitam? Nam hoc quæritur, ſi omnia lavacri mundantur virtute; igitur accipe quæ ſequuntur. Et hæc quidem, inquit, nonnulli eratis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſpiritu Domini Dei noſtri. Nos quidem pollicebamur vobis oſtendere ab omni malitia puros effici eos, qui hoc lavacrum promerentur; Verùm ratio longè majora declarat. Non enim mundos tantùm, ſed & ſanctos, & juſtos effectos oſtendit. Non enim dixit, lavati eſtis, ſed & ſanctificati, & juſtificati.

Theodoretus in illud quinquageſimi pſalmi, Aſperges me hyſſopo, & mundabor: μόνη γὰρ ἡ τοῦ βαπτίσματος δωρεὰ, ταύτην ἐργάσασθαι τὴν κάθαρσιν δύναται. Sola enim baptiſmatis gratia hanc purgationem efficere poteſt. Et paulò pòſt: ἐκείνη γὰρ ἀκριβῶς ἀπονίψαι με δύναται μόνη, καὶ τῆς χιόνος μοι τὴν λευκότητα δοῦναι. Quippe illa ſola plane abſtergere me poteſt, & nivis candorem mihi afferre. Nota ſimiliter hîc verbum μόνη, & ἕν.

Damaſcenus de fide orthodoxa cap. 10. ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam.

Atque hi patres ſufficiunt Græcis, cum quibus nunc agimus, ex quorum teſtimoniis, & allatis rationibus conſtat, hunc effectum eſſe proprium per ſe, quem producit ſolus baptiſmus in omnibus, vel ſi amittatur, pœnitentia in adultis. Neque poteſt eſſe unus, & idem effectus principalis per ſe duorum Sacramentorum, quippe ſingula ad ſingulos inſtituta ſunt. Alioqui certus numerus Sacramentorum præſcribi minimè poſſet.

Præterea Euchariſtiam non eſſe inſtitutam per ſe ut conferat primam juſtificationem ex eo probatur, quia divinis legi-

bus, & humanis valde cautum est, ne iis conferatur, qui à letalibus culpis non sunt expiati. Unde prohibet Ecclesia dari publicis pœnitentibus, donec absoluantur. Ita Concilium Nicænum c. 21. & Ancyranum c. 4. & propterea Græci clamant in liturgia τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, Sancta sanctis. Quocirca si is esset effectus Eucharistiæ, non eum supponeret, antequam produceret. Quippe Sacramenta ex sententia Patrum potissimum Græcorum physicè & ex opere operato agunt.

Postremò Sacramentum Eucharistiæ est institutum per modum cibi, & potus: cibus autem non ordinatur de se ad vivificandum, seu suscitandum mortuum; sed ad nutriendum, vel confortandum hominem jam vivum. Quis enim dicat cibum creatum esse ad vitam dandam, quemadmodum per primam generationem, seu resurrectionem datur? cibus enim per se, & ad suum finem vitam supponit. Datur autem ad illam conservandam, & nutriendam. Cùm ergo hoc Sacramentum sit institutum tanquam spiritualis cibus, non est ordinatum ad conferendam spiritualem vitam, seu primam gratiam.

Superest igitur, ut si est necessarium, sit quia conservat usque in finem gratiam. Sed infantes, de quibus nunc agitur, non indigent vllo medio ad conservandam gratiam, quia in ea ætate non possunt illam amittere, cùm nec peccare quidem possint: ergo non indigent hoc Sacramento.

Rationem hanc affert Concilium Tridentinum sess. 21. de Communione cap. 4. ubi postquam docuit baptizatis infantibus nullo modo esse necessariam communionem ante usum rationis, hæc etiam addit: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ętate amittere non possunt. Et profectò hæc ratio est per se satis clara. Nam infantes per solum baptismum acquirunt gratiam, & veram justitiam: verè enim fiunt justi, & ex filiis iræ, & inimicis, amici, & filij Dei evadunt. Gratia verò non nisi per peccatum mortale amittitur, cujus infantes non sunt capaces in ea ætate. Quocirca eo tempore non amittunt gratiam, immo neque possunt amittere. Igitur si ante usum rationis moriantur, ut sæpe multis contingere solet, necessariò assequuntur beatitudinem. Quippe necessariò gloria tanquam præmium respondet gratiæ, & ita nullo alio indigent Sacramento. Quæ ratio concludit etiam de adultis, si moriantur, antequam amittant primam gratiam per solum baptismum acquisitam. Et clarissimè patet in iis, qui baptizati statim in phrenesim, aut in amentiam inciderunt, aut qui baptizantur amentes petito priùs baptismate. Quia hi post baptismum non peccaverunt, neque potuerunt peccare, & amittere gratiam. Unde colligimus, non posse institui medium aliquod simpliciter necessarium ad salutem, nisi pro iis, qui gratiam culpâ suâ possunt amittere, aut illam nondum habent.

Eucharistiam non esse necessariam, tanquam medium, nedum infantibus, sed neque adultis.

Caput XLIII.

PRobemus autem universè aliis quoque rationibus etiam pro adultis, nedum pro infantibus Eucharistiam non esse medium simpliciter necessarium ad conservandam usque ad extremum vitæ gratiam.

Pluribus enim modis possumus intelligere, aliquid esse necessarium ad permanentiam, & conservationem gratiæ. Uno quidem modo, quòd influat immediatè conservando, ut Sol conservat lumen in aëre. Alio modo, quia removeat corrumpens, quia nimirum removet occasiones peccati, & dat vires ad resistendum tentationibus, & ideo est medium necessarium, quia sine illo, impossibile est non labi. Tertio modo, quia nisi accipiatur fit peccatum, & consequenter amittitur gratia.

Primo modo, non potest Eucharistia conservare gratiam, quod ex multis capi-

tibus probatur. Primò, quia vel conservat eò quòd sumatur re ipsa, & actu, vel conservat etiam si non sumatur. Si posterius, ergo non est opus re ipsa sumere, & potest aliquis sine reali sumptione salvus esse. Si primum, ergo si statim, post acceptum aliquod sacramentum, vel habitam per contritionem gratiam, non sumatur Eucharistia, perit illa gratia per aliud sacramentum acquisita, quemadmodum perit lux deficiente in momento Sole. Et quia impossibile est, ut in secundo instanti post acceptam gratiam sumatur; Ergo semper acquisita gratia per baptismum, vel contritionem perit. Quod est absurdissimum. Neque est usus Ecclesiæ cum tanta celeritate, & anxietate animi sacram Eucharistiam præbere Christi fidelibus.

Secundò, quia sine culpa nostra amitteremus gratiam, & ad impossibile teneremur. Ponamus enim casum, qui quandoque solet contingere, ut quis suscepta gratia baptismali, antequam sumat Eucharistiam è vita decedat, vel in phrenesim incidat; is amitteret gratiam sine ulla culpa sua; & impossibile fuit ipsi accipere illud medium necessarium. At impossibile est esse aliquod medium conservandæ gratiæ collatæ, quod non sit nobis possibile accipere, & propter cujus carentiam, gratia jam adepta amitti debeat. Quia gratia jam acquisita non amittitur, nisi per peccatum. Nullum autem est peccatum carere eo, quod fieri non potest, ut habeatur.

Tertiò, quia Deus, qui per Christum creat, & conservat gratiam, creat illam, & conservat, non semper quatenus Christus est in Eucharistia, nisi quando re ipsa sumitur Eucharistia. Aliàs, per alia sacramenta.

Postremò, quia quomodocumque sit Deus per Christum causa gratiæ, sive quatenus Christus existit in Eucharistia, sive quatenus est causa universalis, & extra Eucharistiam; tenetur ipse eam conservare remanentibus nimirum iisdem dispositionibus, quibus positis debuit etiam producere gratiam. Posita enim contritione, & similiter sacramento Baptismi, Deus producit gratiam, ergo etiam conservat. Neque aliter conveniens fuit fieri, quia toto tempore, quo homo non peccat post acquisitam gratiam, moraliter manet ea dispositio, & ratio propter quam collata est primò gratia. Ergo toto illo tempore, quandiu durat talis dispositio, & pro quolibet instanti, est sufficiens ratio, cur Deus, qui eam produxit, etiam conservet. Ergo ad ejus conservationem non indigemus alio medio, quandiu eam non amittimus per peccatum. Quòd si Deus eam non conservaret, sine nostra culpa non conservaret. Non enim in nostra potestate est eum cogere, ut conservet. Sed non est timendum ne non conservet. Et est quidem illud necessarium ex parte Dei, non tamen ex parte nostra. Non enim ad nos spectat alio modo gratiam conservare, qui eam, ut dixi, nulla alia ratione, quàm per peccatum amittere possumus. Non ergo Eucharistia conservat gratiam hoc primo modo, nimirum perpetuò influendo: Neque talis modus est nobis medium necessarium.

Restat igitur, ut si quidem est medium necessarium ad conservandam gratiam, sit altero ex duobus posterioribus modis.

Sed neque tertius modus potest esse verus. Nam quæ talia sunt, sunt necessaria necessitate præcepti, non autem medij. Unde sicut possibile est occurrere casum, in quo cesset præceptum, possibile etiam est occurrere casum in quo sine illo, quod dicitur medium, conservetur gratia, & homo salvetur.

Secundus autem modus facit quidem necessitatem, sed secundùm quid, non autem medij simpliciter. Primò quia, si faceret necessitatem medij simpliciter, comprehenderet etiam infantes: quippe talis est natura medij simpliciter necessarij, ut neminem excipiat. At infantes nullas admittunt, & patiuntur in ea ætate tentationes, quas Eucharistia removere debeat, ergo non indigent tali medio. Secundò pro adultis, quia potest esse homo sæpe in tali statu, in quo peccare non possit, ut cum dormit, vel aliunde non habet plenum usum rationis: & pro illo tempore non indiget,

diget, ut removeantur occasiones peccati, aut ut vires subministrentur ad non peccandum, quo tamen tempore mori potest, & salvari sine tali medio. Tertiò, quia cùm jam ponatur esse in gratia, jam ponitur etiam habens auxilium tantum quantum connaturaliter conjungitur gratiæ ad non peccandum, quod saltem sufficit ad superandas tentationes ordinarias. Neque verò extraordinariæ, & graves incidunt pro quolibet instanti. Ergo pro aliquo tempore potest iste non peccare sine illo medio, & consequenter non est simpliciter necessarium medium. Quartò, quia vel est in ejus potestate adhibere hoc medium, vel non. Si est in ejus potestate, tunc peccat quando omittit illud medium. Tunc enim quisque peccat, cùm volens reddit se impotentem ad non peccandum, & consequenter privatur gratia, quia peccavit peccato antecedente tentationes, ad quas vitandas erat medium necessarium; & hoc modo sua culpa amittit gratiam. Quamvis & hoc non semper arguat medium absolutè necessarium, sed aliquando medium secundùm quid, & nceessitatem moralem habens. Quippe non solùm medium absolutè necessarium, sed & necessarium secundùm quid, & necessitatem moralem habens tenemur adhibere, ne peccemus. Si autem non est in ejus potestate adhibere medium, ut revera non est in aliquibus casibus, rursus aut non adhibito medio, adhuc potest non peccare, & consequenter medium non est necessarium simpliciter ad non peccandum. Aut si non potest non peccare, necessitabitur ad peccatum. Quod repugnat primò quidem naturæ peccati, quod non potest committi sine libertate. Deinde divinæ bonitati, quæ necessitare non potest hominem, immo neque inducere ad peccatum.

Ex his autem apparet Eucharistiam non esse medium simpliciter necessarium, neque ad conferendam primam gratiam; neque ad eam usque in finem conservandam.

Ex quo & aliud sequitur, impossibile esse, aliquid esse necessarium necessitate medij simpliciter, nisi ei qui sit in peccato mortali. Patet, quia necessitas medij est vel ad acquirendam, vel ad conservandam gratiam, ut dictum est. Non est autem ad conservandam, ergo ad acquirendam. Sed acquisitione gratiæ non indiget, nisi qui est in peccato. Ergo medio ad acquirendam gratiam non indiget, nisi qui est in peccato. Ergo medium necessarium ad salutem non est, nisi pro eo qui sit in peccato.

Quod autem hactenus disseruimus de Eucharistia, confirmatur etiam à posteriori. Nam donum finalis perseverantiæ datur aliquibus non per hoc sacramentum, & aliquibus, qui hoc sacramentum suscipiant, non datur. Ergo neque est effectus infallibiliter consequens sacramentum; neque effectus, qui solùm conferatur ab hoc sacramento; cùm alioquin omnis effectus, qui datur vi alicujus sacramenti, semper, & infallibiliter sit illi connexus; ita ut idem tribuatur omnibus cum pari dispositione sumentibus eodem modo sacramentum. Antecedens continet duas partes, prior probatur, quòd datur aliquibus non per hoc sacramentum. Nam si datur donum perseverantiæ per hoc sacramentum, utique datur prout vel in voto, vel in re habetur hoc sacramentum; sed nonnullis tribuitur neque in re, neque in voto habentibus hoc sacramentum, ergo non datur per sacramentum Eucharistiæ. Probatur minor, videmus quosdam ita nasci, ut impossibile sit eos vivere, nisi ad brevissimum tempus, quo vix baptizari possint. Unde morbus, qui non patitur vitam, qua perveniant ad usum rationis, est prior quàm baptismus ipse. Similiter quidam toto tempore vitæ obstinati in infidelitate, moribundi petunt baptismum, & ante susceptionem illius incidunt in phrenesim, aut alium morbum impedientem usum rationis, & consequenter priùs fiunt inhabiles ad amittendam gratiam, quàm eam, aut baptismum acceperint. Similiter evenit casus, in quo nonnulli, qui diu fuerunt in peccato petunt absolutionis sacramentum, & priusquam consequantur, similiter incidunt in phrenesim, unde ju-

ſtificantur, quando jam non habent, ut poſſint gratiam amittere: hi omnes non priùs habent votum Euchariſtiæ, quàm fuerint juſtificati per baptiſmum, aut pœnitentiam, ergo non priùs poteſt votum Euchariſtiæ in illis operari effectum ſuum. Quotieſcumque enim dantur duo ſacramenta, quorum unum naturâ ſuâ prærequirit alterum ad conferendum effectum ſuum, votum poſterioris non poteſt juſtificare, niſi præſuppoſito priori ſacramento in actu ſuſcepto. Quod explico, quia tota vis voti eſt à ſacramento, prout aliqua ratione conjungitur cupienti; ſed ſacramentum etiam realiter conjunctum iſti, non operaretur, niſi præſuppoſito priore ſacramento in actu. Ergo neque votum poteſt operari, non enim plus habet virtutis, & efficacitatis ſacramentum in deſiderio, quàm habeat in ſeipſo. Minor autem probatur, quia ſi quis catechumenus actu confiteatur, aut ſumat Euchariſtiam, non juſtificatur: immo peccat. Ergo ſacramentum re ipſa conjunctum non poteſt conferre gratiam niſi ſuppoſito priore ſacramento in actu. Et multò minùs votum ſacramenti.

Sed donum finalis perſeverantiæ in his caſibus eſt præventio mortis, vel letalis morbus tollens uſum rationis, quod eſt prius, quàm ſuſceptio ſacramenti Pœnitentiæ, vel Baptiſmi. Ergo non poteſt tale donum tunc procedere ab Euchariſtia, nedum in voto, ſed neque in re ſuſcepta.

Præterea, quòd tunc non habeatur in voto (nam quòd non in re ſatis eſt manifeſtum, cùm Euchariſtia non antecedat illa ſacramenta, quando nemo ad eam ritè accedere poteſt, niſi priùs baptizatus, vel ſacramento Pœnitentiæ expiatus) probatur. Quia puer parvulus non habet votum ullum explicitum, neque implicitum. Quia vel illud continetur in alio ſacramento, vel eſt votum Eccleſiæ; ſed non continetur in alio ſacramento, quod puer nondum ſuſcepit. Neque eſt votum Eccleſiæ; quæ non habet votum, niſi de tribuendo hoc ſacramento fidelibus, quales nondum ſunt illi pueri ſic morbo affecti, & nondum nati, vel vix nati.

Deinde verò etiam ſi tunc haberet puer aliquod votum, non poteſt votum eum juvare. Nam non poteſt aliquis juvari per voluntatem ſuſcipiendi id, quod ſuſceptum, illum non juvat pro illo ſtatu, in quo cupit. At puer nondum baptizatus, & infidelis quilibet, nondum eſt capax Euchariſtiæ, & ſi ſuſceperit eam nihil illi confert ad vitam æternam: ergo neque illo voto juvari poteſt. Quod idem valet de attrito ante confeſſionem. Nam eſt minùs capax ſacramenti Euchariſtiæ. Immo neque votum confeſſionis eum tunc juvat, nedum votum communionis.

Secundò, luculenter hoc exemplo probatur: quia poteſt aliquis decedere cum expreſſa voluntate non ſuſcipiendi ampliùs hoc Sacramentum, & tamen ſalvari: ergo donum finalis gratiæ, & perſeverantiæ non provenit ab Euchariſtia. Probetur caſus. Sit aliquis moribundus, qui poſt acceptum viaticum peccet mortaliter, deinde poſt horam conteratur, vel confiteatur, & tandem eodem die moriatur. Hic poteſt habere expreſſum animum, nunquam poſtea communicandi, quia ſcit ſe vivere non poſſe diutius. Neque tamen dici poteſt, quòd non juſtificetur, ſi rite confiteatur. Neque votum habere poteſt ſumendi Euchariſtiam, nam ſi haberet, teneretur ſtatim poſt confeſſionem eodem die illius particeps fieri, quippe commodè poſſet ſumere Sacramentum. Et præceptum de medio ſimpliciter neceſſario per ſe loquendo non eſt de voto, ſed de reali uſu, ſi adhiberi poſſit. At non eſt conſuetudo Eccleſiæ æquè Græcæ, & Latinæ bis eodem die dandi Euchariſtiam, ut propterea etiam ipſe, quia non tenetur communicare, potiùs voluntatem contrariam habeat illo die non ſumendi Euchariſtiam. Ad hæc faciamus, quod poſſibile eſt, & ſæpe evenit hujuſmodi hominem attritum ante confeſſionem incidere in phreneſim, & abſolvi propter petitam confeſſionem: tunc cùm habuerit expreſſam voluntatem non communicandi ampliùs, certè non habuit votum Euchariſtiæ. Et tamen præventus eſt, ut perſeveraret. Neque Euchariſtia præterita per modum via-

tici ſumpta operatur, vel illi opitulari potuit, ut tunc præveniretur, quia adhuc erat in peccato mortali, quo tempore nullum ſacramentum confert ullum effectum. Illa enim jam neque actu eſt, cùm conſumpta fuerit, neque virtute, quia periit gratia, & meritum per eam acquiſita. Unde non poteſt concurrere ad juſtificationem iſtius hominis, prout jam ſuſcepta. Neque poteſt dici, moraliter cenſeri præſens, & illius intuitu conferri iſti gratiam. Sacramenta enim ante peccatum ſuſcepta, nihil conferunt ad remiſſionem peccati, quod poſtea committitur.

Atque his rationibus firmamus priorem partem antecedentis. Quod verò poſteriore loco poſuimus, quòd ſcilicet, non omnibus donum perſeverantiæ conferatur ſuſcipientibus hoc ſacramentum re, vel voto, patet manifeſtè; & quidem ſi votum intelligamus, probatur id in parvulis Latinorum, qui æquè diſpoſiti per gratiam baptiſmalem accipiunt hoc ſacramentum, ut nonnulli volunt in voto. Et tamen unus prævenitur morte, & moritur in gratia, alter ſupereſt, & damnatur. Ergo non eſt effectus infallibiliter connexus voto hujus ſacramenti. Si autem realem ſumptionem deſideremus, patet in parvulis Græcorum, qui ſimiliter æquè diſpoſiti, re, & actu expreſſo ſumunt Euchariſtiam; ex quibus aliqui moriuntur ante uſum rationis & ſalvantur, alij vivunt & damnantur, ut qui fidem Chriſtianam abnegant facti Turcæ. Ergo effectus hic non omnibus tribuitur cum eadem diſpoſitione ſumentibus hoc ſacramentum. Nam ſi effectus Euchariſtiæ eſſet præveniri morte, ne peccet prior & damnetur, etiam alter qui eſt damnandus, ſi vivat, deberet præveniri; quod non habet, & ideo damnatur.

Patet deinde hoc idem in adultis, quia videmus multos adultorum cum majore devotione, & præparatione ſumentes diu Euchariſtiam, deficere, & damnari. Alios autem cum minore ſumentes perſeverare, & ſalvari, ut eos, qui magna vitæ parte malè tranſacta convertuntur, & juſtificantur in fine vitæ, & præveniuntur phreneſi. Vel alios, qui in fine vitæ convertuntur, & nullas paſſi tentationes perſeverant, & ſalvantur. Ex quo patet, quòd donum perſeverantiæ non datur omni adulto dignè ſumenti Euchariſtiam. Neque valet, ſi dicas, quòd qui non perſeverat, culpâ ſuâ non perſeverat, & ideo ſacramentum quantum eſt de ſe, dat omnibus donum perſeverantiæ, ſed quidam culpâ ſuâ illo non utuntur. Hoc, inquam, non valet.

Nam donum perſeverantiæ ſpeciale non in eo poſitum eſt, quòd homo poſſit perſeverare, ſed in eo quod perſeveret actu, & hoc eſt donum, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad vitam æternam, & inſeparabiliter illi conjunctum. At qui non actu perſeverat, non habuit, ut actu perſeveraret; qui autem perſeverat, habuit: ergo hoc donum non eſt tributum niſi uni, & non alteri. Rurſus, licet homo liberè perſeveret, interdum tamen non liberè habet donum, quo fit, ut actu liberè perſeveret, neque eſt in ejus poteſtate habere, & non habere illud; ergo nemo culpâ ſuâ caret illo, licet culpâ ſuâ non perſeveret.

Dices, culpâ ſuâ caret, quia priùs per actus malos ſe reddidit indignum tali auxilio. Sed contra hoc eſt. Primò, quia interdum deteriores ſalvantur, & meliores damnantur. Unde ſi merita vitæ ſuperioris attendantur, hoc potiùs officit adverſariis. Secundò verò ille, qui per peccata ſe non reddidit indignum auxilio, ex miſericordia, & auxilio Dei non ſe reddidit. Quare ergo, & alteri non hoc idem collatum eſt, ut ſe non redderet indignum auxilio?

Quòd ſi dicas, hoc donum non reddendi ſe indignum auxilio, non conferri vi Euchariſtiæ: Ergo aliquid maximè requiſitum ad finalem perſeverantiam, & ex quo pendet totum donum perſevantiæ, non eſt ex ſacramento Euchariſtiæ.

Et confirmatur, quia vel datur donum perſeverantiæ alicui, qui ſe reddit indignum, vel nulli. Si datur alicui, & aliis non datur, ergo in æquè indignos hoc ſacramentum non æquè operatur. Si autem nulli indigno datur, & datur omne digno:

Ergo præcipua pars doni perseverantiæ datur non per hoc sacramentum. Vel si datur per hoc sacramentum, ut sint digni, quare ergo omnes indigni, qui suscipiunt, non fiunt digni? & sic redit ratio à capite, quòd in æquè dispositos sacramentum non æqualiter operatur. Quod si non omnibus dignis datur; Rursus, ergo non omnibus eodem modo dispositis, hoc sacramentum confert hoc donum. Sic ergo probatum sit Eucharistiam non esse medium simpliciter necessarium.

Solvitur argumentum superius allatum pro parte affirmativa desumptum ex cap. 6. Ioan.

Caput XLIV.

Superest, ut ad argumenta, quæ à principio quæstionis præposuimus, respondeamus.

Ad primum quomodo sit intelligendus locus Evangelij, Nisi manducaveritis, &c. duplex est sententia Theologorum.

Altera negantium necessitatem ullam esse hujus sacramenti, nisi ratione præcepti: Si enim non est necessitas medij, ut jam probatum est, necessariò fit, ut sit necessitas præcepti, à qua excluduntur infantes. Nam tertia illa necessitas secundùm quid, potest illa quidem ad alterutram referri, sed simpliciter neutra est, & ideo de illa in præsentia non loquimur. Quòd si fortè verba Christi illam etiam necessitatem respiciunt, & significant, istud infrà indicabimus.

Altera est affimantium esse hujusmodi necessitatem, quæ quamvis non sit necessitas medij eo modo quo hactenus disseruimus, neminem tamen penitus excipiat, atque adeo infantes etiam comprehendat. Quod quomodo intelligi debeat, auctorum hujus opinionis allatis in medium verbis infrà explicabimus.

Primæ sententiæ auctores sunt B. Thomas in 4. d. q. 2. p. a. 1. l. 2 Durandus eadem d. q. 2. Paludanus d. q. q. 1. Caietanus & alij. Qui sanè rectè admodum censent ab hac necessitate præcepti eximendos esse parvulos, qui cùm careant usu rationis non sunt capaces præcepti.

Quòd autem assequantur salutem sine tali præcepto, probatur iisdem rationibus, quibus probavimus Eucharistiam non posse esse medium illis simpliciter necessarium. Nam infantes per solum baptismum liberantur à peccato originali, & nanciscuntur primam gratiam, quam in ea ætate nullo modo amittere possunt. Igitur per eam, si moriantur, assequuntur gloriam. Quæ omnia innituntur fundamentis fidei.

Unde tale argumentum formare possumus. Præceptum est ejusmodi conditionis, ut (quando commodè fieri potest, & nihil intercedit, quod impediat) sine eo in re, vel in voto, non queat is salvari, cui præceptum imponitur. Sed infantes salvantur sine Eucharistia; igitur non est illis hoc præceptum impositum, alioqui non salvarentur.

Dices, Ecclesiam habere votum Eucharistiæ pro infantibus, cujus vi salvantur.

Contra primò, quia votum deberet adimpleri præsente commoditate: aliter quidem signum est non esse votum. At Ecclesia Romana cùm possit in multis infantibus ante obitum illud præceptum exequi, non exequitur, immo oppositum præcipit. Ergo. Deinde non habeat votum, infantes nihilominus propter meram gratiam Baptismi salvantur.

Secundò probatur ex iisdem verbis Salvatoris Joan. 6. Nisi manducaveritis. Non enim sine causa sic loquutus est Christus, quasi ad eos dirigens sermonem, qui illum audire, & vim obligationis, & magnitudinem comminationis intelligere poterant, quòd nimirum amissuri essent vitam, nisi præceptum custodirent. Quales certè non sunt infantes.

Neque ratio B. Augustini (pace dixerim tanti Doctoris) aliquid in contrarium concludit. Non enim negabit similes locutiones ad solos adultos spectare; ut cùm Dominus dicit, Nisi pœnitentiam egeritis, nisi efficiamini sicut parvuli, solos

adultos alloquitur. Nec solùm præsentes respicit, ut ex mente legislatoris doctè admodum notat idem Augustinus; sed omnes, addimus nos, qui sunt illis similes, & capaces talis præcepti. Ut etiam cùm dixit, Hoc facite in meam commemorationem, adultis imponebat præceptum. Nec omnibus tamen adultis, sed Sacerdotibus solis, qui erant capaces illius præcepti. Nec tantùm præsentibus, sed & absentibus, & futuris.

Illa autem forma loquendi de se indifferens est ad significandum vel medium, ut cùm dicitur, Nisi pœnitentiam egeritis, vel præceptum, Nisi efficiamini ut parvuli. Hoc est, nisi servaveritis mandata mea. Dignoscitur autem significare medium, vel præceptum ex materia, in quam cadit. Si enim est sermo de re necessaria ad tollendum peccatum mortale, & acquirendam primam gratiam, præter necessitatem præcepti, continet necessitatem medij, & hujusmodi sunt loquutiones de Baptismo, & pœnitentia. Si verò sit sermo de actione aliqua, quæ supponit peccatum remissum, & acquisitam gratiam, tunc solùm significat necessitatem præcepti. Secundùm verò hanc doctrinam, illa verba, Nisi manducaveritis, non significant necessitatem medij, igitur præcepti. Augustinus autem, quia potuit alio modo locum Evangelicum servare, non excludendo pueros, & multum faciebat ad suum propositum contra Pelagianos; idcirco superiorem modum videtur impugnasse juxta suam mentem, quem utique secundùm hanc sententiam minimè impugnasset.

Quòd igitur asserit Augustinus, panem quem pollicetur Christus se daturum, esse carnem suam pro seculi vita, hoc est pro omnibus, siquidem vox illa seculi neminem excludit, & consequenter etiam pro infantibus, quorum salvator est Christus; istud, inquam, non est negandum, sed non videtur mihi aliquo incommodo afficere posse hanc sententiam de necessitate præcepti. Nempe passionem, quam sustinuit Christus in sua carne, quando crucifixus est, & quam applicuit Sacramentis, quibus homines salvantur, æquè ad omnes tam adultos, quàm infantes pertinere Dominus voluit. Atque ita caro ejus data est, & exposita pro seculi vita, id est pro omnibus, & illa eadem est in Sacramento Eucharistiæ. Non tamen inde inferri potest hanc eandem in hoc Sacramento contentam æquè ad omnes spectare, sed ad eos tantum, qui habent requisitas conditiones. Christus autem idcirco adduxit illud exemplum de sua carne passibili, ut realem præsentiam sui corporis impassibilis ostenderet in hoc Sacramento. Sed hæc obiter.

Tertiò probatur ex circunstantiis præcepti. Quia Christus imposuit præceptum sumendi Eucharistiam. Paulus autem explicat hoc esse intelligendum de manducatione dignè sumentium. Declarat autem eos dignè sumere, qui priùs probant se ipsos, & sic de pane illo edunt. Ex probatione sui ipsius, & consideratione tanti mysterij, actualis devotio oriri solet, estque alioqui convenientissima ob infinitam excellentiam Sacramenti, & utilissima, non tamen simpliciter necessaria. Hæ sunt circunstantiæ præcepti, quæ cùm infantibus minùs conveniant, etiam præceptum convenire non potest.

Quartò probatur ab effectibus Eucharistię: hi sunt magis ac magis hominem cum Christo unire, & per se augere gratiam, remittere peccata quotidiana, & venialia, præservare à mortalibus, quandoque verò non unitum facere unitum, hoc est delere peccata mortalia, quando quis carens gratia cum sufficiente dispositione, scilicet supernaturali attritione, bona fide accedit ad Sacramentum. In hoc autem consistit bona fides, ut ignoret statum suum, existimans se esse in gratia, ut nullam habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet, sufficientem se pœnitentiam egisse.

Primum effectum participare possunt & adulti & parvuli, quippe ex perceptione Sacramenti augetur illis gratia. Non tamen videtur Sacramentum propterea præceptum fuisse, quia iste effectus, qui quodammodo communis est omnium Sacramentorum, perficit quidem homi-

nem, sed non omnia, quæ perficiunt, præcipiuntur. Quare si nullum alium produceret effectum, poterat Christus instituere hoc Sacramentum, ut nonnulla alia, & tamen non imponere præceptum; sed in libera potestate hominis relinquere eo uti, vel non uti. Quod si præcipit propter istum effectum (neque enim contrarium ut minimè dubium affirmo) requisivit tamen actum suscipientis, & probationem sui ipsius, quam describit Paulus indicans, neminem esse satis aptum ad edendum, nisi qui probare se ipsum potest, quod est proprium adultorum. Et ex ista parte non æquè participarent effectum infantes, qui merè passivè se habent, & adulti, qui proprios actus addunt, & activè concurrunt. Alij verò effectus propter quos Eucharistia videtur præcepta fuisse, potissimum quia præservat à mortalibus, & moraliter loquendo, qui diu à sumptione Sacramenti abstinent, facile ruunt, non habent locum in infantibus. Non igitur verisimile est necessitatem ejus imponi alicui, cujus ipse minimè sit capax.

Postremò probatur ex hujusmodi conjectura, quia si fuisset præceptum divinum dandi Eucharistiam infantibus, quàm primum cessavit iste mos in Ecclesia Latina (cessavit autem proculdubio à multis seculis, & ante schisma Græcorum) statim fuisset orta perturbatio, & schisma in Ecclesia. Quod quia minimè factum est, signum est, eam consuetudinem initium sumpsisse non ex præcepto juris divini, sed ex aliis causis, quæ illo ævo convenientissimæ videbantur.

Huic sententiæ optimè quadrare videntur testimonia sanctorum Patrum Græcorum, qui in suis commentariis ad solos adultos dirigunt verba Christi, & fidem ab eis requirunt ad intelligendum, & capescendum tantum mysterium. At infantes actum fidei exercere, ut minùs capaces in ea ætate, non valent. Non igitur Græci Patres illâ sententiâ Salvatoris eos comprehendi existimant. Itaque in ea homilia Chrysostomus explicata illa voce σκληρὸς, durus est hic sermo, subjungit: καὶ μὴν οὐδὲν τοιοῦτον ἔλεγεν. οὐδὲ γὰρ περὶ πολιτείας διελέγετο, ἀλλὰ περὶ δογμάτων, ἄνω καὶ κάτω στρέφων τὴν πίστιν τὴν εἰς ἑαυτόν. Et tamen nihil tale aiebat Christus (hoc est, non debebat illis videri durus sermo) Non enim de vitæ ratione, ac moribus, sed de dogmatibus disserebat sursum deorsum versans fidem in seipsum. Hoc est, omni ex parte conabatur Christus efficere, ut in ipsum Judæi crederent. Propterea, ne putarent eum filium esse Josephi fabri, de cœlo descendisse fatebatur, & carnem suam esse verum cibum, qui vivificet animum, longè præstantiorem manna, cujus tamen manna mentionem fecit, tum discrimen inter illud, & corpus suum ob oculos exhibens, tum etiam αὐτοὺς εἰς πίστιν ἐνάγων, eos adducens, ut crederent. Si enim potuit quadraginta annis, nec metens, nec seminans solo manna eorum vitam sustentare, multò magis nunc id efficere poterit, quando & ad majora præstanda venit. Cumque illi fieri hoc non posse contenderent, Christus addidit, tantùm abesse, ut hoc fieri non possit, ut etiam sit perquàm necessarium, si vivere vellent, carnem suam comedere. Hæc & id genus similia Christus Dominus in eo sermone, & unà cum illo in ea homilia fidelissimus interpres Chrysostomus. Quæ profectò infantibus intelligere non valentibus nulla ratione congruere possunt.

Quocirca, & S. Cyrillus loco citato ita differit: τίνα μὲν τρόπον αὐτοῖς τὴν σάρκα δώσει φαγεῖν, οὔπω διδάσκει. ᾔδει γὰρ ὄντας ἐν σκότει, καὶ νοεῖν οὐδαμόθεν ἰσχύοντας τὸ ἀπόρρητον, ὅσον δὲ αὐτοῖς ἐκ τοῦ φαγεῖν ἀγαθὸν ἐκβήσεται, παραδεικνύει χρησίμως. ἵνα τάχα πῶς αὐτοὺς τοὺς εἰς τὸ βούλεσθαι ζῆν ἀπαραύτως ἡδοναῖς ἑτοιμότερον πείθων, τὸ πιστεύειν διδάξειε. πεπιστευκόσι γὰρ ἤδη, καὶ τὸ μανθάνειν δύνασθαι πρεπόντως ἀκολουθεῖ. ἐπεὶ καὶ οὕτω φησὶν ὁ προφήτης Ἠσαΐας, ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδ' οὐ μὴ συνῆτε. οὐκοῦν ἔδει προεῤῥιζωμένης ἐν αὐτοῖς τῆς πίστεως, δευτέραν ἐπεισκρίνεσθαι τὴν ἐφ' οἷς ἀγνοοῦσι σύνεσιν, καὶ οὐ πρεσβυτέραν τῆς πίστεως ὁρᾶσθαι τὴν ζήτησιν. διὰ ταύτην οἶμαι τὴν αἰτίαν, παρεὶς εἰκότως ὁ κύριος τὸ λέγειν αὐτοῖς, τίνα τρόπον ἐπιδώσει τὴν σάρκα αὐτοῦ φαγεῖν, ἐπὶ τὸ χρῆναι πιστεύειν περὶ τῆς ἐρεύνης καλεῖ. τοῖς γὰρ ἤδη πεπιστευκόσι διακλάσας τὸν ἄρτον ἐδίδου λέγων, λάβετε., φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. ὁμοίως δὲ καὶ εἰς πάντας τὸ ποτήριον περιενέγκ-

κὸν, λάβετε, πίετέ φησιν ἐξ αὐτοῦ πάντες. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ὁρᾷς ὅπως τοῖς μὲν ἀνοηταίνουσιν ἔτι, καὶ τὸ πιστεύειν ἀζητήτως ἐξωθουμένοις, οὐκ ἐξηγεῖται τοῦ μυστηρίου τὸν τρόπον. τοῖς δὲ ἤδη πεπιστευκόσι, σαφέστατα διεπτὼν εὑρίσκεται; Quemadmodum quidem carnem suam ipsis dabit ad manducandum, non docet. Sciebat enim eos in tenebris versari, & rem arcanam nulla ex parte intelligere posse. Quantum verò boni, si comederint ex eo ipsis exorietur, utiliter indicat. Ut fortè voluptate ipsa faciliùs eis persuadens, velle ævo sempiterno vivere, fidem eos doceret :quippe jam credentes illud meritò sequitur, posse etiam intelligere, quando & Propheta Esaias ita enunciat: Si non credideritis, nec intelligetis. Igitur priùs fides in ipsis radices figeret, deinde eorum, quæ ignorabant, intelligentia consequeretur oportebat. Neque antiquior fide investigatio ipsa cerneretur. Hanc ob caussam, ut reor, Dominus jure optimo prætermisso ipsis indicandi modo, quo daturus esset carnem suam ad manducandum: quòd opus est priùs credere, quàm investigare, ad hoc eos adhortatur. Iis enim, qui jam crediderant, cùm fregisset panem dabat dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Similiter autem, & ad omnes calice circumlato, Accipite, inquit, bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Perspicis quia insipientibus adhuc, & credere absque disquisitione abnuentibus, mysterij modum non exponit; jam verò credentibus clarissimè vulgasse reperitur? Hactenus Cyrillus.

Theophylactus per se clarus est, quòd adultos intelligat, siquidem ex verbis Salvatoris, & admiratione Judæorum illud infert, ad sacra mysteria fide certa, minimeque dubia nos debere accedere, & non more Judaïco, ζητεῖν τὸ πῶς, quærere illud, quomodo.

Addo etiam, nonnullos Patres sic loquutos fuisse ob necessitatem secundùm quid, & moralem, quam habet Sacramentum Eucharistiæ, & propter quam verisimile est, non modò institutum, sed etiam à Christo Domino imperatum fuisse. Quod enim sit secundùm quid necessarium adultis in toto curriculo vitæ, aut in magna ejus aliqua parte, ut medium conservandæ gratiæ, sive quia removet occasiones peccati, sive quia suppeditat vires ad resistendum peccatis, cùm alioquin sine Eucharistia homo, qui liberè agit, ægrè admodum, & rarissimè resistat: cùm ratione, tum experientia facilè probari potest. Videmus enim sæpe multos pessimè habituatos, qui nulla alia ratione potuerunt corrigi, per frequentationem hujus Sacramenti, mirabiliter emundatos, devenire in maximam vitæ puritatem, & innocentiam: Et alios, vel eosdem iterum omisso hoc Sacramento deteriores, quàm antea fieri. Signum est ergo, quòd vi hujus mysterij à peccatis abstinebant, & emundabantur. Ratione autem probatur, quia specialis effectus hujus Sacramenti est, charitatem actuosam reddere, mentem in Deum elevare, vires animæ ad spirituales functiones præbere; hoc est nutrire animam: sed per hæc anima fit validior ad resistendum tentationibus, & ad exequenda mandata Dei, quàm priùs esset. Ergo ad tollendam impossibilitatem difficultatis, hoc Sacramentum est modo explicato necessarium.

Dices, hoc tantùm probat, esse utile, quia hæ vires haberi possunt per alia exercitia, ut per orationem, eleemosynam, & similia.

Sed contrà est, quia difficultas, quæ est in orando, jejunando, & similibus exercitiis, per quæ impetratur fervor, & vires animæ, ipsamet debet superari, quæ interdum maxima est; adeo ut homo sæpè cadat in via spirituali propter ariditates, desolationes, & similia. Præterea hæ vires non tantæ sæpè impetrantur, quantæ deberent esse, ut via Domini facilis reddatur; quia meritum orationum, & similium non est tantum. Hoc autem Sacramentum & facillimum est perceptu, & ex opere operato plurimum gratiæ, & virium confert.

Quòd verò multa sæpè committerentur peccata, nisi obstaret frequentia hujus

Sacramenti, etsi in particulari assignare difficile sit, quæ, & quando, tamen satis evidens est, quia cum magna difficultate diù operari moraliter impossibile est, quin homo fatigetur, & vincatur tædio; & ideo cùm certum sit, quòd incidant multæ, & ingentes tentationes allicientes vehementer ad malum, & infinita pericula hujus vitæ immineant, certum etiam est, quòd homo, qui nimium fragilis est, sæpe caderet, nisi speciales hæ vires à Deo per Eucharistiam subministrarentur. Unde S. Cyprianus exponens orationem Dominicam, circa verbum illud, Panem nostrum &c. Ut manifestum est, inquit, eos
» vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eu-
» charistiam jure communionis accipiunt;
» ita timendum est, & orandum, ne dum
» quis abstentus separatur à Christi corpore,
» procul remaneat à salute, comminante
» ipso, & dicente, Nisi manducaveritis. Sic Cyprianus. Ubi ponderanda sunt illa verba, timendum, & orandum. Quæ non impossibilitatem simpliciter, sed moralem significant.

Et secundùm hanc opinionem, pueri qui nullas patiuntur tentationes, neque gratiam in ea ætate possunt amittere, ab hac morali necessitate, & verbis Evangelicis excluduntur.

Soluitur idem argumentum ex doctrina B. Augustini alia ratione.

Caput XLV.

Secundam sententiam, quæ infantes etiam complectitur, mordicus tueri videtur Beatus Augustinus, ut ex illius verbis jam observavimus. Idem tamen Doctor non uno in loco docet, parvulos, qui susceptâ baptismatis gratiâ moriuntur, salvos esse. Ex quo manifestum est, quòd quando Patres, in primisque B. Augustinus tradunt, etiam parvulis Eucharistiam esse necessariam, non possunt intelligere in re, & actu exhibitam, sed aliqua alia ratione. Quòd igitur de Baptismo ita sancti Patres doceant, cùm per se sufficere ad salutem ex Græcis suprà probavimus: superest, ut aliquot exempla Latinorum in medium proferamus.

Sanctus Melchiades Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ cap. 2. & habetur de consecratione dist. 5. cap. Spiritus sanctus.
Quamvis, inquit, continuò morituris suf- «
ficiant regenerationis beneficia, victuris «
tamen necessaria sunt Confirmationis au- «
xilia. Regeneratio per se saluat mox in pa- «
ce beati seculi recipiendos. Confirmatio «
autem armat, & instruit ad agones mundi «
hujus, & prælia reservandos; qui autem «
post baptismum cum acquisita innocentia «
immaculatus pervenit ad mortem, confir- «
matur morte, quia post mortem peccare «
non potest. «

In quibus verbis B. Melchiadis, considerandum est. Primò quod dicit, continuò morituris sufficere regenerationis beneficia. Non sufficerent autem, si regeneratus ad vitam æternam indigeret Eucharistia. Secundò quòd dicit, regenerationem per se salvare mox quieturos. Idem est enim ibi per se, ac sola, sine vllo alio addito. Quod non esset verum, si præterea requireretur Eucharistia. Tertiò quòd dicit, qui post baptismum cum acquisita innocentia pervenit ad mortem immaculatus: nam ut sæpè docet S. Aug. nullam aliam ob causam excluduntur homines à regno Dei, & vita æterna, nisi quia moriuntur in peccato. Si ergo solo percepto Baptismate immaculatus quis fit & acquirit innocentiam, profectò solum baptisma sufficit ad vitam æternam. Quartò quòd ait, eos, qui ita moriuntur, morte confirmari, quia post mortem peccare non possunt. Confirmationis enim beneficium, quod hìc per Spiritum sanctum accipimus, ut Christo constanter inhæreamus, non acciperet morte, qui sine Eucharistia decedens in æternum Deo careret.

Huc etiam spectat quod S. Leo epist. 4. cap. 3. & 6. præcipit, ne detur baptismus Catechumenis, præterquam in die Paschæ, & Pentecostes, nisi propter periculum mortis, longi itineris, naufragij, aut
simile quippiam. Ita, (inquit in cap. 6.) «
ad has duas festivitates connexas sibimet, «
atque

atque cognatas incolumium, & in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persequutionis angustiis, in timore naufragij nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus. Ex quo loco satis patet, quòd in his casibus datur Baptismus, ne fortè quis moriatur imbaptizatus, & pereat. Ideo enim dicitur baptismus salutis singulare præsidium. At si periret etiam baptizatus, nisi sumeret Eucharistiam, frustra essemus de baptismate conferendo solliciti. Nam certè naufragij tempore vix inveniri unquam potest modus sumendi Eucharistiam. Unde Gelasius Papa in epistola scripta plebi, & Clero Taren. & habetur de consecratione dist.4.cap. venerabilis: Venerabilis baptismi Sacramentum, inquit, non nisi in festivitate paschali, & Pentecoste tradere præsumat Episcopus, exceptis iis, quibus urgente mortis periculo, talibus oportet, ne in perpetuum pereant, remediis subveniri. Quod idem repetit in epistola ad Episcopos Lucaniæ, cap. 12. & habetur de consecratione d. 4. cap. baptizandi.

Quamobrem Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum Baptisma, cùm quæsisset, utrum essent parvuli baptizandi: Ita prorsus, inquit, si quod periculum urgeat. Præstat enim sine sensu sanctificari, quàm sine sigillo, & initiatione abscedere.

S. Hieronymus in comment. brevi cap. 2. ad Ephes. in illa verba, Cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo: sine peccato, inquit, sicut Christus per baptismum faciendo.

Restat ut Augustini ipsius sententiam videamus. Is in Epistola 23. quæ est ad Bonifacium Episcopum, de baptismo parvulorum sic loquitur: Sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur. Non esse ipsam mentem annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. Cùm autem homo sapere cœperit, non ipsum sacramentum repetit, sed intelligit, ejusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quandiu non potest, valebit sacramentum ad ejus tutelam adversus contrarias potestates, & tantum valebit, ut si ante usum rationis ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Christi adjutorio liberetur.

Et Epistola 28. quæ est ad Hieronymum de origine animæ, non multò post initium: Quæcunque anima, inquit, sine gratia mediatoris, & sacramento ejus in qualibet corporis ætate, de corpore exierit, in pœna futuram, & ultimo judicio recepturam corpus ad pœnam. Si autem post generationem humanam, quæ facta est ex Adam, regeneretur in Christo, ad ejus pertinens societatem, & requiem post mortem corporis habituram, & corpus ad gloriam recepturam. Hæc sunt, quæ de anima firmissimè teneo. Et in ea Epistola sæpe ostendit per sacramentum Baptismi tolli peccatum, & subveniri parvulis, ne pereant.

Et libro 1. de peccatorum meritis, & remissione, tum sæpè ante caput 20. docet dimitti peccatum originale parvulis per baptismum. Tum cap. 20. hæc habet in initio: Cæterùm quis ignorat, quod baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens, non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit, quod parvus accepit? Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines, & Deum, quæ solvuntur Christi gratia. Et multa in sequentibus capitibus habet, quibus ostendit, peccatum lavacro baptismatis tolli, & reconciliari hominem Deo. Præcipuè verò c. 30.

Ut igitur directè respondeamus ad auctoritatem Augustini, & consequenter ad locum Evangelij, multùm interest considerare occasionem, qua adductus ea disputat de Sacramento Eucharistiæ. Nam cùm urgeret, quòd baptismus est in remissionem peccatorum, & ideo non possunt salvari non baptizati, quia sunt in

peccato, & afferret verba Domini, Nisi quis renatus fuerit &c. Respondebant Pelagiani, ut diximus, non renatis negari regnum Dei, non autem vitam æternam. Contra quos Augustinus attulit locum ex 6. Joan. Nisi manducaveritis, ita argumentans. Nemo non baptizatus est particeps corporis Domini. Nemo non particeps habet vitam: ergo nemo non baptizatus habet vitam, ut patet ex cap. illo 20. & ex cap. 30.

Quo loco non laborat Augustinus, utrum realiter, & in actu sumat quis Eucharistiam, an verò aliquo alio modo. Hoc solùm curat, quòd debet esse ex iis, ad quos spectat hoc convivium, ut vitam habeat, sive actu convivetur, sive non actu. Unde ex eo probat, baptismum non solùm ad Regnum, sed etiam ad vitam necessarium esse. Quia per baptismum homo fit fidelis, & particeps Sacramentorum Ecclesiæ, ut membrum Christi, ratione cujus potest ascendere ad cœlum, quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit filius hominis, qui est in cœlo. Quem locum c. 31. illius libri sic explicat; Quia, inquit, fideles, & Christus sunt unus Christus. Unde fideles cum ipso ascendunt, quando ipse ascendit. In quo loco explicando totum illud caput insumit. Denique à c. 30. per aliquot capita satis ostendit, non aliam manducationem requiri, quàm eam, qua justificati fiant corpus illius, ut membra ejus fideles. Quod etiam magis clarum facit Augustinus in Epistola ad Bonifacium his verbis, & refertur de cons. dist. 4. c. nulli. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est, invenit. Sic Augustinus. Ex quibus verbis manifestè colligitur, Eucharistiam non eodem modo esse medium simpliciter necessarium ad salutem, quo est baptismus. Quippe si tale esset, nisi actu susciperetur, non prodesset infantibus. Contra quàm hîc doceat Augustinus.

Ad pleniorem autem hujus rei explicationem, & intelligentiam Augustini in declaratione hujus loci Evangelici:

Notandum est, quòd membra alicujus corporis, duobus modis esse dicuntur; uno modo per continuationem, ut manus arida etiam dicitur actu membrum reliqui corporis: Et ramus siccus dicitur esse ramus illius arboris actu in qua est. Alio modo, quia vivat, & vegetetur eadem anima. Eadem ratione Christus cum fidelibus constituunt unum corpus: sed aliqui sunt membra Christi tantùm ratione fidei, & hi sunt veluti membra arida. Alij autem sunt in charitate, & hi vivificantur spiritu Christi, & charitate ejus, & habent eandem vitam cum eo, quia ipsi in Christo manent, & Christus in eis. Cibus autem, & nutrimentum convenire non potest partibus continuis, nisi etiam sint animatæ, & vivificatæ spiritu, & vita corporis: & ideo nisi fideles sint in charitate, nutriri non possunt eo cibo, quo nutriuntur membra Christi. Si autem sint in charitate, tunc nutriuntur eodem cibo, quo totum corpus. Est autem nutritio hæc secundum naturam vitæ hujus. Cùm autem vita hæc sit charitas, secundum quam homo adhæret Christo per amorem, & contemnit se, necesse est nutrimentum perfectam esse adhæsionem, & veluti transitum animæ in Christum. Unde est illud Augustini: Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Quod fit per ampliorem spiritum charitatis, & unionis cum Christo, & membris ejus. Quia sicut nutritum, & non nutritum sunt idem, sed unum in eodem genere est imperfectum, & alterum perfectum; ita & hic.

Rursus autem cùm dicimus membrum aridum non nutriri, & vivens nutriri, non significamus quòd actu nutriatur, sed solùm quòd tale sit, ut illi conveniat recipere nutrimentum corporis. Ex hoc autem jam potest intelligi, quomodo Augustinus intelligat eum locum de spirituali

ſumptione, & nutritione, & tamen verè intelligat de hoc Sacramento. Nam idem eſt apud S. Auguſtinum, Niſi manducaveritis, ac ſi Dominus diceret, niſi fueritis membra mea viva, ſive, niſi tales fueritis, ut ad vos cibus hic, & nutrimentum pertineat, hoc eſt, niſi in charitate manſeritis. Nam omnis manens in charitate eſt aptus nutriri cibo hoc, & per eum perfici in charitate. Unde etiam intelligitur, quod S. Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Bonifacium loco jam citato, quòd pueri, qui baptizati excedunt, per ipſum Sacramentum commendante Eccleſiæ charitate à condemnatione, Chriſti adjutorio liberantur; & ſimilia, quæ, cùm loquitur de iis, qui baptizati moriuntur, ſolet dicere.

Ex quo reſpondetur in forma ad verbum Domini, quòd verum eſt eum, qui non manducat, hoc eſt, qui non eſt talis, ut nutriri poſſit in charitate, & ad eum pertineat menſa Domini vera, & Euchariſtica, intrare non poſſe in vitam æternam. Sed tale eſſe non habetur per Euchariſtiam actu ſumptam, ſed tantùm per communionem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, cui incorporamur per baptiſmum in fide, & charitate.

Patet etiam ex hoc ad locum Innocentij, ſubdit enim ipſemet poſtquam dixit, Qui non manducaverint, non habituros vitam: qui hanc (hoc eſt vitam) ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle ceſſare. Cùm prædicant hos habere, (hoc eſt parvulos) quod in eis creditur, nonniſi baptiſmate conferendum. Per baptiſmum enim eis vita confertur, ratione cujus manducant, hoc eſt, capaces ſunt manducandæ menſæ Domini.

Totum hoc ſatis expreſsè docet Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 4. ubi loquens de ambiguo quodam, ut videbatur adverſariis, Apoſtoli loco circa peccatum originale, docet, cùm multa alia habeantur clara ſatis, non eſſe etiam de loci illius intellectu ambigendum: & allatis quibuſdam aliis locis.
» Nunquid & illud, inquit, (hoc eſt, ambi-
» guum eſt) quia niſi manducaverint homines carnem ejus, hoc eſt participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His, atque hujuſmodi aliis, quæ nunc prætereo, teſtimoniis divina luce clariſſimis, divina auctoritate certiſſimis, nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam habere poſſe, præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur ſacramento Baptiſmatis imbuuntur? Sic Auguſtinus.

Ad confirmationem ex cap. 24. ejuſdem libri primi de peccatorum meritis & remiſſione, ubi docet, quòd his duobus Sacramentis ſoluitur originale peccatum:

Reſpondeo, quòd non ita eſt intelligendum, quaſi per ſacramentum Euchariſtiæ actu ſuſceptum ſoluatur peccatum originale, quod adhuc maneat per Baptiſmum. Quia ipſemet Auguſtinus in eodem libro ſæpè docet in capitibus & præcedentibus, & ſequentibus ſolo baptiſmate peccatum originale dimitti, & ſufficienter oſtendunt ea ipſa verba, quibus in hoc eodem loco utitur. Cùm enim dicat, baptiſmum dici ſalutem, quia per lavacrum regenerationis ſalui facti ſumus, ſatis oſtendit, ſalutem illam per baptiſmum tribui, de qua dictum eſt, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Quæ ſine dubio ſalus haberi cum peccato non poteſt. Nam ut ipſe ibidem ait, neque à ſalute, neque à vita æterna hominem niſi peccata ſeparant. Quamobrem ita eſt intelligendus Auguſtinus, quod ſalutem, & vitam habere non poteſt, qui baptizatus non eſt particeps Dominici corporis, hoc eſt non eſt talis, ut ad eum menſa Dominica ſpectet. Quod autem hæc Auguſtinus diſtinguat, facit ipſa diſputatio. Agitur enim cum iis, qui vitam baptiſmate tribui negant, & ideo ita ſæpè diſputat de vita, quam Euchariſtia tribuit, quaſi alia ſit à ſalute, quam tribuit Baptiſmus: revera tamen baptiſmus juſtificat, & faciendo hominem juſtum, reddit membrum Chriſti, & Eccleſiæ, ratione cujus eſt aptus participare ſacramen-

ta vitæ, corpus scilicet, & sanguinem Domini.

Afferuntur variæ sententiæ de Eucharistia in voto, & exploduntur.

CAPUT XLVI.

QVi sententiam de necessitate præcepti docent, iidem sacri Professores Theologiæ scholasticæ, auctoritate Concilij Milevitani, Innocentij Pontificis, & ipsiusmet Augustini tanti Doctoris Ecclesiæ moti, seclusa necessitate medij, præter necessitatem præcepti, quandam aliam necessitatem mediam excogitarunt; atque asseruerunt Eucharistiam esse necessariam saltem in voto. Et hoc modo participare illam infantes. Ut autem intelligatur quomodo sit necessaria in voto:

Notandum est, votum alicujus rei posse esse necessarium, vel quia præcipitur illa res, vel quia sine illa non potest haberi gratia. Primo modo quicunque justificatur, aut justus perseverat in gratia, habet votum saltem implicitum observandi omnia mandata Dei. Et ubi desinit habere hanc voluntatem, desinit esse justus: sed tunc non vi illius voti, & rei voto expetitæ confertur gratia. Altero autem modo, quando scilicet aliquid est necessarium in voto, quia sit medium ad salutem, necessariò fit, ut gratia conferatur vi illius, quod est voto expetitum. Quod habitum saltem voluntate est causa justificationis. Intelligimus ergo Eucharistiam esse necessariam in voto hoc secundo modo, hoc est ut medium, cujus vi gratia conferatur. Atque id ut dixi, sacri Theologi affirmant.

Ea tamen sententia non uno modo explicatur. Quidam putant hoc Sacramentum esse necessarium propter universalem quandam causalitatem, quam habet ad effectus omnium Sacramentorum, quia continet fontem, & auctorem omnium Sacramentorum, & ideo à Dionysio comparatur ad reliqua Sacramenta, ut perfectum ad imperfectum. Cùm autem certum sit, quòd in susceptione reliquorum Sacramentorum non suscipitur actu, dicendum est voto suscipi in quantum, qui suscipit aliquod illorum, vult gratiam conferendam ab eo Sacramento eo modo, quo aptum est conferre, nimirum per concursum hujus Sacramenti.

Alij autem docent esse medium necessarium ad salutem, saltem in voto, non quia gratia, quæ confertur per alia Sacramenta, aut prima gratia ab hoc Sacramento conferatur, sed quia gratia perseverandi in gratia usque ad mortem, est speciale donum, & misericordia Dei, sine qua impossibile est salvari. Qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Hæc autem gratia, sive donum perseverantiæ non tribuitur, nisi vi hujus Sacramenti, sive adultis, sive parvulis.

Hanc posteriorem opinionem, ne actum agere videar suprà explosi, ubi ostendi donum finalis perseverantiæ non provenire ab Eucharistia, & eadem iterare minimè opus est. Circa verò primam, quæ ponit causalitatem quandam universalem, duo mihi probanda erunt: alterum hanc causalitatem minimè dari: alterum, etiam si daretur, nihilominus tamen ratione illius Sacramentum Eucharistiæ minimè esse necessarium in voto. Atque ut melius hoc fiat:

Notandum est, quòd duobus modis possumus intelligere Sacramentum Eucharistiæ habere causalitatem universalem. Uno modo quòd reliqua Sacramenta ex se habeant suam causalitatem propriam, & particularem, quæ sola non potest producere gratiam sine concursu Eucharistiæ. Altero modo, quòd Sacramenta hæc sint tantùm instrumenta quædam, per quæ Eucharistia operatur, ita ut totum id, quod habent ad operandum, habeant ab Eucharistia. Hoc posterius, si consideremus contentum in Eucharistia, qui est Christus secundùm se, & abstrahendo ab esse Sacramentali, certum est. Nam omnia Sacramenta sunt instrumenta Dei ad productionem gratiæ per Christum. Sed hoc non est ad rem, nam hoc modo non magis est

necessaria Eucharistia, quàm quodlibet aliud; quandoquidem Christus non agit in aliis Sacramentis quatenus est in Eucharistia. Et tamen in Evangelio loquitur de vera Eucharistia, cum ait: Nisi manducaveritis carnem filij hominis. Si autem consideretur vel hostia consecrata prout continens Christum, vel Christus prout est sub speciebus, tunc posterior quæstionis sensus est omnino improbabilis, & planè rejiciendus. Quia unumquodque Sacramentum, prout est sacramentum, & signum distinctum à quolibet alio, habet suam efficacitatem, sicut est signum in actu exercito gratiæ, quæ tunc confertur à Deo per Christum. Et profectò non esset sine nota erroris, si quis hanc opinionem tueretur. Si autem accipiatur prior sensus, quod scilicet cum omnibus sacramentis concurrat generali quodam influxu, ut causa universalis cum particulari; itaut habeant quidem singula suos influxus, sed non per se sufficiant, nisi addito concursu generali Eucharistiæ; quoniam assertiones habuit Catholicas, non adeò est damnandus, non tamen est verus. Quod his rationibus probatur.

Primò, quia sacramentum Baptismi institutum est à Christo Domino multo tempore ante institutionem hujus sacramenti. Unde & discipuli Domini baptizabant ante passionem; tunc autem nullum erat sacramentum Eucharistiæ: ergo sacramentum Baptismi ad causandum suum effectum, non indiget sacramento Eucharistiæ. Quòd autem Baptismus fuerit multò antè institutus, colligitur ex capite 3. & 4. Joannis, ubi dicitur Dominus baptizasse, & infrà discipuli ejus. Quem locum maxima pars Scholasticorum de sacramento Baptismi, assertore inprimis Augustino, intelligit. Et satis probatur, quia ante passionem Apostoli instituti sunt Sacerdotes ad consecrandum corpus Domini, quos oportuit esse baptizatos.

Quod confirmatur ex eo, quòd si aliquando fieret, ut nullum esset sacramentum Eucharistiæ asservatum; (Quod verisimile est evenisse in Ecclesia post ascensionem Domini in cœlum: ut postquam consecrassent, & communicassent Apostoli, & impertiissent corpus Christi mulieribus, & reliquæ turbæ credentium, qui erant in cœnaculo, non servarent postea Eucharistiam.) Tunc inquam, vel in die Pentecostes, cùm baptizata sunt tria hominum millia, sine dubio baptismus collatus conferebat gratiam, & tamen non erat sacramentum Eucharistiæ. Vel certè si daretur casus, non ideo dicemus fore, ut baptismus esset invalidus. Ergo dicendum est, baptismum, & reliqua sacramenta habere suam efficacitatem independenter ab Eucharistiæ sacramento.

Secundò, probatur ex consuetudine antiquæ Ecclesiæ. Nam Apostoli, sancti Patres, & Concilia pœnitentibus, qui atrociora scelera commisissent, concessa exomologesi, iisdem per multos annos Eucharistiam concedere nolebant, nisi in fine vitæ. Igitur sacramentum Pœnitentiæ sine Eucharistia sortiebatur suum effectum. Et idem dicas de nonnullis aliis sacramentis, quæ sæpe administrantur sine sacramento Eucharistiæ.

Probemus modò, quod secundo loco posuimus, etiam si daretur talis causalitas, non esse Eucharistiam tamen necessariam in voto.

Primùm, nam implicat contradictionem aliquid haberi in voto cum expressa voluntate non suscipiendi, vel non habendi illud. Quia quod habetur in voto, habetur in desiderio. Aut ergo est desiderium implicitum, aut explicitum, & vel in se, vel in alio. Non potest esse desiderium explicitum suscipiendi, cum expressa voluntate non recipiendi. Neque potest esse voluntas implicita, quia in tantum censeri potest voluntas implicita, in quantum est ita dispositus aliquis, vel per actum alium, vel virtute, ut si quætatur ab illo, utrum velit, sit voliturus. At, qui habet explicitam voluntatem in oppositum, neque actu, neque virtute est ita dispositus, durante tali voluntate. Natura enim voti ejusmodi est, ut valeat, ubi non potest haberi sacramentum; at ubi commodè haberi potest, omnino suscipiatur, & desiderium adimpleatur, necesse sit. Alioqui

si legitimè non suscipitur, signum est illius non posse esse ullum votum. Igitur si Romana Ecclesia, quæ errare non potest, haberet votum Eucharistiæ pro infantibus, utique quando commodè posset, ante obitum infantibus Eucharistiam administraret: sed non administrat, neque habet animum administrandi: signum est ergo, eam non habere votum neque explicitum, neque implicitum.

Diceret fortassis aliquis Græculus, Romanam Ecclesiam in errore versari, quæ, quando commodè potest, non præbet infantibus Eucharistiam; vel saltem ubi non potest, non habet votum conferendi. Proinde infantes maximum ex intentione ipsius capere detrimentum. Ecclesiam verò Græcorum meliùs facere, quæ quando commodo suo fieri potest, utique sacramentum pueris exhibet: quando verò non potest, votum habere intelligitur.

Hæc potest quidem aliquis objicere, sed nunquam poterit solvere argumentum superiùs factum. Demus enim etiam Ecclesiam Græcorum non habere voluntatem infantibus dandi Eucharistiam in illa ætate, & cùm possit, de facto non det, ut facit Romana Ecclesia; an propterea infantes, si moriantur, non assequentur gloriam virtute gratiæ baptismalis? Quî enim fieri potest, ut per Baptismum sint justificati, & non glorificentur? Neque in adultis esse hoc votum desiderandi Eucharistiam, ut medium simpliciter necessarium ad salutem, patet exemplo superiùs allato, de moribundo, qui post viaticum peccet mortaliter, deinde conteratur, vel confiteatur, & habeat expressum animum non ampliùs communicandi, quia scit se non posse in crastinum vivere.

Secundò probatur, quia sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ pro lapsis, naturâ suâ sunt priora sacramento Eucharistiæ, hoc est, priùs suscipiuntur. At nullum sacramentum naturâ suâ posterius, & quod præsupponit alterum, ut susceptum prodesse possit, potest in voto prodesse, nisi priùs, sacramentum illud prius, susceptum fuerit in re. Ergo sacramentum Eucharistiæ non potest in voto susceptum juvare, nisi priùs suscipiantur hæc sacramenta. Ergo si habet aliquam causalitatem cum his sacramentis, non est causalitas sacramenti in voto. Ratiocinatio est clara. Præmissæ sunt de fide, & sine controversia concessæ ab omnibus. Quòd scilicet pœnitentia, & baptismus præcedant hoc sacramentum. Et confirmatur, quia sacramentum Eucharistiæ præsupponit hominem in gratia, ut per se possit illi prodesse: ergo nec votum Eucharistiæ potest illi prodesse, nisi prout jam præsupponitur in gratia. Ergo sacramentum conferens primam gratiam non potest pendere in conferenda gratia à voto Eucharistiæ. Unde si pendet ab Eucharistia, pendet sub aliqua alia ratione. Hinc autem sufficienter patet, quòd non est necessarium in voto ad salutem hoc modo, quia non est necessarium in voto ad primam gratiam; etiam si esset ad gratiam aliorum sacramentorum, quia prima gratia sufficit ad salutem.

Tertiò probatur universè, quia quando sacramentum expetitum non secundùm modum suæ institutionis, causat gratiam, tunc non causat, ut tale sacramentum in voto. Sed in hoc casu idem evenit in sacramento Eucharistiæ respectu hujus causalitatis universalis: ergo non causat ut sacramentum Eucharistiæ in voto. Major explicatur, & simul probatur, nam duobus modis possumus intelligere adhiberi aliquod sacramentum. Uno quidem secundùm modum propriæ institutionis. Alio autem secundùm aliquam aliam rationem. Verbi gratia potest aliquis sacramentum Eucharistiæ manducare. Hic est usus secundùm modum propriæ institutionis. Est enim institutum, ut cibus, unde ejus usus proprius, & applicatio ad salutem animæ est manducatio. Potest aliquis alius imponere illud capiti, ut facit Græcorum clerus, quando communicat, vel admovere suis oculis, ut monet esse faciendum Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quinta mystagogica: ἔτι δὲ τῆς νοτίδος ἐνούσης τοῖς χείλεσί σου, χερσὶν ἐπαφώμενος καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ μέτωπον, καὶ τὰ λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια. Cùm adhuc, inquit, est in

» humiditas in labiis tuis, manibus contre-
» ctans, & oculos, & frontem, & reliqua
» ſenſuum organa conſecra. Hic eſt uſus ſacramenti, non ſecundum modum ſuæ inſtitutionis. Poſſumus autem intelligere, quòd utroque modo adhibitam Deus uſurpet ad collationem gratiæ, ſive imponendo capiti, ſive manducando. Sed tamen unus ex his uſibus, & illa collatio gratiæ erit ſacramentalis: alter verò uſus, & collatio non erit ſacramentalis. Manifeſtum eſt enim, quòd quando imponitur capiti Euchariſtia, nullus exercetur actus proprius cibi, & conſequenter illa collatio gratiæ, non eſt collatio ſignificata per cibum, ut cibus eſt: Unde nemo dixerit, eum, cujus capiti impoſita eſt Euchariſtia, accepiſſe, ſeu manducaſſe Euchariſtiam. Ergo ille non fuit uſus talis ſacramenti, ut tale ſacramentum eſt; niſi in actu ſignato. Si quis itaque cupiat ſibi adhiberi aliquod ſacramentum alio modo, quàm ſecundum propriam inſtitutionis rationem, ille non cupit ſuſcipere tale ſacramentum. Quamobrem non habet votum talis ſacramenti, quod eſt deſiderium ſuſcipiendi tale ſacramentum. Sed habet votum, & deſiderium acquirendi aliquam gratiam. Quòd ſi ex tali deſiderio conferatur illi gratia, non tamen confertur ex voto, & vi talis ſacramenti. Quia ſacramentum habet vim conferendi gratiam ſignificando illam: in hoc autem caſu non ſignificatur gratia. Quare certa, & evidens eſt major propoſitio: nimirum quando ſacramentum deſideratur non ſecundùm modum propriæ inſtitutionis, & ex tali deſiderio producit gratiam, tunc non eam producit ut tale ſacramentum eſt. Minor autem argumenti probatur, quia ſacramentum Euchariſtiæ ex modo ſuæ inſtitutionis eſt cibus: & gratia, quam cauſat, ut ſacramentum, eſt refectio animæ nutritæ per gratiam. Gratia verò collata per alia ſacramenta ut ſic, habet rationem aliorum effectuum; ſed quando concurrit Euchariſtia, ut cauſa univerſalis cum cæteris ſacramentis, concurrit ad effectus ſingulorum, ut proprij ſingulorum ſunt. Verbi gratiâ, ad ablutionem animæ, confirmationem, & robur, & cætera hujuſmodi. Ergo quando concurrit cum illis, concurrit non prout ſignificat nutritionem animæ. Ergo non ſecundum modum propriæ inſtitutionis, & conſequenter, non ut ſacramentum Euchariſtiæ in actu exercito.

Et confirmatur, quia cauſalitas univerſalis hujus ſacramenti, non eſt eadem cum cauſalitate propria ejuſdem: ſed propria eſt ad gratiam ut nutrientem. Ergo illa eſt ad gratiam ſub aliqua alia ratione, ſcilicet prout poteſt eſſe vel emundatio, vel confirmatio, & robur animæ, & cætera. Patet. Quia hoc ſacramentum prout ſolum ſuceptum habet effectum ſuum nutriendi animam, in quo nullo modo pendet in operando à reliquis ſacramentis. Et habet effectum ultimò determinatum, qui non poteſt eſſe ab aliis. Præterea habet univerſalem cum reliquis, quæ quia non concurrunt ipſa ad nutriendum, neceſſe eſt, ut hoc concurrat ad abluendum, corroborandum, &c. Ergo non eſt eadem cauſalitas univerſalis, & propria hujus ſacramenti.

Quod etiam clariùs patet ex ipſa ratione cauſæ univerſalis. Nam univerſalis cauſa eſt, quæ cum diverſis particularibus concurrit ad diverſos effectus: unde habet concurſum quendam non magis determinatum ad hunc, quàm ad illum effectum; & qui ſolus non poteſt producere ullum effectum. Quare talis etiam erit univerſalis hic concurſus Euchariſtiæ, quæ cùm præterea habeat proprium quendam effectum, quem ſola poteſt producere, neceſſe eſt, ut habeat aliam, atque aliam cauſalitatem, unam propriam, aliam univerſalem. Confirmatur ſecundò, quia in aliquibus ſacramentis per ſe non poteſt concurrere, ut cibus, ut in Baptiſmo, & pœnitentia. Nam priùs debet aliquis vivere, deinde nutriri. Ergo debet concurrere ſub alia ratione, ergo non vt ſacramentum Euchariſtiæ.

Quomodo intelligendum sit Eucharistiam esse necessariam in voto.

Caput XLVII.

HIs itaque rejectis expositionibus de necessitate Eucharistiæ in voto, videndum est, quomodo illud intelligant præstantiores Theologorum.

Caietanus in 3. p. qu. 73. art. 3. ubi agit B. Thom. de hac materia, §. adverte hîc primò. Notat quædam sacramenta esse necessaria per se secundum se ipsa, & secundum sui perceptionem realem, qualis est Baptismus, & pœnitentia; per accidens autem sufficere in voto. Quædam alia neque necessaria esse in voto, neque in re, quæ sunt ad bene esse tantùm. Sacramentum autem Eucharistiæ non esse necessarium in re, sed in voto.

Sed hæc responsio Cajetani duo videtur continere. Unum quidem, quod hoc sacramentum prout in voto acceptum requiritur ad primam gratiam. Alterum autem, quod hoc sacramentum per se habet, ut requiratur in voto tantùm, alia per accidens habent, ut sufficiant in voto.

Neutrum autem membrum responsionis videtur esse verum. Non prius, nam ut patet ex suprà disputatis, hoc sacramentum neque requiritur ad primam gratiam, neque ad perseverantiam. Ergo non requiritur ad salutem. Probatur antecedens ex dictis, nam solus baptismus justificat vi sua, ut probatum est, neque perseverantia ulli sacramento adnectitur.

Dices, quòd ipse Baptismus est votum, vel ipse continet votum Eucharistiæ, & ut sic mundat animam.

Sed contrà est, quòd votum justificat vi sacramenti, quod continetur in voto: ergo baptismus vi Eucharistiæ. Ex quo sequitur, Baptismum non esse sacramentum. Patet sequela, quia sacramentum est signum efficax gratiæ, quam confert, prout significat; Baptismus autem non conferret gratiam, prout eam significat, nam sicut vi sua significat, ita vi sua conferret; sed confert, prout est votum alterius sacramenti, & vi illius. Ergo.

Posterius etiam, quod scilicet per se habeat, ut requiratur in voto, non in re, videtur absurdum, & impossibile. Quia sacramentum in voto non conjungitur homini, nisi ad modum desiderati, & voliti, & consequenter non conjungitur sensibiliter, qui est proprius modus sacramenti, quod est signum sensibile, & in tantum suscipitur, in quantum sensibiliter conjungitur & significat. Quamobrem idem est dicere, quod aliquod sacramentum per se habet, ut requiratur in voto, ac dicere quod per se habet, ut non sacramentaliter operetur, neque sacramentaliter requiratur. Videtur autem hoc destruere seipsum, quod scilicet sit aliquod sacramentum, quod per se habeat, ut non significando conferat gratiam, quodque in quantum sacramentum habeat, ut non sacramentaliter operetur. Ratio autem implicantiæ consistit in hoc, quia sacramentum est quod significando dat gratiam, quam tamen dat ut sacramentum.

Immò verò neque per accidens unquam est necessarium in re: patet, quia justo jam non est necessarium ad salutem, injusto non potest applicari, nisi priùs justificetur per aliud sacramentum, aut per votum ejus, in qua justificatione semper requiritur votum Eucharistiæ. Ergo ad effectum conferendæ salutis æternæ, neque per se, neque per accidens est necessarium hoc sacramentum in re.

Respondet Suarius dist. 40. sect. 2. §. Hinc 4. propter D. Thom. &c. quod non est, nisi necessitas præcepti. Dicitur autem hoc sacramentum necessarium in voto, quia necesse est, eum, qui justificatur, habere votum servandi præcepta, unde etiam sumendi Eucharistiam. Et quidem si sit parvulus sufficit, si habeat hoc votum ex intentione Ecclesiæ. Si autem sit adultus, ipse debet habere hoc votum per actum proprium, sive explicitum, sive implicitum. Quomodo, inquit, exponi potest Augustinus epistola 107. ad Vitalem, qui ait parvulos credere, & comedere carnem Christi per corda, & ora gestantium.

Sed

Sed primò quidem, locus Augustini » perperam citatur. Etiam ipsi, inquit, si in » illa parva ætate moriuntur, utique secun- » dum ea, quæ per corpus gesserunt; id est » tempore quo in corpore fuerunt, quando » per corda, & ora gestantium crediderunt, » vel non crediderunt, quando baptizati, » vel non baptizati sunt, quando carnem » Christi manducaverunt, vel non mandu- » caverunt, quando & sanguinem biberunt, » vel non biberunt, &c. judicantur.

Ubi manifestum est quòd ea verba (per corda, & ora gestantium non) referuntur ad manducationem, vel potionem, sed ad credere, vel non credere. Nam eodem modo etiam spectarent ad baptizari, quod priùs ponitur. Quod tamen est falsum. Loquitur enim ibi Augustinus de reali susceptione Baptismi, quæ parvulis est necessaria ad salutem, cùm votum parentum vel gestantium nihil illis prosit.

Deinde verò aliud est esse necessarium in voto, aliud est votum esse necessarium. Nam necessarium in voto est id, quod ipsum est necessarium, sed conjungitur animæ per desiderium. Votum autem necessarium est, quando necessitas tantùm fertur supra voluntatem rei, non supra rem: & idcirco non ideò fit satis necessitati, quia res per voluntatem conjungitur, sed quia existit ipsa voluntas, quæ est necessaria. Necessitas autem præcepti non facit rem necessariam, sed voluntatem necessariam ad salutem. Unde neque dici potest, quòd vi rei homo salvatur, sicut dicitur, quòd vi Baptismi, aut pœnitentiæ justificatur is, qui conteritur ante sacramentum. Patet minor, quia præceptum immediatè fertur circa actum meum, ut meus & liber est, non autem circa rem, ad quam est operatio. Ergo in tantum facit mihi rem necessariam, in quantum facit actum meum necessarium circa rem: & consequenter necessitas est prius in actu, deinde in re, prout est actus circa illam. Ergo non ideò requiritur res, quia sine illa esse non possim, sed quia sine actu ad illam esse non possum. Quamobrem etsi satis videtur dici posse, non esse necessarium hoc sacramentum, cùm nihil conferat necessarium ad salutem, nisi quia actus circa illud est factus necessarius: tamen non bene videtur explicari S. Thom. dum docet hoc sacramentum esse necessarium in voto. Cujus auctoritas hoc pluris est facienda, quòd cùm in Sententiis oppositum docuisset, videtur motus auctoritate Patrum, eam sententiam retractasse.

Respondet aliter Suarius in eodem §. quia reliqua sacramenta sunt veluti inchoationes, hoc autem veluti finis & perfectio: omne autem imperfectum quodam veluti naturæ pondere inclinatur ad suam perfectionem; hinc est, quod hoc sacramentum velut in voto continetur in aliis sacramentis. Quia nimirum omnia habent inclinationem ad hoc, quasi ad perfectionē suam.

Hæc responsio colligi videtur ex illo articulo 3. B. Thomæ in corpore. Ubi sanctus Thomas dicit, quia hoc sacramentum est consummatio aliorum sacramentorum, & veluti finis, ideò sufficere, si tanquam finis habeatur in desiderio.

Sed contra est, primò, quòd non solùm hoc modo erit necessarium votum hujus sacramenti ad perceptionem gratiæ per Baptismum, sed per omnia alia sacramenta eodem modo. Sanctus autem Thom. speciali quadam ratione videtur velle hoc votum contineri in Baptismo, sicut & Augustinus, cujus auctoritate motus necessitatem hanc posuit.

Secundò, hoc tandem nihil aliud est dicere, quàm quod alia sacramenta sint necessaria, quia dant vitam gratiæ, non autem hoc, quod vitam perficit.

Tertiò, quia reliqua sacramenta propriè non sunt ordinata ad hoc, præter ordinem sacrum. Sed dicitur hoc esse finis & perfectio propter duo. Primùm quidem, quia in hoc continetur auctor, & origo sanctitatis, & sacramentorum in suo esse proprio: in aliis autem est tantùm per virtutem suam. Secundò, quia sanctitas, quam producunt alia sacramenta, perficitur per effectum proprium hujus sacramenti. Charitas enim, ut ait Apostolus, est vinculum perfectionis, quam hoc sacramētum non solùm intendit, sed etiam perficit, & actuat. Sed hoc non est propriè inclinari ad aliud tanquam ad consumma-

tionem, & perfectionem suam. Non ratione primi, quia Christus non est origo sacramentorum, prout est in hoc sacramento, sed prout existit, sive hoc, sive illo modo. Unde licet cætera sacramenta sint longè imperfectiora, quàm hoc, non tamen pendent ab hoc, ut sint, & perficiantur. Neque ratione secundi, quia non est intrinsecum charitati habitæ per alia sacramenta, ut perficiatur vi hujus sacramenti. Potest enim etiam alia ratione perfici, & consequenter non est necesse, ut ideò ipsa ordinetur ad hoc sacramentum, & ratione ejus etiam sacramenta, quibus illa confertur. Adde quod S. Thom. illud votum requirit, cujus vi habeatur res hujus sacramenti, scilicet perfectio charitatis: sed hæc perfectio non habetur vi Baptismi, ergo non satis explicatur votum Eucharistiæ in Baptismo.

S. Thomas duobus modis explicat quomodo sit necessarium hoc sacramentum in voto. Primò quidem, quia est finis, inquit, cæterorum sacramentorum. Unde est necessarium in desiderio, non in re: sicut finis est causa, prout est in desiderio, non prout est in re. Secundo modo, quia per Baptismum homo ordinatur ad Eucharistiam. Unde hoc ipsô quod aliquis baptizatur, ordinatur ad Eucharistiam per Ecclesiam: & ita sicut ex fide Ecclesiæ parvuli credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam.

Sed neuter modus videtur sufficere. Non priori. 1. quia sicut finis per se habet, ut causet ut desideratus, non prout existens; ita Eucharistia per se haberet, ut causaret vitam æternam prout in voto, non prout in re, hoc est, ut causaret non sacramentaliter, & consequenter non ut sacramentum.

Secundò, quia hoc votum, vel est prius, vel posterius Baptismo. Si prius, non prodest quicquam, ut patet ex dictis suprà. Si posterius, homo jam per Baptismum justificatus est. Ergo non est necessarium hoc votum sacramenti, ergo neque ipsum in voto.

Neque posterior modus sufficit. Primò, quia vel votum Ecclesiæ includitur in baptismo, & tunc Baptismus vi Eucharistiæ, non sua conferet gratiam. Vel non includitur, & tunc intentio Ecclesiæ vel præcedit, vel subsequitur baptismum. Si præcedit, sicut fides Ecclesiæ non prodest infantibus ante susceptum baptisma, ita neque intentio Ecclesiæ de sumenda Eucharistia: præcipuè quod pro illo statu puer non est capax Eucharistiæ, cùm nondum sit fidelis. Unde votum non potest eum juvare, alioquin eodem modo poterit infantem juvare votum Ecclesiæ de tribuendo illi baptismo. Si subsequitur, tunc jam est justificatus ante votum hoc, & consequenter ante votum habet jus ad vitam æternam.

His non obstantibus, doctrina hæc B. Thom. ut verissima est amplectenda, sed in ea explicanda parum est elaborandum. Siquidem opus est hæc simul salvare. Primum quidem, quòd hoc sacramentum prout in voto habitum, & expetitum conferat gratiam. Secundum autem, quòd potiore quadam ratione hoc habeat in Baptismo, quàm in reliquis sacramentis, præcipuè verò in sacramento Pœnitentiæ. Tertium, quòd res hujus sacramenti sit necessaria ad salutem, vel quòd gratia confertur, ut res hujus sacramenti: & tamen quòd Baptismus verè, & propriè conferat gratiam, prout exhibitus, & regeneret hominem, &c. Atque ad hoc præstandum:

Notandum est primò, quòd hæc duo sacramenta Baptismus & Eucharistia peculiariter habent, ut incorporent hominem Christo, quod cætera sacramenta non habent. Quod facilè perspici potest, vel considerando conjunctionem Christi cum singulis hominibus, vel considerando conjunctionem ejusdem cum Ecclesia, ratione cujus omnes efficimur unum corpus, cujus caput Christus est, singuli autem alter alterius membra. Baptismus igitur habet specialem quandam vim, ut nos transformet in Christum, & faciat nos vivere vita, & spiritu Christi. Unde est illud Apostoli: Quotquot in Christo ba- "
ptizati estis, Christum induistis. Ubi Græ- "
cè legitur εἰς Χριστὸν, quotquot in Christum "
baptizati estis. Quasi in finem, ut scilicet Christus essetis. Habet autem hoc Baptis-

mus, quia per immersionem hominis in aquam significat mortem, & sepulchrum Christi, per eductionem autem resurrectionem ejusdem. Et ideò in eo mysterio in nobis velut exprimimus Christi passionem, & resurrectionem. Quod S. Leo Papa epist. 4. c. 3. docens in tempore Paschatis Baptismum celebrari debere, sic explicat. In Baptismatis regula, & mors intervenit, interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & elevatio ab aquis, resurgentis instar est Salvatoris. Quod ex Apostolo colligit 6. ad Roma. An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus in illo per Baptismum in mortem, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quoniam vetus homo noster crucifixus est. De qua morte & resurrectione alibi loquens Apostolus, Si consurrexistis, inquit, cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum Christo in gloria.

Hanc etiam incorporationem speciali quadam ratione facit Eucharistia, dum homo Christum in se suscipit, & per spiritualem nutritionem in Christum convertitur. Ut egregiè explicat Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 17. & lib. 10. cap. 13. exemplo ceræ liquefactæ, & similitudine fermenti, quod totam massam fermentat, & in totam penetrat.

Altera incorporatio, scilicet membrorum ad invicem, & cum Christo ut capite horum membrorum, fit per baptismum, in quantum per baptismum homo fit Christianus, & consignatur, ut sit de populo Dei. Quare cùm Christi corpus sit Ecclesia, per Baptismum homo Christo incorporatur, prout fit de Ecclesia. Unde Apostolus ad Ephes. 4. ex eo commendat unitatem spiritus in vinculo pacis, quia unum corpus sumus habentes unam fidem, unum Dominum, & unum baptisma.

Eadem incorporatio speciali quadam ratione fit per Eucharistiam. Primò quidem, quia eam significat. Nam sicut panis fit ex multis granis frumenti, & vinum ex multis acinis vuæ; ita & fideles multi faciunt unam Ecclesiam, & habet vim peculiarem, ut eos ad invicem uniat in charitate, & pace. Unde & dicitur Sacramentum pacis, & charitatis. Quòd etiam eam ob rem instituit Dominus tunc, cùm tanquam proprium signum fidelium, & discipulorum reliquit Ecclesiæ mutuam charitatem. Quare S. Paulus, Omnes, inquit, unum corpus sumus in Christo, qui de uno pane participamus. Et Cyrillus l. 10. in Joa. c. 13. de hac unione fidelium in Christo, & ad invicem, quæ fit, & agglutinatur per hoc sacramentum, interpretatur, quod Dominus dixit, Ego sum vitis, vos palmites. Quis dubitavit, inquit, Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitam nobis inde acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo. Quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim de uno pane participamus. An fortassis putas ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, membra sunt Christi? Et ibi multa in hanc sententiam.

Notandum est secundò, quòd hæ duæ incorporationes possunt habere duplicem quandam comparationem. Unam quidem, qua comparetur prior cum posteriore: alteram autem, qua comparentur quæ ejusdem rationis sunt ad invicem, ut incorporatio prior, quæ fit per Eucharistiam, ad priorem, quæ fit per Baptismum. Et posterior ad posteriorem similiter. Si igitur comparemus priorem cum posteriore, manifestum omnino est, quòd cùm prior fit per charitatem secundum quod conjungimur Deo, de qua scriptum est, qui aehæret Deo, unus spiritus fit cum illo: posterior autem, qua conjungimur proximo, vel in quantum ex charitate qua

diligimus Deum, diligimus & proximum; vel in quantum ex hoc quod vivimus eadem vita charitatis Dei in Christo, ut alter alterius membra peculiarem quandam conjunctionem, & charitatem habemus: manifestum est, inquam, quod prior incorporatio est veluti radix, & origo posterioris. Quia enim sumus membra ejusdem capitis, sumus membra ad invicem. Et quia vivimus vita ejusdem capitis, vivimus eadem vita, & eodem spiritu. Si autem fiat comparatio altero illo modo, ut scilicet comparetur incorporatio baptismi, cum incorporatione Eucharistiæ in eodem genere; manifestum etiam est, quòd cùm terminus sit, ut maneamus in Christo, & Christus in nobis, & ipsi nobis ad invicem uniamur in Christo, non potest in termino esse differentia, potest tamen esse differentia in modo habendi terminum. Quia nimirum perfectius, aut imperfectius Christus habitat in nobis, & terminus prioris est ipsum esse in Christo, posterioris perfectè esse in Christo. Unde habebunt se sicut generatio, & augmentum, Nam utraque ponit in animali substantiam quandam, sed una ponit ita ut det animali habere substantiam, altera ita ut det habere tantam quantam exigit ejus natura. Unde vivens ex vi solius generationis est imperfectum, & tendit per augmentum ad perfectionem suam. Eodem etiam modo in baptismo datur nobis charitas, sed sicut modò genitis nondum adeo perfecta. Quare vivimus quidem, sed ut parvuli, & non ita perfecti sumus in Christo. Sicut autem per ingestionem cibi, & conversionem ejus in propriam substantiam perficitur animal: ita per sumptionem Christi, & conversionem nostri in eum, quandoquidem vita ipsius debemus vivere, perficimur in Christo. Unde & Apostolus: Nos,
» inquit, transformamur de claritate in cla-
» ritatem tanquam à Domini spiritu. Quæ perfectio charitatis in eo consistit, ut faciat hominem perfectè conformem voluntati divinæ, ut neque in magno, neque in parvo dissentiat. Et ideo dum sumus in hac vita omnes proficimus: neque enim datur perfecta omnino, & consummata charitas in hac vita. Ex hac autem perfectione hujus prioris incorporationis oritur & posteris perfectio: quia qui magis adhæret Deo, adhæret & membris, quæ spiritus ejus vivificat, & compatitur iis, &c.

Notandum est tertiò, quòd natura quando producit vivens, etsi productio illa terminetur ad imperfectum, non tamen intendit vivens imperfectum, sed perfectum. Immò nisi perficere posset illud, neq; produceret. Sed quia non potest pervenire ad perfectum, nisi per imperfectum, priùs producit imperfectum, deinde perficit. Quare amor, & desiderium perfecti est, qui movet ad productionem imperfecti. Sicut statuarius nunquam operaretur tantùm, ut rudem statuam, & inchoatam faceret: sed quia vult facere perfectam, ideo etiam imperfectam priùs facit. Cujus rei signum est, quod eos, qui possunt statim facere rem perfectam, & volunt priùs facere imperfectam, solemus irridere, quasi sibi in imperfectione complaceant, quæ non est amabilis, nisi secundum quod est participatio perfectionis. Ex quo sequitur, quòd quando sunt duo termini sibi subordinati, ut imperfectum, & perfectum, licet sint duæ mutationes, quæ ad illos terminantur singulæ ad singulos; tamen prior mutatio non fit, neque appetitur, nisi in ordine ad posteriorem. Nam sicut natura non vult esse imperfectum, nisi propter bonitatem perfecti, ad quam non potest pervenire nisi mediante imperfecto; ita non vult priorem mutationem, nisi in quantum est via ad hoc, ut posterior mutatio fieri possit. Hoc est, ut terminus perfectus habeatur. Unde etiam si eveniat, ut aliud sit immediatum productivum termini imperfecti, & aliud termini perfecti, & consequenter vis operativa prioris termini non agat vi ejus, à quo producitur posterior terminus; tamen vis productiva prioris agit, & operatur in ordine ad posteriorem terminum, saltem ex intentione naturæ, quæ ordinavit esse priorem terminum, ut deveniret ad posteriorem. Quamobrem desiderium termini posterioris est id, quod est causa priori productivo, ut agat. Ut quia natura vult esse vivens perfectum, ne-

que potest habere illud tale, nisi prius generet imperfectum, ex desiderio perfecti ordinavit potentiam generativam, à qua producatur imperfectum. Qua etiam si animal operetur vi sua ad productionem sui similis; tamen vis ejus productiva habet pro causa sua finali vivens perfectum, ex cujus intentione, & desiderio natura statuit producere imperfectum.

Porro secundùm hanc naturalem similitudinem justificatio, quæ habetur in baptismate, & gratia, quæ habetur in Eucharistia, habent se sicut imperfectum, sive modò genitum, & perfectius, sive id quod augetur; nullum autem agens intendit imperfectum, sed perfectum: idcirco Deus quando justificat homines per baptismum, intendit eos perficere in charitate, & gratia. Unde quamvis baptismus sit quoddam principium productivum gratiæ, quod non operatur vi alterius Sacramenti, tamen sicut ejus terminus est volitus in ordine ad perfectionem charitatis; ita etiam in voluntate Dei præcedit voluntas perfectionis hujus, voluntatem constituendi medium, quo habeatur gratia, & charitas non perfecta. Immo verò quia media remotiora ab ultimo fine non accipiuntur, nisi in quantum conducunt ad hoc ut possimus uti mediis vicinioribus, & consequenter priùs in intentione sunt media viciniora fini, quàm remotiora: sequitur quod in mente Dei priùs fuit voluntas Eucharistiæ, ut medij ad perfectionem, deinde voluntas baptismi, ut medij ad suscipiendam primam gratiam baptismalem: & hoc modo baptismus est volitus, prout conducit ad hoc, quòd Deus uti possit Eucharistia ad perfectionem hominum.

Ex hoc autem sequitur primò, quòd ex intentione Dei operantis Eucharistia volita est, ut necessaria ad salutem: salus enim non habetur sine vita gratiæ, gratia autem non tribuitur nisi per baptismum, qui est volitus, ut medium conducens ad usum Eucharistiæ, & ad finem ejus. Et ideò Deus intendens usum, & fructum Eucharistiæ, utitur baptismo; alioqui non operaretur, neque uteretur hoc medio. Quare simpliciter ex intentione Dei operantis Eucharistia est necessaria ad salutem.

Sequitur secundò, quòd homo suscipiens sacramentum Baptismi, tenetur non habere intentionem non suscipiendi hoc sacramentum, & effectum ejus, quia tenetur non velle frustrari Deum operantem fine suo. Quare cùm Deus conferat Baptismum, ut medium suscipiendæ Eucharistiæ, & consequenter intendat susceptionem hujus sacramenti, si homo expressè vellet non suscipere hoc sacramentum, vellet omnino frustrari Deum fine suo, dum operaretur in Baptismo. Et verò manifestè patet, quòd hæc voluntas esset cum contemptu sacramenti, & perfectæ charitatis: quam etsi negligere non esset peccatum, contemnere tamen peccatum est.

Sequitur tertiò, quòd ipse homo suscipiens Baptismum, habet votum Eucharistiæ, & veluti ex intentione ejus suscipit sacramentum Baptismi. Quia hoc ipso quod homo recipit Baptismum prout est volitus, & ordinatus à Deo, habet sibi propositum eundem finem, quem Deus habet in ordinatione Baptismi. Omnis autem accedens ad Baptismum, vult illum hoc ipso prout est ordinatus, & volitus à Deo. Quare cùm non habeat ullam voluntatem explicitam in contrarium, sufficienter ex volitione Baptismi tanquam in voluntate medij, ut prius quiddam, & motivum, est volitus finis Eucharistiæ.

Sequitur quartò, quòd non est eadem ratio in aliis sacramentis: quia vel comparamus Baptismum ad reliqua sacramenta, vel reliqua sacramenta ad Eucharistiam. Utrolibet autem modo fiat comparatio, non est eadem ratio: quia si fiat priore modo, cùm Baptismus sit inchoatio spiritualis vitæ, non potest ad aliud respicere, ut ad finem, & perfectionem, quàm ad perfectionem vitæ spiritualis. At nullius alterius sacramenti est per se effectus hæc perfectio spiritualis vitæ, quàm Eucharistiæ. Ergo non potest Baptismus ordinari ad reliqua sacramenta, ut ad finem. Patet autem hoc discurrendo per singula sacramenta, & eorum effectus, quorum nullum habet ut proprium effectum perficere cha-

ritatem, & perfectè transformare hominem in Christum, ut vivificetur spiritu ejus præter Eucharistiam. Sed neque si comparatio fiat secundo modo. Quia excepto sacramento Pœnitentiæ nullum per se disponit ad perceptionem Eucharistiæ. Ergo nullum per se disponit ad perfectionem vitæ spiritualis. Deinde verò nullum complet vitam, aut percipitur ut aliquid tribuens vitam: unde indifferenter sumi possunt tam ante, quàm post communionem. Solum est sacramentum Pœnitentiæ, de quo videtur dubitari posse, quia per se est ad delendum peccatum mortale, & recipiendam vitam gratiæ. Sed neque hoc impedit, quia in pœnitentia fit quædam quasi resurrectio, resurrectio autem reponit hominem in statu, in quo mortuus est, ut sit vel adultus, vel infans, vel grandis jam natu. Unde est acquisitio quædam vitæ, quæ abstrahit ab hoc quod debeat, vel non debeat perfici is, qui resurgit: & consequenter non per se ordinatur ad perfectionem vitæ tanquam conducens hominem ad aliquem terminum, à quo perduci possit ad perfectionem. Simili autem ratione, quia homo per pœnitentiam resurgit in eo statu charitatis, & gratiæ, in quo erat ante peccatum, immò & aliquid plus acquirit ratione sacramenti: ideò non est veluti infantia vitæ spiritualis ordinata ad virilem ætatem. Neque propriè ordinatur ad Eucharistiam.

Dicendum est ergo, quòd hoc sacramentum est necessarium in voto ad salutem tanquam finis, propter quem datur, & suscipitur sacramentum Baptismi. Conclusio est S. Thom. & patet ex suprà notatis: restat solùm ut ostendamus esse in hoc eas conditiones, quas suprà requirebamus. Et quidem quód votum hujus sacramenti potiore ratione requiratur in baptismo, ostensum est immediatè antè: quòd verò hoc sacramentum prout in voto habitum conferat gratiam, patet, quia prout intentum à Deo, & desideratum ab homine, est causa cur applicetur Baptismus. Quòd verò res hujus sacramenti sit necessaria, patet: quia gratia baptismalis, prout ordinata ad vlteriorem, & perfectam vitam, confertur, & ut sic est volita à Deo. Quare ut sic est aliqua ratione res hujus Sacramenti.

Ubi tamen notandum est, quòd non eodem modo requirendum est in hoc Sacramento, quòd vel in voto habitum sanctificet, vel ejus res collata saluet, sicut in cæteris; sed sicut est necessarium in voto ut finis, ita etiam sufficit, si causet gratiam ut finis, scilicet movendo agens, ut applicet media ad ipsum, & ut velit effectum Baptismi propter effectum Eucharistiæ. Atque hoc modo satis explicatur prima differentia, quam assignat S. Thomas inter modum, quo hoc Sacramentum est necessarium in voto ad salutem, & quo reliqua necessaria sunt.

Ex his jam patet solutio ad rationes supra positas contra priorem hunc explicandi modum, quo suam sententiam explicat S. Thomas.

Ad priorem respondeo, quòd per se habet, ut desideretur ut Sacramentum, & ideo ut causet tanquam Sacramentum desideratum, non tanquam Sacramentum existens. Et verum est, quòd non sacramentaliter causat vitam ęternam, hoc est, non causat actu significando &c. quia causat tantùm dum est causa, ut baptismus propter ipsum applicetur. Atque hoc est causare in voto per modum finis. Falsum tamen est, quòd non causet, ut Sacramentum: nam causat, ut volitum, est autem volitum ut Sacramentum, unde causat ut Sacramentum in esse volito. Quare distinguendum, si illud, ut Sacramentum, reduplicet modum operandi, verum est quòd non causat ut Sacramentum, hoc est eo modo, quo causant Sacramenta, quæ cùm efficiant gratiam ex hoc quòd applicantur, non causant nisi existant, & applicentur actu. Uel reduplicat rationem formalem causandi, & hoc modo nego. Nam ratio formalis quare propter Eucharistiam Deus velit applicare baptismum homini, est Eucharistia, ut Sacramentaliter suscipienda in perfectionem charitatis. Ex quo intelligitur doctrina Caietani, qui docet alia Sacramenta necessaria per se requiri in re, per accidens in voto sufficere,

hoc autem per se requiri in voto, & per accidens in re.

Ad posteriorem rationem respondeo, hoc votum esse prius baptismo, & tamen prodesse, non quia ipsum, vel Eucharistia immediatè conferat gratiam, quod ex supra dictis convictum est falsitatis; sed quia est ratio, cur baptismus applicetur, quo homo acquirit jus ad vitam æternam.

Circa posteriorem modum explicandi hoc votum, quo utitur S. Thomas in litera, duo quædam sunt simul conjungenda, & saluanda, ut hæc S.Thomæ doctrina consistere possit. Scilicet quòd voluntas Ecclesiæ de suscipiendo Sacramento Eucharistiæ conjungatur parvulis post baptismum. Et quòd hæc eadem voluntas illis prosit ad justificationem, immo quòd necessaria sit. Nam ut rationes dubitandi supra positæ probant, non potest aut prodesse ante Baptismum hæc voluntas Ecclesiæ, aut esse necessaria ad vitam post justificationem.

Notandum est ergo primùm, quòd in viventium corpore duas quasdam consideramus conjunctiones alimenti cum alito, sibi invicem subordinatas, & connexas, præter intus-susceptionem, & distributionem alimenti in poros viventis. Prior est adgeneratio novæ carnis, ossis, &c. quando alimentum dispositum per prævias alterationes in carnem convertitur, & adglutinatur partibus viventis, & illis continuatur. Posterior autem est animatio illius particulæ carnis ita adgeneratæ, & continuatæ cum carne jam ante vivente. Manifestum est enim, quòd non priùs animatur cibus, quàm conuersus fuerit in materiam animabilem, & continuatus partibus animatis. Immo verò ratio, quare animetur est, quia adgeneratur, & continuatur partibus viventis: & ideo quia fit aliquid corporis organici animati, ipsa etiam pars de novo posita animatur. Unde conjungi partibus viventibus est causa, cur & ipsa incipiat vivere. Quamobrem, ut intelligatur in proxima, & immediata potentia ad animam, & vitam, requiritur, ut intelligatur conjuncta partibus homogeneis sibi viventibus. Et vita reliquarum partium est aliquid, quod illam constituit in potentia proxima ad vitam, & ultimum disponens calefaciendo, ut deinde possit etiam eam partem informare. Immo verò continuatio ad hoc requiritur, ut vita reliquarum partium sit illi causa vitæ, & ultimò faciat illam animabilem. Quod patet, quia continuatio facit tantum illam carnem viventis: quia verò est caro viventis, ideo deinde accipit vitam.

Notandum est secundò, quòd tota Ecclesia cum suo capite Christo facit unum quoddam corpus vivens: quod Dominus optimè expressit in similitudine vitis, & palmitum. De qua Augustinus tractatu 81. in Joan. initio. Manete, inquit, in me, «
& ego in vobis. Non eo modo Christo, illi «
in ipso, sicut ipse in illis. Utrumque autem «
prodest non ipsi, sed illis. Ita quippe in vi- «
te sunt palmites, ut viti non conferant, «
sed inde accipiant, unde vivant. Ita verò «
vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum «
subministret eis, non sumat ab eis: ac per «
hoc, & manentem in se habere Christum, «
& manere in Christo, discipulis prodest «
utrumque, non Christo. Nam præciso «
palmite potest, de viva radice alius pul- «
lulare, qui autem præcisus est sine radice «
non potest vivere. Et in eo tractatu plura, «
& passim similia inveniuntur apud Patres, & in scripturis; quale est illud Apostoli, Omnes unum corpus sumus in Christo, «
singuli autem alter alterius membra. Cùm «
autem docet nos esse membra ejusdem corporis in Christo, & alterum alterius, sine dubio animatum corpus & vivum vult esse. Animalium enim membra sunt. Et rursus docet nos esse membra Christi; & similia. Quamobrem duplicem possumus intelligere unionem alicujus cum Christo, & Ecclesia. Quarum una sit veluti continuatio, & aggeneratio: altera verò animatio, & vita: prius autem est unitum esse Christo, & Ecclesiæ, quasi aliquid illius; deinde verò vivere vita ejus. Id quod colligitur etiam ex Conc. Triden. sess. 6. in decreto de justificatione cap. 3. ubi recenset Concilium, qui justificentur per Christum, ac docet, eos tantùm justificari per Christum, quibus meritum passionis ejus

applicatur. Quia sicut, qui nasceretur non ex Adam, non contraheret peccatum originale: ita, nisi qui renascitur, & conjungitur Christo, nemo justificatur. Sicut autem propagatio ex Adam est id, quo evadimus aliquid Adæ, ad quod consequitur peccatum originis: ita renascentia per Christum, & applicatio meritorum ejus est id, quo evadimus aliquid Christi, & ideo justificamur.

Notandum est tertiò, quia Ecclesia visibilis est secundùm membra, & caput ministeriale, licet secundùm caput principale, quod est Christus, sit invisibilis. Hinc fit, ut habeat visibilem, & sensibilem aliquam unionem membrorum ad invicem, quæ est professio fidei Christianæ, & participatio sacramentorum sub obedientia summi Pontificis. Ex quibus obedientia, & professio fidei se habent veluti dispositiones requisitæ ex parte nostra. Communio verò sacramentorum est ipsa formalis ratio, qua conficimus unum corpus visibile positis illis dispositionibus. Quia religio præcipuè consistit in modo colendi Deum, & in sanctificationibus, quæ habentur per sacramenta: & ideo videmus, quòd Catechumeni non censentur propriè spectare ad Ecclesiam, licet credant, & obediant, ita ut si nolint obedire aut credere, non cogantur, quia foris sunt. De quibus negat Apostolus ad se spectare judicium. Sed hæretici, & schismatici, aut apostatæ fidei, licet, quia non profitentur, immò neque habent fidem, aut non obediunt, etiam ipsi sint extra Ecclesiam; tamen majore ratione censentur spectare ad Ecclesiam, quia fuerunt baptizati, & incorporati Ecclesiæ, & ideo de iis Ecclesia judicat tanquam de suis. Quare visibilis unio membrorum ad invicem formaliter consistit in participatione sacramentorum Christi, completivè verò in obedientia, & professione fidei. Et ratio est, quia subjectio, & professio fidei sunt actus nostri: Sacramenta verò sunt actus Christi. Quia verò incorporari Ecclesiæ est fieri membrum Christi, est enim Ecclesia corpus Christi; necesse est fieri per actum Christi adoptantis nos sibi in membra. Nullus enim actus noster ex se est sufficiens ad hoc. Quare idem est id, quo nobis applicantur merita passionis Christi, & quo incorporantur Ecclesiæ formaliter.

Ex sacramentis autem cætera præsupponunt hominem jam existentem in Ecclesia, & sunt potiùs actus Christi moventis, & perficientis membra sua. Sacramentum autem Baptismi constituit hominem Christianum, & fidelem. Unde etiam dicitur janua sacramentorum, & Ecclesiæ. Et ideò est actus Christi incorporantis sibi hominem. Quæ incorporatio non fit ex eo, quod per Baptismum infunditur gratia. Manifestum est enim, quòd potest quis baptizari, & fieri verè Christianus, & spectans ad corpus Ecclesiæ, licet non suscipiat gratiam: ut adultus ponens obicem, qui accedit ad lavacrum vitæ, & non est dispositus ad gratiam. Fit igitur hæc incorporatio, etiam præscindendo à gratia, licet gratia semper consequatur in anima, nisi ponatur impedimentum.

Notandum est quartò, quòd possumus intelligere, hominem sufficienter dispositum ad gratiam, & Baptismum illi applicatum, & consequenter illum incorporatum Christo & Ecclesiæ; & tamen adhuc in priori naturæ nondum justum & justificatum in se. Quia illa incorporatio est prior & naturâ suâ non involuens gratiam: dispositio autem ex se non involuit gratiam, immo & potest esse sine illa, ut cùm solùm homo attritus accedit, aut cùm infans baptizatur, in quo est tantùm dispositio negativa, quia nimirum nihil habet oppositum, neque actu, neque virtute dispositionibus gratiæ; sed dispositio ex parte subjecti cum incorporatione ad Ecclesiam est id, quo homo fit vltimò dispositus ad gratiam, & in potentia proxima. Quia nimirum est aliquid jam spectans ad corpus Christi, quod vivit vita gratiæ. Neque habet aliquid impediens influxum capitis dantis, & influentis vitam. Unde nihil deest, nisi infusio gratiæ. Tunc autem in illo priori fides, & Charitas Ecclesiæ, qua vivificatur à Christo, charitas & gratia, & vita Christi capitis est vltima dispositio membro, & homini incorporato ad gratiam,

tiam, ſicut vita membrorum eſt vltima diſpoſitio ad vitam carni aggeneratæ. Quæ ita eſt neceſſaria, ut neque actus charitatis, quo quis diſpoſitus juſtificatur ante Sacramentum actu ſuſceptum, abſtrahat ab hac diſpoſitione. Nam quia per internum cordis affectum, & plenam converſionem ad Deum homo contritus, aut diligens vi Sacramenti, quod continetur in voto, univit ſe corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, & ipſi capiti Chriſto, ideo Deus eum ſuſcipit propter charitatem Chriſti, & Eccleſiæ, & dat illi vitam gratiæ, & perfectæ charitatis per inhabitantem Spiritum ſuum in eo. Atque ex his intelligitur quomodo parvulis proſit fides, & charitas Eccleſiæ, etiam ſi ſuam non habeant. Quia nimirum incorporati Eccleſiæ, quod eſt corpus fidele, & in charitate manens, credunt in corpore. Quod Auguſtinus explicans in Epiſt. 23. ad Bonifacium loquens de parvulo, qui nec amare, nec credere poteſt. Hoc, inquit, quandiu non poteſt, valebit Sacramentum ad ejus tutelam adverſus contrarias poteſtates. Et tantum valebit, ut ſi ante rationis uſum ex hac vita emigraverit, per ipſum Sacramentum commendante eum Eccleſiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Chriſti adjutorio liberetur. Ubi per Sacramentum commendante Eccleſiæ charitate, juſtificari, & emundari parvulum putat ab originali peccato.

Notandum eſt quintò, quòd commendatio charitatis Eccleſiæ hoc facit, quia Eccleſia placet Deo, & diligitur in quantum eſt corpus Chriſti, & vivit ſpiritu, & vita Chriſti. Quare gratia, & charitas Chriſti eſt, quæ facit, ut Eccleſia, & membra ejus placeant Deo. Immo quemadmodum Chriſtus, & ejus fideles faciunt unum quoddam corpus, ita etiam gratia, & charitas Chriſti, non gratia, & charitas fidelium faciunt unam quandam animam & vitam hujus corporis. Sicut enim ubi eſt multiplex anima non poteſt eſſe unum vivens, ita, neque poteſt eſſe unum quoddam corpus ſpiritualiter vivens, niſi ſit una anima, & vita ſpiritualis. Unde & Apoſtolus, Unus ſpiritus, inquit, ſumus & unum corpus. Et quidem idem Spiritus ſanctus eſt indiviſibiliter animans totum corpus Eccleſiæ per charitatem, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris. Charitas autem, qua formaliter vivimus, facit unum quoddam myſticè, ſicut & fideles ipſi unum quoddam myſticè facimus cum Chriſto Domino noſtro.

Quare cùm ſit una quædam veluti anima, & vita hujus corporis, quæ à capite in membra influit, ſequitur quòd qualis eſt in capite, talis ſit vita reliquorum membrorum. Non quidem quòd eodem modo omnia membra vivificet, & perficiat: Sed quòd eſt in illis, ut vita capitis ea vivificans ſecundum capacitatem, & diſpoſitionem ſuam. Ut eadem anima vivificat os ad vegetationem, carnem ad ſenſum, hepar ad ſanguificationem propter diverſas partium diſpoſitiones. Simpliciter tamen totum vivens eſt animal, vel homo, & vivit intellectu &c.

Eodem modo Chriſti charitas vivificat ſingula ejus membra ſecundùm eorum diſpoſitionem; ita tamen ut totum corpus vivat vita, & charitate Chriſti, quæ eſt perfectiſſima charitas. Atque ut ſic Eccleſia, prout vivens in Chriſto, & per Chriſtum, habet, & tendit ad ſummam perfectionem per media præordinata à Deo in ſuis membris habendam. Quare quando quis incorporatur Eccleſiæ, & Chriſto, in illo priore prout eſt jam factus aliquid ipſius Chriſti, & Eccleſiæ, ſicut charitas Eccleſiæ, charitas Chriſti, & Sacramentum, quo Chriſto & Eccleſiæ incorporatur, faciunt illum aptum ad vitam gratiæ; ita etiam eſt voluntas Eccleſiæ de traducendo illo per media debita ad perfectam vitam, & unionem cum Chriſto. Atque hoc eſt votum, quod habet Eccleſia de danda Euchariſtia baptizatis.

Dicendum eſt ergo, quòd Euchariſtia in voto Eccleſiæ eſt neceſſaria baptizatis ad juſtificationem. Probatur, quia qui juſtificatur, accipit gratiam, & vitam in quantum fit membrum Chriſti, & corporis ejus viventis vita gratiæ. Ergo vita hujus corporis eſt vltima diſpoſitio neceſſa-

Zz

riò requisita ad justificationem. Sed hæc est charitas Christi tendens ad perfectionem per media debita, & ordinata: ergo ratione hujus charitatis, quæ invenitur in Christo, & ejus corpore, per ipsum datur gratia baptizatis: hoc autem est votum Eucharistiæ de perfectè convertendo baptizato per perfectionem charitatis in Christum. Ergo hoc votum est necessarium ad salutem.

Ex his autem patet solutio ad rationes suprà positas contra hanc necessitatem.

Ad priorem respondeo, quòd Baptismus unit vi sua, & incorporat Christo, & applicat nobis merita Christi, & charitatem ejus, & Ecclesiæ; ratione autem horum datur gratia. Votum igitur Eucharistiæ, quod habet Ecclesia pro membris suis, est medium inter baptismum incorporantem, & gratiam vivificantem, & consequenter ante justificationem, & post baptismum.

Sed objicies, quia hoc modo non vi Baptismi, sed vi Eucharistiæ datur gratia.

Respondeo, negando sequelam. Nam baptismi vis est, ut incorporet hominem huic corpori ita viventi, & consequenter, ut applicet hanc vitam hujus corporis, ut propriam dispositionem hujus membri ad vitam. Quod est vi sua conferre gratiam. Neque verò illa vita corporis vi Eucharistiæ est vltima dispositio ad vitam membri, sed quia est vita Christi, ex quo etiam habet, ut sit vita tendens ad perfectionem membrorum, & totalem eorum vivificationem per media proportionata. Ex quo patet jam discrimen inter votum baptismi, & Eucharistiæ, quod ponit S. Thomas in litera. Nam votum baptismi non potest prodesse, quia homo nondum est incorporatus Ecclesiæ; cùm Baptismus sit id, quo fit incorporatio; votum autem Eucharistiæ prodest, quia homo jam est incorporatus.

Hæc sententia S. Thomæ sic explicata ne minimum quidem differt à sententia S. Augustini, sed omni ex parte cum illa consentit. Quippe sanctissimus, & longè omnium doctissimus Doctor Augustinus baptismum tradit habere ordinem, & spectare ad Eucharistiam, ut advertimus: quod nihil aliud est, quàm quod scholastici docent, votum Eucharistiæ in Sacramento includi baptismatis, & ex intentione Ecclesiæ infantem fieri aptum ad participandam Eucharistiam modo proximè explicato. Ab altera item sententia de necessitate præcepti, quamvis in modo explicandi aliquantulum discrepare videatur; in eo tamen valde concordat, quòd non requirat re ipsa & actu exhibendam esse sacratissimam Eucharistiam. Unde patet solutio ad primum argumentum.

Solutio argumentorum quorundam, quæ in principio quæstionis sunt allata pro parte affirmativa.

CAPUT XLVIII.

AD secundum, quod Eucharistia deleat peccata venialia, certum est, quandoque etiam letalia, quaque ratione id fiat, in hac disputatione suprà explicavimus, & admisimus: similiter vehementer obstat ne fiant peccata, vel suppeditando vires ad resistendum, vel removendo occasiones, quæ incitant hominem ad peccandum. Cæterùm argumentum non est ad rem. Cùm enim infantes nihil committere possint, ac nullis stimulis peccatorum concitentur, nullis item remediis indigent ad ea incommoda vitanda, & propulsanda.

Porrò resurrectio corporum (loquor autem nunc de resurrectione gloriosa, nam certum est, omnes resurrecturos etiam damnatos, sed solos justos immutandos esse) non est effectus proprius hujus Sacramenti. Quia gloria corporis sequitur gloriam animæ tanquam effectus quidam naturaliter consequens. Sed non tribuitur gloria animæ vi Sacramenti Eucharistiæ, cùm multi sine illo salventur: ergo neque gloria corporis.

Unde quando Patres huic Sacramento tribuunt incorruptibilitatem, & gloriam corporis, debent in sensu accommodato explicari. Pro qua re:

Illud in primis non eſt prætereundum, Patres ſequutos ſcripturæ morem, effectum interdum tribuere non illi cauſæ, cujus effectus proprius, & reciprocus eſt, ſed illi, quæ majorem habet convenientiam, & ſimilitudinem cum effectu. Ita Paulus tribuit reſurrectioni Chriſti juſtificationem noſtram. Reſurrexit, inquit, propter juſtificationem noſtram. Cùm tamen ſi rem ſpectemus, juſtificatio potiùs paſſioni debeatur. Sed quia juſtificatio eſt ſpiritualis quædam reſurrectio, reſurrectioni per accommodationem tribuitur. Eodem modo ſæpè apud Patres invenietur tribui reſurrectio corporum, reſurrectioni Chriſti, ut cauſæ. Quòd etiam colligitur ex ſcripturis, quia nimirum tunc perfectè ſuperavit mortem in ſe, cùm reſurrexit, ratione cujus victoriæ debetur illi, ut ſuſcitet mortuos. Ut optimè docet Cyrillus in libro de fide ad Reginas, ubi probat, Chriſtum eſſe vitam, & vivificantem ex Epiſtola ad Hebræos. Quomodo, inquit, ſoluiſſet mortis imperium, niſi lapſum in mortem corpus vivificaſſet? Cùm tamen alia ſit cauſa, vel effectiva, vel finalis reſurgendi. Quo etiam modo in propoſito reſurrectio glorioſa tribuitur Euchariſtiæ. Non quia ſit ea propria, & adæquata cauſa, ſed quia habet maximam proportionem, cùm vivificum Chriſti corpus corpori noſtro conjungens, nos quodam modo immortalitate condiat.

Illud præterea ſecundò eſt advertendum. Patres facilè cùm de hoc Sacramento loquuntur, ab effectibus propriis hujus Sacramenti, digredi ad effectus proprios corporis Chriſti, eoſque huic Sacramento tribuere. Quia nimirum ſunt effectus Chriſti, qui in hoc Sacramento continetur, & eſt præcipuum quid. Quomodo etiam reſurrectionem, & glorificationem corporum tribuunt huic Sacramento, quia eam habemus per corpus Chriſti dupliciter. Uno quidem modo, quia hoc ipſo, quod humanitas conjuncta eſt verbo Dei, quod eſt vita ipſa, accepit non ſolùm individualiter, ſed etiam ſpecificè, ut eſſet aliquo modo caro, & natura vitæ. Unde per ipſam humanitatem Chriſti debetur reliquis reſurrectio. Quemadmodum, quia conjuncta eſt ſanctitas verbi Dei naturæ humanæ in Chriſto, tota natura reddita eſt ſanctificabilis, & aptum habitaculum Spiritus ſancti, ut docet S. Cyrillus libro citato ad Reginas, ubi notat, Chriſtum eſſe vitam, & vivificantem ex epiſtola ad Corinthios. Immutantur mortui, inquit, & corruptibile induit incorruptionem, eòquòd Unigenitus factus eſt nobis ſimilis, & mortalitatem in immortalitatem tranſtulit, & corruptibilitatem in ſe ipſo primùm in incorruptibilitatem transformavit. Et libro de incarnatione Unigeniti cap. 1. Quoniam enim, inquit, propter Adæ prævaricationem regnaverat ſupra omnes peccatum, & ſpiritus ab humanitate diſceſſerat, ob eamque cauſam in malis omnibus illa fuerat conſtituta, opus autem erat, ut rurſus Dei miſericordia in priſtinum revocata, Spiritum mereretur; homo factum eſt unigenitum Dei Verbum, & cum terreno corpore terrenis apparuit. Fuit etiam liber à peccato, ut & in ipſo & in eo ſolo innocentiæ laudibus natura hominis coronata, Spiritu ſancto ditaretur, ac ſic reformaretur ad Deum per ſanctificationem. Tranſit enim ad nos quoque gratia correpta à Chriſto, qui eſt in nobis primogenitus. Et poſt pauca. Unctus eſt igitur exemplo noſtro filius innocentiæ laudibus, ut antè dixi: in ipſo natura hominis illuſtrata, & digna jam, quæ ſortiatur Spiritum ſanctum. Et libro quarto in Joan. cap. 15. Quemadmodum ſi quis ſcintillam ignis in fæno vel palea occultaverit, totum inde ignitum neceſſariò fiet: ſic Verbum Dei, tanquam ſcintilla in naturam noſtram immiſſum, totum inde inflammavit, atque ad vitam interitu penitùs deſtructo reduxit. Altero modo habemus reſurrectionem per corpus Chriſti, quia ipſum Chriſti corpus erit inſtrumentum ad vivificandos mortuos. Quod Dominus oſtendit dicens, Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Quod probat Cyrillus ex eo quod tactu ſuſcitabat aliquando, ut oſtenderet vim vivificam corporis ſui.

Poſtremò illa quoque valde literalis

videtur ſolutio. Quamvis enim Euchariſtiæ non ſit ille effectus proprius adæquatus, & infallibilis: Quia tamen Euchariſtia moraliter loquendo neceſſaria eſt adultis ad perſeverandum in gratia, qua mediante acquiritur animæ gloria, & per conſequens immortalitas corporis, quæ illi reſpondet; idcirco æterna, & beata vita corporis ab hoc Sacramento provenire dicitur. Propterea & inſtitutum eſt, ut in fortitudine hujus cibi pervenire poſſimus uſque ad montem Dei. Atque ut in ſtatu innocentiæ immortalitas vitæ corporalis tribuebatur cibo ligni vitæ; ita in ſtatu gratiæ, cœleſtis, & ſempiterna vita ſingulari quodam modo poteſt huic Sacramento attribui.

Ex quo etiam conſtat diſcrimen, quod ponit Dominus Jo.6.inter manna, & hunc cœleſtem, & vitalem panem, cùm dicit:
» Patres veſtri manducaverunt manna, &
» mortui ſunt, qui manducat hunc panem,
» vivet in æternum. Nam quòd attinet ad præſentem vitam neuter ex his cibis præſervat à corporali morte. Quod verò pertinet ad futuram, manna de ſe nullo modo illam præſtare poterat, hic autem panis partim conſervando, partim augendo ſpiritualem vitam, & divinam gratiam, plurimum etiam confert ad obtinendam immortalem gloriam.

Argumento autem ex metaphora cibi petito ſic nonnulli ſatisfaciunt, illud non probare intentum, ſed ſi probat, probare aliquid aliud. Nam ſicut cibus eſt neceſſarius ad permanendum in vita, ita ut ſine illo non poſſit permaneri; ita ratio probaret, quod ſine Euchariſtia non modò nemo perſeveraret, ſed neque poſſet perſeverare. Unde neque gratia ſufficiens ad perſeverandum, niſi per Euchariſtiam daretur. Quod nemo concedet. Intentum autem non probat, quia ſicut cibus corporalis eſt aliquid, ſine quo non poteſt manere homo in vita, tamen cum illo poteſt non manere, & de facto moritur, etiam ſi non moriatur fame; ita poſſet donum perſeuerantiæ non dari ſine Euchariſtia, tamen etiam poſita Euchariſtia tolli. Unde eſſet cauſa perſeverantiæ inadæquata, vel potiùs aliquid prærequiſitum ad perſeverandum, non autem propriè ipſam tribuens perſeverantiam.

Et hoc quidem dicendum eſſet, ſi cibus, & Euchariſtia ſibi invicem, quoad omnia reſponderent; At non eſt neceſſarium. Et ratio eſt, quia corpus ita conſumitur, ut niſi ſupponatur cibus, deſinat in eo eſſe humidum, in quo manet calor vitalis; unde impoſſibile eſt ſine cibo eſſe vitam. In anima verò nihil conſumitur, etiam non ſumpto cibo; ſed ponuntur quædam retundentia charitatem, quæ faciunt, ut minùs ferventer, & promptè operetur. Qualia ſunt peccata venialia. Nunquam tamen faciunt, ut operari non poſſit. Unde anima reficitur augmento gratiæ, & charitatis, & ſpeciali auxilio, quo ſolet reduci in actum charitas, & diſcuti peccata venialia. Quoniam ergo refectio hîc, & ibi non eſt ex indigentia pari, non eſt par neceſſitas. Eſt tamen, ut ſuprà diximus, plerumque moralis neceſſitas. Quia cùm charitas ita retunditur, & remiſsè operatur, facilè vincitur à mortali. Et ideo docet Concilium Tridentinum ſeſſ.13.cap.2. hoc Sacramentum traditum eſſe nobis tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur: quia nimirum, ut immediatè antea dixerat Concilium, Dominus ſumi voluit hoc Sacramentum tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes. Quare quod Concilium Florentinum docet, Sacramentum Euchariſtiæ habere omnes effectus, quos habet cibus in corpore, eſt quidem proportionaliter, & ſimpliciter verum. Nam ſicut ille reficit vires corporis, & cætera præſtat hujuſmodi; ita & hoc Sacramentum reficit vires animæ; Non tamen eſt verum quoad omnia. Nam præter aſſignatum diſcrimen, cibus corporis convertitur in ſubſtantiam corporis, cui unitur; cibus autem animæ contrà convertit animam in ſe, & ſibi eam peculiariter unit.

Ad auctoritatem Baſilij jam reſpondi in primo libro, quòd intelligatur de adultis. Et commodè dici poteſt, conſentaneum eſſe, ut qui regeneratus ſit, etiam

alimento ſpirituali nutriatur propter neceſſitatem moralem. Ob quam veriſimile eſt, Chriſtum Dominum dediſſe præceptum. Et propterea Baſilius ibidem ita loquitur de verbis Domini, ut per illa præceptum traditum eſſe non obſcurè indicet. Sic enim ſcribit : χρεία οὖν λοιπὸν τρέφεσθαι ἡμᾶς τροφὴν ζωῆς αἰωνίου, ἣν τινα παρέδωκεν ἡμῖν πάλιν ὁ αὐτὸς μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. ποτὲ μὲν εἰπὼν, οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ σόματος τοῦ θεοῦ. καὶ πῶς τοῦτο γένηται ἐδίδαξεν ἐν τῷ εἰπεῖν, ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρός. καὶ πάλιν προσθεὶς τὸ ἀμὴν δεύτερον πρὸς βεβαίωσιν τῶν ἐπιφερομένων, καὶ πληροφορίαι τῶν ἀκουόντων, φησὶν, ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίνητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. Hoc igitur deinceps nutrimento æternæ vitæ alamur neceſſe eſt. Quod rurſus tradidit nobis ipſemet unigenitus Filius Dei vivi. Aliquando quidem cùm dixiſſet, Non in ſolo pane vivet homo, ſed in omni verbo procedente de ore Dei. Et quomodo id fieret, docuit in eo quod dixerit, Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem, qui miſit me, Patris. Aliquando verò cùm illud Amen iteraſſet ad confirmationem eorum, quæ inferebantur, & certam fidem faciendam audientibus: Amen, amen, inquit, dico vobis, ſi non manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis ipſis. Sic Baſilius. In cujus ſententia ponderanda ſunt illa verba, εἰς πληροφορίαν τῶν ἀκουόντων, ad certam fidem faciendam auditoribus. Inter quos certè infantes haud enumerantur, qui nec audire, nec intelligere, & multo minus mandata exequi poſſunt.

Explicatur locus Dionyſij de neceſſitate Euchariſtiæ.

CAPUT XLIX.

CONtrariis hiſce argumentationibus infirmatis, atque dilutis, ſupereſt Areopagitæ auctoritas explicanda. Ad cujus ſolutionem ſciendum: Per omnia ſacramenta conferri gratiam gratum facientem, & per conſequens fieri etiam unionem cum Chriſti capite, & cum membris ejus, quæ eſt Eccleſia. Quod etiam agnoſcit, & fatetur Dionyſius in objectione propoſita. Immò verò per ſolum votum baptiſmi poſſe obtineri hanc conjunctionem, quantum ſufficit ad vivificandam animam ſpiritu Chriſti, & eam ſalvandam. Et ideò hic effectus non eſt proprius ſacramenti Euchariſtiæ, quaſi non per aliud quidquiam conferatur. Dicitur tamen iſte effectus res hujus Sacramenti, ſive, ut placet Dionyſio, vocatur Euchariſtia, συνάξις & κοινωνία, ſingulari quadam ratione propter duo: Primum, quia hoc ſacramento ſpeciatim ſignificatur hæc unio myſtica, quæ non ſignificatur ullo alio ſacramento. Quia nimirum materia hujus ſacramenti conficitur ex multis granis frumenti, & ex multis racemis uvæ, quæ nihil aliud ſignificant, quàm unionem multorum fidelium in unum corpus per charitatem Chriſti. Et præterea quia unitas menſæ, & convivij oſtendit unitatem amoris, & familiæ, & omnes ſpectare ad eundem patrem familias. Secundum, quia proprius effectus hujus Sacramenti eſt excitare charitatem, erigere animum, ac pietatem in Deum inflammare. Unde eſt per excellentiam tale, quod vim maximam habeat animam copulandi cum Deo.

In quo eſt differentia inter cibum animæ, & corporis. Cibus enim corporis corroborat illud, dum convertitur in ejus ſubſtantiam, & cum illo ſe congregat. Cibus animæ contra, convertit animam in ſe, & ſibi eam peculiariter conjungit, ſecundum illud Auguſtini, Non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Hinc deinde fit, ut cum omnes fideles mutentur in Chriſtum, unum quiddam ad invicem in illo efficiantur.

Propterea effectus unionis myſticæ huic Sacramento præcipuo quodam modo attribuitur, quia eam conjunctionem cum Deo excellenti quadam ratione hoc ſacramentum efficit. Non eſt tamen prout ita excellens hic effectus de neceſſitate ſalutis. Un-

de ut peculiari ratione per hoc Sacramentum collatus, non est necessarius. Tamen est necessarius, ut peculiariter hoc Sacramento significatus.

Quare ad quæstionem propositam à Dionysio rectè possemus respondere, Eucharistiam jure optimo vocari σύναξιν & κοινωνίαν, cùm propter significationem conjunctionis, quam se sola exprimit, tum etiam ob eandem conjunctionem, quam per seipsam tam excellenter efficit, & producit.

Verùm Dionysius quæsito satis faciens, omissa significatione, ad illud posterius, tanquam magis intrinsecum duntaxat respicere videtur. Quòd nimirum sic vocitetur Eucharistia, quod unionem hanc cum Deo præstantissimè, ac singulariter operetur. Is enim effectus adeo excellens, atque perfectus, si producendus sit, docet, fieri non posse, ut à quopiam alio, quàm ab Eucharistia producatur. Propterea Eucharistiam necessariam esse ad talem effectum, & jure suo quodam peculiari, σύναξιν & κοινωνίαν appellari, quando cætera Sacramenta ejusmodi effectum producunt quidem, sed minus perfectè: adeo ut & ipsa mysteria, quæ efficiunt conjunctionem cum Deo ad rationem Eucharistiæ, minus perfecta propterea sint; Eucharistia perfectissima, utpotè quæ perfectissimè conjunctionem cum Deo efficiat.

Hìc videtur esse sensus genuinus Dionysij, qui tamen illius verbis fusiùs accomodandus est, vel ex vi verborum illius, & significatione potiùs eruendus.

Itaque ut est in objectionibus, Dionysius asserit reliquorum sacramentorum perfectionem esse, ἐκ τῶν ταύτης θεαρχικῶν καὶ τελειωτικῶν δωρεῶν, ex divinis, perficiendique vim habentibus Eucharistiæ donis. Quod est dicere, reliqua sacramenta efficere quidem conjunctionem cum Deo, sed perfectionem hujus conjunctionis provenire non ab ipsis sacramentis, quæ minus perfectè eam producunt, sed ab Eucharistia. Unde licet cætera sacramenta sint longè imperfectiora, quàm Eucharistia, non tamen pendent ab Eucharistia, ut sint, & ut producant suos effectus. Quia etiam Christus est quidem origo sacramentorum, sed non prout est in Eucharistia, sed prout existit sive hoc, sive illo modo. Quamobrem reliqua sacramenta cum Eucharistia collata vocantur à Dionysio, ut mox videbimus, ἀτελῆ imperfecta. Eucharistia verò per excellentiam, τελετὴ τελετῶν, quasi dixeris perfectiva perfectivorum, à τελέω, quod est consummo, & perficio. Per se tamen considerata illa quoque vocantur perfectiva, & τελεταὶ, ὡς τὸν μυούμενον τελειοῦσαι, ut quæ initiatum perficiunt. Immò Dionysius in cap. 4. Sacramentum Confirmationis propriissimè appellat τελετὴν μύρου, ut à principio secundi libri, dum ageremus de nomine Confirmationis, advertimus. τελετὴ enim, ut exponit Pachymeres in primo capite de cœlesti Hierar. λέγεται ἡ τῶν μυστηρίων μετάδοσις, ἅτε τὸν μυούμενον τελειοῦσα. Dicitur mysteriorum communicatio, utpotè quæ initiatum perficit. Hoc est, impartiri alicui aliquod Sacramentum, istud dicitur τελετὴ, quia eum, cui confertur Sacramentum, perficit. καὶ τοὺς μεμυημένους τελείους καλεῖ ὁ ἀπόστολος λέγων, ὅσοι οὖν τέλειοι τοῦτο φρονῶμεν, & initiatos, (inquit Pachymeres) perfectos vocat Apostolus dicens, quotquot igitur perfecti hoc sentiamus τελετὴ γὰρ ἐστι (dicit idem auctor in cap. 3. ejusdem libri de Ecclesiastica Hierar.) πᾶν μυστήριον, ὡς τελειωτικὸν τῆς ψυχῆς. Est perfectio omne Sacramentum, tanquam quod vim habeat animam perficiendi. Non igitur Dionysius Sacramenta simpliciter negat esse τελετὰς, sed comparatione facta cum Eucharistia, sic enim desunt esse τελεταὶ, ubi ipsa intervenire solet. Pergit deinde Dionysius idem probare: οὐ γὰρ ἔνεστι σχεδόν τινα τελεσθῆναι τελετὴν ἱεραρχικὴν, μὴ τῆς θειοτάτης εὐχαριστίας ἐν κεφαλαίῳ τῶν καθ' ἕκαστα τελουμένων (μυστηρίων) τὴν ἐπὶ τὸ ἓν τοῦ τελεσθέντος ἱερουργούσης συναγωγὴν, καὶ τῇ θεοπαραδότῳ δωρεᾷ τῶν τελειωτικῶν μυστηρίων τελεσιουργούσης αὐτοῦ τὴν πρὸς θεὸν κοινωνίαν. Non enim ferè ullum sacramentum ad Pontificem spectans (intelligas primario, nam secundario multa etiam spectant ad Sacerdotem) perfici potest, nisi divinissima Eucharistia ἐν κεφαλαίῳ, in summa

(Maximus, τουτέστιν ἀναγκαιοτάτῳ λόγῳ, hoc est, necessariissima, ac potissima ratione) singulorum (mysteriorum) quæ peraguntur (hoc est, nisi in singulis sacramentis tanquam quid præcipuum, cardo, & summa rei divinissima Eucharistia) ejus, qui initiatus est, cum uno (hoc est cum Deo) conjunctionem, collectionemque sanctè efficiat, & divinitus tradito mysteriorum perficiendi vim habentium munere, ejusdem (initiati) cum Deo societatem perficiat, τελεσιουργούσης. (non ut vertit Marsilius, operetur.) Dicitur autem Eucharistia perficere munere divinitus tradito, quia illud in se continet. Mysteriorum, in numero multitudinis propter binas species. Quẽadmodum dicimus, homo anima operatur. Sequitur apud Dionysium, εἰ τοίνυν ἑκάστη τῶν ἱεραρχικῶν τελετῶν, ἀτελὴς μὲν οὖσα, τὴν πρὸς τὸ ἓν ἡμῶν κοινωνίαν καὶ σύναξιν οὐ τελεσιουργήσει. Si igitur unumquodque Sacramentũ quòd Pontificis munus attingit, minus perfectum cùm sit, nostri cum uno conjunctionem, communionemque non perficiet, καὶ τὸ εἶναι τελετὴ διὰ τὸ ἀτέλεστον ἀφῃρημένη, & hoc quod est esse τελετὴ, (hoc est perfectum Sacramentum) quia minus perfectum sit, amittit, τὸ δὲ τέλος ἁπάσης καὶ τὸ κεφάλαιον ἡ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων τῷ τελουμένῳ μετάδοσις. Finis autem, & caput uniuscujusque Sacramenti est, ut is, qui initiatur divinorum mysteriorum (hoc est Eucharistiæ) particeps fiat (propterea finis, quia initiatus potest ex eo longè majorem nancisci perfectionem) εἰκότως ἡ ἱεραρχικὴ σύνεσις ἐπωνυμίαν αὐτῇ κυρίαν ἐκ τῆς τῶν πραγμάτων ἀληθείας ἐφεῦρεν. Jure optimo Pontificia prudentia ei ex rerum veritate nomen invenit. Hucusque Dionysius.

In cujus sententia illa verba notanda sunt, & ponderanda, in quibus tota vis solutionis consistit, τελείωσις, τελεσιουργεῖ, τελετὴ, quæ se tenent ex parte Eucharistiæ. Item illa alia, quæ reliquis sacramentis, ut placet Dionysio, conveniunt, ἀτελὴς, ἀτέλεστον, & quæ addit S. Maximus Confessor, ἀδύνατον τελεσθῆναι δίχα τῆς μεταλήψεως, Impossibile est (cætera sacramenta) perfici sine communione (qua scilicet efficiunt perfectam conjunctionem cum Deo. De hoc enim loquitur Dionysius) & illa, οὐδεμία σύναξις τελεσιουργεῖ δίχα τῆς μεταλήψεως. Nulla collectio (hoc est nullum Sacramentum quod colligit, & consociat hominem cum Deo) perficit opus sine communione. Hæc, inquam, notanda sunt.

Nam reliqua Sacramenta efficiunt quidem unionem cum Deo, sed non perficiunt. Propterea comparatè & minus perfecta sunt, & augmentum perfectionis admittunt, utque talia veluti finem quamvis extrinsecum, Eucharistiam respiciunt. Tametsi enim & aliunde possunt perfici, tamen non æquè perfectè, ac tam excellenter, atque ab Eucharistia, quæ ultimam manum perfectionis imponit. Charitas enim, ut ait Apostolus, est vinculum perfectionis. Hanc verò Sacramentum Eucharistiæ non solùm intendit, sed etiam perficit, & in actum reducit. Quod ideò fit, quia in aliis Sacramentis Christus Dominus est tantùm per suam virtutem, in Eucharistia verò auctor, & origo sanctitatis est in suo esse proprio. Idcirco & finis est, & perfectio cæterorum Sacramentorum.

Non tamen inde inferas, ergo necessariò cæteris Sacramentis adhibenda est Eucharistia. Nam illud, οὐκ ἔνεστιν, & illud, ἀδύνατον, & ἀναγκαῖον, & κύριον, quæ partim apud Dionysium, partim apud illius Græcos expositores reperiuntur, ad illa, τελεσθῆναι, τελείωσιν, τελεσιουργεῖν, & in summa ad perfectionem conjunctionis cum Deo referuntur; Non autem simpliciter necessariam Eucharistiæ administrationem inferunt. Sacramenta enim immediatum finem habent gratiam, & sanctitatem, quam producunt. Qua si quis fuerit præditus & obeat, consequitur salutem. Adde quod huic gratiæ non est intrinsecum, ut perficiatur vi Eucharistiæ. Potest enim etiam alia ratione perfici per actus virtutum, & per consequens non est necesse, ut propterea ipsa propriè, ac per se ordinetur ad hoc Sacramentum, & ratione ejus etiam Sacramenta, quibus illa confertur. Propriè inquam, & per se, nam alia ratione ordinari ex intentione agentis non nego. Quemadmodum, dum agerem de voto Eucharistiæ in baptismo fusissimè

ea de re supra disserui; ut etiam exponit B. Thomas 3. p. q. 65. a. 3. in corpore. Sacramenta enim satis habent, si hominem ad eum statum perduxerint, ut deinde possit hoc, vel illo modo, & multò magis per Eucharistiam perfici.

Illud tamen non est negandum, quin modus loquendi rerum divinarum peritissimi Dionysij duo nobis indicet; & illius tam perfectæ cum Deo conjunctionis, Eucharistiam nobis esse causam; & omni Sacramento re ipsa ad eum finem adhiberi, ut hanc perfectionem gignat. Talis quippè consuetudo erat primitivæ Ecclesiæ. Siquidem cunctis ferè Sacramentis tanquam egregium colophonem, divinissimam Eucharistiam antiqui Patres imponere soliti erant. Unde, & sigillum vocant cæterorum Sacramentorum. Quod liquido constat per singula discurrentibus. Nam baptizatos simul, & confirmatos æquè adultos atque infantes, veteres communicabant, quod etiam nunc servatur in Græcia. Similiter sacris initiatos Eucharistia perficiebant, & modò perficiunt. Communiter etiam pœnitentes peracta exomologesi ad Eucharistiam participandam admittebant. In celebratione autem nuptiarum habuisse locum communionem, adeò certum est, ut mos, qui modò viget in tota Græcia, & Russia, panem, & vinum sponso, & sponsæ porrigendi ad degustandum, inde manaverit. Quia enim matrimonia celebrantur apud eos, non raro post prandium, & circa vesperam, illa etiam prisca pietas erga sacratissimam Eucharistiam, & illius frequentatio deferbuit; Propterea hunc morem Græci in locum Eucharistiæ suffecerunt. Quemadmodum etiam in liturgiis panem Eulogicum, quem vocant ἀντίδωρον, introduxerunt, & eum populo passim loco Eucharistiæ distribuunt. Quamvis certis, ac statutis quibusdam temporibus Eucharistiam distribuant. Postremò, infirmos Extrema Unctione inunctos, & sublevatos, viatico Dominici corporis instruxisse, non est ambigendum. Non enim simpliciter Extrema-Unctio dicitur ad rationem reliquorum mysteriorum, sed collata cum aliis Unctionibus, quæ in quibusdam Sacramentis peraguntur.

Dionysius itaque partim ex natura rei, partim ex consuetudine sui temporis, divine, ut cætera, philosophatur, atque duo illa edocet Sacramenta per Eucharistiam cumulatissimè perfici. Et quod spectat ad illud posterius, quod simul cum aliis Sacramentis semper fere administraretur, quando aliunde non obstabat, id intelligendum est. Quod modo etiam fieri posset. Alioquin sanctissimus & θεολογικώτατος Doctor non ignorabat, quibusdam pœnitentibus ob ingentia scelera multo tempore quandoque ad extremum propè vitæ spiritum Eucharistiam denegatam fuisse, ut modo apud Græcos austeritatem aliqua ex parte antiquorum Canonum servantes, solet denegari. Et tamen Sacramentum pœnitentiæ proculdubiò sortitur suum effectum, & verè reconciliat pœnitentem cum Deo.

Quòd si testimonium Dionysij Græci Latinis objiciunt, ut Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in sua censura videtur objicere: illud idem objiciant sibimetipsis, quando sine hoc Sacramento, & Matrimonium frequenter benedicunt, & extremè laborantes oleo sacro inungunt. Modò enim Græci, ut & Latini prius Eucharistiam, deinde Extremam-Unctionem infirmis administrare consueverunt. Non igitur Græci perficiunt Extremam-Unctionem beneficio Eucharistiæ, ut videtur velle Dionysius, sicut & nuptias, & quandoque Sacramentum pœnitentiæ. Et tamen illa mysteria utpotè ritè, ac legitimè absoluta, efficacitatem suam obtinere, quis neget?

Et profectò si necessariò Eucharistia cætera sacramenta semper assectaretur, Ecclesia hunc ordinem nunquam immutasset. Atqui Ecclesia Græca, & Latina nonnulla aliter facit, & sine peccato facit. Quo circa sanctus Maximus, qui unà cum Dionysio docet, Sacramenta sine Eucharistia absolvi non posse in 2. cap. de Eccles. Hierar. super illis verbis, ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος, μετοχὴν ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας.

» ειστίας. Ille (Pontifex) divino, ac deifico » prorſus unguento virum ſignando, Eucha- » riſtiæ, quæ vim maximam habet perficien- » dæ ſanctitatis, participem eſſe oſtendit; hujuſmodi addit notationem: οὐ χρὴ τὸν ἐντυγχάνοντα τοῖς περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας λόγοις, τὸν πατέρα ξενίζεσθαι, εἰ παρὰ τὴν νῦν κρατοῦσαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τάξιν, ἐν ταῖς τῶν μυστηρίων τελεταῖς παρηλλαγμένα λέγει τινά· ὥσπερ καὶ ἐνταῦθα μετὰ τὴν χρίσιν τοῦ μύρου, τὴν τῆς ἁγίας κοινωνίας μετάληψιν εἰσάγει γίνεσθαι. εἰκὸς γὰρ ἦν ταῦτα τῇ τῶν χρόνων μὲν καταστάσει ἁρμόζειν, νῦν δὲ ἀκριβέστερον γίνεσθαι ἐν τῇ τῶν θείων μυστηρίων τελείᾳ λειτουργίᾳ ἐν » ᾗ καὶ τοῖς νεοφωτίστοις δεῖ μεταλαμβάνειν. Non » eſt quòd aliquis, qui in ſcripta de Eccle- » ſiaſtica Hierarchia inciderit, patrem mire- » tur, ſi præter ordinem modò in Eccleſiis » uſitatum, nonnulla referat in adminiſtra- » tione Sacramentorum variata. Quemad- » modum etiam hîc poſt unguenti unctio- » nem, ſanctæ Communionis perceptio- » nem introducit. Veriſimile enim eſt, hæc » rationi temporum conſentanea fuiſſe, » nunc verò exactius fieri in divinorum my- » ſtériorum perfecta liturgia, ubi, & recen- » ter illuminatos Euchariſtiam participare » oportet.

Itaque tempore S. Maximi, ſi quis poſt prandium vel die, quo liturgia in aliqua Parochia non celebrabatur, baptiſmum ſuſcepiſſet, expectanda illi erat communio ad diem Dominicum, vel alium diem, quando ſacrificium offerebatur. Qui mos ſervatur hodie alicubi in Græcia, & Ruſſia, quamvis & uſus, quem refert Dionyſius, in multis partibus Græciæ non ſit abrogatus.

Si igitur Eccleſia Græca potuit hunc ordinem immutare, & ad aliquod tempus Euchariſtiam differre, quare Romana Eccleſia princeps aliarum Eccleſiarum, Mater, & Magiſtra, non potuit ad convenientem ætatem eam reſervare, in qua fideles tutiùs, & ſanctiùs illius participes fierent? Præſertim cùm in teneris annis non ſit ſimpliciter neceſſaria, ſed tantùm gratiam augeat.

Quid igitur, dices, obſtat, quo minus more antiquo fiat, & Euchariſtia una cum aliis Sacramentis, potiſſimum verò cum Baptiſmo infantibus exhibito adminiſtretur?

Reſpondeo, quod nulla reverentia à pueris & infantibus divina non intelligentibus adverſus Euchariſtiam adhiberetur. Et præterea periculum eſſet vomitionis. Quod ipſi Græci non ignorant. Quomodo enim ignorare queant, qui uſu quotidiano iſtud experiuntur, & audent Latinis in tam laudanda cautione inſultare?

Sic abundè ſatisfactum eſſe teſtimonio Dionyſij exiſtimo.

Ad confirmationem, quòd cùm hoc Sacramentum ſit majus, & nobilius, debuit etiam imponi ſub majore, vel certè ſub æquali neceſſitate.

Reſpondeo primò: ſæpe res nobiliores, & excellentiores ſunt minùs neceſſariæ, ut Virginitas eſt minùs neceſſaria ad ſalutem, quàm Caſtitas. Et ſtatus religioſus non eſt neceſſarius ad ſalutem, ſed ſufficit ſtatus ſæcularium Chriſtianorum. Et ratio eſt, quia quæ ſunt neceſſaria ad bene eſſe, præſupponunt ea, quæ ſunt neceſſaria ad eſſe; ſicut eſſe ſupponitur ad bene eſſe. Unde habet ſe ut perfectiones, & actus ipſorũ. Quod evenit in hoc Sacramento, nam effectus hujus Sacramenti eſt nobilior, quę eſt perfectio charitatis, & unionis cum Deo, & proximo. Quare eſt ad meliùs conſequendam vitam æternam. Effectus autem pœnitentiæ, & Baptiſmi eſt ipſa charitas, & vita gratiæ. Quamobrem non eſt neceſſe, ut ſi eſt nobilius Sacramentum, magis etiam ſit neceſſarium: ſed eſt neceſſe ut ſit neceſſarium ad nobilius, quod eſt verum, ſcilicet ad vitam gratiæ nobiliorem, & ad majorem gloriam reliquis paribus.

Deinde quærendum eſſet, quænam hæc neceſſitas eſſe poſſit. Non enim neceſſitas ſimpliciter medij, ut jam probatum eſt. Si dixerimus neceſſitatem eſſe perſeverandi, tum argumentum plus probaret quàm adverſarij vellent. Quia neceſſitas Baptiſmi & pœnitentiæ eſt ad ſimpliciter poſſe, cùm ſit ad juſtificationem; neceſſitas autem Sacramenti Euchariſtiæ

tantùm esset ad actum perseverandi, & ex suppositione. Major autem est necessitas simpliciter, quàm ex suppositione respectu ejusdem, sicut major est impossibilitas carentia potentiæ, quàm non futurum esse actum. Ergo si argumentum probaret, deberet ostendi aliqua necessitas simpliciter, ut essent paria in necessitate.

Consuetudini veteris Ecclesiæ opponimus alium usum postea Romanæ Ecclesiæ, qui nullum schisma in Ecclesia excitavit. Quare non in eum sensum, quem volunt Græci, mos ille antiquus accipiendus est, sed aliter exponendus; ut ex iis quæ hactenus disputata sunt solis luce clariùs liquet.

Porro de industria multa de hac quæstione disserui, partim ut Græcorum objectionibus responderem, partim ut eosdem uberiori doctrina instruerem, si quando resipiscere voluerint. Qua in re multum me juvarunt scripta religiosissimi Patris Andreæ Eudæmon-Joannis, antiqua quidem inter Græcos familia clari, sed singulari doctrina, & pietate clarissimi.

De distributione Eucharistiæ sub utraque specie.

CAPUT L.

Distribuunt Græcorum presbyteri populo sacratissimam Eucharistiam sub utraque specie.

Vetustissimum id esse à temporibus Apostolorum constat ex Paulo in priori ad Corinthios cap. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?

Verùm notat ὁ πολὺς τὰ θεῖα Bellarminus in Apologia nuper edita ad responsum Jacobi Regis Britanniæ cap. 8. non sine causa dici ab Apostolo de calice, cui benedicimus, & de pane quem frangimus. Non enim omnes calicem, sicuti panem participabant. Quippe calix semper benedicebatur, hoc est, consecrabatur, sed non semper omnibus distribuebatur. Panis autem semper frangebatur, id est dividebatur, & porrigebatur. Quod sanè verum est, & observatio digna quæ ad astruëdam unicam speciem plurimùm valeat. Hoc itaque relicto testimonio addimus, quod ibidem sequitur. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis mensam Domini participare, & mensam dæmoniorum. Et c. 11. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis. Et, Probet se ipsum homo, & sic de pane edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.

Constat etiam ex Clemente libro 8. Consti. cap. 13. & 14. ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων σῶμα Χριστοῦ. καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω ἀμήν. ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω. αἷμα Χριστοῦ, τὸ ποτήριον ζωῆς, καὶ ὁ πίνων λεγέτω, ἀμήν. Episcopus quidem det oblationem dicens, corpus Christi, & qui recipit, respondeat, Amen. Diaconus verò teneat poculum, & distribuens dicat, sanguis Christi, poculum vitæ: & qui bibit, respondeat Amen. Idem probatur ex Dionysio de Eccl. Hier. c. 3. de Pontifice enim, populo communionem ministrante dicit, τὸν ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας, συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει καὶ διανέμει. Pane, qui opertus erat, & indivisus, patefacto, & in multas partes secto, unitatéque calicis omnibus dispartita, symbolicè unitatem multiplicat, & distribuit. Justinus quoque Martyr in Apologia 2. idem refert his verbis, εὐχαριστήσαντος τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. Gratiarum actione persoluta (hoc est consecratione peracta) ab eo qui præest, & cuncto populo approbante, (eo quod videlicet respondeat amen) qui apud nos vocantur Diaconi, concedunt singulis præsentibus participationem Eucharistizati (hoc est consecrati) panis, & vini, & aquæ.

Ignatius in Epistola 6. quæ est ad Phila-

delphienſes de eadem re ita ſcribit, μία ἐστὶν ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν. εἷς γὰρ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη. Una eſt caro Domini, & unus ipſius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt. Nam unus etiam panis omnibus comminutus eſt, & unum poculum cunctis diſtributum.

Cyprianus in ſermone de lapſis, hujus etiam conſuetudinis teſtis eſt. Jacens, inquit, (hoc eſt lapſus) ſtantibus & integris vulneratus minatur. Et quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.

Ambroſius quoque, ut refert libro 9. Hiſtoria tripartita cap. 30. Theodoſio ad Communionem accedenti, reſpondit: Quomodo hujuſmodi manibus recipies ſanctum Domini corpus? Qua temeritate ſacrati ſanguinis poculum ore tuo ſuſcipies?

Eandem conſuetudinem docet Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 5. Myſtagogica, cujus ſunt hæc verba: δέχου τὸ σῶμα Χριστοῦ ἐπιλέγων τὸ ἀμήν, &c. εἶτα μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος Χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος. Suſcipe corpus Chriſti, ſtatim ſubjiciens, Amen. Tum verò poſt communionem corporis Chriſti, accede & ad calicem ſanguinis.

De ſanguine autem ſpeciatim, quod minus videtur diſtributum olim fuiſſe populo, patet ex hiſtoria B. Laurentij Martyris. Sic enim S. Ambroſius in lib. 1. offic. cap. 41. Laurentium Diaconum introducit loquentem ad Xyſtum Pontificem. Experire certè, Utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.

Chryſoſtomus verò hom. 83. in Matth. ipſe ſuum Diaconum calicem diſtribuentem ſic alloquitur: τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐκ τῶν χειρῶν ἐκζητηθήσεται τῶν ὑμετέρων. κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσίῃ, κώλυσον; μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις. σὺ δὲ εἰ μὲν πηγὴν ὕδατος ἐνεχειρίσθης φυλάττειν ποιμνίῳ καθαράν, εἶτα εἶδες πρόβατον πολλὸν ἐπὶ τοῦ στόματος φέρον τὸν βάρβορον, οὐκ ἂν εἴασας ἐπικύψαι κάτω, καὶ θολῶσαι τὸ ῥεῖθρον. νυνὶ δὲ οὐχ ὕδατος, ἀλλὰ αἵματος καὶ πνεύματος πηγὴν ἐγκεχειρισμένος, καὶ ὁρῶν γῆς καὶ βορβόρου χαλεπωτέραν ἁμαρτίαν ἔχοντάς τινας, καὶ προσιόντας, οὐκ ἀγανακτεῖς; οὐδὲ ἀπείργεις; καὶ τίνα ἂν σχοίης συγγνώμην; Sanguis ejus ex manibus requiretur veſtris. Tametſi quiſpiam dux eſt, tametſi prorex, tametſi ipſe, qui diademate redimitur, tamen ſi indignè acceſſerit, cohibe. Majorem illo habes poteſtatem. Tu vero ſi aquæ fons, ut perlucidum gregi ſervates, tibi commiſſus eſſet, cùm tetram belluam multũ in ore cœnum geſtantem venire aſpiceres, utique non ſineres eam infra ſe dimittere, ac fluenta turbare. Nunc cùm non aquæ, ſed ſanguinis & ſpiritus fons commiſſus tibi ſit, cùm nonnullos videas accedere, qui fœdiora peccata ipſa terra, & luto habeant, non indignaris, neque coerces? & quænam tibi venia danda? Et ſermone primo de jejunio: σὺ καὶ ὁ πένης τὸ σῶμα αὐτοῦ κοινῶς ἐκ τῆς τραπέζης μεταλαμβάνετε, τοῦ ποτηρίου ὁμοίως μετέχετε. ἐν τοῖς μεγάλοις σοι καὶ φρικτοῖς κοινωνεῖ, καὶ τῶν μικρῶν αὐτῷ οὐ μεταδίδως; Tu & pauper corpus ipſius communiter de menſa ſumitis, poculi ſimiliter participes eſtis, in magnis atque tremendis tecum conſociatur, & parva ei non impertis? Si aureus Doctor Chryſoſtomus.

Eſt ergo antiqua conſuetudo, & tolerabilis, modò Græci rectè judicent de ipſa rei veritate, ac bene ſentiant de aliis, unam tantùm ſpeciem juxta præſentem uſum Catholicorum ſumentibus.

Verùm poſteriores Græcorum, rem ἀδιάφορον, verterunt in hæreſim: quippe nonnulli eorum ex verbis Salvatoris malè intellectis, ad utramque ſpeciem ſumendam nos obligari temerè opinantur. Sic Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha in epilogo ſuæ cenſuræ aſſentitur hæreticis, & unà cum illis inter abuſus, ut ille falsò exiſtimat, Eccleſiæ Romanæ hunc primum enumerat, non præbere utramque ſpeciem: φατὲ οὖν πρῶτον, ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν, καὶ καλῶς λέγετε. οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐκτελοῦμεν τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων, οἱ ἄξιοι ὄντες. Primùm utriuſque ſpeciei participes eſſe oportere, dicitis, & rectè quidem. Nam

& nos hoc idem tremenda mysteria participantes facimus, illi, inquam, qui his digni sumus.

Cæteri verò posteriores auctores Græcorum, quos ego viderim, quamvis non directè idem fateantur, ubi tamen de necessitate hujus sacramenti agunt, ut in superiori quæstione advertimus, utramque speciem commemorant.

Ne igitur errent Græci, sed rectè sentiant de Latinis, partim rationibus, partim antiquorum exemplis ostendemus in primitiva Ecclesia non minus unam speciem, quàm ambas ἀδιαφόρως in usu fuisse.

Necessaria ne sit utraque species, an sufficiat una?

Caput LI.

Quod utraque species videatur esse necessaria primum, eo potissimum testimonio persuaderi potest. Nam in superiori quæstione summo studio probare contendimus, atque etiam fortasse probavimus, verba illa Salvatoris Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis; non significare medium necessarium ad salutem, sed præceptum. Igitur Christus Dominus præcepit utramque speciem, & per consequens species ambæ sunt necessariæ.

Deinde Christus Dominus Apostolis totam Ecclesiam repræsentantibus, hoc idem præceptum imposuit, & exposuit. Quippè porrectis, pane, & calice, dixit, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, & bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus; tunc statim addidit, hoc facite: Nec tantùm facite, sed in mei memoriam facite, hoc est, in repræsentationem passionis ejus. Quæ sine dubio non fit expressè sine sumptione sanguinis.

Hæc omnia igitur ponderanda sunt, accipite, comedite, omnes bibite: videntur enim esse voces jubentis. Deinde citra controversiam, hoc facite, mandantis est. Unde Apostolus 1. Corinth. c. 10. in figuram hujus Sacramenti, & usus ejus, de antiquis fidelibus dicit, omnes eandem escam spiritualem comedisse, & omnes eundem potum spiritualem bibisse.

Et confirmatur auctoritate patrum. Nam Cyprianus epistola 54. loquens de subeuntibus Martyrium, Quo modo, inquit, eos ad effundendum pro Christo sanguinem provocamus, si eis Christi sanguinem denegamus? Et in epistola 63. Quidam, inquit, vel ignoranter, vel simpliciter in calice sanctificando, & poculo ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit, & docuit. Et sermone de cœna Domini: lex esum sanguinis prohibebat, Evangelium præcipit, ut bibatur.

Chrysostomus etiam hom. 18. in 2. ad Corinthios, nullum agnoscit discrimen jure divino positum inter sacerdotem & laicum, quòd utramque speciem æquè uterque participaret: ἔστι δὲ ὅπου οὐδὲ διέστηκεν ὁ ἱερεὺς τοῦ ἀρχομένου, οἷον ὅταν ἀπολαύειν δέῃ τῶν φρικτῶν μυστηρίων. ὁμοίως γὰρ πάντες ἀξιούμεθα τῶν αὐτῶν. οὐ καθάπερ ἐπὶ τῆς παλαιᾶς, τὰ μὲν ὁ ἱερεὺς ἤσθιε, τὰ δὲ ὁ ἀρχόμενος. καὶ θέμις οὐκ ἦν τῷ λαῷ μετέχειν, ὧν μετεῖχεν ὁ ἱερεύς, ἀλλ' οὐ νῦν, ἀλλὰ πᾶσιν ἓν σῶμα πρόκειται, καὶ ποτήριον ἕν. Interdum autem inter sacerdotem, & eum cui præest, ne quidem interest, veluti cùm tremendis mysteriis frui opus est, æquè enim omnes ad ea admittimur. Non quemadmodum in veteri testamento his quidem sacerdos, illis verò subditus vescebatur. Nec plebi fas erat participare, quæ participabat sacerdos. At nunc secus se res habet: Siquidem omnibus unum corpus, & unum poculum proponitur.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Jo. cap. 13. ἀκούεις ἤδη λοιπὸν ἐναργῶς διειπόντος αὐτοῦ, ὡς ἂν μὴ φάγωμεν τὴν σάρκα αὐτοῦ καὶ πίωμεν τὸ αἷμα, οὐκ ἔχομεν ἐν ἑαυτοῖς, τουτέστιν ἐν τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ ζωὴν αἰώνιον; Audis jam, inquit, itaque clarè ipsum dicentem, si non comederimus carnem ejus, & biberimus sanguinem, non habemus in nobis ipsis, hoc est in propria carne vitam æternam? Hęc ferme sunt, quæ in hanc partem afferri possunt.

Fundamenta duo Catholicorum, cur una species sufficiat.

Caput LII.

Contra verò non esse necessarias ambas species hac ratione probari posse videtur. Nam cùm in hoc Sacramento quatuor reperiantur; continens, quæ sunt ipsæ species; contentum, caro, & sanguis Christi, seu potiùs ipsemet Christus; effectus, gratia, quæ producitur; & significatio. Si ambæ species forent necessariæ, profectò id esset, propter unum aliquod horum, vel omnia simul. At non sunt propter seipsas necessariæ. Nam species per se, si demas omnem aliam considerationem nihil valent. Valent autem plurimum, immò totum, vel quia continent, vel quia per contentum aliquid efficiunt, vel quia significant, postremò etiam quia repræsentant. Sed non ratione hujus vltimi sunt necessariæ. Quamvis enim exprimere passionem Domini antiquorum instar sacrificiorum, in quibus sanguis separabatur à victima, & propterea etiam mactabatur, fit per quàm necessarium; hæc tamen repræsentatio magis ad rationem sacrificij, quàm Sacramenti pertinet. De qua re modo non agimus. Sed neque etiam, quia hoc Sacramentum significat unionem membrorum cum capite, & inter se. Vel quia est instar convivij, & significat homines, qui illud participant, esse conjunctos, tamque sint ejusdem familiæ ab uno & sub uno capite, propterea duas species postulare videtur. Nam hanc significationem optimè præ se fert, vel solus panis quatenus ex multis granis conficitur, ac per modum cibi sumptus sumenti conjungitur, vel solus liquor vini, qui similiter ex multis acinis uvæ exprimitur. Neque res convivij jure suo requirit duplicem speciem. Si quis enim in convivio non bibat vinum, sed comedat, non propterea dicetur is, non esse conviva. Et Christus Dominus satiavit quinque panibus quinque millia hominum, nulla mentione facta vini. Adde quod in spirituali refectione idem est cibus & potus. Superest igitur ut sint necessariæ, vel propter effectum, vel ratione rei contentæ. Ad hæc sunt præcipua Catholicorum duo fundamenta, cur una species sufficiat; quando singulæ species per se, & integrum Christum continent; & eundem prorsus effectum generant. Atque ut ab effectu incipiamus.

Caro Christi non propterea vivificat, quia sit hominis unius ex nobis caro, sed quia est conjuncta cum divinitate, καθ' ὑπόστασιν, & ut aiunt Theologi, supposita verbo divino. Divinitas enim est in tota carne, & in qualibet parte carnis, & propter divinitatem in Eucharistia est etiam Pater, & Spiritus sanctus. Jacobus in sua liturgia de particula, quam immittit in calicem, μερὶς ἁγία Χριστοῦ πλήρης χάριτος, καὶ ἀληθείας, πατρὸς, καὶ ἁγίου πνεύματος. Particula, inquit, sancta Christi, plena gratiæ, & „
veritatis, Patris, & sancti Spiritus. Et idem „
intelligas de sanguine. Unde est illud axioma Theologorum de Christo, quod semel assumpsit, numquam dimisit. Sive igitur carnem, sive sanguinem, sive utraque simul sumas, eundem sine dubio effectum assequeris propter divinitatem in eis contentam.

Quòd autem divinitas perpetuò sit connexa cum carne, & sanguine Domini: neque ipsimet Græci negant, & auctoritate tum divinarum paginarum, tum sanctorum Patrum facilè probari potest. Referam doctrinam S. Cyrilli Alexandrini, ex qua id, quod dicimus manifestum erit. Is enim in epistola quadam ad Nestorium, quæ in Concilio Ephesino postea lecta fuit, & à cunctis Patribus approbata: Et in anathematismo 11. & ejusdem declaratione: item in libro 4. in Joan. cap. 12. 14. 15. 16. 22. & libro 10. cap. 13. hæc tria docet.

Primùm, filium Dei esse vitam naturaliter, quia ex vivo patre generatur. Deinde docet, eam vitam filium quoque humanæ naturæ impertire propter unionem hypostaticam. Si enim res, quæ melle, vel saccaro condiuntur, ea qualitate afficiuntur, & dulces evadunt, quî fieri potest, ut

humana natura ineffabiliter cum verbo Dei conjuncta, non etiam ad illius bonum, & immortalitatem se commutet, & fiat vivificatrix? καὶ γὰρ ἂν εἴη τῶν ἀτοπωτάτων, τὸ μὲν μέλι τοῖς οὐκ ἔχουσι κατὰ φύσιν τὸ γλυκὺ, τὴν ἰδίαν ἐντιθέναι ποιότητα, καὶ εἰς ἑαυτὸ μετασκευάζειν τὸ, ᾧπερ ἂν ἀναμίσγηται, τὴν δὲ τοῦ θεοῦ λόγου ζωοποιὸν φύσιν, μὴ ἀνακομίζειν οἴεσθαι πρὸς τὸ ἴδιον ἀγαθὸν τὸ, ἐν ᾧπερ ἐνῴκησε σῶμα. Absurdissimum, inquit, esset credere mel quidem non habentibus naturâ dulcedinem, propriam qualitatem inserere, & in seipsum illud, cum quo permixtum fuerit, vertere: Naturam vero vivificam Dei verbi, corpus in quo inhabitavit, ad proprium bonum non transferre.

Inde infert S. Cyril. dupliciter Christum Dominum voluisse vivificare, & resuscitare mortuos, partim τῷ παντουργῷ προστάγματι, efficacissimo, ac potentissimo suo imperio, partim διὰ τῆς ἀφῆς τῆς ἁγίας σαρκὸς, tactu sanctissimæ suæ carnis. Quod illustrat exemplis filiolæ synagogæ principis, & unici filij viduæ: tam enim istum, quàm illam Dominus imperando, ac tangendo ab inferis suscitavit. Tertiò affirmat, nostra similiter corpora vita, & immortalitate donari, quia carnem Christi sic divinitate præditam, & verbo divino unitam, vel sanguinem Sacramentaliter sumimus. Idque probat argumento à minori ad majus. Si enim caro Christi tactu vivificabat, multò magis idem præstabit, si quis eam gustaverit, & comederit: εἰ διὰ μόνης τῆς ἀφῆς τῆς ἁγίας σαρκὸς ζωοποιεῖται τὸ ἐφθαρμένον, πῶς οὐχὶ πλουσιωτέραν ἀποκερδανοῦμεν τὴν εὐλογίαν, ὅταν αὐτῆς καὶ ἀπογευσώμεθα; μεταποιήσει γὰρ πάντως εἰς τὸ ἴδιον ἀγαθὸν τουτέστι τὴν ἀθανασίαν τοὺς μετεσχηκότας αὐτῆς. Si per solum tactum sanctissimæ carnis vivificatur, quod corruptum est, quomodo non locupletiorē vivificam benedictionem lucrabimur, quādo eam etiam gustaverimus? mutabit enim omnino in suum bonum, hoc est ad immortalitatem eos, qui sui participes fuerint. Et ad eam rem magis declarandam in libro 4. in Joan. c. 14. utitur exemplo aquæ natura sua frigidæ, quæ tamen calefacta quoad operationem, & calorem igni similis evadit: μὴ εἴπῃς κατὰ σεαυτὸν Ἰουδαϊκῶς τὸ, πῶς. ἐννόει δὲ μᾶλλον, ὅτι ψυχρὸν τῇ φύσει τὸ ὕδωρ ἐστὶν ἀλλ᾽ ὅταν εἰς λέβητα κεχυμένον ὁμιλήσῃ πυρὶ, τότε τῆς μὲν ἰδίας μονονουχὶ καὶ ἐπιλανθάνεται φύσεως, εἰς δὲ τὴν τοῦ νενικηκότος ἐνέργειαν ἀποφοιτᾷ. τὸν αὐτὸν οὖν ἄρα καὶ ἡμεῖς τρόπον, εἰ καὶ φθαρτοὶ διὰ τὴν φύσιν ἐσμὲν τῆς σαρκὸς, ἀλλὰ τῇ μίξει τῆς ζωῆς τὴν ἑαυτῶν ἀφέντες ἀσθένειαν εἰς τὸ ἐκείνης ἴδιον ἀναστοιχειούμεθα, τουτέστι τὴν ζωήν. Cave tecum dixeris more Judæorum illud, quomodo. Sed magis considera, frigidam esse aquam naturâ suâ, verùm cùm in lebetem fusa ad ignem applicata fuerit, propemodum vel propriæ naturæ obliviscitur, & ad functionem illius, qui vicit, transit. Ad eundem igitur modum nos etiam, quamvis propter naturam carnis simus corruptibiles, at conjunctione vitæ, nostra imbecillitate relicta, ad illius proprium, hoc est ad vitam reformamur.

Et cap. 15. exemplum adducit scintillæ ignis paleis injectæ, quæ ignem ibi conservat: ὥσπερ γὰρ εἴ τις σπινθῆρα λαβὼν ἀχύροις ἐγκαταχώσαι πολλοῖς, ἵνα σωζόμενον ἔχῃ τὸ τοῦ πυρὸς σπέρμα: οὕτω καὶ ἐν ἡμῖν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς διὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν ἐναποκρύπτει τὴν ζωὴν, καὶ ὥσπερ τι σπέρμα τῆς ἀθανασίας ἐντίθησιν, ὅλην τὴν ἐν ἡμῖν ἀφανίζον φθοράν. Quemadmodum enim si quis igniculum multis paleis occultaverit, ut semen ignis conservatum habeat; ita etiam in nobis Dominus noster Jesus Christus per propriam carnem vitam occultat, & veluti semen immortalitatis inserit, quod totam corruptionem exterminat.

Hæc itaque tria cùm in multis locis commemoratis Cyrillus doceat, placet unum locum hîc adscribere. Qui in libro 4. in Joan c. 14. sic se habet: ζωὴ μὲν γὰρ κατὰ φύσιν ἐστὶν (ὁ υἱὸς) καθὸ καὶ ἐκ ζῶντος ἐγεννήθη πατρός. ζωοποιὸν δὲ οὐδὲν ἧττον καὶ τὸ ἅγιον αὐτοῦ σῶμα, συνενηνεγμένον τρόπον τινὰ καὶ ἀρρήτως ἑνωθὲν τῷ πάντα ζωογονοῦντι λόγῳ. διὸ αὐτοῦ λελόγισται, καὶ ὡς ἓν νοεῖται σὺν αὐτῷ. ἀδιαίρετος γὰρ μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν. πλὴν ὅσον εἰς τὸ εἰδέναι τὸν ἐκ θεοῦ πατρὸς ἥκοντα λόγον, καὶ τὸν ἐκ τῆς παρθένου ναὸν, οὐ ταυτὸν μένοντα τῇ φύσει. οὐ γὰρ ὁμοούσιον τῷ ἐκ θεοῦ λόγῳ τὸ σῶμα. ἓν δὲ τῇ συνόδῳ, καὶ ἀπερινοήτῳ συνδρομῇ. καὶ ἐπείπερ ζωοποιὸς γέγονε τοῦ σωτῆρος ἡ σάρξ, ἅτε δὴ τῇ κατὰ φύσιν ζωῇ ἡνωμένη

ζωὴ, τοῦ ἐκ Θεοῦ δηλονότι λόγου, ὅταν αὐτῆς ἀπο-
γευσώμεθα, τότε τὴν ζωὴν ἔχομεν ἐν ἑαυτοῖς.
συνενούμενοι καὶ ἡμεῖς αὐτῇ, καθάπερ καὶ αὐτὴ τῷ
» ἐνοικήσαντι λόγῳ. Vita enim ſecundùm na-
» turam (filius) eſt, quippe qui èx vivo patre
» genitus eſt. Sed non minùs corpus quoque
» ſuum vivificans eſt, cùm ſit conjunctum
» copulatione quadam ineffabili cum ver-
» bo, à quo univerſa vivificantur. Idcirco
» ipſius reputatur, & (filius) tanquam unus
» cum ſuo corpore intelligitur. Nempe poſt
» incarnationem individuus eſt, præterquam
» quòd ſciendum, Dei Patris Verbum, &
» templum à Virgine ſumptum, idem natu-
» ra non eſſe. Non enim corpus conſubſtan-
» tiale eſt verbo Dei. Unum tamen cum il-
» lo eſt conjunctione, & concurſu ineffabili.
» Et quoniam vivificans facta eſt Salvatoris
» caro, utpote conjuncta vitæ, quæ natura-
» liter vita eſt, nimirum Dei verbo; cùm
» eam deguſtaverimus, tunc vitam habe-
» mus in nobis ipſis: ita nos illi conjuncti,
» quemadmodum ipſa inhabitanti verbo
» conjuncta eſt.

Ex his autem S. Cyrillus nonnulla in-
fert, quæ neceſſariò conſequuntur, & dif-
ficultates aliquot ſolvit Evangelicas. Quia
enim verbum Dei ineffabili quadam com-
plexione adhæret humanæ naturæ, quam
ſibi hypoſtaticè aſſumpſit, eſtque omnino
ὁ λόγος ἀδιαίρετος, ea quæ corpori conve-
niunt per communicationem idiomatum
ſibi attribuit, & contrà. Unde cùm dicen-
dum foret, mea caro reſuſcitabit eam co-
medentes, Ego, inquit, reſuſcitabo eum.
Et filium hominis ait, aſcendere, ubi prius
erat. Cùm tamen humana natura non fue-
rit priùs in cœlo, ſed dumtaxat filius Dei.
Cùm enim poſt incarnationem nullam di-
viſionem patiatur, & unum quid ſit cum
ſua carne, veriſſimè ait, filium hominis
aſcendere, ubi priùs erat. Quantumvis li-
cet alia ſit natura Verbi, alia carnis. Et ca-
ro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui
vivificat, id eſt, natura carnis non eſt ejuſ-
modi conditionis, quæ corrupta redinte-
grare queat: ſed ſi cum ſpiritu fuerit co-
pulata, nimirum cum unigenito filio Dei,
qui ſpiritus vocatur, quia Deus ſpiritus eſt;
tunc ipſa quoque propter ſpiritum, & vi-
tam in ſe contentam, plurimùm proderit,
& planè vivificabit.

Ubi Cyrillus maximam vim ponit, &
quidem meritò, non in natura carnis, ne-
que ſanguinis, ſed in ipſo ſpiritu, & vita,
quæ in ipſo corpore, & ſanguine ὑποστατι-
κῶς reperitur. Et quoniam æquè in utriſ-
que reperitur, modò carnem ait vivifica-
re, idque ſæpiſſimè nulla facta mentione
ſanguinis, modò ſanguinem, licet ſemel
tantùm, prætermiſſo corpore, raro verò
utraque commemorat. Atque id propter
effectum magis, quàm propter ſpecies.

Quod & Christus Dominus fecit, ut
enim habetur in Concilio Tridentino ſeſſ.
21. c. 1. Qui dixit, Niſi manducaveritis car- «
nem filij hominis, & biberitis ejus ſangui- «
nem, non habebitis vitam in vobis; dixit «
quoque, Si quis manducaverit ex hoc pa- «
ne, vivet in æternum. Et qui dixit, Qui «
manducat meam carnem, & bibit meum «
ſanguinem, habet vitam æternam; dixit «
etiam, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt «
pro mundi vita. Et denique qui dixit, Qui «
manducat meam carnem, & bibit meum «
ſanguinem, in me manet, & ego in illo; di- «
xit nihilominus, Qui manducat hunc pa- «
nem, vivet in æternum. «

Sic itaque retuliſſe S. Cyrilli ſenten-
tiam ſatis eſt, ne etiam faſtidio lectorem
defatigem. Si quis plura cupit, & integras
ſententias Patris ex ipſo fonte haurire ve-
lit, conſulat loca citata.

S. Joannes Chryſoſtomus hom. 47. in
Joan. quærit, quænam ſit iſta verborum
Domini connexio, qui cùm dixiſſet, Qui «
manducat meam carnem in me manet, «
ſubjunxit, Sicut miſit me vivens Pater, & «
ego vivo propter Patrem, & qui mandu- «
cat me, & ipſe vivet propter me. Reſpon-
det autem habere dictum in ſe maximam
cohærentiam: ἐπειδὴ γὰρ ἄνω καὶ κάτω ἔλεγε
ζωὴν αἰώνιον, κατασκευάζων αὐτὸ ἐπήγαγε τὸ,
ἐν ἐμοὶ μένει. εἰ γὰρ ἐν ἐμοὶ μένει, ζῶ δὲ ἐγὼ, δῆ-
λον ὅτι κἀκεῖνος ζήσεται. Quia enim, inquit, «
frequentiſſimè habebat in ore vitam æter- «
nam, illud aſtruens intulit, in me manet: «
ſi enim in me manet, vivo autem ego, ma- «
nifeſtum eſt, eum quoque victurum. «

Hîc ſimiliter Chryſoſtomus vitam quam

habet filius à Patre, agnoſcit in carne Chriſti, & per eam dicit eum victurum, qui ipſius particeps fuerit. Qui enim comedit carnem Chriſti, ἐν αὐτῷ ἀνακιρνᾶται, cum ipſo commiſcetur, & in ipſo manet.

Sed clariùs hom. 24. in priorem ad Corinthios: οὐδὲ γὰρ ἁπλῶς τὸ σῶμα αὐτοῦ ἔδωκεν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἡ προτέρα τῆς σαρκὸς φύσις, ἡ ἀπὸ γῆς διαπλασθεῖσα, ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἔφθασε νεκρωθῆναι, καὶ ζωῆς γενέσθαι ἔρημος, ἑτέραν ὡς ἂν εἴποι τις, μάζαν καὶ ζύμην ἐπήγαγε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα. φύσει μὲν οὖσαν τὴν αὐτὴν, ἁμαρτίας δὲ ἀπηλλαγμένην, καὶ ζωῆς γέμουσαν. καὶ πᾶσιν ἔδωκεν αὐτῆς μεταλαμβάνειν. ἵνα ταύτῃ τρεφόμενοι, καὶ τὴν προτέραν ἀποθέμενοι τὴν νεκρὰν, εἰς τὴν ζωὴν ἀθάνατον διὰ τῆς τραπέζης ἀνακεραθῶμεν ταύτης. Neque enim ſimpliciter corpus ſuum dedit, ſed quoniam prior carnis natura, quæ ex terra formata eſt, à peccato priùs morte erat affecta, & vita privata, aliam, ut ita dicam, maſſam, & fermentum induxit ſuam carnem: naturâ quidem eandem exiſtentem, ſed à peccato liberam, ac plenam vitæ. Et dedit eam omnibus participandam, ut ea nutriti, priore, quæ erat mortua, depoſita, per hanc menſam in vitam immortalem contemperaremur.

Damaſcenus lib. 4. cap. 14. dicit, Chriſtum ob humanam imbecillitatem præbuiſſe nobis carnem ſuam in rebus, quæ eſſent nobis eſui aptæ, & familiares, quibus συνέζευξε τὴν αὐτοῦ θεότητα, conjunxit ſuam divinitatem. Et in eodem capite corpus Chriſti in Sacramento vocat, τεθεωμένον deificatum, & ἀληθῶς ἡνωμένον θεότητι, re vera conjunctum divinitati. Immò illud comparat cum carbone, quem viderat Eſaias: ἄνθραξ δὲ ξύλον λιτὸν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἡνωμένον πυρί. οὕτω καὶ ὁ ἄρτος τῆς κοινωνίας, οὐκ ἄρτος λιτός ἐστιν, ἀλλ' ἡνωμένος θεότητι. Carbo autem, inquit, non eſt lignum ſimplex, ſed igni conjunctum; ſic & panis communionis, non eſt ſimplex panis, ſed conjunctus divinitati.

Theophylactus in cap. 6. Joannis reddens cauſam, cur caro Chriſti vitam generet: οὐ γὰρ ψιλοῦ ἀνθρώπου σάρξ ἐστιν ἡ ἐσθιομένη, ἀλλὰ θεοῦ, καὶ θεοποιεῖν δυναμένη, ὡς ἀνακραθεῖσα θεότητι. Non enim, inquit, nudi hominis caro eſt, quæ manducatur, ſed Dei, & quæ deificare valet, utpote contemperata deitati.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus, quem priùs citare debueram, in catecheſi 12. οἱ τοῦ νοητοῦ προβάτου τῶν κρεῶν μεταλαβεῖν καταξιούμενοι, κεφαλὴν μετὰ τῶν ποδῶν μεταλάβωμεν. κεφαλῆς μὲν τῆς θεότητος νοουμένης, ποδῶν δὲ τῆς ἀνθρωπότητος ἐκλαμβανομένης. Spiritualis ovis, inquit, carnes ſumere digni effecti, caput ſimul cum pedibus ſumamus. Caput quidem deitatem intelligentes, pedes verò humanitatem accipientes. Idem in Catecheſi 4. myſtagogica dicit, per Euchariſtiam nos fieri ſecundum Beatum Petrum divinæ naturæ conſortes.

Beatus Ambroſius in libro 6. de Sacramentis cap. 1. Ego ſum, inquit, panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Sed caro non deſcendit de cœlo, hoc eſt, carnem in terris aſſumpſit ex Virgine. Quomodo deſcendit panis è cœlo, & panis vivus? Quia idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus conſors eſt, & divinitatis, & corporis. Et tu qui accipis ejus carnem, divinæ ejus ſubſtantiæ in illo participaris alimento.

Ex his autem liquidò conſtat binas ſpecies non poſſe deſiderari propter effectum, cùm is à ſingulis par, & ſimilis proveniat. Itaque mei Græci diligenter perpendant, quidnam cum ſanctis Patribus orthodoxè concedant, quid deinde poſtea cum hæreticis temerè negent.

Sed neque propter rem contentam ambæ ſpecies requiri videntur. Quippe alterum fundamentum Catholicorum ejuſmodi eſt. Corpus Chriſti poſt reſurrectionem impaſſibile eſſe. Ad Romanos 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quare ubi eſt corpus ibi ſit ſanguis, & contrà, ubi ſanguis, ibi corpus adſit neceſſe eſt per concomitantiam, ut aiunt Theologi. Dices etiam ante reſurrectionem in cœna Domini corpus Chriſti fuiſſe per concomitantiam cum ſanguine. Reſpondeo id verum eſſe, ſed quia tunc temporis corpus erat corruptibile (corruptibile, inquam, hoc eſt, quod poterat ſeparari ab anima)

ſaltem potuiſſet eſſe ſine ſanguine, quale fuiſſet in triduo mortis Chriſti, ſi tunc Apoſtoli conſecraſſent. At poſt reſurrectionem neceſſariò eſt impaſſibile, & cum ſanguine. Poſſumus autem argumentari à minori ad majus. Si tunc ante paſſionem, quando corpus poterat ſeparari ab anima & à ſanguine, non fuit ſeparatum in cœna Domini: (Nam vivum corpus ſumpſerunt Apoſtoli, & ſi unam ſpeciem ſumpſiſſent, ſufficientiſſimè communionem participaſſent.) Quantò magis nunc corpus vivum eſt, & non ſeparatum à ſanguine, quando & immortale evaſit? Alioquin ſi eſſet paſſibile, aliud eſſet in cœlo, aliud in terra, & non idem. Neque maximam admirationem moveret Chryſ. l.3. de Sacerdotio: ὢ τοῦ θαύματος, ὢ τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας. ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθήμενος κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην ταῖς πάντων κατέχεται χερσὶ, καὶ δίδωσιν ἑαυτὸν τοῖς βουλομένοις περιπτύξασθαι καὶ περιβαλεῖν. O miraculũ, ô Dei benignitatem! qui cũ Patre ſurſum ſedet, illo ipſo tempore omnium manibus pertractatur, ac ſeipſe tradit volentibus ipſum excipere, atque complecti. Si non eſſet idem corpus, non clamaret Nyſſenus in oratione Catechetica c.37. οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐκεῖνο τὸ σῶμα, ὃ τοῦ θανάτου κρεῖττον ἐδείχθη, καὶ τῆς ζωῆς ἡμῖν προκατήρξατο. καθάπερ γὰρ μικρὰ ζύμη, καθώς φησιν ὁ ἀπόστολος, ὅλον τὸ φύραμα πρὸς ἑαυτὴν ἐξομοιοῖ καὶ ἰσάζει, οὕτω καὶ τὸ ἀθανατισθὲν ὑπὸ τοῦ θεοῦ σῶμα ἐν τῷ ἡμετέρῳ γενόμενον σώματι, ὅλον πρὸς ἑαυτὸ μεταποιεῖ τε καὶ μετατίθησι. Nihil aliud eſſe, quàm illud corpus, quod morte ſuperata vitam noſtram auſpicatum eſt. Ut enim parum fermenti totam maſſam fermentat, & ſibi ſimilem, & parem reddit, ut Apoſtolus ait; ſic immortale factum à Deo corpus, cùm in noſtro corpore fuerit, totum id in ſe commutat & transfert. Non diceret Damaſcenus lib. 4. c. 14. ὥσπερ φυσικῶς διὰ τῆς βρώσεως ὁ ἄρτος, καὶ ὁ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ διὰ τῆς πόσεως εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ ἐσθίοντος καὶ πίνοντος μεταβάλλονται, καὶ οὐ γίνονται ἕτερον σῶμα παρὰ τὸ πρότερον αὐτοῦ σῶμα, οὕτως ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος, οἶνός τε καὶ τὸ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καὶ τὸ αἷμα. καὶ οὐκ εἰσὶ δύο, ἀλλ' ἓν καὶ τὸ αὐτό. Quẽadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum in corpus, & ſanguinem comedentis bibentiſque mutantur, nec fiunt aliud corpus, præter id quod erat prius; ſic propoſitionis panis, vinumque, & aqua per invocationem, & adventum Spiritus ſancti ſupernaturaliter transmutantur in corpus, & ſanguinem Chriſti. Et non ſunt duo (corpora) ſed unum, & idem. Si non eſſet idem corpus, aliud ſumpſiſſent Apoſtoli ante paſſionem, aliud nos ſumeremus poſt reſurrectionem. At Chryſoſtomus de eodem loquens quodam in loco ait, ἐνήνθησεν ἐν τῷ νόμῳ, ηὔξησεν ἐν τοῖς προφήταις, ὡρίμασεν ἐν τῷ σταυρῷ, ἐσθίεται μετὰ τὴν ἀνάστασιν. Floruit in lege, crevit in prophetis, maturuit in cruce, comeditur poſt reſurrectionem. Si non eſſet idem, non fateremur myſterium eſſe non ſolùm memoriam paſſionis, ſed etiam reſurrectionis. At oppoſitum teſtatur Cyrillus lib.12. in Jo. c.58. his verbis: ὅτι γὰρ ἡ κοινωνία τῆς μυστικῆς εὐλογίας ὁμολογία τίς ἐστι τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, σαφὲς ἂν γένοιτο καὶ μάλα ῥαδίως δι' ὧν αὐτὸς ἔφη τὸν τοῦ μυστηρίου τύπον ἐπιτελέσας δι' ἑαυτοῦ. διακλάσας γὰρ τὸν ἄρτον, καθὰ γέγραπται, διεδίδου λέγων, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ἔστι τοίνυν ὁμολογία τις ἀληθὴς καὶ ἀνάμνησις τοῦ τεθνάναι τε καὶ ἀναβιῶναι δι' ἡμᾶς καὶ ὑπὲρ ἡμῶν τὸν κύριον τῶν ἁγίων μυστηρίων ἡ μέθεξις, πρὸς τῷ καὶ θείας ἡμᾶς εὐλογίας ἀναπίμπλασθαι διὰ τοῦτο. Quòd enim myſticæ benedictionis communio, confeſſio quædam ſit reſurrectionis Chriſti, ex verbis ipſius, qui myſterij typum per ſeipſum peregit, facillimè clarum fit. Cùm enim fregiſſet panem, ut ſcriptum eſt, diſtribuebat dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur in remiſſionem peccatorũ, hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur ſacrorum myſteriorum quædam confeſſio, & commemoratio eſt, quòd propter nos, & pro nobis Dominus & mortuus ſit, & revixerit. Præterquã quòd etiam divina nos benedictione propter hoc replet. Nota in hac ſententia Cyrilli myſterium Euchariſtiæ vocari typum, hoc eſt figuram; etiã quando à Chriſto inſtitutũ eſt.

Idem Cyrillus ad Caloſyrium Epiſcopum Arſenoitem. Porro alios etiam eſſe audio, qui myſticam benedictionem nihil ad ſanctificationem proficere dicant, ſi quid ex ea

fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctũ ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis, ac facultas, & vivificans gratia perpetua in ipso existit.

Nota: cùm non asservaretur Christus cõmuniter, nisi sub speciebus panis, Cyrillus ait, corpus Domini nullã mutationem pati.

Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ c. 32. εἰ δὲ αὐτὸ θύεται τὸ κυριακὸν σῶμα, μάλιστα μὲν οὐδὲ δυνατόν. οὐ γὰρ σφαγιᾶσαι ἔτι, ἢ πληγῆναι δύναται, ἀκήρατον ἤδη καὶ ἀθάνατον γενόμενον. Sin autem, inquit, ipsum dominicũ corpus sacrificatur, hoc certè ne fieri quidem potest. Non enim amplius occidi, vel percuti potest, cùm jam ab interitu, & corruptione alienũ, & immortale sit effectum.

Quærit Cabasilas, quidnam in liturgia, & sacrificio mactetur, & in quo potissimum essentia sacrificij consistat. Soluit deinde optimè quæstionem. Interea corpus Dominicum immortale, & ab omni corruptione liberum esse supponit.

Si itaque est corpus impassibile, atque immortale, per consequens non solùm divinitas, sed & anima Christi est tota in toto corpore, & toto sanguine, & in qualibet parte corporis & sanguinis, quemadmodũ & nostra anima, quæ corpus humanum informat, alioquin esset corpus mortuum.

Quod etiam potest probari argumento ad hominem; Nam si Græci reprehendunt azyma, & fermentatum panem aiunt esse instar corporis animati, igitur corpus Christi ex pane fermentato est animatum, quí igitur fieri potest ut sanguine careat?

Et quoniam corpus Christi, quamvis sit quantum, cæterisque qualitatibus affectũ, tamen non est extensivè in ordine ad locũ, sed ut aiunt Græci μυστικῶς, (quo nomine ipsi omnia mirabilia, quæ fiunt in hoc Sacramento comprehendunt) inde fit, ut & ipsum corpus Christi non dissimiliter sit totum in toto pane consecrato, & totum in qualibet parte panis, dividatur, & non dividatur, hoc secundùm substantiam, illud secundùm accidentia, tot millibus hominum distribuatur, & non deficiat, neque tamen ingens, & monstruosum sit corpus, quale esset, si ex tot partibus conflaretur.

Propterea Gregorius Nyssenus in oratione Catechetica c. 37. quærit, πῶς ἐγένετο δυνατὸν τὸ ἓν ἐκεῖνο σῶμα ταῖς τοσαύταις τῶν πιστῶν μυριάσι κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην εἰσαεὶ καταμεριζόμενον ὅλον ἑκάστου διὰ τοῦ μέρους γίνεσθαι, καὶ αὐτὸ μένειν ἐφ᾽ ἑαυτὸ ὅλον; Quomodo fieri queat, ut cùm unũ illud corpus assiduè per totum orbem terrarum tot fidelium millibus impertiatur, totũ cujusque per partem evadat, & in seipso totum permaneat? πῶς τὸ ἓν ἐκεῖνο σῶμα τοῦ Χριστοῦ, πᾶσαν ζωοποιεῖ τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν, ἐν ὅσοις ἡ πίστις ἐστὶ, πρὸς πάντας μεριζόμενον, καὶ αὐτὸ οὐ μειούμενον; Quomodo unum illud Christi corpus, totam hominum, in quibus est fides, naturam vivificat, & ad omnes distribuitur, & nullam imminutionem subit? Et conatur Doctor respondere, & soluere. In liturgiis quoque habetur: μελίζεται καὶ διαμερίζεται ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, ὁ μελιζόμενος, καὶ μὴ διαιρούμενος, ὁ πάντοτε ἐσθιόμενος, καὶ μηδέ ποτε δαπανώμενος. Dividitur Agnus Dei Filius Patris, & nullam divisionem patitur, semper comeditur, & nunquam consumitur. Simili modo loquitur Damascenus, οὐ δαπανώμενον, οὐ φθειρόμενον, quod non cõsumitur, non corrumpitur. Immo quòd integrum corpus in unaquaque particula semper remaneat, figura fuisse videtur, quòd ex Agno Paschali os non cõminuebatur. Sic Nicolaus Episcopus Methonensis in opusculo, quod edidit adversus eos, qui ambigunt, atque asserunt panem consecratum, & vinum non esse corpus, & sanguinem Christi Domini: προσφέρομεν ἄρτον τέλειον, ζῶντα, ἤτοι σῶμα Χριστοῦ, τέλειον καὶ μετὰ τὸ πάθος διαμεμενηκὸς καὶ ὁλόκληρον. οὐδὲ γὰρ ὀστοῦν αὐτοῦ συνετρίβη, καὶ τῆς θείας ζωῆς ἀχώριστον. Offerimus, inquit ille, panem perfectum, vivum, videlicet corpus Christi. Quod sanè perfectum, atque integrum etiam post passionem permansit; (neque enim os ejus comminutum est) & à divina vita non separatũ. Quæ omnia recentiores Græcos libẽter admittere nõ sum nescius.

Quare sancti Patres cùm de corpore, vel sanguine Christi, vel aliqua particula illorum loquuntur, ob commemorata fundamenta de toto Christo se loqui intelligunt. Chrysostomus homilia supra citata 24. in priorem ad Corinthios: οὐ γὰρ ἀγγέλοις, οὐδὲ

ἀρχαγγέλους, οὐδὲ οὐρανοὺς, καὶ οὐρανοὺς οὐρανῶν, ἀλλ᾽ αὐτὸν τὸν τούτων σοι δείκνυμι δεσπότην. εἶδες πῶς τὸ πάντων τιμιώτατον ὁρᾷς ἐπὶ γῆς; καὶ οὐχ ὁρᾷς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἅπτῃ, καὶ οὐχ ἅπτῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐσθίεις, καὶ λαβὼν οἴκαδε ἀναχωρεῖς; Non enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, ſed ipſum horum tibi Dominum oſtendo. Animadvertiſti quonam pacto quod omniũ præſtantiſſimũ eſt in terra conſpicis? nec tantùm cõſpicis, ſed etiam tangis? nec ſolùm tangis, ſed etiã comedis? & eo accepto domum redis? En quomodo Chryſoſtomus ait nos comedere Dominũ, & eum in manus accipere, ac domum deferre. Quæ uni tantũ ſpeciei panis cõveniunt. Et de eodem dixerat, loco ſuperiùs citato, eſſe in cœlo, & ſimul in terra omniũ manibus pertractari. Et in c. 6. Jo. hom. 46. cũ multa dixiſſet in laudem ſanguinis Chriſti, tandem ſubjungit, οἱ τούτου μετέχοντες τοῦ αἵματος μετὰ ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων, καὶ τῶν ἄνω δυνάμεων ἑστήκασιν, αὐτὴν περικείμενοι τοῦ Χριστοῦ τὴν βασιλικὴν στολὴν, τὰ ὅπλα ἔχοντες τὰ πνευματικά. ἀλλ᾽ οὐδὲν εἶπον οὐδέπω μέγα. αὐτὸν γὰρ εἰσιν ἐνδεδυμένοι τὸν βασιλέα. Qui hujus ſanguinis ſunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & ſupernis virtutibus commorantur, ipſam regiam Chriſti ſtolam induti, ſpiritalibus armis muniti: ſed nihil magni adhuc dixi, immo ipſum induti ſunt regem. S. Auguſtinus in Pſalmo 38. Ipſe, inquit, offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur.

Hinc etiam fit, ut ſancti Patres, atque adeo ipſemet Chriſtus omnes ſacramentales effectus uni ſpeciei attribuant. Joannis 6. Ego ſum, inquit, panis vitæ: deinde Chriſtus Dominus aſſignans effectus hujus panis, non eſuriet, inquit, is, qui hunc panem comederit, neque ſitiet in æternum. Sic proprium, & alterius effectum cibum, & potum pani adſcribit. Tertullianus in libro de reſurrectione carnis: Caro, inquit, corpore, & ſanguine Domini veſcitur, ut anima ſaginetur. S. Cyprianus in ſermone de cœna Domini, Panis, inquit, in carnem, & ſanguinem mutatus, vitam confert. Et hujuſmodi panem dicit manducari, & bibi. Nam potus, inquit, & eſus ad eandem pertinent rationem. S. Bernardus ſermone tertio in Dominicam Palmarum, dicit, alimoniam corporis, & ſanguinis Domini à fidelibus frequentari.

Igitur qui unam ſpeciem ſumit, non ſecus atque ſi ambas ſumeret, totum Chriſtum, qui nunquam dividitur, neque alterationem patitur, ſumit. Et qui prædictis fundamentis fidem derogat, is profectò in numero hæreticorum reponendus eſt.

Propterea ſacri Doctores ad hæc fundamenta reſpicientes, non ambas ſpecies, non figuram, non quantitatem, non qualitatem, ſed virtutem prædicant, extolluntque Sacramenti. Baſilius in epiſtola ad Cæſarium Patricium (alij Cæſariam Patriciam legunt) ταὐτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. Idem igitur eſt virtute, ſive unam particulam accipiet quiſquam à Sacerdote, ſive plures particulas ſimul.

Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem c. 17. ὥσπερ οὖν ὁ Παῦλός φησιν, ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, οὕτως ὀλιγίστη πάλιν εὐλογία σύμπαν ἡμῶν εἰς ἑαυτὴν ἀναφύρει τὸ σῶμα, καὶ τῆς ἰδίας ἐνεργείας ἀναπληροῖ. οὕτω τε ἐν ἡμῖν γίνεται Χριστὸς, καὶ ἡμεῖς αὖ πάλιν ἐν αὐτῷ. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἀληθεύων ἐρεῖ τις, ὅτι καὶ ἐν παντὶ μέν ἐστιν ἡ ζύμη τοῦ φυράματος, καὶ τὸ φύραμα δὲ κατὰ τὸν ἴσον λόγον ἐν ὅλῃ γίνεται τῇ ζύμῃ. Sicut igitur Paulus ait, parum fermenti totam maſſam fermentat; ita rurſus parvula benedictio totũ corpus noſtrum inſtar fermenti temperat, inque ſeipſam redigit, & propria efficacitate replet. Et hoc modo Chriſtus in nobis manet, & nos contra in ipſo. Etenim veriſſimè quiſpiam dixerit, in toto fermento maſſam eſſe, & ſecundùm æqualem rationem in tota maſſa fermentum exiſtere.

Eutychius Patriarcha Conſtant. (quem Græci meritò vocant, λαμπτῆρα τῆς ἐκκλησίας) eſt autem ille, qui fatebatur quidem reſurrectionem mortuorũ, ſed corpora propter nimiam ſubtilitatem, ex ſententia Origenis, poſſe tractari, & aſpici negabat. Verùm poſtea à Gregorio Magno victus reſipuit, vir alioquin, & ipſe magnus doctrina, & ſanctitate, ac miraculis conſpicuus: ὅλον οὖν ἅπαν τὸ ἅγιον σῶμα καὶ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου δέχεται, κἂν εἰ μέρος τούτων τὶς δέξηται. μερίζεται γὰρ ἀμερίστως ἐν ἅπασι διὰ τὴν ἔμμιξιν, καθὼς καὶ σφραγὶς μία πάντα τὰ ἐκτυπώματα αὐτῆς καὶ

μορφώματα τοῖς μεταλαμβάνουσι μεταδίδωσι, καὶ μία μένει καὶ μετὰ τὴν δόσιν, οὐκ ἐλαττουμένη, οὐδὲ ἀλλοιουμένη πρὸς τὰ μετέχοντα, κἂν ᾖ τῷ ἀριθμῷ πλείονα. ἢ ὡς καὶ μία φωνὴ ὑπό τινος προαχθεῖσα, καὶ εἰς ἀέρα χυθεῖσα, καὶ ἐν τῷ ταύτην προειμένῳ πᾶσα μένει, καὶ ἐν τῷ ἀέρι γινομένη πᾶσα ταῖς ἀκοαῖς πάντων ἐναπετέθη, οὐδενὸς πλεῖον ἢ ἔλαττον τοῦ ἑτέρου τῶν ἀκουσάντων εἰσδεχομένου. ἀλλὰ ὅλη ἐστὶν ἀδιαίρετος, καὶ ὁλόκληρος παρὰ πᾶσι, κἂν μύριοι τὸν ἀριθμὸν, ἢ πλείους ὦσιν οἱ ἀκούσαντες, καίτοι σῶμα ὑπάρχουσα, οὐδὲν γὰρ ἕτερόν ἐστι φωνὴ, ἢ πεπληγμένος ἀήρ. μηδεὶς οὖν ἀμφιβολίαν ἐχέτω, τὸ ἄφθαρτον μετὰ τὴν μυστικὴν ἱερουργίαν, καὶ τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν, καὶ ἀθάνατον σῶμα, καὶ ἅγιον καὶ ζωοποιὸν αἷμα τοῦ κυρίου τοῖς ἀντιτύποις ἐντιθέμενον διὰ τῶν ἱερουργιῶν ἔλαττον τῶν προειρημένων παραδειγμάτων τὰς οἰκείας ἐναπομόργνυσθαι δυνάμεις, ἀλλ᾽ ὅλον ἐν ὅλοις εὑρίσκεσθαι. Totum igitur, inquit, sacrosanctum corpus, & pretiosum sanguinem Domini accipit homo, etsi horum partem aliquam acceperit. Distribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immixtionem: ut & unum sigillum omnes imagines suas recipienti materiæ imprimit, & unum manet etiam post communicationem, non imminutum, non mutatum in ea, in quibus expressum est, etsi numero plura fuerint. Vel etiã ut una vox ab aliquo prolata, & in aëra diffusa, quæ in eo, qui eã protulit, tota manet, & per aërem tota ad aures perfertur, nemine auditorum plus minusve percipiente, sed tota est indivisibilis, & integra apud omnes, etsi decem milliũ numerum superent, qui audierint, quamvis ipsa corpus sit. Neque enim aliud est vox, quã aër ictus. Nemo igitur ambigat, quin post mysticum sacrificium, & sanctam resurrectionem incorruptibile, ac immortale corpus, & sanctus, ac vivificus sanguis Domini per sacrificia in antitypa insertus; minùs quàm commemorata exempla suas vires exprimat, & totus in totis inveniatur.

Nota in hac autea sententia Eutychij, vocem antitypi vero corpori Christi, & sangnini adscribi, & tribui juxta sensum, quo eam alibi explicavimus.

Samonas Archiepiscopus Gazæ in disceptatione, quam habuit cum quodam Saraceno, primum affert exemplum speculi ad hoc idem miraculum declarandum: κάτοπτρόν τις ἐσχηκὼς προσουδίσει, καὶ εἰς πολλὰ κλάσματα κατέκλασεν. ἐν ἑκάστῳ δὲ ὅμως κλάσματι τὴν σκιὰν σώαν τις ὄψεται. οὕτω νοῆσαι ἄν τις καὶ ἐκ ταύτης τῆς σκιᾶς, τὴν τοῦ Χριστοῦ σάρκα εἶναι σώαν καὶ ὁλόκληρον ἐν ἑκάστῳ κλάσματι καθ᾽ ὥραν καὶ ὁσάκις, καὶ πανταχοῦ κλωμένῳ. Quispiam habens speculum allisit terræ, & in multa fragmẽta comminuit. Et tamen umbram sui salvam in singulis fragmentis aspiciet. Sic etiam ex hac umbra intelligere posset aliquis, carnem Christi esse salvam, atque integram in unoquoque frusto quocunque tempore, quoties & ubicunque frangitur. Deinde affert superius exemplum de prolato verbo, quod ab omnibus auditur, & percipitur: λάβε καὶ ἕτερον παράδειγμα. πᾶν ὅ, τι ἄνθρωπος ῥῆμα προφέρων λέγει, καὶ ὁ λέγων νοεῖ αὐτὸ καὶ ἀκούει, καὶ οἱ παρ᾽ αὐτῷ ἀκούουσιν, εἰ καὶ πολλοί εἰσιν οἱ ἀκούοντες, οὐ διῃρημένον, ἀλλ᾽ ὁλόκληρον. τὸν αὐτὸν τρόπον θετέον καὶ ἐπὶ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. τὸ τοῦ Χριστοῦ πανάγιον σῶμα καθεζόμενον παρὰ τῷ πατρὶ, μένει ἐν αὐτῷ ἀλλὰ δὴ καὶ ὁ ἱερουργούμενος ἄρτος, εἰς τὸ ἀληθὲς τοῦ Χριστοῦ σῶμα μεταβαλλόμενος δυνάμει θείᾳ δι᾽ ἐπιφοιτήσεως τοῦ παναγίου πνεύματος καίπερ μερίζεται, ἀλλ᾽ ὁλόκληρον καὶ σῶον ἐν ἑκάστῳ κλάσματι σώζεται, ὡς καὶ ὁ λόγος τοῦ λέγοντος πρὸς πάντας τοὺς ἀκούοντας, ὁλόκληρος, καὶ οὐ διῃρημένος ἀκούεται. οὕτω διὰ τῶν ὁρατῶν καὶ αἰσθητῶν παραδειγμάτων τοὺς ἀπειθεῖς καὶ περιέργους εἰς τὸ κατανοῆσαι τὰ τοῦ θεοῦ μυστήρια ὑπὲρ φύσιν καὶ λόγον καὶ ἔννοιαν, καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς ὄντα ἀνάγομεν. ὅταν τοίνυν ὁ ἁγιασθεὶς ἄρτος εἰς μέρη τέμνηται, ὃς τὸ πανάγιον τοῦ Χριστοῦ ἐστι σῶμα, μὴ νομίσῃς, ὅτι μερίζεται, ἢ ἀποσπᾶται, ἢ διαιρεῖται τὸ ἄχραντον ἐκεῖνο σῶμα, ἀθάνατον γὰρ καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀδαπάνητον. ἀλλ᾽ ὅτι μερισμός ἐστιν ἐκείνου τῶν αἰσθητῶν συμβεβηκότων μόνον μετὰ τὸν ἁγιασμὸν πρὸς ῥώμην πίστεως. Sume tibi aliud exemplum. Omne verbum, quod homo proferendo emittit, & qui loquitur ipsum audit, atque intelligit, & qui circumstant; & si multi sunt, qui audiant, non tamen divisum, sed integrum audiunt: eodem modo ponendum est, & in corpore Christi. Illud Christi sacrosanctum corpus assidens Patri, apud eum manet; sed & panis consecratus per sacerdotem in verum corpus Christi potentiâ divinâ per accessum Spiritus sancti trãsmutatur. Et licet dividatur, tamen integrum, & salvum in unoquoq; frusto serva-

» tur; ut etiam oratio ejus qui loquitur, om-
» nibus, qui audiunt, integra, nec divisa au-
» ditur. Ita his exemplis, quæ sub aspectum,
» & sensum cadunt, pervicaces, nimiumque
» curiosos ad intelligenda Dei mysteria, quæ
» supra naturam, rationem, intelligentiam, &
» supra nos sunt, adducimus. Cùm igitur con-
» secratus panis, qui sanctissimum corpus
» Christi est, in particulas dividitur, ne exi-
» stimes immaculatum illud corpus dividi,
» vel abscindi, vel secari. Quippe immortale
» est, & incorruptibile, atque inconsumptum.
» Sed quòd ea partitio est accidentium, quæ
» sub sensum cadunt, dumtaxat post sancti-
» ficationem ad fidei robur.

Eusebius Emissenus homilia quinta de
» Paschate: Eucharistiæ sacra perceptio non
» in quantitate, sed in virtute consistit. Quòd
» corpus sacerdote dispensante tantum est in
» exiguo, quantum esse constat in toto. Quòd
» cùm Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum
» in universis, ita integrum esse probatur in
» singulis. De quo sensu Apostolica senten-
» tia derivata est, dicens, Qui multa, non abū-
» dabit, & qui modicum, non minorabit. Si
» fortè panes esurientibus apponeremus, non
» ex toto perveniret ad singulos, quia parti-
» culatim, & minutatim proportione sua
» quisque præsumeret. De hoc verò pane cū
» assumitur, nihilominus habēt singuli, quā
» universi. Totum unus, totum duo, totum
» plures sine diminutione percipiunt. Quia
» benedictio hujus sacramenti scit distribui,
» nescit distributione consumi.

» S. Augustinus de verbis Evangelij: Man-
» ducetur Christus, vivit manducatus, quia
» resurrexit occisus. Nec quando manduca-
» mus, partes de illo facimus. Et quidem in
» Sacramento sic fit, & norunt fideles quem-
» admodum manducent carnem Christi.
» Unusquisque accipit partem suam. Unde
» & ipsa gratia partes vocantur. Per partes
» manducatur in Sacramento, & manet in-
» teger totus in cœlo. Manet integer totus
» in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem
» quando venit in Virginem. Implevit illam,
» nec recessit ab illo. Veniebat in carnem, ut
» eum homines manducarent: manebat inte-
» ger apud Patrem, ut Angelos pasceret.

S. Hieronymus in sermone Dominicæ quintæ post Epiphaniam. Singuli autem «
totum accipiunt Christum Dominum; & «
in singulis portionibus totus est. Nec per «
singulos minuitur, sed integrum se in sin- «
gulis præbet.

S. Hilarius Papa, qui immediatè post Leonem magnum floruit. Ubi pars est cor- «
poris; est & totum. Eadem ratio est in cor- «
pore Domini, quæ in manna, quod in ejus «
figura præcessit. De quo dicitur: qui plus «
collegerat, non habuit amplius, neque qui «
minùs paraverat, habuit minus. Non enim «
est quantitas visibilis in hoc æstimanda my- «
sterio, sed virtus Sacramenti spiritualis. «
Hæc, & similia refero, non quòd sciam Græcos ea non admittere, sed ut videant, cur postea negent, quod ex his necessariò consequitur.

Tempore Alexij Angeli Comneni, teste Niceta Choniate in tomo 3. de rebus gestis hujus Imperatoris, orta fuit hæc eadem quæstio in Constantinopolitana Ecclesia. Utrum videlicet corpus Christi, quod in Sacramento sumimus, sit incorruptibile quale fuit post passionem, & resurrectionem, An corruptibile, ut ante passionem. Erant, qui negarent, idque propterea ne, si incorruptibile faterentur, alia, quæ ipsis absurda videbantur, admittere cogerentur: εἰ γὰρ ἦν, φησιν, ἄφθαρτον, καὶ ἔννουν, καὶ ἔμψυχον ἦν ἂν, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀθέατον, μηδ' ὀδοῦσι κειρόμενον, καὶ ἀληθόμενον, ἐν τῷ τμᾶσθαι μηδαμῶς δυσχεραῖνον καὶ ὀδυνώμενον. Si enim, in- «
quiunt, incorruptibile esset, etiam mentis «
esset particeps, & animatum & intactile, «
& inaspectabile, neque dentibus scindere- «
tur, & moleretur, & in scindendo nullam «
omnino molestiam, aut dolorem sentiret. «
Quamobrem ipsi affirmabant esse corpus corruptibile, ἄνουν καὶ ἄψυχον, sine mente, ac inanime, (ne videlicet dum scinditur, & comeditur dolorem sentiat) ac per partes percipi: μηδὲ τὸν τῇ μεταλήψει προσιόντα ὅλον δέχεσθαι τὸν Χριστὸν, ἀλλὰ μέρος, ὡς καὶ μέρους μεταλαμβάνοντα. Neq; eum, qui ad communio- «
nem accedit, totum Christum sumere, sed «
partem, ut qui partem percipiat. Tandem «
mysterium hoc aiebant esse duntaxat sacrificium, nō autem confessionem resurrectionis. Quasi verò hęc simul stare non possint.

Sic illi plura connectebant, nil laborantes, an inter se cohærerent. Quippe nullum omnino sequitur, qualia ipsi inferebant. Quamvis etiam corpus Christi corruptibile esset. Nam Christus Dominus in ultima cœna corpus suum tradidit discipulis comedendum, utique tale tradidit, quale tunc erat, hoc est non incorruptibile, & tamen mente præditum, & anima informatum. Nec propterea dolorem sensit, dum comederetur, nec per partes divisum est, nec aspectabile fuit, nisi tantùm Sacramentaliter; hoc est per species Sacramentales, unde nec aspectabile fuit, ut & fides locum haberet. Quòd si ante resurrectionem nullum tale sequebatur absurdum, quantò magis post resurrectionem, quando jam immortale evasit? Et tunc etiam palpandum præbuit Apostolo minùs credulo, & aspectabile fuit. Nihil ergo sani, & solidi afferebant, qui ita ratiocinabantur.

Horum tantus error partim ex eo proveniebat, quòd more Origenis corpora post resurrectionem ob nimiam subtilitatem non posse aspici, nec palpari crederent; partim quod sacrificij naturam ignorarent, quam nos in materia de particulis explicavimus. Hîc enim immolatur quidem Christus, sed ἀναιμάκτως, μυστικῶς, ubi destruitur terminus à quo panis, & consecratione producitur terminus ad quem corpus Christi.

Quocirca, qui sanam doctrinam amplectebantur (erat autem major pars Græcorum, & ipsemet Imperator) eam allatis testimoniis sanctorum Patrum egregiè confirmabant, & oppositam, ut hæreticam redarguebant. Ex quibus nonnulla nos quoque hîc inseruimus. Consulat studiosus lector nominatum Historicum loco citato.

Probatur non esse præceptum de sumenda utraque specie.

CAPUT LIII.

Dicent fortasse Græci, se non requirere duplices species, quia putant unam non sufficere veluti imperfectam, cum singulæ species seorsim sumptæ sint divinitate præditæ, & totum quod habet una, contineat altera, & eundem prorsus effectum, scilicet refectionem animæ singulæ producant; sed quia existimant Dominum præcepisse, ut sumantur binæ species.

At nullum extat præceptum. Igitur temere de necessitate requirunt eas, ac non potiùs propter consuetudinem. Non extare autem præceptum probatur pluribus mediis. Primum, quia esset præceptum ἀδυνάτον. Non enim qui abhorrent à vino, præcepto satisfacere possent. Et confirmatur. Nam juxta sententiam Augustini contra Faustum lib. 19. c. 13. Prima Sacramenta ideo oblata, quia impleta; & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. At bina species Sacramenti non esset omnibus observatione facillima. Deinde Nazaræi, qui nihil bibebant, quod inebriare posset, ut etiam uvas passas non comederent, idque ex præcepto Domini, non facilè soluissent votum. Præsertim ipso principio Ecclesiæ, quando plurimi Christiani, permittentibus id Apostolis, servabant legalia. Neque tamen abstinuisse à Communione Nazaræos dicendum est, cùm Lucas cap. 2. dicat, omnes perseverasse, in doctrina, & oratione, & in communicatione καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, & fractione panis. Adde quòd non esset præceptum necessarium. Si enim unica species totum illud præstat, quod ambæ simul, quid est opus cogi ad ambas sumendas?

Postremò si fuisset præceptum Domini, nunquam antiquitas concessisset unam speciem, ut sexcenta fere suppetunt ea de re sanctorum Patrum testimonia. Nam in primitiva Ecclesia tempore Apostolorum, ad fideles, qui non intererant rei divinæ, Diaconi deferebant Eucharistiam. Hoc testatur Justinus Martyr in 2. Apologia pro Christianis. Quæ cum gratiarum, inquit, " actione consecrata sunt, ad eos, qui ab- " sunt, (Diaconi) perferunt. Et rursus ibi- " dem: iis, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unus quisque participat, eademque ad eos, qui absunt, Diaconis dan-

tur perferenda. Sed non est verisimile eo tempore furentibus paganis contra Christianos, ausos fuisse Diaconos sanguinem ad absentes perferre, & se periculo exponere. Narrat Beda in Martyrologio 18. Kalendas Octobris de Tharsicio Acolytho, interfectum fuisse à paganis in via, eò quod noluisset ostendere Eucharistiam, quam secum portabat.

Deinde imperantibus Christianis, & florente Religione, fideles in templo sumebant quidem Eucharistiam; sed quoniam erat mos quotidie communicandi, neque commodè quotidie poterant Ecclesiam frequentare, secum etiam eam accipere, & domum asportare, immo & ad varios casus ad longum tempus asseruare solebant.

Hunc morem satis apertè notare videtur Tertullianus in libro 2. ad Uxorem, ubi de muliere verba faciens, quæ gentili nupta sit, Non sciet, inquit, maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciverit, panem non illum esse credit, qui dicitur. Ecce una species. S. Cyprianus in libro, quem de lapsis inscripsit, sermone quinto, narrat de quadam muliere, cùm arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterritam fuisse, ut ne auderet quidem attingere. Et in libro primo de spectaculis hæc habet: Qui festinans ad spectaculum, dimissus, & adhuc gerens secum ut assolet, Eucharistiam. Idem constat ex Beato Hieronymo in Apologia ad Pammachium pro libris adversus Jovinianum. Illic enim eos insectans, qui post nocturnum cum uxoribus congressum, pudore quodam tenebantur, ne Ecclesias adirent; & interim tamen minimè verebantur Eucharistiam domi accipere, sic ad verbum scribit: Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo; unusquisque enim in suo sensu abundat. Sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coïtum communicant, & juxta Persium noctem flumine purgant. Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est. Et tenebræ quoque lucent apud Deum.

Uerùm id non minùs clarè ostendit Magnus Basilius in epistola citata ad Cæsariam Patriciam, siquidem interrogatus hac de re sic respondit: καὶ τὸ κοινωνεῖν δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές, αὐτοῦ σαφῶς λέγοντος, ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. τίς γὰρ ἀμφιβάλλει, ὅτι τὸ μετέχειν συνεχῶς τῆς ζωῆς, οὐδὲν ἄλλο τί ἐστιν, ἢ ζῆν πολλαχῶς; ἡμεῖς μέν τοι γε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη ἁγίου τινός. τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς ἀναγκάζεσθαί τινα, μὴ παρόντος ἱερέως, ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρὺ, περιττόν ἐστιν ἀποδεικνύναι, διὰ τὸ καὶ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. πάντες γὰρ οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μή ἐστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν τῷ λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ὅτε βούλεται μεταλαμβάνει δι' ἑαυτοῦ. ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος, καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν, ὡς ὅλην ὁμοῦ καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων παρὰ τοῦ δεδωκότος, εἰκότως μεταλαμβάνει, καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. καὶ γὰρ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, κατέχει δὲ αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. ταὐτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. Communicare quotidie, & participare sanctum corpus, & sanguinem Christi, honestum, & utile est, cùm ipse apertè dicat, Qui comedit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Nam cui dubium est, quin vitam continenter participare, nihil sit aliud, quàm vivere multipliciter? Nos autem quater singulis hebdomadibus communicamus, die Dominico, feria quarta, in Parasceve, & die Sabbati, reliquis etiam diebus, si alicujus san-

» cti memoria fiat. Illud autem, persecutio-
» nis temporibus cogi quempiam absente
» Sacerdote, aut Ministro (id est Diacono)
» communionem propria manu accipere,
» minimè esse grave, supervacaneum est de-
» monstrare, propterea quòd longa consue-
» tudo id re ipsa confirmavit: omnes enim,
» qui in Eremis solitariam vitam agunt, ubi
» sacerdos nullus est, comunionem domi
» servantes, per se ipsos participant. In Ale-
» xandria verò, & Ægypto unusquisque
» etiam ex laicis, ut plurimùm habet domi
» suæ communionem, & cùm vult per se ip-
» sum communicat. Nam cùm sacerdos se-
» mel sacrificium absoluerit, ac impertierit,
» is qui accepit illud, ut totum simul quoti-
» die participans, ab eo qui dedit meritò
» participat, & debet credere se suscipere.
» Etenim in Ecclesia Sacerdos particulam
» tradit, detinet autem eam cum omni li-
» bertate is, qui suscipit, ac ita ori admovet
» manu propria. Idem igitur est potestate,
» sive unam particulam quis à Sacerdote ac-
» cipiet, sive multas particulas simul.

Ex hac Basiliana Epistola in primis habemus Eucharistiam populo in manus tradi solitam. Deinde populum eam domum asportare consuevisse; tum etiam ad longum tempus asservasse, & frequenter per seipsum eam participasse. Particulas item Basilius in ea Epistola nominat utique panis, non vini. Quæ omnia nobis indicant usum unius speciei.

Neque enim dixerit quispiam, vinum consecratum domum delatum fuisse. Vel enim dabatur in aliqua notabili quantitate, ut quoties domi per se aliquis Eucharistiam sumere voluisset, hoc est, ferme quotidie, vini quoque consecrati particeps fieret, & hoc non est probabile, tantam copiam vini in Ecclesia consecratam fuisse, ut & singulis in templo distributum fuerit, & in vascula singulorum infusum. Omitto commemorare periculum infundendi, & effundendi, & commodè domum deferendi. Uel dabatur in quantitate parva, & minima; tum verò non suffecisset illis ad communicandum per multos dies, neque diù asservari potuisset, præsertim si loquamur de Anachoritis, qui in solitudinibus degebant, & rarò admodum civitates, vel monasteria frequentabant.

Præterea ex Epistola S. Irenæi ad Victorem Romanum Pontificem, quam refert Eusebius in libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. & Nicephorus Callistus libro 4. cap. 39. apparet, quòd si Episcopus aliquis ex partibus Orientis Romam venisset, Pontifex Romanus Eucharistiam hospiti solemniter transmittere solebat, in signum quòd eum tanquam idem de fide sentientem susciperet, & ab Ecclesiæ societate minimè alienum judicaret; quapropter & symbolum pacis illi mittebat. Testatur autem Irenæus Pontifices, qui id fecerint ante Victorem, hoc est ante tempora Concilij Nicæni non paucos fuisse, nimirum Anicetum, Pium, Hyginum, Thelesphorum, & Xystum: αὐτοὶ οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν ἔπεμπον εὐχαριστίαν. Hi qui ante te (Victorem) exti- “
terunt presbyteri (inquit S. Irenæus) inco- “
lis mittebant Eucharistiam. Non certè sub “
speciebus vini.

Præterea olim ad ægrotos deferebant Eucharistiam longo tempore antea consecratam, & propterea sub unica specie, ut patet ex Epistola Dionysij Alexandrini ad Fabium Antiochenum, quam refert Eusebius in libro 6. historiæ Ecclesiasticæ c. 36. Hoc idem in hanc usque diem observant Græci. Et quoniam durescunt species panis, aqua pura & simplici, vel vino minimè consecrato madefaciunt, atque ita porrigunt ægrotis.

Sed unum miserum refugium solent habere nonnulli Græcorum, nimirum panem consecratum, qui diutius asservabatur, fuisse tinctum sanguine. Sic enim modo ipsi faciunt, quamvis brevi species vini siccentur, de qua re dicam postea. Sed hoc falsum esse probatur his rationibus. Primò, quia post illa verba recitata in liturgiis Græcorum, Sancta sanctis, quibus significant, qui sancti & mundi sunt, illis accedere, & sancta sumere liberum esse, post illa, inquam, verba, sacerdos impertiens sacram Eucharistiam dabat in manus cuique, ut ex citata Basilij Epistola constat. Et Nazianzenus in carminibus κατὰ καλλωπιζομένων

πιζομένων γυναικῶν, ea de re sic cecinit.

Οὐδὲ χέρες φρίσσουσιν ἐπὴν ἐς μύστιν ἐδωδὴν,
Τείνεις, αἷς σὺ γράφεις πένθιμον ἀγλαΐην; (era,
Nonne manus horrent, recipis cùm mystica sa.
Forma dolenda, quibus picta fuit mulier?

Origenes in homilia 13. in Exodum sic tradit: Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis. Quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat: ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat. S. Ambrosius ad Theodosium ait, Quomodo hujusmodi manibus recipies sanctum Domini corpus? Chrysostomus: Non tantùm, inquit, tangis, sed etiam comedis, & eo accepto domum redis. Et Homilia 21. ad populum Antiochenum, quæ est Catechesis ad illuminandos: ἐννόησον τί δέχῃ τῇ χειρὶ, καὶ μηδέ ποτε ἀνάσχῃ πατάξαι τινα, μηδὲ τὴν τοσούτῳ τιμηθεῖσαν δώρῳ καταισχύνῃς τῇ τῆς πληγῆς ἁμαρτίᾳ. ἐννόησον τί δέχῃ τῇ χειρὶ, καὶ καθαρὰν αὐτὴν πλεονεξίας καὶ ἁρπαγῆς πάσης διατήρησον. λόγισαι ὅτι οὐ τῇ χειρὶ δέχῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ στόματι προσάγεις, καὶ καθαρὰν φύλαττε τὴν γλῶτταν αἰσχρῶν καὶ ὑβριστικῶν ῥημάτων, βλασφημίας, ἐπιορκίας, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἁπάντων. καὶ γὰρ ὀλέθριον τὴν διακονουμένην μυστηρίοις οὕτω φρικωδεστάτοις, καὶ αἵματι φοινιχθεῖσαν τοιούτῳ, καὶ χρυσῆν γινομένην μάχαιραν ἐπὶ λοιδορίας καὶ ὕβρεις καὶ εὐτραπελίας κατάγειν. αἰδέσθητι τὴν τιμὴν, ἣν ἐτίμησεν αὐτὴν ὁ θεὸς, καὶ μὴ καταγάγῃς εἰς τὴν τῆς ἁμαρτίας εὐτέλειαν. ἀλλ᾽ ἐνθυμηθεὶς πάλιν, ὅτι μετὰ τὴν χεῖρα καὶ τὴν γλῶτταν ἡ καρδία δέχεται τὸ φρικτὸν ἐκεῖνο μυστήριον, μὴ ῥάψῃς μηδέποτε κατὰ τοῦ πλησίον δόλον. Cogita quid manu capias, nec unquam ullum verberare audeas, nec tanto decoratam munere, plagæ crimine dedecores. Cogita quid manu capias, & ipsam ab omni avaritia, & rapina liberam conserva. Reputa quòd non tantùm manu capias, verùm & ori admoveas, & linguam custodi à contumeliosis mundam, & turpibus verbis, blasphemia, perjurio, & aliis omnibus hujusmodi. Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem mysteriis linguam, & sanguine tali purpuratam, & factam aureum gladium, ad convicia, & contumelias, & scurrilitates transferre. Reverere honorem, quo Dominus ipsam honoravit. Nec ad peccati usum ipsam deducas. Sed rursus animadvertens quòd post manum, & linguam cor suscipit tremendum illud mysterium, ne unquam in proximum consuas dolum, & quæ sequuntur. S. Augustinus in libro 50. Homiliarum hom. 26. Quanta sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat: tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat. Idem ex Cyrillo Hierosolymitano catechesi 5. mystagogica his verbis proditum est: προσιὼν οὖν μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου, μηδὲ διῃρημένοις τοῖς δακτύλοις, ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι, καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἐπιλέγων τὸ, ἀμήν. Accedens igitur ad communionem non expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, sed sinistram sedem efficias dexteræ, quæ Regem susceptura est. Et concava manu suscipe corpus Christi, subjiciens verbum, Amen.

Sic illi de corpore: sanguinem autem Sacerdos, vel Diaconus ex calice bibendum præbebat, teste Clemente, atque Chrysostomo, qui suo Diacono mandat, ut vel ipsum Imperatorem coërceat, si indignè accesserit, & eodem Cyrillo, ubi suprà.

Deinde probatur, quia mulieres nitida exhibebant linteamina, ubi corpus Christi acciperent. B. Augustinus sermone 252. de tempore, Mulieres, inquit, quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant; sic corpus castum, ac cor mundum exhibeant, ut cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant.

Unde Trullana Synodus canonem edidit, quo vetat vascula argentea, vel aurea parari, vel linteamina ad suscipiendum corpus Christi. Et rationem reddit, quia manus hominis creata à Deo, non est ignobilior, immo nobilior illis.

At neutiquam credibile, nullaque ratione fit verosimile, tunc recenter fuisse panem consecratum tinctum sanguine, & vel in manus alicui porrectum, vel in linteamine positum, & servatum. Itaque non aliter existimo Christianos olim Eucharistiam accepisse, atque faciunt in liturgiis modò Græci, qui passim accipiunt panem benedictum, quem vocant ἀντίδωρον, loco doni, & Eucharistiæ, ut & ipsum nomen indicat. Quem panem partim in Ecclesia comedunt, partim domum apportant, servant, & quotidie participant.

Hoc totum magis evidens facit, & probat narratio, quam scribit Sozomenus libro 8. Histor. c. 5. & Nicephorus libro 13. cap. 7. de quadam fœmina hæretica Macedoniana, quæ cùm vellet tegere suam hæresim, & se catholicam simulare, accepit in manibus, Chrysostomo sacris operante, panem Eucharistiæ tanquam paulò pòst illum manducatura, sed clàm dedit illum ancillæ, & ab ea sumpsit panem profanum, quem ex domo adferri jusserat, ut illum palam comederet loco Eucharistiæ: sed is panis continuò in lapidem est conversus. Ex quo intelligimus morem fuisse, ut acciperent, qui vellent non solùm domi, sed etiam in templo Eucharistiam sub una tantùm specie. Neque enim dissimulare potuisset hæretica, si sanguinem ex calice sumpsisset; quem Diaconus distribuebat, neque in manus alicui dabatur.

Et fortassis ex eo facto manavit mos Græcorum, qui in præsenti adhuc viget, videlicet, ambas species toti populo conjunctas, atque commixtas cochleario distribuendi, ne scilicet aliqua fraus postea fiat.

Præterea, Manichæi veritatem corporis Christi negantes, non communicabant sub specie vini, ne verum sanguinem confiterentur: constat hoc ex Leone summo Pontifice, sermone quarto de Quadragesima. Et Manichæos reprehendunt quidem sancti Patres Epiphanius, Augustinus, & Leo ipse tum de hac hæresi, quòd scilicet non agnoscerent veritatem corporis Christi, tum de aliis, non tamen de communione sub una specie, quòd utique fecissent; inclamassent nimirum eos divinis præceptis se opponere, & contra jussa Domini non binas species, sed unam tantùm sumere, si de sumenda una specie aliter quàm recentiores Catholici judicassent, ut egregiè notat Illustrissimus Cardinalis Bellarminus in Apologia citata ad responsum Regis Britanniæ.

Hìc autem notanda sunt verba Leonis. Cùm, inquit, ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorũ communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant; ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quasi dicat: propterea communicant, quamvis sub una specie à poculo abstinentes, ut tutiùs lateant, & à Catholicis internosci non possint. At si omnes fideles Eucharistiam sub utraque specie sumebant, quomodo Manichæi diu, & tutò latere potuissent? Signum igitur est in veteri Ecclesia non defuisse, qui sub una tantùm specie communicarent. Addit deinde S. Leo. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut nobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur. Quibus verbis dum vult eos in posterum à Catholicis dignoscendos esse, ex eo quòd à calice abstinerent, tacitè interdixit Catholicis, ne sub una specie communicarent; ut hac ratione à Manichæis facilè discernerentur.

Ut verò Leo Magnus propter hæresim Manichæorum eo tempore prudenter unam speciem suo modo loquendi sumere vetuit, ambas permisit, immo potiùs præcepit; ita posteriores Pontifices cessante causa Manichæorum, non minus prudenter unicam concesserunt, utramque propter novos hæreticos prorsus prohibuerunt.

Ad hæc auctores non pauci Græci, & Latini locum illum Lucæ 24. quando Christus Dominus post resurrectionem duobus discipulis in Castellum Emaüs profectis, in sola fractione panis agnitus est, de

communione Eucharistiæ exposuerunt. Quod utique non fecissent, si vel unam speciem numquam distributam esse, vel saltem distribui non posse existimassent.

Auctor imperfecti operis in Mathæum: Aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat. Sanctificatum autem, alterum sanctificare non potest, quamvis ipsum sit sanctum. Ut puta signas panem tuum, qui manducas, sicut ait Paulus: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Sanctificasti eum, non fecisti eum sanctificationem. Quòd autem sacerdos de manu sua dat, non solùm sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est. Quoniam hoc non solùm datur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet & animalibus jactare, & infidelibus dare; quia non sanctificat accipientem. Si autem tale est quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet. Unde, & Dominus in via non solùm benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ, & socio ejus. Et Paulus navigans non solùm benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucę, & cæteris discipulis suis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum. Quia non solùm sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem.

Venerabilis Beda in 24. cap. Lucæ. Certi mysterij causâ factum est, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent. Ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis particeps non est, id est Ecclesiæ, cujus unitatem in Sacramento panis commendat Apostolus dicens: unus panis, unum corpus multi sumus. Ut cùm eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. Aperirentur utique ad ejus cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur, ne agnoscerent. Non autem incongruenter accipiamus hoc impedimentum in oculis eorum à satana fuisse, ne agnosceretur Jesus, sed tamen à Christo facta est permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. Hoc testimonium Beda sumpsit fere ad verbum ex Augustino libro 3. de consensu Evangelistarum cap. 25.

Theophylactus in 24. caput Lucæ, αἰνίττεται δέ τι καὶ ἕτερον. ὅτι τοῖς μεταλαμβάνουσι τοῦ εὐλογημένου ἄρτου, διανοίγονται οἱ ὀφθαλμοὶ εἰς τὸ ἐπιγνῶναι αὐτόν. μεγάλην γὰρ καὶ ἄφατον δύναμιν ἔχει ἡ τοῦ κυρίου σάρξ. Innuit autem & quiddam aliud, nempe quòd oculi eorum, qui benedictum panem participant, aperiuntur, ut eum agnoscant. Magnam enim, & ineffabilem vim habet caro Domini.

At recentiores nonnulli Græcorum pro duplici specie, nullum aliud fundamentum habent, quàm verba Christi Joann. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis. Quæ verba Deo favente σαφῶς, & ὀρθοδόξως exponemus. Interea perpendant ipsi hæc alia loca scripturæ contra se ipsos (præter ea quæ citavi pro una specie ex ipso 6. capite Jo.) Lucæ 24. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum, &c. & ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Et auctores citatos in hunc locum. Actorum 2. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis. Item cap. 20. Una autem sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis. S. Augustinus in Epistola 86. ad Casulanum hunc locum de communione intellexit. Dies, inquit, resurrectionis Domini, prima sabbati à Matthæo, à cæteris autem tribus una sabbati dicitur. Quem constat eum esse, qui Dominicus postea appellatus est. Aut ergo post peractum diem sabbati, noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox jam ad diem Dominicum, hoc est ad

unam ſabbati pertinebat; & ita eadem nocte facturus panem, ſicut frangitur in Sacramento corporis Chriſti, produxit ſermonem uſque ad medium noctis, ut poſt Sacramenta celebrata, rurſus uſque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multùm feſtinabat, luceſcente proficiſceretur Dominico die. Aut certè, &c. Prioris ad Corinthios cap. 10. ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Quoniam unus eſt panis, unum corpus multi ſumus. Omnes enim de uno pane participamus. Et cap. 11. ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως. Quare quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè. Nunquam autem datur caſus, ut quis panem dignè comedat, indignè calicem bibat, vel contrà, ſi utraq; ſpecies neceſſariò ſumenda ſit. Unde neque disjunctiva dictione uſus eſſet Apoſtolus.

Similiter Nazianzenus in funebri oratione in ſororem Gorgoniam ita loquitur disjunctivè de Euchariſtia, ut unam ſpeciem ſive panis, ſive vini ſervari ſolitam clariſſimè teſtetur his verbis: εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισε. Si quid uſpiam antityporum corporis, vel ſanguinis manus (Gorgoniæ) theſaurizaverat. Igitur ſufficit unica ſpecies.

Neque obſtat, quòd ſuprà diximus ſanguinem commodè non potuiſſe ſervari. Id enim certum eſt communiter, & ad longum tempus, adde etiam domi. At verò quandoque in templo ſervatum eſſe, conſtat ex Beato Hieronymo, qui in Epiſtola 4. ad Ruſti. refert in fine, corpus Domini in vimineo caniſtro, ſanguinem verò in vitro Epiſcopum ſolitum conficere, ac ſervare.

Et S. Joannes Chryſoſtomus in Epiſtola priore ad Innocentium Papam, quæ extat inter ejus opera, & quæ recitatur à Nicephoro lib. 13. cap. 19. ſcribit, milites quoſdam ad veſperam Magni ſabbati ſanctuarium ingreſſos tantum excitaſſe tumultum, ut etiam ſacratiſſimus Domini ſanguis, qui in ſanctuario aſſeruabatur, in eorum veſtes infunderetur. Et quamvis ad auctoritatem Chryſoſtomi reſpondere poſſimus: nempe non fuiſſe mirum, ſi ob multitudinem in ipſo Paſchate ſub utraque ſpecie communicantium, vinum priùs conſecraverint, atque uno die antea ſatis commodè præparaverint; non autem quòd per totum annum ſervare conſueverint: Tamen ex Nazianzeno, & Hieronymo ſatis conſtat alicubi ita fieri ſolitum fuiſſe.

Unde ſancta Gorgonia cùm parentem, & fratrem haberet Epiſcopos, & Eccleſiam conjunctam ſuis ædibus, poterat ad breve tempus ſervare ſanguinem, ſi voluiſſet, idque in templo.

Illa quoque cauſa poterat eſſe alicubi ſervandi ſanguinem, quia infantibus, qui non poterant ſolidum cibum ſumere, cùm eos baptizarent, ſolum ſanguinem porrigebant. Et fortaſſis etiam nonnullis ægrotis. Quare Concilium Toletanum 11. cap. 1. ſtatuit, infirmis præ ſiccitate corpus Domini accipere non valentibus, ſolum ſanguinem eſſe miniſtrandum.

Et in Concilio 4. Carthaginenſi cap. 76. quod refertur d. 26. q. 6. cap. de his, ſimiliter ſancitum eſt, ut phreneticorum ori Euchariſtia in articulo mortis infunderetur.

Præterea, ut eſt videre in jure Orientali, Helias quidam Metropolita Cretenſis, fortè ſcholiaſtes Nazianzeni, interrogatus à Dionyſio quodam Monacho: εἰ δεῖ τοῖς ἐξασθενήσασι τέλεον, καὶ λεπτὰ μὲν εἰσέτι ἐμπνέουσιν, ἀναισθητοῦσι δὲ ὅλως, καὶ μήτε πιεῖν, μήτε φαγεῖν δυναμένοις μεταδιδόναι τῶν θείων ἁγιασμάτων ἐκπνεῖν ἤδη μέλλουσιν. An oporteat valde debilitatis, & tenue quiddam adhuc ſpirantibus, ſed qui ſint omnino ſine ſenſu, & neque bibere, neque edere poſſint, largiri divinas ſanctificationes (id eſt Sacramentum Euchariſtiæ) jam animam efflaturis. Poſt nonnulla alia reſpondet, ἀνάγκη τὸν παρατυχόντα ἐν καιροῖς τοιούτοις ἱερέα μὴ ἀπροθύμως διατεθῆναι, ἀλλὰ βουλῆς γενέσθαι, δι᾽ ἧς καὶ τοῖς ἁγίοις δώροις τὸ σεβάσμιον διαφυλαχθήσεται, καὶ τῷ κάμνοντι τὸ ἀσφαλὲς περιποιηθήσεται, μὴ ἀμοίρου πάντη τοῦ τοιούτου ἐφοδίου τῶν ὧδε μεθισταμένου. ἔστω τοῦτο, εἰ τά τε χείλη καὶ ἡ γλῶσσα τοῦ λεπτὸν εἰσέτι ἐμπνέοντος καὶ μὴ ἀπονεκρωθέντος τέλεον διὰ τῆς ἐπαφῆς

καὶ ἐπιχρίσεως τῶν πανιέρων ἁγιασμάτων ἐπισφραγίσονται. ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, εἰ πρὸς τὴν ἀσθένειαν αὐτοῦ ἡ μετάδοσις τούτων συμμετρηθήσεται. Necesse est sacerdotem, qui eo tempore præsto fuerit, non stupidum esse, sed consilium sequi, per quod & sanctis muneribus reverentia conservetur, & ægrotanti acquiratur securitas. Dum non prorsus expers talis viatici, rebus terrenis excedit. Fiat hoc, si labra, & lingua tenue adhuc spirantis, nec omnino extincti, per contactum, & inunctionem sanctorum Sacramentorum obsignetur. Aut potius si ad infirmitatem ejus communio accommodetur. Sic ille. Si ergo non poterit comedere, sed solùm bibere, unam tantùm speciem sumet.

Postremò illa quoque ratio ad probandum sufficere unicam speciem non est contemnenda. Nam Sacramentum Eucharistiæ institutum est in specie panis, & vini ad significandam, & per consequens efficiendam (nam Sacramenta efficiunt quod significant) refectionem animæ spiritualem. Quemadmodum corpus reficitur cibo, & potu corporali. Sed in spiritualibus non distinguitur fames à siti. Siquidem eadem res dicitur esuriri, & sitiri. Ecclesi. 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Et Matthæi cap. 5. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Si igitur eadem est materia famis, & sitis spiritualis, scilicet sapientia, vel justitia; idem etiam erunt cibus, & potus spiritualis, & per consequens idem erit appetitus utriusque, sive nomine famis, sive nomine sitis metaphoricè significetur.

Porro in hoc Sacramento Christus esuritur, Christus sititur. Is satiat, & famem explet, is sitim extinguit. Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Igitur cibus, & potus idem sunt. Nam venire ad Christum, & credere in eum, idem sunt. Quippe fide viva ad Christum accedimus. Quo nostro accessu explemus famem, sitim extinguimus. Ut intelligamus, ait Augustinus tractatu 25. in Joannem, in spiritualibus non esse aliud famem, quàm sitim, neque aliis bonis, seu gratiis depelli.

Ad hoc autem sititur, & esuritur Christus, ut reficiat animam, hoc est, ut nutriat charitatem, ut accendat ejus fervorem, ut intimè animam secum conjungat: quos effectus æquè producit Christus qua est sub specie panis, atque qua est sub specie vini. Si quis enim peculiarem effectum pani attribuat, & propterea dicat, pane corroborari, & confirmari cor hominis, juxta illud Davidis Psal. 103. Panis cor hominis confirmat: vino exhilarari, secundùm illud alterum dictum, Vinum lætificat cor hominis, is profectò in spiritualibus longè fallitur. His enim verbis metaphoricis eadem res significatur: quippe eadem charitas est, qua & confirmatur cor hominis, & in Domino lætificatur.

Solvuntur adversariorum argumenta pro bina specie.

Caput LIV.

Sed ad argumenta respondeamus. Ad locum itaque Joannis, Caietanus 3. p. q. 80. a. 12. q. 1. & Joannis 6. item Jansenius cap. 59. Concordiæ, & quidam Catholicorum recentiores arbitrantur, non posse commodè explicari ad literam locum Joannis de comestione sacramentali, neque in re, neque in voto; propterea quòd ex hac expositione sequeretur teneri omnes ad communionem sub utraque specie, & non posset defendi usus occidentalis Ecclesiæ. Proinde asserunt de manducatione per fidem, vel per amorem debere intelligi ad eum modum, quo dicitur in priori ad Corinthios cap. 10. de Patribus veteris testamenti, omnes eandem escam spiritualem manducasse, & eundem potum spiritualem bibisse.

Non possum non in eo laudare hos auctores, quòd maluerint ita exponere, quam reprehendere antiquissimum usum Romanæ Ecclesiæ, addo etiam Græcæ.

Uerùm hanc opinionem minùs probabilem efficit veterum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum sententia. Licet enim quandoque sensum spiritualem qui-

dam eorum ſequuti de fide locum illum ſint interpretati; nemo tamen unquam negavit de Euchariſtia eſſe intelligendum. Et re ipſa fere omnes ſic eum intellexerunt, & quidam etiam commentariis illuſtrarunt. Adde quòd Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola quadam ad Neſtorium adverſus eundem hæreſiarcham ex loco Joannis colligit, carnem Chriſti, quia vivificatrix erat, non fuiſſe tanquam unius hominis ex nobis ſanctificati, ſed ipſiuſmet verbi, καθ' ὑπόστασιν, verè propriam factam. Quæ illius Epiſtola coram toto Concilio Epheſino fuit lecta, & ab omnibus approbata. Poſtremò Patres Concilij ſeptimi generalis, hoc eſt ſecundi Nicæni, actione 6. ad finem illius actionis 5. videtur quidem, & Tridentini ſeſſ. 13. cap. 2. locum Joannis de ſacramento Euchariſtiæ expoſuerunt.

Neque Capharnaïtæ murmurantes dixiſſent, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Et multi diſcipuli non abiiſſent. Manducationem enim per fidem non fuiſſent admirati, cùm paulò antè audientes dari à Patre panem de cœlo verum, illum expetierint. Ipſeque in primis S. Joannes Evangeliſta, ut in multis aliis ſolet, ſi alia mens Salvatoris fuiſſet, eam profectò explicaviſſet: neque anſam errandi poſteritati præbuiſſet.

Poſito itaque locum debere intelligi de vera, & Euchariſtica comeſtione, ſecundùm varias auctorum ſententias, quas ſuprà recenſuimus, cùm hunc locum deditâ operâ tractaremus, ad eum varia reſponderi poſſunt. Nam ſanctus Auguſtinus, qui neminem, ne quidem infantes ab ea ſententia excludit, ea verba diceret intelligi de convivio in Eccleſia Chriſti, in quo verus ſit quidem cibus corpus Chriſti, idque per modum comeſtionis, & verus potus ſanguis Chriſti per modum potionis; attamen ad participandam hanc menſam ſatis eſſe nonnullis, ſi ejuſmodi ſint, qui nullum habeant impedimentum, quominus ad eos menſa Domini ſpectet, quales ſunt infantes, qui participare dicuntur; quamvis re ipſa Euchariſtiam non percipiant, ſecundùm ea, quæ ſuprà diſputata ſunt. Aliis ſufficere, ſi re ipſa participent: quales ſunt adulti, quamvis unam ſpeciem participent. Neque enim ſi quis in convivio comederit, & vinum non biberit, ſed aquam, dicetur propterea non participaſſe. Tandem præcepto ſatisfieri, ſi non deſint alij, qui & comedant, & bibant. Itaque de jure divino eſt convivium in Eccleſia: de jure quoque divino illud eſt, ut ſint, qui jus ad illud habeant, & ſuo tempore ad participandum accedant. Item qui de facto unam, aut alteram ſpeciem ſumant, & qui ambas neceſſariò participent. Non tamen de jure divino eſt, ut qui unam percipit, neceſſariò & alteram percipiat.

Hæc dici poſſunt ex ſententia S. Auguſtini. Si enim Auguſtinus ſaluat verba Dominica in infantibus, ex eo quòd ſint capaces manducandæ menſæ Domini, multò magis iiſdem ſatisfaciet, ex eo quòd nonnulli re ipſa conviventur, & unius ſpeciei fiant participes.

Porrò hæc expoſitio poteſt æquè bene accommodari alteri ſententiæ, quæ præceptum in adultis agnoſcit. Satis enim erit ſi adultorum ſint in Eccleſia, partim qui unicam, partim qui binas ſpecies ſumant, quales ſunt Sacerdotes.

Sed non deſunt aliæ quoque ſolutiones. Illa in primis videtur ſolida. Particulam (&) non rarò in ſacris literis ſecundum phraſim Hebræam facere ſenſum diſiunctum, habereque vim diſiungendi, non copulandi. Sic Exodi 21. ubi legitur in Hebræo, Qui percuſſerit patrem, & matrem morte moriatur, veriſſimè, clariſſimeque ſeptuaginta Interpretes verterunt diſiunctivè: ὃς τύπτει πατέρα αὐτοῦ, ἢ μητέρα αὐτοῦ, θανάτῳ θανατούσθω. Qui verberat patrem ſuum, aut matrem ſuam, morte moriatur. Et ſimiliter vertit Latinus interpres vulgatæ editionis: Qui percuſſerit patrem, aut matrem.

Nam ad eam pœnam ſubeundam, ſatis eſt alterum occidiſſe. Simile eſt illud Apocalypſis 1. Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus. Senſus enim eſt, Beatus qui legit, vel audit. Neque enim qui neſcit legere, ſi audierit, non erit beatus. Sic

Act. 3. Argentum, & aurum non est mihi, sensus est, argentum, vel aurum non est mihi, sive quod idem est, neque aurum habeo, neque argentum. Aliter enim non bene se excusasset princeps Apostolorum, non potuisse facere eleemosynam, si dictum illius copulativè accipiatur.

Unde sanctus Paulus in priori ad Corinthios, qui priùs dixerat; Quotiescumque » manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, postea usus est disiunctione: Quicunque » manducaverit panem, vel biberit calicem » Domini indignè. In Græco enim disjunctiva dictio est, quæ in Latino copulativa. Ita etiam legit S. Cyprianus in sermone de lapsis, & libro 3. Epistolarum Epistola 14. & 15. Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè.

Nec tantùm in sacris literis de rigore sermonis particula (&) aliquando sumitur loco disiunctivæ, sed etiam apud profanos, & Philosophos. Aristoteles in Physicis, Natura est, inquit, principium motus, & quietis: non potest autem esse respectu ejusdem simul principium motus, & quietis; sed est principium motus in iis, quæ moventur, & est principium quietis in iis, quæ quiescunt. Quod idem valet, ac si diceret: est principium motus, vel quietis. Sic etiam in prædicamentis, Proprium, inquit, quantitatis est æqualitas, & inæqualitas, id est, vel inæqualitas. Nam hæ proprietates profluunt quidem ex quantitate, sed non semel respectu cujuslibet.

Nec minùs solida est, & quæ omnem tollat difficultatem communis solutio. Ex regulis enim interpretandi sacram Scripturam, quando nullum sequitur absurdum, aut indecorum, verborum vis retinenda est. Idcirco verissimè affirmamus, & firmissimè credimus sub specie panis contineri sanguinem Christi per concomitantiam, ut Scholastici loquuntur, & sic vera esse verba Domini. Siquidem una, eademque res sub quavis specie detur, famem, & sitim omnem sedat.

Sed objicit Jansenius, illo 59. capite. Quòd licet sumatur sanguis, illa tamen sumptio non dicitur bibitio, cùm non sit per modum potus. At Christus ait, Nisi biberitis.

Hoc argumento urgerentur etiam Græci, qui in præsanctificatis liturgiis consecratum panem tinctum sanguine comedunt, non bibunt.

Ad hoc tamen cum doctissimo Bellarmino de Sacramento Eucharistiæ lib. 1. cap. 7. & aliis Doctoribus respondendum est: Non utique modum sumendi, sed rem ipsam spectandam esse. Neque enim mens legislatoris ea fuit, ut ad modum, sed ad rem ipsam sumendam obligaret. Siquidem fructus hujus perceptionis ex rebus oritur. Sicut etiam medicina non quia bibitur, vel editur prodest, sed quia habet ipsa vim sanandi. Ob eamque causam Dominus, qui priùs dixerat, Nisi manducaveritis, & biberitis, postea explicans quid sit illud manducare, & bibere ait, Qui manducat me, vivet propter me. Totum igitur Christum comedendo sumimus, & vivimus.

Ad secundum sciendum est, Christum aliquando locutum fuisse cum Apostolis strictè personas eorum intelligendo, & exprimendo, ut cùm eis dixit, Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus. Aliquando verò, ut repræsentabant omnes Episcopos, vel Sacerdotes, ut cùm dixit, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Aliquando ut sustinebant personam omnium fidelium, quemadmodum ipsemet Christus explicavit Matthæi 13. Quod vobis dico, omnibus dico. Quæritur modò quonam pacto sint intelligenda singula verba Christi, Accipite, comedite, bibite, & in quem sensum ea dixerit Apostolis Dominus, videlicet ut privatis, an ut personis publicis, an etiam latissimè tanquam ea diceret omnibus.

Igitur illa verba, Accipite, comedite, bibite ex hoc omnes, videntur dicta esse Apostolis, non secundùm proprias eorum personas, nihil enim est hìc singulare, quod non conveniat cæteris. Nam si Apostoli sumpserunt utramque speciem, sumpserunt etiam laïci antiquitus. Neque ut gerebant personam Episcoporum, vel Sacerdotum, cùm nondum essent sacris initiati. Ergo ut omnes fideles repræsentabant. Quod etiam ex eo probatur. Nam Aposto-

li eo tempore non sacrificarunt. Quippe solus Christus incruenter seipsum obtulit: ergo ut laïci communicarunt.

Respondeo primùm, secundùm solutionem superiùs datam, illis verbis institui, tum sacrificium, tum sacramentum, & convivium in Ecclesia Christi, usus item eorum. Proinde ut præstetur quod imperatum est, satis esse, si sint in Ecclesia, qui sacrificent, qui distribuant, qui sumant, qui bibant, qui comedant. Corpus enim mysticum Christi, quod est congregatio fidelium, hæc omnia munera exequitur.

Deinde dico, ea verba posse intelligi de personis Apostolorum. Nam ut Joannes ait, Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos: in signum autem eximiæ suæ charitatis erga eos, corpus suum comedendum, & sanguinem bibendum exhibuit. Hoc est, totum illud exhibuit, quod etiam ipse sumpsit, & illis in solatium exhibuit, qui plus cæteris de sua passione contristandi erant. De illis enim dixerat, vos permansistis mecum in tentationibus. Adde consentaneum fuisse utramque speciem dari Apostolis, quia erat initium institutionis, & erant pauci communicantes, nullumque periculum effusionis, & indecentiæ. Sed illud singulare Christi factum, non debet trahi ad exemplum pro omnibus, & quoad omnia; alioquin multa alia præstanda essent, quæ minus convenirent.

Tertiò dico, Apostolis dicta esse illa verba, quia mox futuri erant sacerdotes: voluit autem eos totum illud sumere, quod postea sacerdotes creati sumpturi erant.

Tandem ut concedamus Apostolos in eo facto omnes fideles repræsentasse, nihil inde tamen ampliùs obtineri potest, quàm quod omnibus concessa sit utraque species. Neque enim de jure divino alicui denegatur, sed neque imperatur, ut cogamur sub præcepto divino utramque sumere. Unde illa verba, accipite, comedite, bibite, invitantis sunt, & porrigentis, ut fieri solet in quolibet convivio, non imperantis.

Porro illud, hoc facite, variè à sacris Doctoribus accipitur. Chrysostomus enim Homilia 17. ad Hebræos, ad sacrificium applicat. Et Damascenus libro 4. de fide c. 14. Dixit, inquit, Deus, hoc facite, & omnipotenti ejus imperio hoc efficitur. Basilius autem in moralibus regula 21. cap. 3. de ipsa sumptione verba Domini exponit, ut etiam Cyrillus Alex. libro 12. in Joan. c. 58. illa verba de participatione corporis Domini in commemorationem passionis ejus intelligit.

Cyprianus verò ad totam actionem refert in sermone de cœna Domini. Ex quo, « inquit, à Domino dictum est, hoc facite, « panis ille solemni benedictione sacratus « ad totius hominis vitam, salutemque proficit. « Simul medicamentum existens, & « holocaustum. « Possunt autem reconciliari auctores, quia Chrysostomus, & Damascenus non negant posse intelligi etiam de sumptione. Ut neque Basilius negat posse accipi etiam pro sacrificio. Unum incommodum patitur hæc expositio, quia si dicamus Apostolos communicasse ut laïcos, videtur præcepta esse Eucharistia sub utraque specie. Nam Dominus ait, Bibite ex hoc omnes.

Sed ad hoc responsum est, ita dixisse Dominum, quia potest dari utraque species. Et aliquando data est in Ecclesia Latina ex rationabili causa, modò denegatur. Unde in eo quòd dicit, bibite, non præcipit, vel si præcipit non illud imponit Apostolis ut laïcis, sed ut mox futuris presbyteris.

At enim dices, videtur imperare. Siquidem ait, hoc facite, id est, consecrate, ut ego ipse consecravi. Distribuite aliis, ut ego ipse distribui vobis: distribuit autem sine dubio panem & calicem.

Respondeo, duo Dominum præcepisse, sacrificium, & communionem laïcam: quia tamen Apostolos per illud præceptum sacerdotes instituebat, dedit illis utramque speciem, docendo eos quomodo sacrificium absoluere debuissent. Unde Apostoli non solùm ut laïci, & repræsentantes omnes fideles unam speciem prius sumpserunt, sed etiam veluti sacerdotes sub altera quoque specie communicarunt. Quare meritò dixit illis, bibite ex hoc omnes. Atque hæc dico, si ea verba,

bibite

bibite omnes, præceptum significent. Sin autem invitantis verba sint, ut certò esse possunt, tunc aliter dicendum est. Nempe Christum Dominum per illud verbum facite, præcepisse Apostolis sacrificium. Item præcepisse distributionem Sacramenti, sed eo modo, quo ipse distribuerat: & quoniam ipse distribuit utramque speciem non imponendo præceptum, sed invitando, similiter præcepit Apostolis, ut eam darent sub utraque specie nullo præcepto adhibito. Quod est dicere, præceptum cadere super distributionem, non autem super distributionem utriusque speciei. Ubi itaque non intervenit præceptum, potest aliquis ex rationabili causa vel non dare utramque speciem, vel non sumere. Quod utrumque fecerunt, & permiserunt Apostoli, & ab Apostolis acceptum servavit deinde tota Ecclesia, ut multis exemplis allatis suprà probavimus.

In memoriam autem passionis Domini facimus, quod Christus nobis mandavit, sive sacrificium offeramus, sive sacramentum in una, vel duplici specie sumamus. Et quidem de sacrificio, & duplici specie in Sacramento nulla est difficultas: sed neque de unica specie difficultas esse potest, quia per unam speciem totum Christum sumimus, qui passus est pro nobis. Unde Paulus Apostolus in priori ad Corinthios cap. 11. post singularum specierum consecrationem, & distributionem ponit illa verba, Hoc facite in meam commemorationem. Itaque semper in memoriam ejus facimus, hoc est mortem Domini annunciamus, donec veniat, quando corpus seorsim consecramus, & illud sumimus. Et similiter quando calicem benedicimus, & distribuimus. Et propterea concludit Apostolus διαζευκτικῶς, Itaque quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè. Neque tamen negandum est, quin in sacrificio memoria passionis Domini magis expressè fiat.

Ad auctoritates Patrum. Sanctus Cyprianus non facilè concedebat Eucharistiam lapsis, immo alios reprehendit, qui erant faciles ad concedendum. Verumtamen, quia instabat tempus certaminum, & periculum erat, ne Athletæ Christi succumberent, nisi corroborarentur, libenter eos ad communionem admisit. Et quoniam in usu erat utraque species, egregiè allusit ad sanguinem Domini, cùm ipsi interim pro Christo proprium sanguinem profundere parati essent.

Similis locus extat in libro secundo Epistolarum Epistola tertia: Quomodo, inquit, possumus propter Christum sanguinem fundere, & sanguinem Christi erubescimus bibere? Sed ibi agit contra quosdam, qui in calice Dominico aquam solam offerendam putabant. Et propterea dicit, Quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice sanctificando, & poculo ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit, & docuit. Loco enim consecrandi vinum cum aqua permixtum in calice, & illud secundùm morem illius temporis Christi fidelibus impertinendi, aquam benedicebant, & communicantibus porrigebant, quod planè contrarium est factis, & doctrinæ Christi.

Testimonium autem, quod adducitur ex sermone de cœna Domini, integrum sic se habet. Nova est hujus Sacramenti doctrina, & scholæ Evangelicæ hoc primum Magisterium protulerunt, & Doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ auctoritas districtissimè interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur. Sed ut vera sit hæc sententia, satis est, si in Ecclesia sint Christiani, qui ex præcepto bibant sanguinem, quales sunt Sacerdotes, immo sint omnes, qui comedant sanguinem, contra quam lex antiqua præcipiat.

Chrysostomus nullum agnoscit discrimen inter Sacerdotem & laïcum in eo sensu quo id affirmat, quia de facto uterque sub utraque specie communicabat juxta consuetudinem illius sæculi. Et tamen maximum discrimen agnosceret in alio sensu, quòd Sacerdoti utramque sumere necessarium sit, laïco solùm liceat. Unde illo ipso tempore Chrysostomi, ne-

mo unquam Sacerdotum celebrantium à duplici ſpecie abſtinuit: at non ſemel, neque pauci laïcorum à poculo abſtinuerunt, & una tantùm ſpecie contenti fuerunt, ut jam oſtendimus.

Cyrillus non hoc ſibi vult, quod adverſarij volunt. Sed conſiderata conditione corporis humani, quod natura ſua corruptibile eſt, aliter ait, non potuiſſe fieri, ut evaderet immortale, niſi conjungeretur cum corpore auctoris vitæ: οὐ γὰρ ἦν ἑτέρως ζωοποιηθῆναι δυνάσθαι τὸ φθείρεσθαι πεφυκὸς, εἰ μὴ συνεπλάκη σωματικῶς τῷ σώματι τῆς κατὰ φύσιν ζωῆς, τουτέστι τοῦ μονογενοῦς. Non enim poterat aliter vivificari, quod ſuapte natura ſolet corrumpi, niſi corporaliter cum corpore vitæ, quæ natura ſua vita eſt, hoc eſt unigeniti conjunctum fuiſſet. Et ad hoc probandum adducit verba Chriſti, Amen, Amen dico vobis: καὶ εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς καταπείθῃ λόγοις, ἐπίδος τὴν πίστιν αὐτῷ βοῶντι Χριστῷ. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίνητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα ἔχει ζωὴν αἰώνιον, κἀγὼ ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Et ſi meis verbis non adduceris, ut credas, ipſimet Chriſto fidem præbe clamanti, Amen, Amen dico vobis, Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Deinde ponit verba objectionis, ἀκούεις ἤδη λοιπὸν ἐναργῶς, &c. Audis jam apertè eum proclamantem, non habituros nos vitam, niſi ſanguinem ejus biberimus, & carnem manducaverimus? Tandem concludit eſſe, τῶν ἀμηχάνων θανάτῳ νικᾶσθαι τὴν ζωὴν, rem impoſſibilem morte ſuperari vitam. Quæ profectò ejus ratio & cauſa, quam reddit, ſatis arguit, non requiri binas ſpecies, ſed bene tamen requiri vitam in eis contentam.

De conficienda Euchariſtia in cœna Domini, & longo tempore aſſervanda.

Caput LV.

CONficiunt Græcorum Preſbyteri Euchariſtiam feriâ quintâ ſanctioris hebdomadis in memoriam cœnæ Domini, ut habeant viaticum pro infirmis per totum annum. Quæ res etiam probat uſum unius ſpeciei.

Antiquus eſt mos aſſervandi ad longiſſimum tempus ſacram Euchariſtiam. Meminit enim Sophronius in Prato ſpirituali cap. 79. aliquando per annum integrum ſervatam fuiſſe. Euſebius etiam ſcribit in libro 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 44. ex epiſtola Dionyſij Alexandrini, Preſbyterum dediſſe puero particulam Euchariſtiæ deferendam cuidam Serapioni ſeni ægroto, & juſſiſſe, ut eam priùs madefaceret, quàm ſeni porrigeret. Cùm enim ſervarent longo tempore Euchariſtiam pro ægrotis, neceſſariò fiebat, ut ſpecies illæ panis dureſcerent, ita ut non facilè deglutiri poſſent, præſertim à valde debilitatis, & quos vires omnino defecerant.

His adjice S. Amphilochium, vel quicunque ſit auctor, qui in vita Baſilij Magni ſcribit, eum, cùm prima vice ſacris operaretur, panem in tres partes diviſiſſe, & unam quidem communicaſſe timore multo; alteram autem reſervaſſe, quam eſſet accepturus ſub finem vitæ pro viatico: Tertiam verò columbæ impoſuiſſe aureæ, quæ ſuper altare pendebat. Refert deinde idem auctor Baſilium in exitu vitæ, illam partem, quam longo tempore aſſervaverat, ſumpſiſſe. Ex quo habemus, Baſilium in ſola ſpecie panis Euchariſtiam accepiſſe. Et re vera prout potui diligenter obſervare toto illo tempore, illæ ſpecies fermentatæ non corrumpuntur, ſed ſolùm dureſcunt, ita parant durum, & ſolidum panem. Si tamen aliquoties per annum renovaretur Sacramentum, tutius, ac ſatius eſſet, & minus periculum de cor-

ruptione, quæ quandoque solet accidere, quando eam, quam par est, diligentiam non adhibent.

Neque desunt stolidi, qui existiment sacram Eucharistiam illo die præparatam, majorem quandam vim habere perficiendæ sanctitatis, quàm si alio tempore pararetur. Quasi verò Christus Dominus alius, & alius magis, vel minus perfectus esse possit. Unde ad tollendam hanc eorum stultam superstitionem, non abs re foret, si prudentiores Græcorum sæpius per annum renovato Sacramento hanc consuetudinem obliterarent.

Græci rectè-ne an secus Eucharistiæ panem sanguine tingant.

Caput LVI.

HAnc eandem sacratissimam Eucharistiam, quam præparant pro infirmis in Cœna Domini per modum viatici, sanguine Domini tingere solent.

Quod etiam colligunt nonnulli ex S. Prospero in dimid. tempor. cap. 6. sed meo judicio locus Prosperi alium sensum commodè admittere potest. Nam ibi narrat vir sanctus de quadam obsessa à dæmone, quę per multos dies jejunaverat, eò quòd non posset deglutire, exhibitam illi fuisse particulam Eucharistiæ à Sacerdote tinctam, si fortè miraculosè sanari potuisset. Potuit autem Sacerdos tingere, ac madefacere, vel aqua simplici, vel vino minùs » consecrato. Peracto, inquit, sacrificio, cùm » eadem inter cæteras brevem particulam » corporis Domini tinctam à Sacerdote per» ciperet. semihora mandens trajicere non valuit. Uel si sanguine Sacerdos particulam tinxit, fuit illud factum singulare, idque propterea, ut faciliùs ἡ ἐνεργουμένη deglutiret. Unde non fuit in Ecclesia Romana consuetudo universalis.

Hoc tamen decrevit Concilium Turonicum Burchardo referente in libro 5. c. 9. ut scilicet Presbyter verè possit dicere: corpus, & sanguis Domini nostri Jesu Christi. Dicunt Græci similia verba, dum ægrotos communicant, & illis porrigunt species panis sanguine quidem tinctas, sed exiccatas, quas statim aqua, vel vino simplici madefaciunt. Uerùm an ob eam causam, vel aliam ita Græci faciant, certò non potest sciri. An etiam Græci à Concilio Provinciali in extremis partibus proximis Oceano (Turones enim populi sunt prope Oceanum) & Latinè habito talem consuetudinem acceperint, quòd mihi non valdè fit verisimile. An Concilium à Græcis hoc mutuatum fuerit; prorsus ignoro, potest enim neutrum esse.

Uerùm quicquid sit, hoc fuit emendatum à Concilio Bracarensi 3. ante Bedæ tempora celebrato can. 1. Damnatur enim illa intinctio panis, & quidem meritò. Nam vel fit ut habeatur sanguis Domini, vel ut habeatur per modum potus. Si ut habeatur, frustrà tingitur: quia in specie panis non deest sanguis cum corpore per concomitantiam, ut Scholastici loquuntur. Et idcirco dicimus, perfectissimam esse unamquamque speciem separatim sumptam, neque indigere supplemento. Quippe quæ effectum alterius cumulatissimè præstat, & supplet. Si verò ut habeatur in specie panis per modum potus, frustrà etiam intingitur: quia in pyxide sacramentum diu retentum exiccatur, & non bibitur ille panis, ita tinctus, sed solùm editur.

Hæc si vera sunt, Græcos hac de causa ita fecisse; ut meritò apud Latinos abrogatũ fuit, sic ut apud Græcos hoc idem fieret, optandum esset. Ne Græci putarent species panis, vel species vini seorsum acceptas, non esse perfectum corpus Christi, & Sacramentum. Ac proinde in communione, quod Græci faciunt, necessariò distribuendas esse ambas species.

Et si difficile sit non unitis istud persuadere, saltem tamen Presbyteri Græci cum Romana Ecclesia consociati poterunt in parœciis, quarum erunt rectores, tollere hanc prorsus consuetudinem, & Sancta Sanctorum sanctè tractare, populoque Christiano religiosè administrare, præsertim in ditione Pontificia, & dominiis Principum Catholicorum. Ex hoc enim facto

nullum omnino ſcandalum ſubſequetur; cùm neſciat populus quid fecerit Sacerdos, & qua ratione ſive ſanguine tinctam, ſive aliter ſacram Euchariſtiam ſervaverit.

Quod verò de pane tincto prudenter hîc faciendum monuimus, idem in præſanctificatis liturgiis, quas Græci προηγιασμένας vocant, ſervandum cenſeo: non enim tingendus eſt panis propter rationem allatam. Quod etiam obſervarunt alij Græci, ut eſt videre in Epitome ſacrorum Canonum Armenopuli. Siquidem in ſexto titulo, ubi refertur 52. Canon Trullanus de peragendis præſanctificatis liturgiis per totàm quadrageſimam, excepto Sabbato, & Dominica, & Annuntiationis feſto, hujuſmodi addunt ſcholium: τὸ μὴ χρίειν τὰ προηγιασμένα διὰ τῆς λαβίδος τῷ δεσποτικῷ αἵματι ἐν τῷ μέλλειν ταῦτα φυλάττειν, ἀκριβέστερόν φησιν ὁ μακάριος Ἰωάννης, ὡς καὶ ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ γινόμενον. Non eſſe tingenda præſanctificata per cochlear ſanguine dominico, dum cuſtodienda ſunt, accuratius tradit beatus Joannes, ut quod etiam in Eccleſia noſtra majori fiat. Per Joannem, fortè jejunatorem intelligunt, cui beati nomen immeritò attribuunt, cum teſte Innocentio tertio in literis ad Joannem Patriarcham Conſtant. jejunator excommunicatus obierit, quippe qui ſibi titulum Oecumenici ambitioſè uſurpaverit. Per Eccleſiam majorem, Conſtantinopolitanam intelligunt. In orationibus illius Miſſæ reperiuntur illa verba, τὸ ζωοποιὸν αἷμα, & τοῦ αἵματος. Quæ vel omittenda ſunt, & nulla mentio facienda eſt ſanguinis, ut etiam nullam faciunt Latini in officio ſacratiſſimæ Paraſceves, in quo ſumitur corpus ſine ſanguine, & rubricæ melius corrigendæ; vel nihil omnino refert. Loquutio enim iſta ſatis etiam bene exprimitur, & vera eſt, etiam ſi una tantùm ſpecies ſumatur, in qua ineſt altera. Quare Græci, qui ſanguinem Chriſti in præſanctificatis per modum potus minimè ſumunt, hoc modo loquendi egregiè concomitantiam aſtruunt.

Sed bene eſt, quòd præſanctificatarum liturgiarum mentionem fecerimus. De his enim aliquid ſupereſt quod dicamus.

De præſanctificatis liturgiis, an ſint vera ſacrificia.

CAPUT LVII.

Qui tenent conſecrationem eſſe præviam diſpoſitionem ad ſacrificium, eſſentiam verò ſacrificij in conſumptione myſteriorum conſiſtere putant, hi conſequenter fateantur neceſſe eſt, hujuſmodi ſacra eſſe vera ſacrificia, quippe in iis conſumitur hoſtia.

Faveret huic opinioni mos Græcorum, qui per totam ferme quadrageſimam, exceptis Sabbatis, & Dominicis, præſanctificata ſacra celebrant. Non eſt autem veriſimile, Græcorum Eccleſiam tanto tempore voluiſſe carere vero ſacrificio. Præterea in hac ipſa præconſecrata liturgia dicitur, ἰδοὺ θυσία μυστικὴ, τετελειωμένη. En ſacrificium myſticum, & conſummatum, ſeu perfectum.

At verò qui ponunt eſſentiam ſacrificij in conſecratione conſiſtere, longè probabiliùs tenent non eſſe ſacrificium. Sunt autem ex Latinis multi: ex Græcis poſterioribus videtur eſſe Nicolaus Cabaſilas in expoſitione liturgiæ cap. 32. qui unanimi conſenſu docent, Chriſtum Dominum neque antè, neque pòſt, ſed in ipſa conſecratione ſacrificaſſe: ἡ θυσία οὔτε πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι τὸν ἄρτον, οὔτε μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι τελεῖται, ἀλλ' ἐν αὐτῷ τῷ ἁγιάζεσθαι. Sacrificium, inquit Cabaſilas, neque antequam panis ſanctificetur, neque poſtquam eſt ſanctificatus, peragitur, ſed eo ipſo tempore, quo ſanctificatur. Et certum eſt ita eſſe. Tunc enim mutatur terminus à quo ſcilicet panis, & producitur terminus ad quem corpus Chriſti. Quæ ſunt de eſſentia ſacrificij, ut in materia de particulis diſſeruimus. Sed in præſanctificatis nulla fit mutatio in terminis, igitur non ſunt ſacrificia. Quare Græcè dicitur ſacrificium myſticum, & conſummatum, ſeu perfectum, certè non alia de cauſa niſi propter conſe-

crationem præteritam. Alioquin non diceretur perfectum, ſi in conſumptione conſiſteret, quæ longè poſtea fit.

Sed dices, quare igitur dicitur θυσία ſacrificium? Reſpondeo, quia ſunt reliquiæ præteriti ſacrificij nondum conſumpti.

Latini verò præter alias rationes ad probandum non eſſe ſacrificium, has etiam afferunt probabiliſſimas conjecturas. Quia Romana Eccleſia in ſacratiſſima Paraſceve utitur hoc ſacro. Cùm enim non ſit ſacrificium, non repræſentat mortem Chriſti. Non debet autem mors Chriſti repræſentari, quia eo die recolitur ejus realis mors ſeu ſacrificium cruentum, prout in ſimili die re ipſa geſtum eſt. Ideo ſecundùm B. Thomam non fit tunc conſecratio. Ne videlicet fiat expreſſa, & myſtica repræſentatio mortis Chriſti. Immo fortaſſe (inquit Suarius) ideo tunc non fit conſecratio, ne Chriſtus in propria perſona vivens, & loquens introducatur eo die, quo mortuus recolitur. Et eadem ratione non interponitur ejus perſona, ut offerens ſacrificium incruentum, ſed ſolum fit repræſentatio ejus ut offerentis cruentum. Non ergo fit eo die proprium ſacrificium in Eccleſia, quia nullum fieri poteſt in ea ſacrificium, in quo Chriſtus non ſit principale offerens incruentum.

Præterea de integritate ſacrificij eſt, quæ ad illius eſſentiam ſpectet, ut fiat ſub duplici ſpecie. Ibi non ſunt duæ ſpecies, ergo.

Sed hoc argumentum pro Græcis non valeret, quia panem conſecratum ſanguine tingunt, meritò tamen eam tinctionem, quia exiccatur, & fruſtra fit, rejiciendam eſſe duximus. Quod multo magis nunc affirmamus, quia non eſt verum ſacrificium, ut ex Canone 49. Concilij Laodiceni mox conſtabit.

Ob has rationes Suarius in materia de ſacrificio, uſum Græcorum quia extra illud tempus Paraſceves hujuſmodi peragunt ſacra, improbare videtur.

Conſuetudo Græcorum colligitur ex Concilio Laodiceno can. 49. ubi habetur, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰμὴ ἐν σαββάτῳ ϗ κυριακῇ. Quòd non oportet in quadrageſima panem offerre, niſi in Sabbato, & Dominica. Si igitur præſanctificata ſacra per alios dies hebdomadis celebrantur, ſignum eſt non eſſe vera ſacrificia. Quòd enim per panem offerre, intelligatur ſacrificium, patet ex Canone quinquageſimo primo ejuſdem Concilij, quo vetantur Græci aliis diebus quadrageſimæ celebrare natalitia ſanctorum Martyrum, excepto die Sabbati & Dominico: ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ μαρτύρων γενέθλιον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων μνείαν ποιεῖν ἐν τοῖς σαββάτοις, ϗ κυριακαῖς. Idque propter jejunium. Quando enim celebrantur feſtivitates Sanctorum apud Græcos, more Judaïco jejunium ſolvitur. Quia ergo jejunium quadrageſimæ ſolvere nefas eſt, ideo Græci non celebrant Martyres; ſed tantùm die Sabbati, & Dominico celebrationes admittunt, quando & jejunium ſoluunt. At neque ſacra habent ordinaria. Si enim haberent, haberent etiam pro Martyribus: ſed vetantur citatis Canonibus. Adde quòd cùm jejunent, & valdè tardè hoc eſt circa, vel poſt meridiem incipiant horam nonam, cum qua conjungunt veſpertinas preces, & ſacra præſanctificata, ſintque prolixæ ceremoniæ, jam elabitur tempus ſacrificij. Ipſi verò abſolutis in templo precibus, tum demum comedunt. Quocirca jejunium apud Græcos ſacrificium verum impedire videtur, non autem præſanctificatum.

Sed objicit Suarius citatum Canonem, quo prohibentur aliis diebus ſacrificia, non autem conceduntur præſanctificata.

Verùm dicendum, meliùs illum canonem ante mille annos intellexiſſe Trullanos Patres can. 52. qui eum citant, & ex conſuetudine orientalis Eccleſiæ rectè interpretantur.

Ab Eccleſia verò Romana (quando & hoc Suarius nobis objicit) ille Canon, non quidem eſt acceptatus, quia ipſa non eo utitur; At neque reprobatus. Immo acceptatus, quia non reprobatus. Multa enim non damnat Græcorum, quibus tamen ipſa minus utitur. Quod nimirum non ſit neſcia,

quamlibet Ecclesiam antiquum suum ritum servare posse, ac debere.

Quod si spectemus congruentias, præter ea quæ attulimus, dicent Græci eadem, quæ Latini. Cùm enim tempus quadragesimæ, sit tempus pœnitentiæ, & luctus, ac passionem Domini si unquam alias eo maximè tempore ruminare debeamus; Non incongruum esse videtur, si præsentetur persona Christi, ut offerentis sacrificium cruentum, ac proinde non fiant sacrificia incruenta. Hæc enim pendent ex aliqua congruentia, & pia consideratione.

Quòd autem apud Prophetam dicitur, juge sacrificium Evangelicum, id nihil officit. Patitur enim aliquam exceptionem. Atque ut apud Latinos cessat in die Parasceves; ita apud Græcos cessat per illos dies quadragesimæ. Vel dicitur juge, quia reperitur ferme semper in vera, & universali Ecclesia, ita Domino disponente. Aliqua tamen pars veræ Ecclesiæ, potest eo ad tempus abstinere ob rationabiles causas. Quod ideo dico, quia suppono apud Græcos hanc consuetudinem cœpisse antequam inciperet schisma, per consequens quando erat concordia Ecclesiarum.

De abusu Calicis in præsanctificatis.

CAPUT LVIII.

SOlent Græci in præsanctificatis liturgiis, antequam incipiant sacrum, reponere sacramentum contentum in patina super parvum altare propositionis, & infundere vinum in calicem sine ullis precibus. Deinde circa medium sacrum Sacerdos si solus celebrat, patina imposita capiti, & calice manu dextera apprehenso transfert ad majus altare. Dum autem exit extra adyta, & cancellos ante pectus gerens calicem, fit adoratio populi.

Offenduntur nonnulli Catholicorum, quòd Sacerdos secum ferat calicem non consecratum, & patiatur à populo adorari. Sed tolerabilis est mos. Nam patinam continentem Christum honoris, & devotionis causa imponit capiti. Calicem simpliciter tenet. Quia postea ex præcepto rubricarum liturgiæ partem hostiæ in calicem immittere debet, & consumere sacramentum. Propterea & secum defert. Si autem fit adoratio, nullus error committitur, quia illic est Christus, qui adoratur, scilicet in patina. Sic alicubi audio Sacerdotes Catholicos una manu tenere sacramentum Eucharistię, altera Chrisma dum processionem obeunt.

Si verò Sacerdos hujusmodi sacra peragit administrante Diacono, solet patinam cum sacramento Diacono tradere, qui eam imponens capiti defert. Ipse autem accepto calice exit, & Diaconum sequitur. Hoc itaque minimè laudandum est. Quia tunc sacerdos expressè præbet ansam populo adorandi calicem, neq; consecratum, neq; consecrandum, sed neque ullis precibus benedictum, ut propterea aliqua ei debeatur adoratio, ut vult Philadelphiensis. Quare meliùs fiet, si tum patinam, tum calicem sacerdos ipse deferat; Diaconus præeundo thus adhibeat.

At ipsi se excusant, quòd similiter faciant in ordinariis liturgiis, cùm dona nondum consecrata deferunt ad altare majus.

Verùm quòd in illis liturgiis imponant capiti patinam, è præsanctificatis acceptum est. Et est manifestè abusus, ut etiam reliqua pompa, & augustæ nonnullæ ceremoniæ, quæ in præsanctificatis meritò adhiberi debent, minimè in ordinariis; ut hac ratione discrimen aliquod appareat esse inter istam, & illam liturgiam. Ut etiam monuimus esse faciendum, in quæstione propria de hac materia.

De sacratissima Eucharistia quam iter agentes Monachi secum portant.

CAPUT LIX.

ITer peregrè faciendo, præsertim Monachi, solent secum afferre Sacramentum Eucharistiæ.

Antiquus & iste mos est, similiter usum unius speciei demõstrat. Refert enim Joan-

nes Diaconus in vita sancti Gregorij lib. 2. c. 33. quosdam Monachos sancti Gregorij Constantinopoli Romam navigantes in navi Eucharistiam detulisse, ut in periculo naufragij non sine communione discederent. Ipseque Gregorius in lib. 3. dialogorum cap. 36. idipsum testatur de Maximiniano Episcopo, & ejus sociis mare Adriaticum navigantibus. In vita quoque S. Laurentij Episcopi apud Surium tomo 6. die 14. Novembris, hæc literis prodita leguntur. Quatuor sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiam sicut tunc moris erat pluribus, secũ pro tuto viatico ac securo duce itineris publicè deferebant. Sed & longè antea S. Ambrosius in oratione de obitu Satyri fratris sui c. 7. scribit, eum in orario involutam Eucharistiæ particulam suspendisse ad collum suum in periculo naufragij, & eo auxilio fretum se dejecisse in mare, ac liberum ad littus evasisse. Idem non obscurè colligitur ex epistola supracitata Magni Basilij potissimum de Anachoritis. Immo & Romanus summus Pontifex numquam longius iter agit, nisi præeunte sacratissima Eucharistia.

Verùm ista consuetudo apud Latinos antiquata est, tum ex Concilio Toletano 1. can. 14. tum Cæsaraugustano can. 3, & Rotomagensi can. 2.

Et verò Græcorum populus non eam ut olim in manibus accipit, neque defert ampliùs domum, sed Monachi tantùm, idque in itineribus longioribus. Quod sanè in locis Christianorum fieri absurdissimum esse videtur, propter parvam reverentiam erga tantum Sacramentum. At verò in locis Turcarum & barbarorum infidelium alia est habenda hujus consuetudinis ratio. Nam ibi propter periculum etiam sine cruce, tintinnabulo, & luminibus latenter eam deferunt per vicos ægrotantibus.

De abusu Græcorum presbyterorum circa Eucharistiam.

Caput LX.

IN primis Græcorum presbyteri liturgiam celebraturi ferme numquam confitentur. At neque extra sacrum per reliquum vitæ spatium solent confiteri: sed tamen migraturi ex hac vita Sacramento ἐξομολογήσεως & pœnitentiæ errata expiant, & se perpurgant.

Deinde in sumenda sacra Eucharistia ex parte Sacerdotum est non parua indecentia. Siquidem accepto pane consecrato strictè in manu, manum cum Eucharistia imponunt capiti, puto honoris, ac venerationis gratiâ: tum recitatis aliquot precibus, Eucharistiaque consumpta manum capiti admovent, ibique abstergunt. Neque dubium est, quin sæpenumero micæ adhæreant, & remaneant. In potu verò sanguinis non verentur statim os abstergere manu, seu linteolo, quasi de communi vino biberint. Immo verò cùm valde nutriant barbam, neque unquam mystaces tondere patiantur, non raró guttæ sanguinis ex mystacibus, vel in ipsum sacrum ornatum, vel super altare, vel etiam quandoque in terram cadunt. Fortè etiam rubricæ liturgiæ eos decipiunt. Quamobrem post sumptam Eucharistiam illa corrigenda sunt, τάτε ἴδια χεῖλη (ὁ ἱερεὺς) καὶ τοῦ ἱεροῦ ποτηρίου τῷ ἐν χερσὶ καλύμματι ἀποσπογγίσας, καλεῖ τὸν διάκονον. « Sacerdos postquam propria, & sacri poculi labra velo quod præ manibus habet, absterserit, vocat Diaconum, videlicet ad participandum calicem. » In his verbis illud corrigendum, Non enim poculum, & propria labra velo abstergenda sunt, nisi in fine postquam reliquam ablutionem Sacerdos, ut moris est, sumpserit. Sed de hac materia Eucharistiæ satis, nihil enim habeo præterea, quod observatione sit dignum.



DE POENITENTIA, LIBER QVARTVS.

DE NOMINE, ET MATERIA hujus Sacramenti.

CAPUT I.

QUONIAM Sacramentum Pœnitentiæ varias partes habet, inde fit, ut etiam varia nomina sortiatur. Itaque voces, quas Græci in hoc mysterio usurpare solent, hæ sunt: μετάνοια, ἐξομολόγησις, ἐξαγόρευσις, ἐπιτιμία, ἐπιτίμιον, ἱκανοποιΐα, κανών. μετάνοια, Pœnitentia, nomen est genericum, ut per se constat: ἐξομολόγησις, atque ἐξαγόρευσις, est extrà confessio, seu quod idem est, occultorum proditio, & patefactio. Propriissimæ voces, quibus Græci passim utuntur ad exprimendam Confessionem auricularem. In jure Orientali quodam in loco hæc reperies: αὕτη γάρ ἐστιν ἀληθῶς, καὶ λέγεται ἐξομολόγησις, ἡ τοῦ κεκρυμμένου παραπτώματος αὐ-
„ θαίρετος δήλωσις. Hæc enim, & est re ipsa, &
„ dicitur Confessio, delicti scilicet occulti
„ spontanea manifestatio. ἐπιτιμία, est pœna alicui ob peccatum irrogata. Unde Chrysostomus in libro de sacerdotio, οὐχ ἁπλῶς πρὸς τὸ τῶν παραπτωμάτων μέτρον, δεῖ καὶ τὴν
„ ἐπιτιμίαν ἐπάγειν. Non simpliciter, inquit,
„ juxta modum delictorum irroganda est etiam pœna. ἐπιτίμιον idem est; quocirca „
legimus in octava synodo generali act. 2. „
τὰ ὁρισθέντα ἐπιτίμια πᾶσι τοῖς πεπτωκόσιν εἰς ἐπήκοον ἀναγνωσθήτωσαν. Præscriptæ cunctis „
lapsis pœnæ ita legantur, ut ab omnibus „
audiantur. Lapsi erant nonnulli Episcopi, „
& Presbyteri, qui cum pseudo-patriarcha Photio contra sanctissimum virum Ignatium multa machinati fuerant: his veniam petentibus Ignatius Patriarcha consentiente tota synodo, pœnitentias imposuit, quas Concilium vocat ἐπιτίμια. ἱκανοποιΐα, satisfactionem denotat. Κανὼν verò non simpliciter, & separatim à recentioribus Græcis usurpatur, sed in compositione solent dicere κανόνα ποιεῖν, quod in hac materia non, quod præseferunt verba, significat, nempe canonem condere, sed pœnam erratorum sustinere secundum præscripta canonum. Quippe canones extant Apostolorum, & antiquorum Patrum, sacrorum item Conciliorum, quibus pro peccatorum diversitate varia pœna decernitur. Unde quando communiter Greci interrogant,

ἐποίησας, sive ἐπλήρωσας τὸν κανόνα, nihil aliud sibi volunt, quàm satisfecisti pro delictis? seu subiisti pœnas culparum, quę sunt à Patribus per canones constitutæ?

Porro circa materiam hujus Sacramenti nulla prorsus est difficultas. Confitentur enim pœnitentes singillatim sua peccata, à quibus requiritur contritio, seu saltem attritio & rigida quodam modo satisfactio.

De abusu Græcorum sacerdotum circa hoc Sacramentum.

CAPUT II.

PONtifices, & sacerdotes Græcorum fere nunquam confitentur. Quo eodem vitio laborant Russorum presbyteri, Grecorum videlicet velut hereditario quodam jure in omnibus imitatores. Atque cur ita facerent, quæsierat ab eis Eugenius quartus in fine Concilij Florentini. Et licet ibi dicatur Mitylenensis Archiepiscopus soluisse omnes difficultates Pontificis, inter quas præsens etiam continebatur, exceptis duabus postremis; Non tamen existimandum est, eum hujusmodi errorem excusare potuisse; sed puto dixerit, in plerisque abusum esse, ac nonnullos etiam habere usum confitendi. Neque enim hac nostra ætate Græci hoc bene fieri probare contendunt. Quasi verò alieni sint à peccatis, & expiandorum delictorum minus indigeant. Et re vera non desunt, qui etiam confiteantur.

Veram tamen causam, ob quam hic abusus irrepserit, hanc esse reor. Quia nimirum canones antiqui Clericos in fornicationem lapsos perpetuò suspendunt ab executione ordinum, & quodam modo in sortem laicorum redigunt. Ne itaque Clerici cessent ab officio, & gradu priventur, immo & eorum peccata ob interdictum ministerium aliis patefiant; ideo confiteri recusant. Sic miserè impœnitentes vivunt, & in longè plura, & graviora peccata in dies prolabuntur. Sed recenseamus canones.

In Constitutionibus Apostolicis canon 24. ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ ἐπιορκίᾳ, ἢ κλοπῇ ἁλοὺς καθαιρείσθω. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ τῇ αὐτῇ αἱρέσει ὑποκείσθωσαν. Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconos in fornicatione, vel perjurio, vel furto deprehensus, deponatur. Similiter & reliqui Clerici eidem conditioni subjiciantur.

Neocæsariani Concilij Canon 9. πρεσβύτερος ἐὰν προημαρτηκὼς σώματι, προαχθῇ, καὶ ὁμολογήσῃ, ὅτι ἥμαρτε πρὸ τῆς χειροτονίας, μὴ προσφερέτω. Presbyter, si cùm priùs corpore peccasset, promotus fuerit, & ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat.

Basilij Magni Canon 3. διάκονος μετὰ τὴν διακονίαν πορνεύσας, ἀπόβλητος μὲν τῆς διακονίας ἔσται, εἰς δὲ τὸν τῶν λαϊκῶν ἀπωσθεὶς τόπον, τῆς κοινωνίας οὐκ εἰρχθήσεται. Diaconus post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem rejicietur, in laïcorum autem locum detrusus à communione non arcebitur.

Canon 32. οἱ τὴν πρὸς θάνατον ἁμαρτίαν ἁμαρτάνοντες κληρικοὶ τοῦ βαθμοῦ κατάγονται. Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, à gradu deponuntur.

Canon quinquagesimus primus: τὸ κατὰ τοὺς κληρικοὺς ἀδιορίστως οἱ κανόνες ἐξέθεντο, κελεύσαντες μίαν ἐπὶ τοῖς παραπεσοῦσιν ὁρίζεσθαι τιμωρίαν, τὴν ἔκπτωσιν τῆς ὑπηρεσίας, εἴτε ἐν βαθμῷ τυγχάνοιεν, εἴτε καὶ ἀχειροθετήτῳ ὑπηρεσίᾳ προσκαρτεροῖεν. Quòd ad Clericos pertinet, Canones indefinitè unicam pœnam decreverunt lapsis constituendam, nimirum ut à ministerio removeantur, sive sint in gradu, sive etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseverent.

Canon 68. ἀναγνώστης ἐὰν τῇ αὐτοῦ μνηστῇ πρὸ γάμου συναλλάξειεν, ἐνιαυτὸν ἀργήσας, εἰς τὸ ἀναγινώσκειν δεχθήσεται, μένων ἀπρόκοπος. κλεψιγαμήσας δὲ ἄνευ μνηστείας, παυθήσεται τῆς ὑπηρεσίας. τὸ αὐτὸ καὶ ὑπηρέτης. Lector si cum sua sponsa ante matrimonium commercium habuerit, postquam anno cessaverit, ad legendum recipietur, manens non ulteriùs promovendus. Quòd si absque desponsatione furtim coierit, cessabit à ministerio. Itidem & minister.

Canon 69. Διάκονος ἐν χείλεσι μιανθεὶς, καὶ μέχρι τούτου ἡμαρτηκέναι ὁμολογήσας, τῆς λειτουργίας ἐπισχεθήσεται. τοῦ δὲ μετέχειν τῶν ἁγιασμάτων μετὰ τῶν διακόνων ἀξιωθήσεται. τὸ αὐτὸ δὲ καὶ πρεσβύτερος. εἰ δέ τι πλέον τούτου φωραθείη ἡμαρτηκώς, ἐν οἵῳ ἂν ᾖ βαθμῷ καθαιρεθήσεται. Diaconus in labris pollutus (hoc est, μέχρι φιλήματος, osculo tenus) & eo usque se peccasse fassus, à ministerio arcebitur, (scilicet ad tempus.) Ut autem sit sacramentorum cum Diaconis particeps, dignus habebitur. Itidem & Presbyter. Si quis autem ultra id peccasse deprehensus fuerit, in quocunque sit gradu, deponetur.

Hi sunt Canones, qui Græcorum Clericos valde cruciat, qui sanè de publicis peccatis, & per consequens pœnitentiis intelligi possunt; id enim sibi volunt illa verba, ἐπὶ πορνείᾳ ἁλοὺς, & φωραθείη, in adulterio deprehensus: & ὁμολογήσῃ fassus fuerit, intelligas extra Sacramentum. Quippe in Confessionis Sacramento Eucharistici dicerent, ἐξομολογήσῃ. Quamvis nonnulli canones universè loquantur.

Ut autem intelligerentur, ac exponerentur à recentioribus Græcorum suo arbitratu; nihilominus dicendum esset, aliam præsentium temporum, ac personarum rationem habendam esse, siquidem longè absumus ab eo fervore charitatis, quo ardebat in primordiis Ecclesia.

Basilius item Magnus in tertio Canone citato monet nos oportere: ἀμφότερα εἰδέναι καὶ τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς συνηθείας, ἕπεσθαι δὲ ἐπὶ τῶν μὴ καταδεξαμένων τὴν ἀκρότητα, τῷ παραδοθέντι τύπῳ. Utraque scire, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis; sequi autem in iis, quæ summum jus non admittunt, formam traditam, hoc est consuetudinem.

Præterea in Canone 74. ut est in divisione Græcorum, vel 73. ut est in Latino Codice, Basilius hæc habet: εἰ μέντοι ἕκαστος τῶν ἐν τοῖς προγεγραμμένοις ἁμαρτήμασι γενομένων, σπουδαῖος γένηται ἐξομολογούμενος ὁ πιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας λύειν καὶ δεσμεῖν, εἰ φιλανθρωπότερος γένοιτο, τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐξομολογήσεως ὁρῶν τοῦ ἡμαρτηκότος εἰς τὸ ἐλαττῶσαι τοὺς χρόνους τῶν ἐπιτιμίων, οὐκ ἔσται καταγνώσεως ἄξιος. Si quis tamen eorum, qui peccatis à nobis suprà expositis implicití fuerunt, adhibita exomologesi probus evaserit, is, cui à Dei benignitate ligandi, atque solvendi potestas est credita, si ejus qui peccavit, præstantiam confessionis intuens in diminuendo pœnarum tempore clementior fuerit, non utique reprehensione dignus censebitur.

Ubi Balsamon differentiam ponit, τῶν ἀποφαινομένων δικαστῶν κολάσεις σωματικὰς κατὰ τῶν γεγονότων ὑπευθύνων ἐγκλήμασι, καὶ τῶν ὁριζόντων ἐπισκόπων ἐπιτίμια ἐκκλησιαστικὰ κατὰ τῶν ἐξομολογουμένων ἁμαρτήματα ψυχικά· οἱ μὲν γὰρ τὰς ὁρισθείσας ὑπὸ τοῦ νόμου ποινὰς οὔτε αὔξειν, οὔτε μειοῦν δύνανται χωρὶς βασιλικῆς κελεύσεως. οἱ δὲ τὰ φορτία τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἀναδεχόμενοι, ὡς καὶ λόγους τῷ θεῷ δώσειν ὑπὲρ ἡμῶν μέλλοντες, κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς καὶ αὔξουσι καὶ μειοῦσι τὰ ἐπιτίμια. διατοι τοῦτο καὶ ἐξουσίαν ἔχουσι μὴ μόνους τοὺς χρόνους τῶν ἐπιτιμίων ἐλαττοῦν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐπιτίμια μεταμείβειν, inter judices, qui pronunciant supplicia corporalia infligenda eis, qui sunt criminibus obnoxij, & Episcopos qui decernunt pœnas Ecclesiasticas adversus eos qui animi peccata confitentur. Illi enim pœnas à lege constitutas non possunt augere, nec minuere sine jussu Imperatoris. Hi verò nostrorum peccatorum onera suscipientes, tanquam Deo pro nobis rationem reddituri, pro suo arbitratu pœnas & augent, & minuunt, & ideo iis est potestas non solùm pœnarum tempora minuendi, sed & pœnas commutandi. Ibidem concludit: ὥστε μὴ ἐκληπτέον τὸν κανόνα καθώς τινες εἶπον, εἰς μόνην ἐλάττωσιν τοῦ χρόνου τῶν ἐπιτιμίων, ἀλλὰ καὶ εἰς ἅπαν εἶδος ἐπιτιμίου. Quare non est accipiendus hic Canon, ut nonnulli dixerunt, pro sola temporis pœnarum diminutione, sed pro omni pœnarum genere.

S. Gregorius quoque Nyssenus in quarto Canone suæ Epistolæ ad S. Λητοΐον ἐπίσκοπον Μελιτινῆς, Letoïum Episcopum Melitenensem, ubi loquitur de peccatis in voluptate carnis consistentibus, discrimen inter eos, qui eadem peccata confitentur, assignat ejusmodi: ὁ μὲν γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς τὴν ἐξαγόρευσιν τῆς ἁμαρτίας ὁρμήσας, αὐτῷ τῷ καταδέξασθαι δι' οἰκείας ὁρμῆς γενέσθαι

τῶν κρυφίων κατήγορος, ὡς ἤδη τῆς θεραπείας τοῦ πάθους ἀρξάμενος, καὶ σημεῖον τῆς πρὸς τὸ κρεῖττον μεταβολῆς ἐπιδειξάμενος, ἐν φιλανθρωποτέροις γίνεται ἐπιτιμίοις. ὁ δὲ φωραθεὶς ἐπὶ τῷ κακῷ, ἢ διά τινος ὑποψίας, ἢ κατηγορίας ἀκουσίου ἀπελεγχθεὶς, ἐν ἐπιτεταμένῃ γίνεται τῇ ἐπιστροφῇ. Qui enim, inquit, instinctu proprio ad sua confitenda peccata excitus est, eo quod sua sponte occultorum accusator esse voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & signum in id, quod est melius, mutationis ostenderit, pœnis in mitioribus versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem, vel accusationem invitus convictus est, longius illi conversionis tempus datur. Sic ille.

Si igitur Clericus (intelligo autem per Clericum, omnes, qui sunt in aliquo gradu Ecclesiastico) sponte, & cum animi dolore sua peccata confessus officio, ac dignitate privabitur, qua ratione mitiùs punietur, si nihil ampliùs assequetur, quàm is, qui deprehensus, vel accusatus, & convictus fuerit? Itaque in hoc casu secundum doctrinam Nysseni commutanda erit pœna, & hoc sibi volunt illa verba, ἐν φιλανθρωποτέροις γίνεται ἐπιτιμίοις.

Ad hæc, Basilius in Canone 84. sic decernit: πάντα δὲ ταῦτα γράφομεν, ὥστε τοῖς καρποῖς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας. οὐ γὰρ πάντως τῷ χρόνῳ κρίνομεν τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ τῷ τρόπῳ τῆς μετανοίας προσέχομεν. Hæc autem omnia ita scribimus, ut tamen fructus probentur pœnitentiæ. Non enim omnino hujusmodi res tempore judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus.

Idem habet in secundo Canone: δεῖ ὁρίζειν μὴ χρόνῳ, ἀλλὰ τρόπῳ τῆς μετανοίας τὴν θεραπείαν. Oportet præscribere non tempore, sed modo pœnitentiæ medicinam. Hoc est, quod aliis verbis dicunt Theologi, spectanda est pœnitentia, si eam adimpleat pœnitens non extensivè, sed intensivè.

Postremò, idem vir sanctus de uxoribus adulteratis, & peccatum suum confitentibus Canonem in ordine trigesimum quartum edidit in hæc verba: τὰς μοιχευθείσας καὶ ἐξαγορευούσας δι' εὐλάβειαν, ἢ ὁπωσοῦν ἐλεγχομένας, οὐκ ἐκέλευσαν δημοσιεύειν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἵνα μὴ θανάτου αἰτίαν παράσχωσι ταῖς ἐξομολογηθείσαις. Adulteratas mulieres, & pio animo ob timorem (futuri judicij) confitentes, vel quomodocumque convictas, (ut ex tumore ventris, vel accusatione) publicare patres nostri prohibuerunt, ne confessis mortis causam præberent.

Ubi δημοσιεύειν publicare, non hoc significat, quasi verò licitum fuerit aliquando confessariis, peccata in confessione à pœnitentibus exposita, aliis divulgare, sed pro eo accipitur, quod est (ut rectè exponunt Zonaras, & Balsamon) ἱστᾶν εἰς τόπους τῶν ἐπιτιμίων, in locis pœnarum statuere; quippe varia loca, & variæ pœnæ delinquentibus erant præscriptæ.

Et quidem adulteri secundùm 58. Basilij Canonem stabant per quatuor annos cum flentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum supplicibus, & duos cum iis, qui consistunt absque communione. Qui ergo vidisset alicujus uxorem extra divinos Ecclesiæ ambitus stantem, vel etiam cum Catechumenis exeuntem, primo aspectu omnino intelligeret propter adulterij crimen eam illi esse pœnam injunctam.

Quemadmodum itaque Basilius Magnus in eo Canone refert, antiquiores Patres mandasse, ne confessarij adulteratas publicarent, hoc est, in locis pœnitentium sisterent, hocve modo peccatum earum patefacerent, ac necis earum essent auctores; ita etiam à simili possemus ratiocinari; quandoquidem Græcorum πνευματικοὶ, spirituales Patres, servata severitate Canonum, cum Ecclesiastici ordinis hominibus, ne peccata sua ob interdicendum ministerium patefiant, timentibus, parum, vel potiùs nihil proficiunt; utique possent eorum tenorem aliquo modo relaxare, commutatisque pœnitentiis mitius agere.

Porro autem hoc meum consilium etiam confirmari potest centesimo secundo Canone Concilij sexti generalis, quem, quia multùm ad rem præsentem facit, ad verbum transcribere non gravabor. Sic igitur habet: δεῖ δὲ τοὺς ἐξουσίαν λύειν καὶ δεσμεῖν παρὰ θεοῦ λαβόντας, σκοπεῖν τὴν τῆς ἁμαρτίας ποιότητα, καὶ τὴν τοῦ ἡμαρτηκότος πρὸς

ἐπιστροφὴν ἑτοιμότητα, καὶ οὕτω κατάλληλον τὴν θεραπείαν προσάγειν τῷ ἀῤῥωστήματι. ἵνα μὴ τῇ ἀμετρίᾳ καθ' ἑκάτερον χρώμενος, ἀποσφάλλειν πρὸς τὴν σωτηρίαν τοῦ κάμνοντος. οὐ γὰρ ἁπλῆ τῆς ἁμαρτίας ἡ νόσος, ἀλλὰ ποικίλη καὶ πολυειδής, καὶ πολλὰς τῆς βλάβης τὰς παραφυάδας βλαστάνουσα. ἐξ ὧν τὸ κακὸν ἐπὶ πολὺ διαχεῖται, καὶ πρόσω βαίνει, μέχρις ἂν σταίη τῇ δυνάμει τοῦ θεραπεύοντος. ὥστε τὴν ἰατρικὴν ἐν πνεύματι ἐπιστήμην ἐπιδεικνύμενον, πρότερον χρὴ τὴν τοῦ ἡμαρτηκότος διάθεσιν ἐπισκέπτεσθαι, καὶ εἴτε πρὸς τὴν ὑγείαν νεύει, ἢ τοὐναντίον, διὰ τῶν οἰκείων τρόπων προσκαλεῖται καθ' ἑαυτοῦ τὸ ἀῤῥώστημα, ἐφορᾶν. ὅπως τε τῇ ἐν τῷ μεταξὺ προσνοεῖται ἀναστροφῇ. καὶ εἰ μὴ τῷ τεχνίτῃ ἀντιπαλαίει, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς ἕλκος διὰ τῆς τῶν ἐπιτιθεμένων φαρμάκων αὐξάνει προσαγωγῆς. καὶ οὕτω τὸ ἔλεον κατ' ἀξίαν ἐπιμετρεῖν. πᾶς γὰρ λόγος θεῷ, καὶ τῷ τὴν ποιμαντικὴν ἐγχειρισθέντι ἡγεμονίαν τὸ πλανώμενον πρόβατον ἐπαναγαγεῖν, καὶ τρωθὲν ὑπὸ τοῦ ὄφεως ἐξιάσασθαι, καὶ μήτε κατὰ κρημνῶν ὠθῆσαι τῆς ἀπογνώσεως, μήτε τὸν χαλινὸν ἐπιδοῦναι πρὸς τὴν τοῦ βίου ἔκλυσίν τε καὶ καταφρόνησιν, ἀλλ' ἑνί γε τρόπῳ πάντως, εἴτε διὰ τῶν αὐστηροτέρων καὶ στυφόντων, εἴτε διὰ τῶν ἁπαλωτέρων καὶ πρᾳοτέρων φαρμάκων κατὰ τοῦ πάθους στῆναι, καὶ πρὸς συνούλωσιν τοῦ ἕλκους ἀνταγωνίσασθαι, τοῖς τῆς μετανοίας καρποῖς δοκιμάζοντι, καὶ οἰκονομοῦντι σοφῶς τὸν πρὸς τὴν ἄνω λαμπροφορίαν καλούμενον ἄνθρωπον. ἀμφότερα τοίνυν εἰδέναι ἡμᾶς χρή, καὶ τὰ τῆς ἀκριβείας καὶ τὰ τῆς συνηθείας. ἕπεσθαι δὲ ἐπὶ τῶν μὴ καταδεξαμένων τὴν ἀκρότητα τῷ παραδοθέντι τύπῳ, καθὼς ὁ ἱερὸς
» ἡμᾶς ἐκδιδάσκει Βασίλειος. Oportet au-
» tem eos, qui poteſtatem ſolvendi, atque
» ligandi à Deo acceperunt, peccati qua-
» litatem, & ejus qui peccavit ad conver-
» ſionem promptum ſtudium conſidera-
» re, & ſic morbo convenientem adhibe-
» re curationem; ne ſi in utroque immo-
» deratione utatur, à ſalute ægrotantis aber-
» ret. Non enim ſimplex eſt morbus peccati
» ſed varius, & multiformis, multaque de-
» trimentorum germina producens; ex qui-
» bus malum longè latéque diffunditur, &
» ulterius progreditur, donec tandem vir-
» tute medentis conſiſtat. Quamobrem eum,
» qui artem medicam ſpiritualem profite-
» tur, oportet priùs ejus, qui peccavit ani-
» mum conſiderare, ac inſpicere, utrum ad
ſanitatem inclinet, vel contrà, propriis mo- «
ribus in ſe morbum provocet; quóve mo- «
do interim ipſa converſatione ſaluti ſuæ «
provideat: Et ſi artifici non reluctetur, «
animique ulcus impoſitorum medicamen- «
torum acceſſione augeat; ſic tandem mi- «
ſericordiam, prout dignus eſt, impertiri. «
Omnem enim rationem init Deus, iſque, «
cui paſtoralis traditus eſt principatus, ut «
errantem ovem reducat, & à ſerpente vul- «
neratam ſanet, & neque per deſperationis «
præcipitia impellat, nec ad vitæ diſſolu- «
tionem, & contemptum fræna relaxet, ſed «
una quidem omnino ratione, ſive per a- «
criora, & adſtringentia, ſive per molliora «
& leniora medicamenta morbo reſiſtat, & «
ad ulceris obductionem adnitatur, fructus «
pœnitentiæ examinans, & ſapienter guber- «
nans hominem, qui ad ſupernam ſplen- «
doris celebritatem vocatur. Nos itaque «
utraque ſcire oportet, & quæ ſunt ſummi «
juris, & quæ ſunt conſuetudinis: in iis au- «
tem, qui ſummum jus non admittunt, ſe- «
qui formam traditam, quemadmodum «
edocet nos S. Baſilius. Hucuſque Conci- «
lium.

Sed & Chryſoſtomus idem comprobans, hanc auream in libris de Sacerdotio reliquit ſcriptam ſententiam: οὐχ ἁπλῶς πρὸς τὸ τῶν πλημμελημάτων μέτρον δεῖ καὶ τὴν ἐπιτιμίαν ἐπάγειν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἁμαρτανόντων στοχάζεσθαι προαιρέσεως. μή ποτε ῥάψαι τὸ διεῤῥωγὸς βουλόμενος, χεῖρον τὸ σχίσμα ποιήσῃς. καὶ ἀνορθῶσαι τὸ καταπεπτωκὸς σπουδάζων, μείζονα ἐργάσῃ τὴν πτῶσιν. οἱ γὰρ ἀσθενεῖς καὶ διακεχυμένοι καὶ τὸ πλέον τῇ τοῦ κόσμου δεδεμένοι τρυφῇ, ἔτι δὲ καὶ ἐπὶ γένει καὶ δυναστείᾳ μέγα φρονεῖν ἔχοντες, ἠρέμα μὲν καὶ κατὰ μικρὸν ἐν οἷς ἂν ἁμάρτωσιν ἐπιστρεφόμενοι, δύναιντ' ἄν, εἰ καὶ μὴ τέλεον, ἀλλ' οὖν ἐκ μέρους τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀπαλλαγῆναι κακῶν. ἐὰν δὲ ἀθρόον τις ἐπάγῃ τὴν παίδευσιν, καὶ τῆς ἐλάττονος αὐτοὺς ἀποστερήσει παιδεύσεώς τε καὶ διορθώσεως. ψυχὴ γὰρ ἐπειδὰν ἀπερυθριάσαι βιασθῇ, εἰς ἀνελπιστίαν ἐκπίπτει, καὶ οὔτε προσηνέσι λόγοις εἴκει λοιπόν, οὔτε ἀπειλαῖς κωλύεται, οὔτε εὐεργεσίαις προτρέπεται, ἀλλὰ γίνεται πολὺ χείρων τῆς πόλεως ἐκείνης, ἣν ὁ προφήτης ὀνειδίζων ἔλεγεν, ὄψις πόρνης ἐγένετό σοι. ἀπηναισχύντηκας πρὸς πάντας. διὰ τοῦτο πολλῆς δεῖ συνέσεως τῷ ποιμένι, καὶ μυρίων ὀφθαλμῶν πρὸς

τὸ περισκοπεῖν πάντοθεν τὴν τῆς ψυχῆς ἕξιν. ὥσπερ γὰρ εἰς ἀπόνοιαν αἴρονται πολλοὶ, καὶ εἰς ἀπόγνωσιν τῆς ἑαυτῶν καταπίπτουσι σωτηρίας, ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι πικρῶν ἀνασχέσθαι φαρμάκων, οὕτως εἰσί τινες, οἳ διὰ τὸ μὴ δοῦναι τιμωρίαν τῶν ἁμαρτημάτων ἀντίῤῥοπον, εἰς ὀλιγωρίαν ἐκτρέπονται, καὶ πολλῷ γίνονται χείρους, καὶ πρὸς τὸ μεῖζον ἁμαρτάνειν προάγονται. χρὴ τοίνυν μηδὲν τούτων ἀνεξέταστον ἀφεῖναι, ἀλλὰ πάντα διερευνησάμενον ἀκριβῶς, καταλλήλως τὰ παρ᾽ ἑαυτοῦ προσάγειν τῷ προσερχομένῳ, ἵνα μὴ ματαίως αὐτῷ γένηται ἡ σπουδή. Non simpliciter pro delictorum modo pœna infligenda est, sed delinquentium simul spectandus est animus, ne cùm vis rupturam sarcire, deteriorem eam facias, & cùm erigere prostratum studes, graviorem casum efficias. Imbecilles enim, ac dissoluti, quique majori ex parte mundi deliciis dediti sunt, præterea etiam generis nobilitate, ac potentia gloriari possunt, sensim quidem, ac leniter ad bonam frugem se colligentes possunt, etsi non perfectè, saltem ex parte à malis liberari, quibus detenti sunt. Quòd si quis nimia disciplinæ severitate utatur, minore etiam eos disciplina, & emendatione privabit. Nam postquam animus pudorem deposuerit, in desperationem cadit; nec blandis cedit admonitionibus in posterum, nec minis deterretur, nec beneficiis incitatur; verùm multo peior redditur ea civitate, quam vituperans Propheta dixit, Frons meretricis facta est tibi, desiisti erubescere apud omnes. Quamobrem pastori multa opus est prudentia, & oculis innumerabilibus, ut undique circumspectè animæ habitum intueatur. Quemadmodum enim animum despondent multi, & in salutis propriæ desperationem cadunt, quòd acerbiora remedia perpeti non potuerint: Sic sunt alij, quibus quòd par delicto pœna non irrogatur, in contemptionem convertuntur, & multò fiunt deteriores, ut graviùs quandoque peccent. Horum igitur nihil inexploratum relinquendum. Sed exactè omnia perscrutando adeunti conveniens emendatio adhibenda, ne frustra se laborâsse comperiat. Hactenus Chrysostomus, cujus gravem, uberemque sententiam Græci præ oculis habere semper deberent; sed hoc ipsis relinquamus.

Postremò illud etiam adversus hæreticos Septentrionales nostri temporis obiter notandum est. Ex hac Chrysostomiana sententia confessionem auricularem manifestè colligi. Si enim peccator pœnitens singillatim Patribus spiritualibus errata non patefaceret, quomodo illi curationem adhibere possent, ut vult hîc Chrysostomus? Quomodo pro varietate peccatorum, & personarum satisfactiones, & mulctas imponerent? Quare quando idem sanctissimus Doctor, alibi dicit, θεῷ μόνῳ εἰπὲ τὴν ἁμαρτίαν σου, καὶ συγχωρεῖταί σοι ἡ ἁμαρτία. Deo soli dic peccatum tuum, & condonatur tibi peccatum. In Sermone sexto de Pœnitentia, & in Oratione quinta de incomprehensibili: διὰ τοῦτο παρακαλῶ, καὶ δέομαι καὶ ἀντιβολῶ ἐξομολογεῖσθαι συνεχῶς τῷ θεῷ. οὐδὲ γὰρ εἰς θέατρόν σε ἄγω τῶν συνδούλων τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα. τὸ συνειδὸς ἀνάπτυξον ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ τραύματα, καὶ παρ᾽ αὐτοῦ τὰ φάρμακα αἴτησαι. δεῖξον τῷ μὴ ὀνειδίζοντί σε, ἀλλὰ θεραπεύοντι. κἂν γὰρ σὺ σιγήσῃς, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα. Quapropter oro te atque obsecro, ut frequenter Deo confitearis. Neque enim te ad conservorum tuorum theatrum adduco, neque peccata hominibus patefacere cogo. Conscientiam coram Deo explica, ipsique vulnera ostende, ab eoque pete pharmaca. Ostende non exprobranti, sed curationem adhibenti. Quamvis enim tu silentio texeris, novit ille cuncta. Et in Catechesi ad eos, qui sunt illuminandi: τοῦτο δὲ μόνον ἐστὶ τὸ θαυμαστὸν, ὅτι ἀφίησιν ἡμῖν τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλ᾽ ὅτι αὐτὰ οὐδὲ ἐκκαλύπτει, οὐδὲ ποιεῖ αὐτὰ φανερὰ καὶ δῆλα, οὐδὲ ἀναγκάζει παρελθόντας εἰς μέσον ἐξειπεῖν τὰ πεπλημμελημένα, ἀλλ᾽ αὐτῷ μόνῳ ἀπολογήσασθαι κελεύει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομολογήσασθαι. Non hoc autem solùm mirandum, quòd nobis peccata dimittat, sed quòd etiam ea non detegat, patefaciat, & manifestet. Neque nos in medium adductos errata commissa effari cogat; sed ipsi soli rationem reddere, & confiteri jubeat. Hæc, inquam, & similia, quando eloquentissimus Doctor profert,

quæ speciem quandam veri habere, & tamen hæreticis favere videntur, cautè legenda sunt, & ex ipsomet Chrysostomo germana elicienda explicatio. Siquidem familiaris est modus loquendi Chrysostomo, qui in omnibus Sacramentis affirmat, & constanter docet, Deum solum operari, non homines, certè non excludendo ministrum. Sic homilia quinquagesima in Matthæum, loquens de sacratissima mensa Eucharistiæ: πιστεύσατε, ὅτι καὶ νῦν ἐκεῖνο τὸ δεῖπνόν ἐστιν, ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἀνέκειτο. οὐδὲν γὰρ ἐκεῖνο τούτου διενήνοχεν. οὐδὲ γὰρ τοῦτο μὲν ἄνθρωπος ἐργάζεται, ἐκεῖνο δὲ αὐτὸς, ἀλλὰ καὶ τοῦτο κἀκεῖνο αὐτός. ὅταν τοίνυν τὸν ἱερέα ἐπιδιδόντα σοι ἴδῃς, μὴ τὸν ἱερέα νόμιζε τὸν τοῦτο ποιοῦντα, ἀλλὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ χεῖρα εἶναι τὴν ἐκτεινομένην. ὑπηρέτης γάρ ἐστιν ὁ ἱερεύς. Credite, inquit, quòd & nunc illa cœna est, in qua & ipse discubuit. Nihil enim illa ab hac differt. Non enim hanc homo operatur, illam verò ipse, sed & hanc & illam ipse efficit. Cùm igitur Sacerdotem videris tibi exhibentem, ne Sacerdotem id facere putes; sed Christi manum esse existima, quæ se extendit. Minister enim est Sacerdos. Quod totum confirmat ex alio sacramento Baptismi: ὥσπερ γὰρ ὅταν βαπτίζῃ (ὁ ἱερεὺς) οὐκ αὐτός σε βαπτίζει, ἀλλ᾽ ὁ θεός ἐστιν ὁ κατέχων σου τὴν κεφαλὴν ἀοράτῳ δυνάμει, καὶ οὔτε ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος, οὔτε ἄλλος τις τολμᾷ προσελθεῖν καὶ ἅψασθαι. οὕτω καὶ νῦν, ὅταν γὰρ ὁ θεὸς ἀναγεννᾷ, αὐτοῦ μόνου ἐστὶν ἡ δωρεά. Quemadmodum enim quando baptizat (Sacerdos) non ipse te baptizat, sed Deus est, qui invisibili potentia tuum caput continet; & neque Angelus, neque Archangelus, neque vllus quispiam accedere ac tangere audet: sic etiam nunc, quando enim Deus regenerat, ipsius solius (Nota) est donum.

Qui ergo confitetur Sacerdoti peccata sua potestatem habenti ea solvendi & dimittendi, & personam Christi gerenti, is non ducitur ad theatrum, ut ea publicet aliis conservis suis, neque cogitur hominibus ea patefacere, sed soli Deo confitetur, non exprobranti, ab eoque solo curationem vulnerum efflagitat. Non enim qui est à Confessionibus pœnitentis recipit confessionem, ut homo atque conservus, ut neque baptizat, & hostiam consecrat secundùm Chrysostomum ut homo, sed ut minister gerens personam Christi Domini, cunctorum auctoris Sacramentorum, & institutoris. Et de ministris alibi verba faciens Chrysostomus, ὑπηρετῶν τάξιν ἐπέχομεν ἡμεῖς. Nos, inquit, ministrorum locum tenemus, ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτός ἐστι. Qui verò sanctificat ipse est. τούτου ἐστὶν ἀνοῖξαι τὸ στόμα, τὸ δὲ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται. Hujus (ministri) munus est aperire os, cuncta verò Deus operatur τὸ πᾶν ἐστι τῆς χάριτος, totum efficit gratia. Huc spectant loquutiones Chrysostomi, qui à sacra Scriptura edoctus hunc modum loquendi jure optimo usurpavit. Negat enim divina Scriptura nonnunquam hominem aliquid agere, quamvis agat, ubi Deus est causa principalis. Exodi cap. 16. Audivi murmur vestrum contra Dominum, nos verò quid sumus, quia murmurati estis contra nos? &c. Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. 1. Reg. cap. 8. Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Act. 5. Non es mentitus hominibus, sed Deo.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Caput III.

De Sacramenti Pœnitentiæ forma, qua Græci utuntur, non pauca nobis disserenda sunt. Videtur enim esse deprecatoria, ut patet inspicientibus Euchologium. Inter alia verò Sacramenta nullum est, quod minus sit capax formæ deprecatoriæ, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, cùm forma ejus debeat esse judicialis sententia.

Verùm ante omnia duo sunt consideranda. Alterum, nullam unquam fuisse controversiam de hac re inter Græcos, & Latinos, ac proinde non esse verisimile, antiquam formam hujus Sacramenti ex odio alicujus, vel malitia mutatam aliquando fuisse. Immo Græcos passim ne quidem scire quid sibi velint hujusmodi termini, materia & forma, in tractatu de Sacramentis. Quosdam paucos excipio

doctiores. Alterum, incredibile dictu videri, Græcorum Ecclesiam nunquam habuisse veram formam hujus Sacramenti.

Hoc etiam priùs dicendum videtur. Nunquam antea præsens Sacramentorum argumentum, qua ratione à nobis modò tractatur, ab aliquo Latinorum tractatum fuisse. Quare non est cur auctores antiquos expectemus, nisi quatenus ex eorum scriptis aliquid consonum colligere licet. Igitur quando alicui sine nomine aliquam sententiam adscripsero, intelligendi erunt non ignobiles quidam hac nostra ætate Latini Theologi, cum quibus rem communicavi.

His jactis fundamentis, quid de hac re dici possit in medium afferamus.

Prima igitur sententia sit asserentium, hujusmodi formam, Dimitte ei, condona ei, habito sermone cum Deo, & similia verba, quæ extant in orationibus Græcorum, esse deprecatoriam; idem autem valere hîc, & nunc, quod formam enunciativam.

Favet huic sententiæ ordo Romanus antiquus. In officio enim Sabbati sancti describens ritum Confirmationis dicit, Episcopum per modum orantis hæc verba pronunciare, Signa eos Domine signo Crucis: ac deinde cùm tangit pollice frontem dicere, Ego te confirmo. Ubi videmus planè eundem sensum verborum. Non enim refert, quòd ibi dicatur, Signa eum Domine, scilicet per me, & modò Latini dicant, Signo te. Nam semper significamus Deum esse qui signat, tanquam primarius auctor, & hominem qui signat, tanquam minister. Quamobrem à simili idem judicium videtur posse fieri, & de forma sacramenti Pœnitentiæ, Dimitte ei, videlicet per me.

Similiter olim in veteri ordine Romano, cùm accederet Diaconus ad Episcopum, ut ordinaretur, & Episcopus manus imponeret, & oraret, omnibus erat manifestum, Episcopum per illam orationem ipsum ordinare voluisse; nullius enim alterius formæ tunc erat usus. Ea oratio talis est.

Ego quidem Domine Deus, quantum ad me attinet, hunc Diaconum ordino: sed quia tu es, à quo efficacia omnis Sacramentorum procedit, ideo precor te Domine, ut repleas eum Spiritu sancto, sicut replevisti sanctum Stephanum. Similis ferme oratio extat in Constitutionibus Apostolicis apud Clementem libro 8. cap. 25.

Consona huic doctrinæ videtur tradere Dionysius de Eccles. Hierar. cap. 9. ubi agit, περὶ τῶν ἱερατικῶν τελειώσεων, de Sacerdotalibus perfectionibus, hoc est, consecrationibus, quibus Sacerdotalis ordo perficitur. Siquidem explicans ritum consecrationis de Episcopo ait, ταῖς παναγεστάταις ἐπικλήσεσιν ἀποτελεῖται. Sanctissimis invocationibus, seu precationibus perficitur, hoc est, consecratur. De Sacerdote verò dicit, ταῖς ἱεροποιοῖς ἐπικλήσεσιν ἁγιάζεται. Sacrum facientibus precationibus sanctificatur. Nec dissimilia tradit de Diacono. Quare forma quæ dat esse, & perfectionem rei, in hujusmodi Sacramento ordinis juxta sententiam Dionysij videtur esse illa, παναγεστάτη ἱεροποιός, καὶ τελεσιωτικὴ ἐπίκλησις. Sacratissima, sacrum faciens, & perficiens invocatio.

Hæc sententia quemadmodum præ se fert, contendit non solùm præsentis sacramenti Pœnitentiæ, de quo nobis lis præcipua, & controversia, sed universè fermè reliquorum Sacramentorum formas vel fuisse, vel esse posse deprecatorias; quæ est opinio Nicolai Cabasilæ, & Marci Ephesij.

Sed eam falsitatis, & improbabilitatis manifestè arguit præsens tum Occidentis, tum Orientis Ecclesiarum usus, & unanimis consensus, à quo omnis regula in his rebus desumenda est. Tam enim apud Latinos, quàm apud Græcos, ut plurimùm formæ Sacramentorum minimè sunt deprecatoriæ.

Dionysium verò sine molestia, & difficultate lectoris commodè in hunc sensum exponere possumus, quòd ordinis formam, alioquin enunciativam, ἐπίκλησιν appellarit, quia vel antè vel pòst, preces funduntur, & cœleste numen invocatur. Et quia re vera enunciativa forma virtute in se de-

precationem complectitur. Optat enim minister exaudiri à Deo, dum formam enunciat. Quemadmodum etiam formam Eucharistiæ veteres invocationem sancti numinis, & gratiarum actionem, aliisque similibus nominibus ob eandem causam vocare solent, ut in eo tractatu observavimus.

In ordine Romano dicendum est, illa verba, Consigna eos, si talem habent sensum, ac non potiùs imperativum, ut dicam in subsequenti sententia, tum non fuisse partem formæ, sed sola ea, Ego te confirmo, perfecisse totam formam. Modo verò esse partem formæ, quia mutata subeunt eundem modum & sensum cum illis. Non secus ac si aliquis in forma Baptismi uteretur verbis synonymis, Ego te baptizo, & abluo, vel immergo. Sic, ego te signo, & confirmo. Siquidem obsignare idem valet quandoque quod etiam confirmare.

Quòd autem infertur, illis verbis indicari auctorem primarium Deum, est quidem verum, sed nihilominus consequentibus verbis minister significatur. Et similiter respondendum est ad illud, quod objicitur de ordinatione Diaconi, ut vera sit ea oratio: quippe verba, quæ ad essentiam mysterij pertinent, illa sunt, Ego hunc Diaconum ordino, reliqua ornant Sacramentum. Quamobrem si etiam apud Græcos in sacramento Pœnitentiæ præter illa verba, Dimitte ei, condona ei, alia recitarentur, quæ ministrum indicarent, ut verbi gratia, si diceretur, Dimitto tibi, condono tibi, nihil prorsus obstaret, quominus validum esset Sacramentum.

Hac itaque rejecta, & confutata sententia, quippe quæ sit nimis ampla, & plusquam par est, complectatur, reliquum videtur, ut paucis discutiamus, an in hoc tantùm sacramento Pœnitentiæ, quandoquidem hoc solùm in dubium vertitur, vera esse possit.

Hugo de sancto Victore de Sacramentis fidei libro 2. parte 14. cap. 8. refert opinionem quorundam, qui potestatem remittendi peccata soli Deo ita adscribere conabantur, ut participem ejus fieri hominem posse nullo modo concederent. Fundamentum horum auctorum illud erat, quia nimirum peccatorem immediatè à solo Deo absolvi existimabant. Idque propterea quòd in pœnitente semper contritionem requirerent. Ea enim si adsit statim à Deo pœnitens immediatè absolvitur sine adminiculo Sacramenti. « Quacunque hora ingemuerit peccator, inquit « Ezechiel, non recordabor ampliùs iniqui- « tatum ejus, vel ut alij citant, salvus erit. « Per consequens, ministrum tantùm ostendere hominem absolutum arbitrabantur. Et ad confirmationem hujus assertionis adducebant mundationem illius leprosi, quem Dominus priùs per semetipsum sanitati restituit, ac sic deinde ad Sacerdotes misit. Non ut ejus mundatio virtute illorum perficeretur, sed ut tantummodo testimonio illorum comprobaretur.

Quòd si objicias, nihil prodesse, aut conducere pœnitenti à Deo absoluto, si deinde ostendatur absolutus. Proinde posse eum postea Confessionem negligere, ac nullum detrimentum pati.

Respondent, idcirco post contritionem cordis, confessionem quoque oris esse necessariam, quia si quis etiam post impetratam veniam peccatorum, confiteri eadem peccata neglexerit, quasi institutionis divinæ contemptor, quamvis non pro peccatis, quæ jam dimissa sunt, reus teneatur; tamen pro contemptu reus erit. Vel fortassis, quia ipsa peccata jam ad contumacem redeunt, quæ priùs per compunctionem humiliato dimissa fuerunt.

Alexander Halensis in 4. parte qu. 21. membro primo, & sanctus Bonaventura in 4. dist. 18. prima parte distinctionis art. 2. qu. 1. hanc eandem opinionem referunt sub aliis verbis Scholasticorum. Quidam dixerunt, quòd est loqui de clavium potestate, aut provt operatur in proposito confitendi, aut in actu confessionis: si primo modo, quia illud propositum clauditur in contritione, & in contritione deletur culpa, sic virtus clavium quodammodo

do se extendit ad delendam culpam. Non enim à culpa potest justificari, nisi proponat Sacerdoti confiteri. Si secundo modo, potestas clavium non potest in culpam, eò quòd dignè accedens ad absolutionem, accedit contritus, & spiritualiter suscitatus, & ita est ei culpa jam remissa.

Quæ sententia si esset vera, & solus Deus remitteret, non esset opus, ut Presbyter indicaret se absoluere, sed potiùs rogare, ut Deus absolueret; sic forma esset deprecatoria. Quamvis & hoc supervacaneum esset, quia jam est ei culpa remissa. At ipsi dicent, Sacerdos absoluit, hoc est, ostendit absolutum.

Sed hæc sententia nullo pacto consistere potest. Primò, quia quid dicemus de pœnitente attrito, & non contrito? Is enim antequam accedat ad Sacerdotem, non est solutus, & à Sacerdote non absolvitur, ut isti aiunt, ergo nullo pacto absolvitur.

Deinde Christus Dominus (ut egregiè notat Hugo loco citato) non dixit Petro, Quodcunque solveris, hoc est solutum ostenderis, fuit solutum, sed erit solutum. Quia sententiam Petri non præcedit, sed subsequitur sententia cœli.

Immo hæc sententia quodammodo accedit ad opinionem Novatianorum, quos, quia remittendi potestatem Sacerdotibus concessam, olim pertinaciter negabant, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit, ut refert Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. Et hunc fuisse inter alios eorum errorem, manifestè apparet ex verbis cujusdam Acesij hæretici Episcopi Novatianorum, de quo Socrates Scholasticus in primo libro Eccles. Historiæ cap. 10. hæc tradit: Ἠρώτα ὁ βασιλεὺς τὸν Ἀκέσιον, εἰ καὶ αὐτὸς τῇ πίστει συντίθεται, καὶ τῷ ὁρισμῷ τῷ τοῦ πάσχα ἑορτῆς. ὁ δὲ οὐδὲν καινὸν, ἔφη ὦ βασιλεῦ, ἡ σύνοδος ὥρισεν. οὕτω γὰρ ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χρόνων παρείληφα καὶ τὸν ὅρον τῆς πίστεως, καὶ τὸν χρόνον τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς. ἐπανερομένου οὖν τοῦ βασιλέως, διατί οὖν τῆς κοινωνίας χωρίζῃ; τὰ ἐπὶ Δεκίου γενόμενα, καὶ τὰ κατὰ τὸν διωγμὸν ἐδίδασκε, καὶ τὴν ἀκρίβειαν τοῦ αὐστηροῦ κανόνος ἔλεγεν, ὡς ἄρα οὐ χρὴ τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἡμαρτηκότας ἁμαρτίαν, ἣν πρὸς θάνατον καλοῦσιν αἱ θεῖαι γραφαὶ, τῆς κοινωνίας τῶν θείων μυστηρίων ἀξιοῦσθαι, ἀλλ' ἐπὶ μετάνοιαν μὲν αὐτοῖς προτρέπειν, ἐλπίδα δὲ μὴ τῆς ἀφέσεως παρὰ τῶν ἱερέων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ θεοῦ ἐκδέχεσθαι, τοῦ δυναμένου καὶ ἐξουσίαν ἔχοντος συγχωρεῖν ἁμαρτήματα. ταῦτα εἰπόντος τοῦ Ἀκεσίου, ἐπειπεῖν τὸν βασιλέα, θὲς ὦ Ἀκέσιε κλίμακα, καὶ μόνος ἀνάβηθι εἰς τὸν οὐρανόν. Imperator (Constantinus) sciscitabatur ab Acesio, Utrum ipse eidem fidei, & decreto de festi Paschatis observatione constituto assentiretur. Tum ille, nihil novi, inquit, ô Imperator, Concilium decreuit. Nam antiquitus à primordiis Ecclesiæ, & temporibus Apostolorum, & fidei definitionem, & tempus festi Paschatis celebrandi sic observatum accepi. Rursus cùm Imperator quæreret, quid igitur causæ esset, cur se à communione segregaret: ille res regnante Decio gestas narrabat, & quæ persecutione ingruente acciderant, exquisitamque severi Canonis observationem in medium adducebat, nimirum eos, qui post Baptismum in illud peccati genus, quod divinæ literæ peccatum ad mortem appellant, delapsi fuissent, non debere divinorum mysteriorum fieri participes, sed ad pœnitentiam cohortandos, & remissionis spem non à Sacerdotibus, sed à Deo expectandam, qui & potest, & auctoritatem habet peccata remittendi. Quæ cùm dixisset Acesius, subjecit Imperator: erigito tibi scalam, Acesi, & ad cœlum solus ascendito. Sic in illa historia de Acesio.

Et profectò si Sacerdotes non aliquo modo, ac tanquam veri ministri, & ministeriales causæ effectivè ad absolutionem administrando Sacramentum concurrerent, qualem potestatem Christus Dominus in eos contulisset? Cùm tamen maximam contulerit. Certè non erat, cur tam magnifica verba de illis pronũciaret, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.

Deinde quæ ista est in uno sensu literali tanta perversio, ut solveris, accipi debeat, pro eo quod est, ostenderis solutum?

At enim Dominus, erit solutum, inquit, & in cœlis. Quomodo verò solutum in cœlis? Non enim reor dicerent, ostendetur solutum in cœlis. Ubi enim tandem, & à quo verè solvetur, si & in terris, & in cœlis ostendetur solutum, ac non potiùs verè solutum? Verè igitur solutum intelligitur: atqui hoc posterius ex illo primo pendet, ac provenit: Non enim dixit Dominus, Quodcunque solvam, solvetis, sed contra. Atque ut ait S. Leo homilia de Transfiguratione: Nec in solvendis, & ligandis quorumcunque causis, aliud ratum esset in cœlis, quàm quod Petri sedisset arbitrio. Cui comitem addere placet sanctum Chrysostomum, qui homilia quinta de verbis Esaiæ similiter ait, A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quicquid hìc in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. Unde ergo in tam paucis verbis, brevique sententia mira ista æquivocatio emanavit, ut idem planè verbum modò propriam, ac germanam vim retineat, modò remotam, ac nonnisi violentam significationem subeat?

Quocirca dicendum est, hunc esse errorem, & fuisse rejectum à viris piis & doctis, Hugone de sancto Victore loco citato, & Ricardo cap. 12. de potestate ligandi, atque solvendi. Et tandem à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. can. 9. B. quoque Thomas opusculo 22. cap. 1. & 3. & alibi in Summa hanc opinionem rejicit, & valdè temerariam censet. Rationes quibus eam impugnat, inferius paulò pòst recensebimus.

Nec fundamentum illorum aliquid habet soliditatis. Licet enim magnopere optandum foret, ut pœnitens semper contritus esset; quia tamen plerumque aliter se habet, sufficiat eum attritum esse, qui deinde vi Sacramenti fiat contritus. Unde si intelligant immediatè à solo Deo peccatorem absolvi, hoc est, sine Sacramentis in re, vel in voto susceptis, & per consequens sine ministro, qui Sacramenta exerceat, falsissimum est. Si autem intelligant, ut intelligere deberent, immediatè à solo Deo absolvi, quia re vera solius Dei est remittere peccata, & producere in anima gratiam, qui vult eam producere per Sacramenta, verissimum est.

Sed hoc non obstat, quin Sacerdos, qui exhibet suum ministerium, dicatur in persona Christi condonare peccata; sicut etiam Apostolus 2. Corinth. cap. 2. dicit se donasse peccatum non propria auctoritate, sed in persona Christi. Unde meritò dicere potest, Ego te absolvo. Idque potissimum ex institutione & verbis Christi, qui ait, Quæcunque solveritis, erunt soluta. Quemadmodum etiam in Baptismo ex verbis Christi, baptizantes eos, Sacerdos enunciat, Ego te baptizo.

Verùm objectio de contrito, qui solutus censetur à Deo, antequam suscipiat absolutionem à Sacerdote, molestissima esse videtur. Nam si quis verè conteratur, & doleat de peccatis, is antequam adeat Sacerdotem, & obtineat absolutionem, jam à Deo absolutus est. Cùm ergo ad Patrem spiritualem accedit, nihil de novo obtinet, tantùm declaratur esse absolutus. Non enim bis idem peccatum remittitur.

Hugo loco citato illud, quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit, dupliciter exponit. Primò existimat iis præcipuè dictum esse, quos totam vitam suam in peccato agentes, in fine flagitiorum pœnitet, & peccata deserunt, quando jam in hac vita tempus satisfactionis habere non possunt. Quibus dicitur, ne tamen ullo modo de venia desperent. Quia & tunc quoque si verè eos scelerum pœnituerit, misericordiam consequi valent. Hoc est enim quacunque hora, scilicet etiam in extremis, etiam in articulo necessitatis, salvus erit ab æterna damnatione.

Deinde dato, & concesso, quòd intelligatur de salute præsenti, quæ fit per absolutionem peccatorum. Hugo negat ingemiscentem esse perfectè absolutum: Non necesse est, inquit, nos dicere, quòd peccator ab omni debito absolvatur statim ex quo gemere cœperit; donec totum consequutus fuerit remedium, ut corde pœniteat, & ore confiteatur delictum, quod cum fecerit, jam amplius debitor damnationis

» non erit. Quòd si fortè peccator verè pœ-
» niteat, sed intercurrente articulo necessi-
» tatis ad Confessorem venire non possit;
» confidenter pronuncio, quòd in eo sum-
» mus Sacerdos complet, quod mortalis non
» potuit. Sic ille. Quare illud sic exponit Hugo, Quacunque hora ingemuerit, salvus erit, quasi dicat, tunc peccatoris salus incipit, quando veraciter pro delictis suis ingemiscit. Quæ tamen salus tunc plenè perficitur, quando id, unde ingemuerit, etiam ore confitetur. Notandum est, hanc sententiam citari à Patribus vario modo, sed in scriptura iisdem verbis non reperiri, nisi tantùm sensu. Hæc enim sunt verba
» Ezechielis cap. 18. Si impius egerit pœni-
» tentiam ab omnibus peccatis suis, quæ o-
» peratus est, & custodierit omnia præcepta
» mea, & fecerit judicium & justitiam, vita
» vivet, & non morietur. Omnium iniqui-
» tatum ejus, quas operatus est, non recor-
» dabor.

Ego censeo, ita contritum absolvi à Deo, ut etiam ex institutione divina teneatur subjicere se judicio, & clavibus Ecclesiæ. Quæ debet judicare de peccato, de pœna illi imponenda, de statu peccatoris, & remedio, & ferre sententiam ultimam remissionis, & absolutionis. Id quod etiam in Principe sæculari posset contingere. Si nimirum reo condonaret delictum, & nihilominus tamen vellet, ut per judicem ordinarium absolveretur.

Unde illorum verborum sensus, Ego te absolvo, non est, ego declaro te absolutum; si enim Sacerdos nihil aliud præstaret, parum curandum esset de hujusmodi declaratione. Quippe contrito atque à Deo absoluto nihil conferret; attritum verò nihil juvaret. Non is ergo est sensus, sed ego te absolvo, hoc est, ego impendo tibi Sacramentum absolutionis, seu quod idem est, confero instrumentaliter tibi gratiam, quæ quantum ex se est, reconciliat Deo, & dimittit peccata.

At enim dimissa sunt peccata. Ita est, sed non excluso voto confessionis, ut testatur Concilium Tridentinum sess. 14. de con-
» tritione cap. 4. his verbis: Docet præterea
» (S. Synodus) etsi contritionem hanc ali-
quando charitate perfectam esse contin- «
gat, hominemque Deo reconciliare, prius- «
quam hoc sacramentum actu suscipiatur, «
ipsam nihilominus reconciliationem ipsi «
contritioni sine sacramenti voto, quod in «
illa includitur, non esse adscribendam. Sic «
Concilium. Et tunc propter pœnitentiam, & humiliationem factam coram homine propter Deum, Sacerdos Dei Uicarius per modum reconciliationis, & sententiæ absolutoriæ, Ego te absolvo, inquiens, & conferens augmentum gratiæ devincit pœnitentem solidiore amicitia. Ex eo enim quòd pœnitens detestatur peccata, & petit veniam, est dignus majore amicitia Dei. Unde hoc modo bis & ter & sæpius remittitur idem peccatum. Nec desunt pij viri, qui frequenter universè de omnibus anteactæ vitæ peccatis exomologesim faciant, & absolvantur.

Halensis, & S. Bonaventura locis suprà citatis alium modum dicendi diversum excogitarunt. Dicunt enim eum, qui habet potestatem clavis, mediatorem esse Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Unde per ipsum peccator ascendit ad Deũ, & sic est Sacerdos os peccatoris, sive loquens pro peccatore: & per ipsum descendit Deus ad hominem, & sic est Sacerdos Angelus, immo os Dei, eò quòd separet pretiosum à vili. Secundùm quod ascendit, habet se per modum inferioris & supplicantis. Secundùm quod descendit, per modum superioris & judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, & ad hoc est idoneus. Secundùm 2. modum potest Ecclesiæ reconciliare. Et ideo in hujus significatione in forma absolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum. Et deprecatio gratiam impetrat, sed absolutio præsupponit tantùm. Nunquam enim Sacerdos absolveret quenquam, de quo non præsumeret, quòd esset absolutus à Deo. Si ergo quæratur, Utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam? dicendum, quod bene potest se extendere per modum deprecantis, & impetrantis absolutionem, sed per modum impertien-

tis nequaquam. Sic illi.

Quòd si quæras, si impetrant Presbyteri à Deo absolutionem deprecando, cur ipsi absolvunt postea, remissionem more judicum indicando?

Respondebunt, eos non absolvere à culpa, sed ab aliqua pœna.

Ut commemorati auctores tam primæ opinionis, quàm prædicti Doctores posterioris ita sentirent, in causa fuit sententia quædam B. Hieronymi in Matthæum cap. 16. lib. 3. tomo 6. super illis verbis. Et tibi dabo claves regni cœlorum, quæ talis est. Istum locum Episcopi & presbyteri non-intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur. Cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant: Non quò sacerdotes leprosos faciant, & immundos, sed quò habeant notitiam leprosi, & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immundum facit, sic & hic alligat, vel solvit Episcopus & presbyter. Non eos qui insontes sunt, vel noxij, sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates; scit qui ligandus sit, quivè solvendus. Hactenus Hieronymus.

Ex cujus verbis S. Bonaventura in 4. d. 18. q. 1. part. prima art. 2. contra se, qui dixerat, presbyterum absolvere non à culpa, sed ab aliqua pœna, hujusmodi format argumentum. In remittendis & retinendis culpis id juris habent Evangelici sacerdotes, quod olim habebant sub lege legales: sed illi non ostendebant nisi mundatum, ita quod non mundabant à culpa, nec absolvebant à pœna, ergo similiter & isti.

Ad quod respondet: Dicendum, quòd est ostendere per solam demonstrationem sicut ostendit ille, qui digito monstrat aliquid. Et est ostendere per quandam exhibitionem, ut artifex ostendit imaginem inchoatam, quando eam consummat. Dico ergo quòd Hieronymus vult dicere, quòd sacerdos Evangelicus quantum ad absolutionem à culpa absolvit tantùm ostendendo, scilicet demonstrando absolutum. Sed quantum ad absolutionem à pœna, ostendit non solùm sensui manifestando, sed etiam perficiendo, & exhibendo.

Quam opinionem maximè fulcire videtur Dionysij auctoritas. Si quidem loco supra citato de Eccl Hier. cap. 9. in Theoria, & cap. 12. tractans de iis, quæ fiunt in Domino dormientibus, ubi aliquo modo tangit etiam Sacramentum pœnitentiæ, in ea esse videtur sententia, ut asserat, ministrum esse ἐκφαντορικὸν, hoc est, interpretem, enarratorem, quodque isti aiunt, ostensorem divinæ potestatis, quasi tantùm is ostendat in ordine electum, in Sacramento pœnitentiæ pœnitentem absolutum, non autem verè ordinet, & absolvat.

Quæ sententia si esset vera, facilè Græci se tueri possent: sed videtur hæc & superior in idem concurrere, ac non dissimiles pati difficultates. Non enim dixit Christus, Quorum remisero culpas, remittetis pœnas, sed, Quorum remiseritis, scilicet culpas, & pœnas, remittam culpas, & pœnas; adeò ut & ordo à Christo Domino assignatus omnino servandus sit, & verbum remittendi univocè, non æquivocè sumendum. Nam si sacerdos non remitteret aliquo modo & ut minister etiam culpas, parum curaremus de illius judiciali absolutione, quæ respicit pœnam. Cùm enim Deus remittit culpam letalem, hoc ipso remittit etiam non paruam pœnam. Siquidem æternam pœnam commutat in temporalem in hoc mundo, vel in purgatorio solvendam. Non enim pœnitens à Deo solutus à culpa mortali, manet obligatus ad æternam pœnam.

Dices, præter illam sacerdotem remittere aliquam aliam partem pœnæ.

Sed contrà. Quia illa posset remitti etiam aliis operibus piis, & potissimùm indulgentiis, ut re ipsa remittitur. Et tamen si sacerdos non enunciaret illa verba, Ego te absolvo; pœnitens non censeretur ab-

solutus nedum ab aliqua pœna, sed neque à culpa, quam sequitur pœna.

Neque Hieronymi verba eò spectant, ut indicent sacerdotem Evangelicum nihil omnino differre à sacerdotibus veteris legis; sed cùm multi Episcopi, & Presbyteri ex verbis Evangelicis (Tibi dabo claves Regni cœlorum) multum sibi arrogarent, tanquam propria potestate ligarent, & solverent quos vellent; Hieronymus ait, nihil eos de suo præstare, nisi tantùm peccata discernere, reliquum verò Deum per ipsos tanquam ministros efficere. Duo enim sunt in sacerdote Evangelico, arbitrium, & potestas dimittendi. Arbitrium commune habet cum sacerdote antiquæ legis. Ille non faciebat leprosos vel mundos, sed notitiam habebat leprosi, & non leprosi, & ad summum, cùm jam judicasset aliquem non esse leprosum, hunc cum reliquo cœtu hominum sociabat. Iste non facit peccatores vel justos. Ut illi sacerdotes, quos insectatur Hieronymus, falsò existimabant, & gloriabantur. Non enim justum potest damnare, vel impœnitentem justificare, sed audita varietate peccatorum, scit qui ligandus sit, quive solvendus. At enim solvit. Verùm non suo, sed procuratorio nomine, quod non habebat antiquus sacerdos, & in quo sacerdos Evangelicus non debet tanquam de propria re gloriari. Itaque Hieronymus in eo tantùm ponit similitudinem, quòd sacerdotis proprium est utriusque.

Quòd autem non proprio nomine, & auctoritate absolvat, inde clarum est, quòd Christus Dominus priùs dixerit, Accipite
» Spiritum sanctum. Audiant ergo (inquit
» Hugo loco citato) & intelligant, Quorum
» remiseritis peccata, &c. quibus hoc dice-
» batur, priùs dictum fuerat, Accipite Spi-
» ritum sanctum, quorum remiseritis pec-
« cata, &c. Ne vel quod dabatur, crederetur
» contemptibile, vel quod recipientes ope-
» rantur, existimetur ex humana virtute
» procedere. Non ergo mirum est, si homi-
» nes peccata dimittere possunt, quia ut hoc
» possint, non ex sua, sed divina virtute accipiunt. Sic ille.

Alioquin si per omnia quadraret exemplum Levitici, quod S. Hieronymus affert, Ut in veteri lege leprosus priùs mundabatur, & ad sacerdotem ibat, non ut sanitatem reciperet, sed ut sanitatem demonstraret; ita hîc pœnitens non deberet ad sacerdotem accedere, miseriam suam deploraturus, sed justitiam suam demonstraturus, à qua re maxime Christiana fides abhorret.

Neque Dionysius hanc ullo modo juvat sententiam. Non enim in Sacramento Ordinis ulla forma, quæ ad essentiam spectet, agnoscitur deprecatoria. Et ad objectionem ex illius Theoria depromptam, dico, ea omnia Dionysium dicere, ut ostendat, Deum esse principem, & supremam causam, ministrum verò secundariam, ac minus principalem. Et quia minister necessariò in administrandis sacramentis coram Deo auctore supremo, & primario debet humilis apparere, & vel post, vel antea, immò ut veriùs dicam, & póst & antea fundere preces, ut se ministrum intelligat.

Addo, quòd cùm dicit ἐκφαντορικόν, ostensorem, sensus est, ministrum ostendere, quæ jussus est facere. Ex eo enim quòd Christus Dominus dixit, baptizantes eos, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, minister illud re ipsa ostendit, & præstat dicens, ego te baptizo, ego te absolvo.

Neque tamen asserit Dionysius tantùm esse enarratorem, sed præter illud, etiam verissimum esse ministrum, agitarique instinctu Spiritus sancti: aliquid ergo operatur veluti secundaria causa, & instrumentum. Atque ut idem Dionysius ibidem loquitur de Mose, ritum, & munus consecrationis, ut Pontifex exequitur.

Expositione itaque hujus opinionis explosa, atque repudiata, videndum est, an ipsam sententiam per se sumptam, atque consideratam aliquo modo tueri possimus.

Possemus ergo sic ratiocinari. Qui deprecatur alteri culpam à supremo judice, sanè indicat, se quidem quod ad se spectat, eam remittere, cupere verò, ut etiam summus Judex idem velit facere, & idcirco deprecatur. Igitur potest fieri absolutio de-

precativè. Etenim & si non expressam, virtute tamen continet in se formam judicialem debitam huic Sacramento ex parte ministri: simul etiam exprimit eandem formam, qua respicit Deum deprecatorio modo, congruo videlicet, ut etiam in modo loquendi tantæ Majestati reverentiam exhibeamus. Qui enim dicit remitte ei, condona ei, & id genus, non secus est, ac si diceret, ego quidem remitto, & ignosco delictis ejus, sed majestatem tuam etiam deprecor, ut per me velis Domine, remittere ei, & condonare delicta. Deinde convenit inter Græcos, & Latinos causam supremam, & primam remissionis peccatorum, esse Deum optimum maximum.
» Ego sum, inquit Esaiæ 43. qui deleo ini-
» quitates tuas propter me. Ministrum verò constat esse causam instrumentalem, quæ ut consequatur suum effectum, à principali agente moveatur necesse est. Sed istæ causæ sic inter se conjunctæ, consociatæ, ac subordinatæ, æquè bene, vel etiam magis, ac decentius exprimuntur, & agnoscuntur tales esse, si ejusmodi intercedat oratio, qua omnia προσηγορικῶς referamus ad Deum, ac de eo magnificentius, de secunda verò causa submissius cogitemus, & loquamur, quod commodè fit, si dicatur, dimitte ei per me. Ergo non est improbanda hæc sententia. Quòd enim intelligatur secunda causa, patet cùm ex eo quòd potestatis sibi à Deo traditæ Græcorum presbyteri mentionem faciant: tum à simili quorundam aliorum Sacramentorum, ubi expresè ponitur secunda causa Minister, & si non ipsa forma Sacramenti, tamen in orationibus, vel antecedentibus, vel consequentibus.

Præterea quòd forma per modum orationis æquipolleat indicativis, ex eo probatur. Æquè enim benedicit sacerdos cùm dicit, Benedico te, & cùm dicit, Te Deus benedicat, loquens ad hominem. Item idem est, si loquens ad Deum dicat, Solve illum Domine, ac si loquens cum homine dicat, Absolvat te Deus. Sed hunc postremum modum defendunt Ledesmius, auctor Candelabri aurei, Sotus, quem citat auctor Candelabri. Alexander Halensis in 4. p. q. 14. a. 2. in resolutione scribit formam absolutionis esse, Ego absolvo te: vel, Dominus absolvat te, ut solemus dicere, Parcat tibi Deus, hoc est, ego tibi parco.

Item absolutio est quædam benedictio, ut condemnatio est maledictio. Unde dicitur posse ab excommunicatione absolvi his verbis, Benedico te, secundùm Summistas. Nemo autem dubitat, benedictionem posse dari per modum orationis. Numerorum 6. traditur Sacerdotibus forma benedicendi populo ad vota, ad sacrificia, ad Sacramenta. Benedicat tibi Dominus, «
& custodiat te, ostendat faciem suam tibi «
& misereatur. Ergo neque de absolutione «
dubitandum, immo etiam hodie in Ecclesia Catholica Latina manet quædam absolutio à Venialibus per modum orationis, Misereatur tui, &c. Indulgentiam tribuat, &c.

Item illis verbis, Quæcunque solveritis, promissa est potestas æquè absolvendi à peccatis, atque absolvendi ab excommunicatione; si ergo poterit aliquis absolvere ab excommunicatione per orationem, poterit etiam absolvere à peccatis.

Postremò in Extrema Unctione Sacerdotes per orationem non solùm remissionem peccatorum ægrotis à Deo petunt; sed etiam eandem concedunt. Quamvis enim forma illius Sacramenti sit oratio fidei, satis tamen colligitur, mentem Sacerdotum esse non solùm veniam petendi, verùm etiam concedendi. Cur igitur non eadem deprecatio valeat in sacramento Pœnitentiæ? Hujus rei rationem assignare, si valere negetur, est difficile.

His accedat auctoritas sanctorum Patrum. Dionysius de Eccles. Hierar. cap. 12. agens de iis, quæ fiunt circa dormientes, seu mortuos, quærit, cùm unusquisque accipiat post excessum ad alteram vitam, condignam operibus suis mercedem, quare Pontifex roget divinam clementiam, pro erratis mortuorum veniam?

Reddit autem hujus rei triplicem causam, tum ex parte dormientis, & vita functi, quia quamvis piè vixerit, nihilominus tamen fieri non potest, quin ob hu-

manam imbecillitatem peccatorum levium aliquot maculas contraxerit, præsertim cùm & divina oracula dicant, neminem esse purum à sorde. Idcirco igitur rogat antistes. Tum ex parte Dei, quia Deus pollicitus est se daturum, quæ pontifex petierit pro iis, qui religiosè vixerunt. Quocirca petit divinus Pontifex, quæ à Deo promissa sunt, eique grata sunt, & planè concedenda. Postremò ex parte sua Pontifex rogat, quia non est Dominus absolutus, qui suo arbitratu dimittat. Et si tale quippiam efficeret, non exaudiretur, sed est Angelus, hoc est, nuntius Domini Dei omnipotentis, & ὑποφήτης, interpretis munere fungitur, & quæ divinitus accipit, aliis enuntiat, ac promit. Propterea & ἐκφαντορικὸς dicitur, & διαπορθμευτὴς, quod ad Deum preces hominum perferat, divinaque consilia hominibus exponat. Sitque hoc modo conciliator, transmissor, portitor, per quem commeatus ultro, citroque datur. Has igitur innuit causas Dionysius cur rogare ac petere, quæ Deo grata sunt, debeat Pontifex.

Deinde infert: οὕτω καὶ τὰς ἀφοριστικὰς ἔχουσιν οἱ ἱεράρχαι δυνάμεις, ὡς ἐκφαντορικοὶ τῶν θείων δικαιωμάτων. οὐχ ὡς ταῖς αὐτῶν ἀλόγοις ὁρμαῖς τῆς πανσόφου θεαρχίας εὐφήμως εἰπεῖν, ὑπηρετικῶς ἑπομένης, ἀλλ' ὡς αὐτῶν ὑποφητικῶς ὑποκινουμένων τῷ τελεταρχικῷ πνεύματι, τοὺς κεκριμένους θεῷ κατ' ἀξίαν ἀφοριζόντων. λάβετε γάρ φησι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας ἀφέωνται, ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται. καὶ τῷ τὰς θείας ἀποκαλύψεις τοῦ παναγιωτάτου πατρὸς ἐλλαμπομένῳ τὰ λόγιά φησιν, ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ὡς ἐκείνου καὶ παντὸς τοῦ κατ' αὐτὸν ἱεράρχου κατὰ τὰς ἐν αὐτῷ γινομένας τῶν πατρικῶν δικαιωμάτων ἀποκαλύψεις, ἐκφαντορικῶς, καὶ διαπορθμευτικῶς τούς τε θεοφιλεῖς προσιεμένου, καὶ τοὺς ἀθέους ἀποκληρώσαντος. Sic etiam facultates secernendi habent Pontifices (secernendi justos scilicet à peccatoribus, & contra peccatores à justis per absolutionem, & excommunicationem) ut interpretes divinorum judiciorum. Non quòd eorum à ratione aversis cupiditatibus sapientissima divinitas, ut honesto verbo utar, quasi ministra obsequatur, sed quòd spiritu mysteriorum principe permoventе, ipsi munere interpretis fungantur, & eos, qui à Deo judicati sunt, pro meritis cujusque secernant. Ideo enim dictum est Apostolis, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ei quoque, cui sanctissimi Patris patefacta erant, illustratione mysteria, Christus ait, Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Quasi ille, omnisque ei similis Pontifex secundùm ea, quæ illi de patris justitia revelata sunt, ut interpres, atque portitor, & Deo charos admittat, & impios excludat. Sic Dionysius. Si itaque ut interpres, & minister se gerit Pontifex, qui debeat moveri à Deo, & propterea precatur, & rogat tam pro mortuis, quàm pro pœnitentibus; ergo mysterium pœnitentiæ precatione absolvetur.

S. Ambrosius in lib. 3. de Spiritu sancto c. 19. docens Spiritum sanctum esse Deum, quòd peccata dimittat, hæc scribit: Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent; non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Filij, & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur, isti rogant, divinitas donat. Hominum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis.

S. Augustin. in lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 16. ubi de ea manus impositione, quæ repeti potest, hoc est de sacramento Pœnitentiæ agit (nam aliæ impositiones manuum confirmatoria scilicet, & ordinatoria non repetuntur) quid est, inquit, aliud manus impositio, quàm oratio super homine? apertè indicans formam absolutionis, cujus tempore suo usus erat, in oratione constitisse. Et homilia in Evangelium, quod legitur homiliario Doctorum in die sanctæ Magdelenæ, reprehendit eos, qui dicunt, dimitto tibi peccata. Quod non fecisset, si formæ, Ego te absolvo, usus fuisset apud eum.

Leo Magnus cap. multiplex de pœnitentia dicit, Dominum ordinasse testamentum, ut non nisi supplicationibus sacerdotum indulgentia peccatorum obtineri possit.

Porro hæc testimonia sanctorum Patrum videntur esse innixa sacrarum literarum fundamentis. Quippe in veteri testamento sæpe dicitur, Orabit pro eo sacerdos, & remittetur ei peccatum.

Atque hæc sunt, quæ pro hac sententia probabiliter afferri possunt. Quæ tamen ideò non probatur, quia aliena est à communi schola Theologorum, à qua in re tam gravi, & quæ ad fidem spectare videtur, sine urgentissima causa, & evidentissima ratione in contrarium, temerarium esset discedere.

Quamobrem B. Thomas hanc sententiam, ut & cæteras commemoratas, valde temerariam censet in opusculo 22. c. 1. & 3. & in 3. parte de Sacramento pœnitentiæ q. 84. a. 3. in corpore, simili ratione omnes impugnat Ait enim Sacramenta novæ legis facere quod significant, & significare quod faciunt. Si ergo Sacerdos Evangelicus verè absolvit, id significare debet verbis formæ. Id autem non significaret, nisi modo indicativo: quia modo precationis potiùs ostenderetur hominem à Deo absolvi, quàm ab ipsomet Sacerdote.

Et in argumento, sed contra in solutione primi, dicit sacerdotibus collatam esse potestatem verè absolvendi, sicut etiam verè baptizandi. Sicut ergo non exprimitur auctoritas baptizandi, nisi modo indicativo, Ego te baptizo, sic etiam neque absolvendi.

Denique hanc inquit, esse differentiam inter gratias gratis datas miraculorum, & potestatem absolvendi, quòd gratia miraculorum collata fuit Apostolis, ut impetrarent curationem, & alia miracula, non autem, ut efficerent instrumentaliter. At verò potestas absolvendi, & ministrandi Sacramenta, data est, ut operentur justificationem instrumentalitur, Hæc autem operatio denotatur indicativo modo, non deprecativo.

Verùm licet nobis quoque cum reliquis Theologis consentientibus hæc sententia minimè probetur, rationes tamen S. Thomæ sunt expendendæ, ut dignoscere valeamus, multum-ne sint, an parum efficaces. Quòd enim asserit, debere esse sub forma indicativa, ut minister hujus Sacramenti instrumentaliter concurrat, hoc non adeo certum, neque undequaque verum est. Quia etiam minister Extremæ-Unctionis eodem modo concurrit ad effectum illius, sicut minister hujus Sacramenti. Et tamen confertur illud Sacramentum sub forma deprecationis.

Sed respondent ejus discipuli peculiarem esse rationem hujus Sacramenti propter effectum quendam illius, qui non regulariter confertur, sed secundùm fidem recipientis, scilicet propter sanitatem corporalem.

Veruntamen hæc solutio non satisfacit: tum quia effectus præcipuus sacramenti semper confertur infallibiliter, & hunc præcipuè significant verba formæ: tum quia etiam sanitas corporalis quando confertur, ut est ejus effectus, semper confertur independenter à fide ægroti. Nullus enim effectus Sacramenti pendet ex fide miraculorum. Sanitas autem corporalis in tantum est effectus hujus Sacramenti, in quantum confertur vis, & gratia, ne infirmus succumbat tentationi propter gravitatem ægritudinis: & id significatur Jacobi cap. 5. quando dicitur, Oratio fidei "saluabit infirmum, & allevabit eum Do-" "minus."

Ex eo verò quòd sacerdotibus data sit potestas absoluendi, non rectè probatur formam hujus Sacramenti non posse esse deprecatoriam: quia Matthæi 10. & Marci 13. & Lucæ 10. dicitur Christus dedisse potestatem Apostolis in spiritus immundos, & languores curandi. Hæc autem operabantur Apostoli fere semper deprecatoriè. Unde ex eo quòd fierent miracula ab Apostolis deprecantibus, non rectè infertur, non fuisse instrumenta physica ad efficienda miracula. Neque contrà, ex eo quòd per modum imperij, aut indicativo modo iidem Apostoli facerent miracula, ut Princeps Apostolorum fecerat,

fecerat, Surge, inquiens, & ambula, probari potest fuisse instrumenta physica. Sub utraque enim forma potest esse instrumentum morale, & potest esse instrumentum physicum.

Cur itaque forma hujus Sacramenti sub deprecatione suum effectum non assequatur, nec valeat, ratio nulla melior reddi potest, quàm quòd Christus hoc Sacramentum sub certa verborum forma ita instituerit, ut deprecatoria nulla esse videatur. Unde quemadmodum ex verbis Christi, baptizantes eos, rectè dicimus in baptismate, Ego te baptizo, ita etiam ex verbis Christi, Quæcunque solveritis, rectè dicimus, Ego te absolvo.

Et hanc rationem insinuat B. Thomas in opusculo citato 22. de forma absolutionis cap.2. cùm enim sibi opposuisset auctores, qui contrarium senserint: sed & si, inquit, ita senserunt, nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro, Quodcunque solveris, &c. Nunquid etiam si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ?

In verbis autem Christi fundatur etiam Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quæ semper sub forma deprecationis sacramentum extremæ Unctionis contulit, absolutionis verò sub forma indicativa.

Positis autem verbis Christi, ac fundamenti loco jactis, si quæramus, cur Christus Dominus in indicativa forma hoc Sacramentum instituerit; rectè possumus à posteriori philosophari, & illud affirmare, quod ab aliquibus adducitur ex Concilio Tridentino sess.14.cap.6.can.9. Sacramentum hoc esse instar cujusdam actus judicialis, & actus Sacerdotis instar sententiæ cognita causa; sententiam autem nunquam proferri sub forma deprecationis, sed aut sub forma indicativa, vel per modum imperij, ut significetur auctoritas Judicis remittentis. Re vera enim non videtur bene servari in forma deprecativa vera forma judicij. Nullum enim est judicium inter homines, quantumvis infimæ potestatis, in quo Judex etiam subordinatus alteri, sententiam suam saltem indicativè non proferat, remittens deinde postremam sententiam ad tribunal superius. Quod in hoc judicio minimè necessarium esse videtur.

Et hoc sibi vult B. Thomas, cùm dicit, Sacramenta facere quod significant, & significare quod faciunt. Quæ illius ratio in omnibus Sacramentis suum robur, & pondus obtinet. Non enim verbis deprecatoriis exprimeretur vera forma judicij.

Neque satis est dicere, contineri virtute talem formam. Nam hoc nihil aliud est, quàm dicere contineri etiam virtute solutionem, ac proinde non esse absolutum pœnitentem, sed posse absolvi. Absolvetur verò, cùm re ipsa adhibebit Presbyter solutionem. Ratio autem est, quia non sufficit ad judicialem sententiam, eo modo quo judicia inter homines exerceri solent, voluntatis, & animi quæcumque indicatio, sed ea, quæ intimetur actu auctoritativo, ut ita dixerim. Unde si apud aliquam gentem mos esset judicialem sententiam deprecativo modo proferri, sine dubio tunc valeret absolutio. Nunc cùm ista voluntatis intimatio moralitatem judicialem non retineat (quam tamen in omnibus Sacramentis Christus Redemptor noster, ut pote qui signa daret hominibus, semper servari voluit) non poterit esse apta judicij spiritualis sententia.

Quòd autem formæ deprecatoriæ indicativis æquipolleant, ubi judicium intervenire solet, falsum est, propter rationem allatam. Non enim exercetur sententia judicij sub forma deprecatoria: in aliis non repugnat, ut ex allatis exemplis constat.

Jam verò tandem solvenda mihi superiùs facta objectio, quæ videtur esse molestissima. Siquidem ex verbis Christi, Quodcumque solveris, colligimus etiam absolutionem ab excommunicatione. Et tamen illa sine dubio secundum communem sententiam non solùm fit his verbis, ego te absolvo ab excommunicatione, vel benedico, sed etiam potest fieri his aliis, benedicat te Deus, absolvat te Deus. Quid igitur obstat, quominus idem fiat in Sacramento pœnitentiæ?

Respondeo, usus Ecclesiæ, quæ vocem sponsi audit, & intelligit, & eam rectè in

eum sensum interpretatur, ut solutio ab excommunicatione si vario modo fiat, valeat; non ita verò absolutio à peccatis, id etiam exigente natura rerum. Qui enim habet jurisdictionem excommunicandi, habet etiam efficaciam absolvendi à propria intentione. Porro hanc suam intentionem quibuscumque vult verbis, immo & signis exprimere potest, ac enunciare, Ego te benedico, ego te absolvo, benedicat te Deus, absolvat te Deus, & etiam nihil dicendo si familiariter cum excommunicato versetur, jam ille absolutus censetur. At in Sacramento Pœnitentiæ non sufficit quodcunque signum voluntatis, sed servanda est consueta norma judicij. Quamobrem cùm dicimus, Benedicat te Deus, ut etiam parcat tibi Deus, hoc est, ego tibi parco, nullum exercemus judicium, sed vel precamur bona proximo, vel condamnamus injurias citra omne judicium, & extra Sacramentum. Et eadem verba quilibet profanus, & sæcularis cuilibet precari potest, ut manifestè appareat non esse sacramentalia. Orationes autem illæ, Misereatur tui, & Indulgentiam, similiter non sunt sacramentales, sed quibus dicuntur, venialia peccata dimittunt orationis instar Dominicæ.

Quanquam hunc modum loquendi non adeo improbabilem existimem. Si enim in sermone trito, & usitato illa verba, parcat tibi Deus, idem sonant, quod ego tibi parco, perfectò poterunt in Sacramento (nisi aliud obstet, hoc est Ecclesiæ consuetudo) eodem sensu dici, & valebit Sacramentum. Simili modo sacerdos in fine sacri benedicens populo ait: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Cùm alioquin illam benedictionem ore suo ipse proferat, & manu propria exequatur.

Verùm hoc idem pro tuendis Græcis, posset aliquis nobis objicere; diceret enim consuetudinem Ecclesiæ Orientalis esse, ut hujusmodi Sacramentum sub forma deprecatoria conferat. Unde si licet ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ exponere verba Christi, idem licebit ex consuetudine Orientalis Ecclesiæ, & sic utraque forma erit valida.

Sed dicendum est, in hoc sequendam esse matrem, magistram, ac principem aliarum Ecclesiarum Romanam Ecclesiam. Quæ hanc prærogativam ex privilegio singulari sortita est, ut ipsa in rebus, & dogmatibus fidei nullo modo deficiens, valeat alios confirmare.

Adde quòd ex his, quæ ordine dicturi sumus recensendo alias opiniones, haud certum est Ecclesiam Orientalem perpetuò habuisse in usu formam deprecatoriam, immo contrarium constabit.

Forma Extremæ-Unctionis negotium nobis facessere videtur, sed dicendum est, non aptè, & congruenter fieri comparationem: minister enim in Extrema-Unctione nullum exercet judicium, implorat ægroto divinum auxilium, quando is in eo statu reperitur, in quo non potest præstare opera pœnitentiæ; ideoque indiget sola divina misericordia. Cùm tamen in Sacramento pœnitentiæ sit justitia, & misericordia, & hoc intersit inter hæc duo Sacramenta. Præterea si non essent peccata, Sacramentum pœnitentiæ non exerceretur. At verò Extrema-Unctio etiam si desint administratur, quod nimirum habeat etiam alios effectus; quare illud necessariò respicit peccata, hoc ex hypothesi, si adsint.

Ad auctoritates Patrum priusquam respondeam, illud universè notandnm est, extrema esse fugienda. Quia enim nonnulli nullam prorsus agnoscebant in ministro potestatem, propterea sancti Patres eam magnificiunt, & magnificè exstollunt. Sic Chrysostomus eleganter eam explicat, facta comparatione cum potestate regia homilia de verbis Esaiæ: ἀλλ' εἰ βούλει ἱερέως πρὸς βασιλέα τὸ διάφορον ἰδεῖν τῆς ἑκάστῳ δεδομένης ἐξουσίας τὸ μέτρον ἐξέταζε, καὶ πολλῷ τοῦ βασιλέως ὑψηλότερον ὄψει τὸν ἱερέα καθήμενον. εἰ γὰρ καὶ σεμνὸς ἡμῖν ὁ θρόνος φαίνεται ὁ βασιλικὸς ἀπὸ τῶν προσπεπηγότων αὐτῷ λίθων, καὶ τοῦ περισφίγγοντος αὐτὸν χρυσίου, ἀλλ' ὅμως τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔλαχεν οἰκονομεῖν, καὶ πλεῖον οὐδὲν ἔχει τῆς ἐξουσίας ταύτης. ὁ δὲ τῆς ἱερωσύνης θρόνος ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἵδρυται, καὶ τὰ ἐκεῖ διέπειν ἐπι-

τετράπλαι. τίς ταῦτά φησιν; αὐτὸς ὁ τῶν οὐρανῶν βασιλεύς. ὅσα γὰρ ἂν δήσητε, φησιν, ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ ὅσα ἂν λύσητε, φησιν, ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. τί ταύτης ἴσον γένοιτ' ἂν τῆς τιμῆς; ἀπὸ τῆς γῆς τὴν ἀρχὴν τῆς κρίσεως λαμβάνει ὁ οὐρανός. ἐπειδὴ ὁ κριτὴς ἐν τῇ γῇ κάθηται. ὁ δεσπότης ἕπεται τῷ δούλῳ, καὶ ἅπερ ἂν οὗτος κάτω κρίνῃ, ταῦτα ἐκεῖνος ἄνω κυροῖ. Verùm, inquit, si vis Sacerdotis, ac Regis discrimen agnoscere modum utrique concessæ potestatis perpende, ac multo sublimius ipso Rege Sacerdotem sedentem aspicies. Tametsi enim thronus regius nobis splendidus, & augustus videatur ob gemmas affixas, & aurum quo constringitur; tamen quæ in terris sunt regere sortitus est, & nihil hac potestate habet amplius. At Sacerdotis thronus in cœlis collocatus est, & negotiorum cœlestium administratio ipsi commissa. Quis hæc dicit? ipse cœlorum Rex, Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Quid cum hoc honore conferri possit? à terra judicandi potestatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quicquid hîc in inferioribus judicaverit, hoc ille in supernis ratum habet.

Et homilia 86. in cap. 20. Joannis, super illis verbis, quorum remiseritis peccata. καθάπερ τις βασιλεὺς ἄρχοντας ἀποστέλλων, ἐξουσίαν εἰς δεσμωτήριον ἐμβαλεῖν, καὶ ἀφιέναι δίδωσιν, οὕτω καὶ τούτοις ἐκπέμπων, ταύτῃ περιβάλλει τῇ δυνάμει. Quemadmodum, inquit, si quis Rex præfectos mittat, potestatem eis dat, reos in carcerem mittendi, & emittendi: ita Dominus discipulos dimittens hac munit auctoritate. Sic Chrysostomus de hac potestate.

Contra verò, quia quidam alij ministris totum attribuebant, sancti Patres in oppositum quodam modo tendunt, & fere nihil eos habere testantur. Neque tamen hæc inter se contraria sunt. Nam sacerdotes, & nihil habent potestatis, & plurimum habent, nihil à se, totum à Deo, atque ita à Deo, ut non absolutè, & independenter, sed tanquam ministri habeant. Propterea dum hanc potestatem Christus Dominus delegaret Apostolis Jo. 20. non dixit, remittite peccata, remittuntur, ut significaret remissionem peccatorũ provenire à Spiritu sancto per Apostolos, ut egregiè notarunt Dionysius de Eccl. c. 12. Ambr. in lib. 30. de Spiritu sancto cap. 19. S. Augustin. homilia de Magdalena. Mellitissimus Bernardus sermone 1. de Pentecoste, accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ut hac ratione suam potestatem participatam, delegatam, & veluti ministerialem, subalternatam, & subjectam esse Deo scirent Apostoli, & Dei esse supremam & primam. Non enim se privat Deus potestate remittendi, sed simul concurrit: idcirco in fine multarum precationum dicitur apud Græcos, ὅτι σὸν ἐστι τὸ ἐλεεῖν καὶ σώζειν, quoniam tuum est misereri, & salvare. Quod idem observavit Chrysostomus homil. citata 86. in Joan. alioquin potestatis Sacerdotalis egregius præco, & acerrimus propugnator: καὶ τί λέγω τοὺς ἱερεῖς; οὔτε ἄγγελος ἐργάσασθαί τι δύναται εἰς τὰ δεδομένα παρὰ θεοῦ, ἀλλὰ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα πάντα οἰκονομεῖ, ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ δανείζει γλῶτταν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ παρέχει χεῖρα. καὶ γὰρ οὐδὲ δίκαιον ἦν διὰ τὴν ἑτέρου κακίαν εἰς τὰ σύμβολα τῆς σωτηρίας ἡμῶν τοὺς πίστει προσιόντας παραβλάπτεσθαι. Et quid, inquit, sacerdotes dico? Neque Angelus quicquam in his, quæ à Deo data sunt, efficere potest. Sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus omnia moderantur. Sacerdos verò linguam suam commodat, & suam manum præbet. Neque enim justum est propter alterius malitiam eos offendi, qui ad salutis nostræ symbola fide accedunt. Probat hîc Chrysostomus sacerdotem à se nihil efficere, alioquin malus nihil efficeret. Unde neque bonus à se, sed ut minister operatur, & munere principis fungitur: οὐδὲ γὰρ ὁ καθαρεὺς ἀπὸ τῆς οἰκείας ἐπισπᾶται αὐτὸ (τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) καθαρότητος, ἀλλὰ χάρις ἐστὶν, ἡ τὸ πᾶν ἐργαζομένη. Neque enim (subjungit ibidem Chrysostomus) si quis purus sit, propter propriam puritatem spiritum attrahit, sed gratia omnia operatur.

Idem Doctor aliquando utramque po-

testatem, divinam, & Sacerdotalem conjungit, & eandem esse affirmat. Sic homilia 6. in 2. ad Corinthios, facta comparatione novæ legis cum vetere, & quod gratia Evangelica inscribatur non in tabulis lapideis, sed in cordibus hominum, infert: ἐννόησον τοίνυν ὅση τοῦ πνεύματος ἡ ἀξία, ὅταν αἱ πλάκες αὐτοῦ βελτίους τῶν προτέρων. ὅταν μεῖζόν τι καὶ αὐτῆς τῆς ἀναστάσεως ἐπιδείκνυται. καὶ γὰρ καὶ ἡ νέκρωσις αὕτη τῆς προτέρας χαλεπωτέρα, ἧς καὶ ἀπαλλάττει, καὶ τοσούτῳ, ὅσῳ ψυχὴ σώματος βελτίων. καὶ αὕτη δι' ἐκείνης συνίσταται ἡ ζωὴ, ἣν τὸ πνεῦμα δίδωσιν. εἰ δὲ ταύτην δυνατὸν χαρίσασθαι, πολλῷ μᾶλλον τὴν ἐλάττονα. ἐκείνην μὲν γὰρ προφῆται εἰργάσαντο, ταύτην δὲ οὐκέτι. οὐδεὶς γὰρ δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. οὐδὲ ἐκείνην δὲ χωρὶς πνεύματος παρεῖχον οἱ προφῆται. οὐ τοῦτο δέ ἐστι μόνον τὸ θαυμαστὸν, ὅτι ζωοποιεῖ (ἡ χάρις) ἀλλ' ὅτι καὶ ἑτέροις τοῦτο παρέχει ποιεῖν. λάβετε γάρ φησι πνεῦμα ἅγιον, διατί; χωρὶς πνεύματος γὰρ οὐκ ἐνῆν, ἀλλὰ δεικνὺς ὁ Θεὸς, ὅτι τοῦτο τῆς ἐξουσίας ἐστὶ τῆς ἀνωτάτω, καὶ τῆς οὐσίας τῆς βασιλικῆς ἐκείνης, καὶ τὴν αὐτὴν ἔχει ἰσχὺν, καὶ τοῦτό φησι, διὸ καὶ ἐπάγει, ὧν ἐὰν ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται, καὶ ὧν ἐὰν κρατῆτε, κεκράτηνται.
» Itaque animo cogita quanta spiritus dignitas sit, quippe cum ipsius tabulæ prioribus meliores sint, atque ipsa etiam resurrectione præstantius aliquid ostendat. Nam & mors ea, à qua ipsa liberat, priore gravior est. Et quidem tanto quanto anima corpori præstat. Atque hæc vita per eam subsistit, quam spiritus impertit. Quòd si hanc afferre potest, multo magis minorem. Illam etenim prophetæ quoque contulerunt, hanc autem non perinde. Nemo enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus. Quin ne illam quidem citra spiritus opem præbebant prophetæ. Nec verò hoc duntaxat mirum est, quod vivificat, sed etiam idem faciendi potestatem aliis quoque præbuit. Accipite enim, inquit, Spiritum sanctum. Quid ita? non enim sine spiritu id fieri poterat, sed ostendens Deus hoc supremæ potestatis, ac illius Regiæ Majestatis esse, eandemque vim habere, hoc etiam ait, & ideo subjungit, Quorum remiseritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retenta sunt.

His ita prius notatis, Dionysius primò nobis occurrit, enucleandus. Si quidem ait, Pontificem deprecantem à Deo exaudiri, & in eo capite post alia contexuit exempla excommunicationis, & absolutionis. Igitur in Sacramento Pœnitentiæ cùm pro pœnitentibus deprecatur, exauditur.

Uerùm non ea est Dionysij mens, & sententia. Is enim movet quæstionem, cur pontifex pro mortuis deprecetur. Si enim à divina justitia unusquisque juxta opera sua, quod ei debetur sortitus est, superflua esse videtur Pontificis deprecatio. Respondet Dionysius minimè superfluam esse. Nam divinus Pontifex nuncius est, Deique interpres. Cùm autem ex sacris literis didicerit neminem esse quamvis probum & sanctum virum, qui maculis quibusdam, & peccatis venialibus careat, item ex eadem scriptura sciat, bene orantes exaudiri à Deo, & placere Deo summopere eum orare pro aliis, & enixè petere, quæ ipse sponte pollicitus est se daturum: ideo Pontifex suo munere fungitur, & deprecatur pro illis, ut deletis maculis cum aliis sanctis, qui in Domino mortui sunt, præclarissimam hereditatem consequantur. Deinde ut ostendat Dionysius Pontificem nihil de suo, nisi quæ jussus est, facere, affert exempla excommunicationis, & solutionis. Nisi enim Dominus promisisset, se ratam habiturum solutionem, ac dixisset, Quæcumque solveritis, erunt soluta, & quæcumque ligaveritis, erunt ligata, immo & præcepisset ita fieri, homo mortalitatis suæ conscius, tantum opus non auderet; ut enim ait Chrysostomus homil. 88. in Joan. ἃ ἐγκεχείρισται ὁ ἱερεὺς, Θεοῦ μόνου ἐστὶ δωρεῖσθαι. Quæ commendata, atque concredita «
sacerdos habet, solius Dei est largiri. Et «
tandem ait Dionysius, in omnibus Pontificiis muneribus debere moveri à Deo, hæc enim est quasi conclusio in calce illius capitis: τοὺς μὲν οὖν θείους ἱεράρχας οὕτω καὶ τοῖς ἀφορισμοῖς, καὶ πάσαις ταῖς ἱεραρχικαῖς δυνάμεσι χρηστέον, ὅπως ἂν ἡ τελετάρχης αὐτοὺς θεαρχία κινήσοι. Divini itaque Pontifices secretionibus (hoc est excommunicationibus, & solutionibus) omnibusque pon-

tificiis facultatibus ita uti debent, ut eos mysteriorum Princeps divinitus permoverit. Unde illorum verborum [non quòd eorum á ratione aversis cupiditatibus sapientissima divinitas quasi ministra obsequatur] idem planè sensus est, qui fuit etiam Hieronymi. Non enim Pontifices sua voluntate possunt vel impœnitentes & indignos absolvere, vel innocentes condemnare. Si enim hoc daretur, tunc Deus eorum effrænatis cupiditatibus quasi minister obtemperaret.

Uerùm ut hæc clarè, & dilucidè intelligantur, sciendum est, Pontificem, quod antea dicebamus, esse secundariam causam alteri supremæ subordinatam, & ut ait Dionysius interpretem, & ministrum, non absolutum Dominum, ac proinde non posse suo arbitratu facere, quod libuerit. Reges enim & Principes absoluti pendentes à nemine, pro suo libitu ad declarandam suam liberalitatem, & magnificentiam, etiam scelestissimis hominibus quandoque vitam donare solent, quod idem facere judicibus inferioribus minimè licet. Quapropter cùm & Pontifex sit minister, & inferior judex in omnibus suis functionibus, ut effectum sui muneris sortiatur, debet moveri à Deo. Movetur autem non pari semper & eadem ratione, sed vario modo. Nam aliquando ita movetur, ut debeat ipse precari, & orare pro aliis; aliquando verò movetur tanquam Dominus, ut evellat, & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet: Nempe & excommunicet, & absolvat. Neque ista sunt inter se commiscenda, & confundenda: cùm enim duplex sit sacerdotis officium, alterum quidem, quo tanquam Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, ut docet Apostolus 5. ad Hebræos. Alterum verò quo respicit populum tanquam sibi subjectum, & potestatem in ipsum habens. In primo munere gerit personam Christi hominis, qui in diebus carnis suæ preces, & supplicationes obtulit cum clamore valido, & lacrymis, & exauditus est pro sui reverentia. Unde licet infallibiliter, & ex opere operato, ut pote Christi, & Ecclesiæ minister semper obtineat, quod bene, & secundùm promissiones postulat; convenienter tamen, & necessariò, ut mortalitatem nostram exprimens, & subjectionem ad Deum, debet hoc munus precatione peragere. Et de hoc loquitur ibi Dionysius. In secundo verò munere gerit vices Dei, & nescio quid nobilius, illustrius, ac divinius præsefert. Neque in ea functione opus est precatione, sed imperio.

De utroque loquitur Sacra scriptura, & quantum attinet ad prius docet etiam extra Sacramentum debere orare Pontificem: si bene oraverit, eum exaudiri. Quantum verò ad posterius, non asserit, eum debere fundere preces, numen divinum exorare (quamvis ut minister possit istud facere, modò non omittat veram formam) sed vel enunciativo, vel imperativo modo aliquid agere. Unde quemadmodum ex illis verbis Evangelicis, baptizantes eos, non licet nobis ministrare baptismum per modum precationis: sic etiam ex istis verbis, quodcumque solveris, erit solutum, non licet nobis, deprecando absolvere pœnitentes.

Quòd autem non ea mente fuerit Dionysius, ut affirmaret, absolutionem precatione perfici, inde manifestum est, quod ponat exemplum etiam excommunicationis. At constat tam Latinos, quàm Græcos in inferenda excommunicatione, non uti precatione. Immo si ita intelligatur Dionysius, ut contendit hæc opinio, cùm ipse dicat, Pontificem eodem modo debere se gerere circa omnes pontificias functiones; igitur in omnibus Episcopus deprecabitur, eruntque cunctorum formæ Sacramentorum deprecatoriæ. Cùm tamen Ecclesiarum conformis usus, & unanimis consensus oppositum nos doceat. Non enim Græci baptizant, non ungunt chrismate, non ordinant deprecantes. Non itaque ita sensit Dionysius, sed adducit exempla ex secundo officio sacerdotis petita ad confirmationem ejus, quod de priore loquens docuerat; tum ut ostendat in

utroque officio Pontificem moveri à Deo; ideoque debere exequi, quod jubetur: jubetur autem quandoque orare in suis functionibus, quandoque verò imperare, ut diximus: tum etiam quia est aliqua convenientia inter hæc duo munera, in eo videlicet, quòd quemadmodum sacerdotis verba excommunicantis, aut absolventis ex se vim nullam habent, nisi quatenus innitũtur divinæ promissioni, & conjunguntur efficacitati, quæ per sacerdotem agit; ita neque in priore officio vim habent infallibiliter impetrandi, nisi quatenus adest divina promissio rite orantem, & postulantem sacerdotem exaudiendi. Quare Dionysius ait: ideo rogat antistes, quod sciat promissa verissima esse, & sæpius promissionis hujus mentionem facit.

Sed adhuc urgendo, dicet aliquis: Pontifex si deprecetur pro pœnitentibus, & dicat Deo, Dimitte ei, condona ei, & similia, vel exauditur, vel non. At non exaudiri, non videtur esse dicendum, quia ritè postulat. Quòd si exauditur, igitur non indiget pœnitens alia solutione.

Uerùm hic nodus facilè exolvi potest, dicendum enim est, eum bene petere, & exaudiri, in eo scilicet, quod Deus vult habere validam, & ratam ejus absolutionem, quam debet necessariò adhibere, ideo dicit Christus, quodcumque solveris, erit solutum. Non verò bene petere, & consequenter non exaudiri, si ita petat, ut velit Deum condonare delicta pœnitenti absque eo quod ipse Confessarius adhibeat solutionem. Hoc enim est pervertere ordinem datum à Deo, qui non aliter condonare vult quàm per merita filij sui, in quorum virtute vult operari absolutionem. Vel igitur petit sacerdos precibus suis, non Christi meritis id donari, & hoc est intollerabilis arrogantiæ. Uel Christi merita suis quoque meritis, & verbis deprecatoriis applicari, ut eodem modo operentur, quo ipsa solutio; Hoc autem nil aliud est, quàm & ordinem à Christo institutum pervertere, & si quis bene consideret, non multo minoris superbiæ. Cur enim, quæso, orationibus ejus potiùs, quàm verbis, quibus Redemptor ipse tribuit, virtus hæc applicetur? Dominus enim jussit, Confessarium absolvere, & si juxta motionem divinam, & regulas pœnitentiæ absolverit, Christus quoque absolvet. Uoluit enim tanta Majestas quodam modo pendere ipsa ab homine, non contrà. Non enim dixit, quodcumque solvam, solvetis, sed quodcumque solveritis, erit solutum. Neque tamen id absolutè, & simpliciter est, pendere ab homine, sed à sua promissione. Ipse enim jussit ita fieri. Non ergo bene petit, qui aliter petit. Sed de Dionysio satis.

Ex his quæ diximus, patet etiam responsio ad auctoritatem Ambrosij, cujus sententia eò spectat, ut ostendat Deum esse primariam causam, & auctorem totius gratiæ. Hoc sibi volunt illa verba, "Neque enim in suo, sed in Patris, & Filij & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Non enim auctoritate sua, sed divina sacerdos dimittit peccata. Cùm autem dicit, isti rogant, divinitas donat, hoc intelligit, sacerdotes de suo nihil aliud interponere posse, quàm preces. Reliqua enim sunt Christi institutoris, & mysteriorum Principis. Quippe etiam verba formæ Christi sunt, nisi enim Dominus dixisset, quodcumque solveris, & quorum remiseritis, tantùm non dicens, solvite, & remittite, quis auderet enunciare, ego te absolvo? Deinde sacerdotes in administrando Sacramento pœnitentiæ inserunt verba deprecatoria quidem, sed & alia quæ continent in se veram formam enunciativam, & judicialem. Postremò, dicunt Patres per preces sacerdotum absolvi pœnitentem, quia initium absolutionis semper ducitur ab oratione, & à parte totum intelligitur; ut etiam dicunt, mystica prece consecrari Eucharistiam. Inde fit, ut etiam Græci Rituale suum vocent εὐχολόγιον. Quamvis non solùm preces & orationes, sed & veras formas Sacramentorum contineat. Non autem fuit opus, sanctos Patres scholasticorum more loqui, sed partim laudibus efferre divinam bonitatem, quæ peccata dimittit, partim excitare fideles ad honorandos sacerdotes quorum opera, & ministerio fieret remissio peccatorum.

Quod autem ea mens fuerit Ambrosij,

ex aliis ipsius verbis, quæ scripsit in libro
2. de Abel & Cain. cap. 4. parvo negotio
» probari potest. Remittuntur peccata per
» Dei verbum, cujus Levites interpres, &
» quidam exequutor est. Remittuntur per
» officium sacerdotis, sacrumque mini-
» sterium. Sic Ambrosius. Si per verbum Dei
remittuntur, certè verbum Dei illud est,
quodcunque solveris, & per consequens,
ego te absolvo. Si enim sacerdos exequu-
tor est, igitur sententiam judicialem pro-
ferre debet.

S. Augustinus si legatur in fonte, nullam
admittit difficultatem. Non enim tam mo-
dum loquendi, quàm sensum hæreticorum,
quem ipsi usurpabant, in hujusmodi lo-
quutionibus meritò reprehendit sanctissi-
mus Doctor quippe propriis meritis se di-
mittere peccata jactabant. Quod Ecclesia
Catholica jure optimo à se rejicit, atque
condemnat. Sed audiamus ipsum Augu-
» stinum. Ego dimitto ego mundo, ego san-
» ctifico. Respondeat illi, non ego, sed Chri-
» stus, ô homo, quando ego à Judæis puta-
» tus sum homo, dimissionem peccatorum
» fidei dedi. Non ego, sed respondet tibi
» Christus: ô hæretice, tu cùm sis homo,
» dicis, Veni mulier, ego te salvam facio.
» Ego, cùm putarer homo, dixi, Uade mu-
» lier, fides tua te salvam fecit. Respondent
» nescientes, sicut ait Apostolus, neque quæ
» loquuntur, neque de quibus affirmant.
» Respondent, & dicunt, Si non dimittunt
» homines peccata, falsum est, quod ait Chri-
» stus, Quæ solveritis in terra, soluta erunt
» & in cœlo. Nescis quare hoc dictum sit,
» quomodo dictum sit? daturus erat Domi-
» nus hominibus Spiritum sanctum, & ab
» ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti
» peccata, non meritis hominum volebat
» intelligi dimitti peccata. Nam quid es ho-
» mo, nisi æger sanandus? Sic Augustinus. In
cujus sententia illa verba, quæ tollunt om-
nem difficultatem, diligenter ponderanda
sunt: non meritis hominum.

Superest auctoritas Leonis Magni, quam
S. Bonaventura d. qu. in 4. sententiarum
» explicans, Pravam dispositionem, inquit,
» solus Deus amovet, & ideò congruum est
» ut forma verborum sub utroque exprima-
tur, id est per modum deprecativum, & in- «
dicativum. Possumus aliis verbis dicere, «
supplicationibus Sacerdotum obtineri in- «
dulgentiam peccatorum. Hoc est: nisi in- «
tercesserit ministerium Sacerdotum, quod «
so'et fieri adhibitis precibus, quæ tamen in «
se contineant veram formam judicialem, «
non acquiritur remissio peccatorum. Ha- «
ctenus de Patribus. «

In veteri autem lege Sacerdotes non di-
mittebant peccata, cùm etiam non habe-
rent talia Sacramenta, quæ ex opere ope-
rato tale quippiam efficerent; sed per ora-
tionem impetrabant à Deo pœnitentibus
remissionem peccatorum. Unde ad preces
illorum Deus solus operabatur, quemad-
modum ad verba magica dæmon opera-
tur. Ita sanè voluit Dominus ad differen-
tiam nostrorum mysteriorum; & hoc signi-
ficant illa verba, Orabit pro eo Sacerdos,
& remittetur ei peccatum. A quo remitte-
tur peccatum? non utique à Sacerdote, sed
à solo Deo remittetur ei peccatum. At in
lege gratiæ non dixit, orabis, sed, quod-
cunque solveris, erit solutum.

Atque ita sit explosa, ejectaque prima
sententia.

Secunda sententia est quorundam asse-
rentium hujusmodi formam, Dimitte ei,
condona ei. Non esse deprecatoriam, sed
imperativam. Græcè enim de rigore ser-
monis non dicitur, οἰκτειρήσειας, seu οἰκτειρή-
σαις, καθαρίσειας, seu καθαρίσαις, sed οἰκτεί-
ρησον, κάθαρον, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον, συγγνώ-
μων παρέχου.

Quòd si alicubi est δεόμεθα, rogamus, &
ῥυσθείη liberetur, in modo deprecandi, non
ῥυσθήτω, in modo impetandi; tamen vel an-
tea, vel postea ingeruntur prædicta verba
imperantia, ut est videre in Euchologio.

Uerùm cùm ita in usu sermonis plerun-
que eveniat, ut deprecantes etiam non ra-
ro utantur verbis imperandi, quæ tamen
quo ad sensum veluti deprecantia exci-
piuntur ab auditoribus, & intelliguntur:
Hinc factum est, ut multi existimaverint,
apud Græcos non esse veram formam hu-
jus Sacramenti.

Neque vllum absurdum est, si quis di-
cat, hac ratione ministrum imperare, quod-

que amplius est, Deo optimo maximo imperare. Nam potest imperare tam is, qui à seipso habet potestatem, quàm qui ab alio, & ministri munere fungitur. Et Deus ipse vult, ut sibi imperetur. Certè divina Scriptura ita loquitur Josuë cap. 10. Stetit Sol, inquit, nec fuit antea, vel postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël. Quin & ipse Elias 3. Reg. cap. 17. talem, ac tantam in loquendo præsefert majestatem, ut naturam regere, & creatori ad libitum leges præscribere videatur: Uivit Dominus, inquit, Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba. Quẽ locum explanans S. Basilius, non ille quidem Magnus, sed Episcopus Seleuciæ, qui floruit circa annum Domini 400. ut constat ex Concilio generali quarto, ubi ipse non solùm interfuit, sed etiam unus fuit de illis Patribus, qui definitionem Concilij conscripserunt; is inquam, homilia in laudem Eliæ habita gravissimis, & elegantissimis verbis, sic prosequitur præsentem sententiam, φοβοῦμαι δὲ ὅμως τὸ φιλάνθρωπον τοῦ θεοῦ, & quæ sequuntur. Uereor ne, inquit, divina misericordia, quod concepi animo exequi cassum reddat. Post pauca infert: τί οὖν ἐργάσομαι; ὅρκῳ καὶ αὐτὴν τὴν τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίαν βιάσομαι. κἂν εἴπῃ πρός με θεὸς παρ' αὐτῶν ἱκετευόμενος, παρέχω τὸν ὑετὸν τοῖς ἀνθρώποις Ἠλία; φήσω πρὸς αὐτὸν, οὔ. ζῇ κύριος, οὐκ ἔσται εἰς τὰ ἔτη ταῦτα δρόσος, ἢ ὑετὸς ἐπὶ τῆς γῆς, εἰ μὴ διὰ στόματός μου. μετρεῖ τῇ φύσει τὰ ῥήματα. ἔστω, τὸν οὐρανὸν ἐπέχεις, τί καὶ τὴν τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίαν κατέχεις; ἔστω, κατὰ τῶν ὁμοδούλων ἐκτείνεις ἀπόφασιν, τί καὶ τοῦ δεσπότου τὴν ἐξουσίαν ἁρπάζεις; ἐδέσμευσας σὺ τὰς νεφέλας, ἀλλὰ τῷ ποιητῇ κἂν τὸ λέγειν ἐπίτρεψον. οὔ, ζῇ κύριος, εἰ μὴ διὰ στόματός μου. Quid igitur agam? juramento vel ipsam Dei benignitatem astringam, & si Deus ab illis rogatus ad me dixerit: Elia, præbebo-ne pluviam hominibus, an non? loquar ad eum, non. Uivit Dominus, non erit in hos annos ros aut pluvia super terram, nisi per os meum. Metitur, hoc est, veluti mensuram agendorum Elias præscribit naturæ: ista verba, naturæ verba. Esto, cœlum detines, cur & Dei benignitatem cohibes? esto, adversus conservos infers sententiam, cur & Domini eripis libertatem? alligasti tu nubes, verùm Creatori saltem dicendi facultatem concede. Non, vivit Dominus, nisi per os meum. Hæc Basilius.

Vides hîc qualem, & quantam potestatem elargitur Deus servis suis, & ministris, ut tanto Domino imperare videantur.

Confirmatur aliquo modo hæc opinio auctoritate ordinis Romani supracitata. Illa enim verba in Confirmatione, Signa eos Domine (per me scilicet) signo Crucis; dicerem ego sequendo hanc sententiam per modum imperantis enunciari.

Hanc sententiam B. Thomas fortassis non improbaret. Siquidem ipse optimè putat valere baptismum, si dicatur in modo imperandi, baptizetur servus Dei. Quod tamen Græci non dicunt: ergo idem affirmare posset de forma hujus Sacramenti, qua utuntur Græci. Parum enim refert hoc, vel illo modo quis dicat, Dimittatur ei passivè, ubi intelligitur causa principalis Deus, & minister, hoc sensu, Dimittatur ei à te Deus per me. Ideò enim in oratione fit mentio potestatis concessæ. Et in altera oratione extremæ Unctionis dicitur, τοῦ προσελθόντος σοι ἐν ἁμαρτίαις, καὶ αἰτουμένου παρὰ σοῦ δι' ἡμῶν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ad te accedentis in peccatis, & à te per nos veniam petentis. Et in orationibus, εἰς πᾶσαν ἀρὰν καὶ ἀφορισμὸν εἰς τεθνεῶτα, id est, quas super mortuis aliquo interdicti, vel anathematis vinculo constrictis, recitare solent (cujus sanè rei sanctissimi viri Benedicti Abbatis exemplum historiæ memorant): eadem ferè habentur, συγχώρησον αὐτὸν δι' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἀναξίου δούλου σου. Da ei veniam per me peccatorem, & indignum famulum tuum: & ἔστω συγκεχωρημένος, sit absolutus, ubi Sacerdotem imperare, manifestè apparet. Et in sacramento Ordinis cùm in ipsa initiatione tantùm dicatur, ἡ θεία χάρις προχειρίζεται, divina gratia promovet, subditur in oratione consequenti, ὃν εὐδόκησας προχειρισθῆναι παρ' ἐμοῦ, quem à me promoveri voluisti: ita ut argumentum hoc ipsum satis clarum esse possit, in omnibus hisce imperativis formis illud idem intelligi, nimirum secundam causam, ministrum. Parum, inquam,

refert,

refert, si passivè dicatur (quo passivo modo loquendi usus est etiam Christus Dominus, Remittuntur, inquiens, tibi peccata tua) vel si dicatur activè, Dimitte tu Deus per me. Idem enim valet, & sonat. Neque enim vocabulorum, ut quodam in loco ait Cicero, sed rerum inquisitores esse debemus. Et passivus modus loquendi æquipollet activo.

Cùm enim Christus Dominus dixisset passivè, Remittuntur tibi peccata, sive ut in Græco est, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, dimissa sunt tibi peccata, infert Dominus eum modum explicando activè, Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata. Passivè tamen loquutus, ut arrogantiæ notam effugeret, ut optimè notat in eo loco Jansenius, propterea non dixit, remitto tibi peccata, sed remittuntur. Potuissent enim Judæi intelligere remitti à Deo peccata, non à Christo, quem merum hominem falsò arbitrabantur. Cujus tamen loquutionis ea vis est, ut ipsi facilè intellexerint, potuisse pro persona dicentis accipi, atque ita ipsi acceperint: quem sensum tantum abest, ut Dominus redarguerit tanquam malum, ut etiam tanquam verum, ac sententiam suam assequutum approbarit. Ut autem sciatis, inquit, quia filius hominis potestatem habet dimittendi peccata, &c. Itaque idem erit judicium de modo imperativo si activè, vel passivè proferatur: sed valet passivè juxta sententiam S. Thomæ, igitur & activè valebit

Hæc sententia mihi valde probaretur, si presbyter modum imperandi verteret non ad Deum primarium auctorem, sed ad ipsum pœnitentem, si diceret, ἴσθι συγκεχωρημένος, sis venia condonatus, sis absolutus. Non enim mihi fit verisimile, (quicquid sit de exemplis in contrarium allatis, quæ novum quiddam, & inusitatum præseferunt) Ecclesiam, seu potius Christum in hoc Sacramento voluisse hujusmodi formam statuere, qua significaretur ministrum & servum Domino imperare. Nam ex verbis Domini haud colligitur istud.

Præterea illud, dimitte per me, nihil aliud est, quam facultatem à Deo petere, ut minister possit dimittere, quam Dominus jam olim concessit, cùm hoc mysterium institueret. Sed denuo, fortassis dicent, petitur. Respondemus, & conceditur. Accepta itaque potestate dimittendi, minister re ipsa debet dimittere verbis judicio convenientibus, alioquin non est pœnitens absolutus. Et confirmatur à simili, quamvis enim minister Græcus in Sacramento Confirmationis precetur his verbis: αὐτὸς δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε χάρισαι αὐτῷ καὶ τὴν σφραγῖδα τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου, καὶ παντοδυνάμου, προσκυνητοῦ σου πνεύματος. Tu Domine omnium Rex, misericors dona ei etiam signaculum largitionis sancti, omnipotentis, adorandique tui spiritus. Hoc tamen cùm non sit satis, veram adhibet postea formam: σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Signaculum, inquiens, doni Spiritus sancti.

Tertia sententia erit, si ex duabus recitatis, illarumque connexione, alteram mixtam constituamus. Colligitur hæc sententia ex significatione verborum, quæ continentur in Euchologio. Partim enim sunt verba deprecativa δεόμεθα, & ῥυσθείη. Partim verò, & major pars imperativa; ἄνες, ἄφες, συγχώρησον, συγγνώμην παράσχου. Quorum tamen verborum, si sensum, & communem usum loquendi inspicias, invocantis, orantis, & deprecantis meritò esse censebis. Si rigorem sermonis: ἀνάδειξον, συγχώρησον, non ἀναδείξειας, συγχωρήσειας, imperantis esse non denegabis. Quare utraque simul fiunt, estque hoc modo, ut ita dixerim, quædam παρακλητικὴ πρόσταξις, ἢ προστακτικὴ παράκλησις, hoc est, deprecativa imperatio, vel imperativa deprecatio. Sic itaque imperat sacerdos, ut se Deo penitus submittat, & tamen certò, & infallibiliter hîc, & nunc quod postulat, ac si simpliciter imperaret, obtineat.

Formæ itaque loco sive deprecativè, sive imperativè, sive utroque modo sumantur, sunt hæc verba, quæ recitat Sacerdos inter orandum. δεόμεθα ὑπὲρ τοῦ δεῖνος, συγχώρησον, rogamus pro tali, indulge, seu condona. Cùm tamen prius mentio potestatis fiat his verbis: σὺ δέσποτα διὰ τοῦ ἁγίου

σου ἀποστόλων ἐχαρίσω τοῖς κατὰ καιρὸν ἱερουργοῦσιν ἐν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, καὶ δεσμεῖν καὶ λύειν πάντα σύνδεσμον ἀδικίας. Tu Domine per ſanctos tuos Apoſtolos donaſti iis, qui in ſancta tua Eccleſia ſucceſſivè per tempora Sacerdotali funguntur officio, facultatem in terris dimittendi peccata, ligandi atque ſolvendi omne vinculum injuſtitiæ. Hucuſque de poteſtate. Deinde infert Sacerdos, δεόμεθά σου καὶ νῦν ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν τοῦ δεῖνος, τοῦ παρεστηκότος ἐνώπιόν σου. ἀποχορήγησον αὐτῷ τὸ σὸν ἔλεος, διαῤῥήσσων αὐτοῦ τὸν δεσμὸν τῶν ἁμαρτιῶν. Obſecramus itaque pro fratre noſtro N. qui coram te adſtat, tribue ei tuam miſericordiam, diſrumpens vinculum peccatorum. Et poſt pauca, πάντα τὰ ἑκούσια καὶ τὰ ἀκούσια ἁμαρτήματα συγχώρησον. Omnia voluntaria, & involũtaria peccata condona. Et poſt hæc, τὸν δοῦλόν σου τοῦτον ἐλευθέρωσον ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τῶν ἁμαρτημάτων. Hunc ſervum tuum à ligamine libera peccatorum. Et in alia oratione, σὺ δέσποτα καὶ τὸν δοῦλόν σου τοῦτον δεῖνα τῇ σῇ ἀγαθότητι ἐλευθέρωσον τοῦ ἐπικειμένου αὐτῷ δεσμοῦ, καὶ δώρησαι αὐτῷ. Tu Domine, & ſervum tuum N. tua benignitate libera ab impoſito ſibi ligamine, & dona ei, &c. Et in conſequenti oratione, συγχώρησον, συγγνώμην παράσχου, Dimitte, & ignoſce, ſeu concede veniam.

Sunt autem diverſæ, ac variæ orationes pro varietate peccatorum, licet non omnium. Inter alias verò duæ ſunt quaſi genericæ, & quæ poſſunt inſervire omnibus quæ inſcribuntur, ἐπὶ μετανοούντων, ſuper pœnitentes, quæ ſcilicet debeant recitari ſuper pœnitentes. Ex quibus excerpſimus, quæ ad rem magis faciunt: αὐτὸς καὶ τὸν δοῦλόν σου τὸν δεῖνα μετανοοῦντα ἐφ' οἷς ἔπραξε πλημμελήμασι πρόσδεξαι τῇ συνήθει σου φιλανθρωπίᾳ, παρορῶν πάντα τὰ αὐτῷ πεπραγμένα. Tu etiam ſervum tuum N. errorum, quos commiſit, pœnitentem aſſueta tua benignitate excipe, immemor omnium ab eo geſtorum. Et in ſequenti oratione, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον, Remitte, dimitte, condona. Niſi quòd rurſus faciunt mentionem poteſtatis ſibi à Deo traditæ. Hacque ratione, & ſe miniſtros, & Deum auctorem, ac principem totius negotij, & divinæ gratiæ eſſe oſtendunt.

Non placet hæc opinio, quia exploſa prima ſententia, quid aliud ſupereſt, niſi ut hæc ex ea parte, qua cum illa convenit pari modo explodatur, & ſi aliquam probabilitatem præſefert, ut in ſecundam incidat? quæ tamen quantum habeat probabilitatis, jam advertimus.

Adde quod illæ frequentes iterationes, Remitte, dimitte, condona, & id genus ſimilia ſuſpectam efficiunt formam, utpotè quæ brevis admodum debeat eſſe, ut conſtat in cæteris Sacramentis. Hîc verò eadem millies geminantur.

Præter commemoratam verborum formam, quæ extat in Euchologio, & videtur in his ferè verbis conſiſtere: Domine Jeſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem, abſolve hunc à peccatis ſuis. In nonnullis exemplaribus, quæ continent canones, ex quorum rigore injunguntur pœnitentibus ſatisfactiones, reperitur alia forma, quæ eſt hujuſmodi. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dedit Apoſtolis ſuis poteſtatem, quæ per illos tranſiit ad nos, συγχωρήσοι σοι, abſolvat te, ſive condonet tibi peccata tua. Addunt Græci multa alia verba in his formis, ſed hic eſt eſſentialis ſenſus.

Sunt autem qui ingenioſè dicant, formam Græcorum in hoc Sacramento, ſive primo, ſive poſteriori modo enuncietur, nulla ratione deprecativam eſſe, ſed applicativam. Cùm enim agnoſcant Græcorum antiſtites, ſe poteſtatem habere, nec velint exprimere miniſtrum, per illum dicendi modum, intendunt applicare virtutem, & actionem principalis agentis ad producendum effectum, & hunc dicendi modum æquipollere volunt illi, Ego te abſolvo.

Id autem totum probant ex loco citato Dionyſij de Eccleſ. Hierar. cap. vlt. Ubi Dionyſius ait, Pontificem in Excommunicationibus, & abſolutionibus: ἐκφαντορικῶς καὶ διαπορθμευτικῶς προΐστασθαι τοὺς φιλοθέους, καὶ ἀποκληροῦσθαι τοὺς ἀθέους. Inſtar interpretis, ac illius qui trajicit, atque tranſmittit, hoc eſt internuncij admittere Deo charos, & impios excludere. Ubi no-

tanda est vox διαπορθμευτικῶς, quam Georgius Pachymera scholiastes meo judicio exponit non rectè ἀλληλοδιαδόχως, quod alterum alteri per manus tradere potestatem significat. Quamvis enim hoc verissimum sit; non tamen ibi agit Dionysius de hac re. Neque comparat Pontifices inter se, sive successionem ipsorum; sed Deum, & homines, sive justos, sive impios, veluti duo extrema ponit; Pontificem medium, cujus munus est ἐκφαίνειν patefacere, & occulta promere; & διαπορθμεύειν, trajicere (quod est per metaphoram dictum) hoc est, divina consilia ad homines transferre. Si igitur Pontifex divinam voluntatem hominibus patefacit, & Dei judicia promit, atque transmittit, hoc modo divina jussa ad homines applicat. Ut propterea formam illam verborum applicativam, non deprecativam isti appellent. Et quoniam eam ipse applicat, non ut nudus minister, quasi tantùm ostendat pœnitentem absolutum, sed ut ipsius Dei personam in terris gerens, ipse quoque aliquid, immo multum operatur.

Cæterùm hæc opinio, quamvis aliquid novi, & acuti afferre videatur, non tamen solvit difficultatem. Cùm enim hæc applicatio fiat per verba, illa verò sint, vel enunciativa, vel imperativa, vel per modum orantis, ac deprecantis proferantur, necesse est exprimere quomodo appelletur hæc forma.

Adde quod Dionysius in fine illius capitis ait: τοὺς ἐνθέους ἱεράρχας οὕτω καὶ τοῖς ἀφορισμοῖς, καὶ πάσαις ταῖς ἱεραρχικαῖς δυνάμεσι χρηστέον, ὅπως ἂν ἡ τελετάρχις αὐτοὺς θεαρχία κινήσοι. Divinos Pontifices secretionibus (hoc est excommunicationibus, & absolutionibus) omnibusque pontificiis facultatibus ita uti debere, ut eos mysteriorum princeps Deus permoverit. Et tamen alia Sacramenta (quamvis in omnibus applicet virtutem principalis agentis) non administrant Pontifices per illum modum dicendi, fac hoc, vel illud; vel fiat tibi hoc, vel illud. Quemadmodum in hoc Sacramento valere isti contendunt, si dicatur, condona ei, vel condonet tibi. Non igitur illa forma loquendi necessariò colligimus ex illa applicatione.

Neque tamen negamus applicationem, sed modum loquendi quærimns, ut bene fiat, & valeat applicatio.

Hanc igitur diversitatem formarum, seu locutionum reperio.

In Concilio Ephesino par. 2. act. 1. habetur sententia depositionis Nestorij in hæc verba: δακρύσαντες πολλάκις ἐπὶ τὴν σκυθρωπὴν κατ' αὐτοῦ ἐχωρήσαμεν ἀπόφασιν. Cum sæpè lacrymis perfusi essemus, ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus. Ubi fatentur se eum deponere. Deinde inferunt: ὁ βλασφημηθεὶς τοίνυν παρ' αὐτοῦ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὥρισε διὰ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου ἀλλότριον εἶναι τὸν αὐτὸν Νεστόριον τοῦ ἐπισκοπικοῦ ἀξιώματος, καὶ παντὸς συλλόγου ἱερατικοῦ. Igitur blasphematus ab eo Dominus noster Jesus Christus decrevit per præsentem sacrosanctam synodum eundem Nestorium ab Episcopali dignitate, omnique cætu sacerdotali alienum esse.

In Concilio Chalcedonensi actione 1. Sanctus Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus una cum synodo sic deponit Eutychem: ὡρίσαμεν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ὑπ' αὐτοῦ βλασφημηθέντος ἀλλότριον αὐτὸν εἶναι παντὸς ἱερατικοῦ τάγματος, καὶ τῆς πρὸς ἡμᾶς κοινωνίας, καὶ τοῦ προεστάναι μοναστηρίου. Decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, alienum eum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, atque à munere præsidendi monasterio.

Et quoniam Dioscorus tuebatur Eutychem, legati Pontificis ipsum Dioscorum in eodem Concilio non dissimili modo deponunt: ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης Λέων δι' ἡμῶν, καὶ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου, ὅς ἐστι πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος, ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῆς τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἀξίας. Sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus magnæ & veteris Romæ Leo per nos, & præsentem sacrosanctam synodum unà cum beatissimo, & omni laude digno Pe-

tro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum Episcopatus dignitate, atq; ab omni sacerdotali honore alienavit.

In libro 13. Historiæ Miscellaneæ. Suscipe (inquit Ambrosius ad Theodosium Imperatorem) vinculum, quo te omnium Dominus ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis Quibus verbis solum Deum exprimit, & tamen se ipsum ministrum intelligit. Ideo infrà Ruffinus Magister militiæ, Curro, inquit, si tibi placet, & Pontifici precibus persuadeo, ut solvatur vinculum, quo ligavit. Ad quem Imperator, Non, inquit, suadebis Ambrosio: novi ego decretum illius esse justum, neque verebitur imperialem potentiam, ut legi possit prævaricare divinæ.

Hic est primus modus loquendi à sacris Conciliis, & historiis depromptus; secundùm quem proculdubio bona esset absolutio, si Græci dicerent, Deus tibi parcit, seu condonat peccata. Vel in præterito: condonavit peccata, scilicet per me. Et ex iisdem habemus, Latinos rectè proferre formam in propria persona. Nam Flavianus contra Eutychem, Decrevimus, inquit, per D. nostrum Jesum Christum (hoc est potestate accepta à Christo) eum extraneum esse ab omni officio sacerdotali.

Alter modus est, si dicatur, Condonet tibi. Hujus extat exemplum. Nam Constantinus Magnus in edicto, quod donationem continet, sic loquitur. Septiformis gratiæ Spiritus sancti adhibuit (S. Silvester) beati Chrismatis unctionem, & Uexillum sanctæ Crucis linivit in mea fronte, dicens, Signet te Deus sigillo fidei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Iste quoque modus videtur validus, & exponi posset tanquam imperativus. Similiter quando aliquis dicit, pateat tibi Deus, idem significare vult, quod ego tibi parco. Et sũt auctores Catholici, qui eũ defendũt.

Tertius modus est, si dicatur, habito sermone cum Deo, Condona ei. Et hujus quoque extat exemplum. Nam in ordine Romano ubi describitur Sacramentum Confirmationis habetur, Consigna eos (Deus) signo Crucis.

Uerùm postea sequitur in ordine Romano, Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ est vera forma Sacramenti, ut alibi diximus. Quamobrem hunc tertium modum dicendi valde suspectum habeo, neque eum ut veram formam Sacramenti facilè admitterem. Neque enim vlla fit hîc applicatio, sed tantùm verba sacerdos facit cum Deo, Condona huic peccata, inquiens, per me scilicet. Igitur obtenta à Deo venia, si internuncius est, Deique personam gerit, hanc veniam per aliquam formam verborum eum subjecto applicare necesse est; quæ tamen apud Græcos in hoc tertio modo loquendi apparet nulla.

His relictis opinionibus, postremo loco omnium probabilissimam, dixerim etiam certissimam, quippe quæ minimam, vel potiùs nullam meo judicio patiatur difficultatem, hîc inserendam, & stabiliendam esse duxi sententiam. Ea verò ejusmodi est quæ asserat hujus Sacramenti formam apud Græcos non esse imperativam, non deprecatoriam, neque mixtam, sed omnino enunciativam, & ut ita dicam αὐθεντικὼ καὶ δικαστικὼ, auctoritativam, ac judicialem (quanquam & imperativa talis esse possit) talem enim præsefert sensus, & significatio horum verborum, ἔχω σε συγκεχωρημένον, ad verbum, habeo te venia donatum, hoc est, συγχωρῶ σοι τὰ ἁμαρτήματα, veniam do, ignosco, condono, indulgeo, seu remitto tibi peccata.

Neque inusitata ea phrasis, qua etiam usus est Joannes Antiochenus in Epistola ad Xystum Romanum Pontificem, Cyrillum Alexandrinum, & Maximianum Constantinopolitanum, quæ refertur in tertia parte Concilij Ephesini, cap. 27. Hujus verba sunt: συνήρεσεν, &c. ἡμᾶς αὐτοὺς συνθέσθαι τῇ τε ψήφῳ τῆς ἁγίας συνόδου τῇ ἐξενεχθείσῃ κατὰ Νεστορίου, ἔχειν τε αὐτὸν καθῃρημένον, καὶ ἀναθεματίζειν, &c. Placuit assentiri nos ipsos huic sententiæ sacræ synodi contra Nestorium editæ, eumque habere depositum, & anathematizare &c. Quæ verba repetuntur in subsequenti libello, qui exhibitus est Cyrillo à Paulo Episcopo Emisseno Joannis Antiocheni

nomine cap. 28. & in Epiſtola, quæ deinceps ſequitur ejuſdem Joannis ad Cyrillum cap. 30. Ubi pro eodem ſumitur, ἔχειν καθηρημένον, & καθαιρεῖν, ut ex conſequentibus apparet ἀναθεματίζομεν, & συναινοῦμεν. Et eadem phraſi uſi ſunt Patres quintæ ſynodi collatione octava in ſententia, quam ſynodicè proferunt pro tribus Capitulis, hoc eſt contra Theodorum Mopſueſtenum, ejuſque nefaria dogmata, itidemque impia Theodoreti ſcripta adverſus Anathematiſmos ſancti Cyrilli, & Epiſtolam Ibæ ad Marim Perſam. Nam inter alia profitentur ſe tenere, ac ſervare, & prædicare Eccleſiis fidem, quam expoſuerunt quatuor Concilia generalia Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum,
» & Chalcedonenſe. Eos autem, inquiunt,
» qui pro tempore condemnati, vel anathe-
» matizati à Catholica Eccleſia, & prædictis
» quatuor Conciliis ſunt, confeſſi ſumus,
» condemnatos & anathematizatos habere.
Sic illi. Quæ verba ſine dubio græciſmum redolent, & è Græco in Latinum ſermonem verſa ſunt. Quamvis acta ſynodica perierint Græcè conſcripta.

Obſervandum enim eſt, Atticos dupliciter, conſtruere participium. Vel enim verbum mutant in participium, idque dupliciter, vel addito verbo ſubſtantivo εἰμὶ, τυγχάνω, διατελῶ, vel verbo ἔχω. Exempla prioris modi ſunt, λέγων εἰμί, pro λέγω. εἰσελθὼν τύχω, pro εἰσέλθω. λέξας τύχῃ, pro λέξῃ. Apud Ariſtophanem, ἔχων διατελῶ, pro ἔχω. Exempla poſterioris ſunt non pauca, ἀτιμάσας ἔχει, pro ἠτίμασε. κρύψαντες ἔχουσι, pro ἔκρυψαν. ἔχω μαθὼν, pro ἔμαθον. ἔχω συλλαβὼν, pro συνέλαβον. ἔχε θαυμάσας, pro ἐθαύμαζε. Vel ornatus cauſa participium verbi ἔχω abundat, ut παίζεις ἔχων, jocaris, κυπτάζεις ἔχων, clam & inſtar furum proſpicis, ληρεῖς ἔχων, nugaris, & ſimilia.

Obſervandum præterea eſt, in ſecundo membro diviſionis circa verbum ἔχω, quòd non ſolùm conſtruitur cum participiis activis, quæ reſpiciunt actionem agentis, ut illata exempla probant, ſed etiam cum paſſivis, quæ tamen operationem agentis ſignificant, & quaſi naturam ſubeunt activorum. Ut exempli gratia, Juſtinus inſignis philoſophus, & celeberrimus Martyr: ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες εἰς τὸν σταυρωθέντα, ἐξορκίζοντες τὰ δαιμόνια ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν. Nos, inquit, qui credimus in cruci- «
fixum, cùm exorcizamus dæmonia, ſub- «
jacentia nobis habemus. pro ὑποτάσσομεν «
ἑαυτοῖς, ea nobis ſubjicimus. Item Baſilius Epiſcopus Seleuciæ in prima oratione circa hiſtoriam Davidis: ἔχεις πάλιν ἐν τῇ γραφῇ τὸν Νῶε βοώμενον. Habes, inquit, rurſus «
in ſcriptura Noë celebratum. «
Sic poſſemus dicere in prima perſona, ἔχω σε βοώμενον πανταχοῦ, hoc eſt, ſenſu activo, βοῶ σε πανταχοῦ, celebro te utique. Et apud Platonem referunt alij reperiri ad ſimilitudinem hujus loquutionis, ἔχω ἐμαυτὸν ἀκοινώνητον, habeo me ipſum incommunicabilem, id eſt, me à conſortio abſtineo. Sic dici poſſet, ἔχω σε ἀκοινώνητον, te à conſortio arceo. Sic Nazianzenus oratione in ſa- «
crum lavacrum, τῶν ἡμαρτημένων, οὐ τῶν «
ἁμαρτανομένων τὸ λουτρὸν ἔχει τὴν συγχώρησιν.
Lavacrum peccata commiſſa, non quæ «
committuntur remittit, atque condonat. «
Ubi hæc phraſis ἔχει τὴν συγχώρησιν, habet condonationem, non hoc ſibi vult quod baptiſmus paſſivè recipiat in ſe condonationem, ſed activo ſenſu quod eam aliis præbeat, atque peccata condonet. Eodem modo Eccleſiaſtici ſecundum quandam proportionem, & ſimilitudinem Atticorum, aiunt: ἔχω σε εὐλογημένον, ἔχω σε λελυμένον, ἔχω σε καθῃρημένον, ἔχω σε γεγυμνωμένον, ἔχω σε συγκεχωρημένον. Habeo te benedictum, «
ſolutum, depoſitum, denudatum, venia «
donatum. Hoc eſt, benedico te, abſolvo «
te, depono te, denudo te, condono tibi peccata.

Neque enim Græci hoc modo loquendi, ſive de rigore ſermonis, ſive potiùs uſu dixeris, illud intelligere volunt, ut nimirum, habeo te abſolutum, pro eo quod eſt, oſtendo te abſolutum, accipi debeat.

Confirmatur hoc tantum à ſimili. Quippe à contrario quando ligant, & excommunicant, ſimillima phraſi utuntur, ἔχω σε ἀφωρισμένον, pro ἀφορίζω σε, habeo te ſegregatum, hoc eſt, ſegrego te, ſecerno, & excommunico, ut exempla quoque paulò

antè commemorata luculenter teſtantur: quin etiam preſbyteri quando aliquid vetant, ne fiat, trita & vernacula lingua ſolent dicere ἀσυχώρητον, dempto γ. ἑλληνικῶς dixeris, ἀσυγχώρητον, quaſi illud quod aliquis patrare vult, ejuſmodi ſit, quod non mereatur veniam ſitque inexpiabile, proinde non debeat fieri: vel quod ipſi, ſi fiat, nolint illud συγχωρεῖν, condonare.

At non extat ejuſmodi forma in Euchologio. Equidem fateor. Neque enim, ſi extaret, in recenſendis aliorum opinionibus tantopere laboraſſem. Eſt tamen frequens, & in ore multorum Confeſſariorum quotidie verſatur, licet major pars Græcorum ex ignorantia, quòd neſciant totam vim latere in his paucis verbis, ea non utantur: qui autem utuntur ex uſu quodam quodiano, vocem quodammodo corruperunt locoque συγκεχωρημένον, vulgari, & corrupto vocabulo dicunt, συχωρημένον. Antiſtites verò, & Epiſcopi honoris cauſa, & dignitatis, ſive etiam humilitatis ſolent iſtiuſmodi formam pronunciare in tertia perſona præſentis temporis hoc modo, ἡ ἐμὴ μετριότης ἔχει σε συγκεχωρημένον. Mea mediocritas, ſive humilitas habet te venia donatum, hoc eſt, dat tibi veniam.

Hujus rei gratia ſubjiciam hîc diplomata duo, quæ abſolutoriam continent formam, extantque in libro, qui inſcribitur Turcograecia. Alterum cujuſdam Pachomij Patriarchæ Conſtantinopolitani adverſus quemdam Arſenium, Catholicum virum cum Eccleſia Romana conjunctum Metropolitam Monembaſiæ, collectorem ex antiquis libris ſcholiorum in ſeptem tragœdias Euripidis, quem depoſitione, & excommunicatione ferit. Alterum Michaëlis Patriarchæ Antiocheni, qui Theodoſium Zygomalam à ligamine peccatorum abſolvit, virum, qui hac noſtra ætate in Conſtantinopolitana Eccleſia floruit, & officio Magni Rhetoris & antiqua conſuedine functus eſt.

Diploma Pachomij.

Παχώμιος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Τῇ ἡμῶν συνοδικῶς προκαθημένῃ μετριότητι, καὶ τινων συμπαρόντων ἀρχιερέων μετὰ τοῦ ἡμετέρου παντὸς κλήρου ἀνηνέχθη περὶ τοῦ παρανόμου νῦν Μονεμβασίας τοῦ λεγομένου Ἀποστόλη. ὡς τοῖς ἁπανταχοῦ εὑρισκομένοις χριστιανοῖς, τάχα Λατίνοις δῆθεν χαριζόμενος, προξενεῖ σκάνδαλα καὶ συγχύσεις. καὶ ἀνυποστόλως ἀφορισμοὺς ἐκδεννάζει κατ' αὐτῶν, μὴ γινώσκων ὁ μάταιος, ὅτι αὐτὸς ταῖς ἀποφάσεσι καὶ ἀραῖς τῶν κανόνων ὑπόκειται, ὡς παρανόμως καὶ ἔξω κανόνων ἀναξίως προβὰς εἰς ὃν νῦν λέγεται εἶναι τόπον. καί τοι γε πρώην τὰ κατ' αὐτὸν συνοδικῶς ἐνταῦθα πρακτικώσαντες, τὴν κατ' αὐτοῦ ἀπόφασιν διὰ μόνης ζώσης φωνῆς ἐξενεγκόντες ἠρκέσθημεν. ἀλλ' ἐπειδὴ οὐ παύεται πάντα κινῶν λίθον κατὰ τῶν ἑκασταχοῦ ὀρθοδόξων, καὶ οὐδ' ὅλως βούλεται κατὰ τὸν Ἰούδαν ἐκεῖνον, ὅποι πλαγιάζουσιν ἰέναι, διὰ τοῦτο ἡ μετριότης ἡμῶν οὕτω συνοδικῶς καὶ ἐγγράφως ἐνδικώτατα ὡς σύγχυσιν καὶ σκανδαλοποιὸν κατὰ τῶν ὀρθοδόξων, ἔχει αὐτὸν ἀφωρισμένον ἀπὸ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ ἀδιαιρέτου καὶ ἀσυγχύτου τριάδος, τοῦ ἑνὸς τῇ οὐσίᾳ τῷ ἀριθμῷ παντοκράτορος, καὶ ὑποστάτου τῶν ὅλων Θεοῦ, ἔν τε τῷ νῦν καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. ὡς δὲ πάλιν ἀναξίως καὶ παρανόμως προβάντα εἰς τὸν τῆς Μονεμβασίας ἀρχιερατικὸν θρόνον, ἔχει καθῃρημένον καὶ γεγυμνωμένον πάσης ἱερωσύνης καὶ ἀρχιερατικῆς ἀξίας τὸ σύνολον. οὕτως ἐν ἁγίῳ ἀποφαινόμεθα πνεύματι. πάντας δὲ τοὺς ἁπανταχοῦ εὑρισκομένους ὀρθοδόξους χριστιανοὺς ἔχομεν εὐλογημένους καὶ συγκεχωρημένους ἐν ἁγίῳ πνεύματι, μάλιστα δὲ ὅσους ὁ κατάρατος ἐκεῖνος ἠφώρισεν, ἡ μετριότης ἡμῶν τῇ παντοδυνάμῳ ἐξουσίᾳ τοῦ θείου καὶ ζωαρχικοῦ καὶ παντοκρατορικοῦ πνεύματος ἔχει εὐλογημένους καὶ λελυμένους καὶ ἐλευθέρους δεσμοῦ τε καὶ ἐνοχῆς. οὕτω καὶ περὶ τούτων ἐν ἁγίῳ ἀποφαινόμεθα πνεύματι. οὗ αἰτία προβλητικὴ ἀμέσως ἡ προσκυνητὴ τοῦ πατρὸς ὑπάρχει ὑπόστασις. ὅθεν τοῖς ἁπανταχοῦ δηλοποιοῦμεν ὀρθοδόξοις χριστιανοῖς τὰ κατ' αὐτοῦ. ἵνα μή τις ὅλως αὐτῷ προσέλθῃ, ὡς ἴχνος ἔχοντι ἱερωσύνης, μήτε μὴν συγχέοιτο ὅλως τῷ ἐκχεομένῳ ὑπ' αὐτοῦ ἀφορισμῷ. ὧν ἕνεκα καὶ ἡ παροῦσα ἡμῶν ἔγγραφος ἀπόφασις ἐν ἐγκυκλίου ἐπιστολῆς ἀπολελυμένῃ εἴδει.

Pachomius miſeratione Dei Archiepiſcopus Conſtantinopoleos Novæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha.

Ad noſtram in Synodo præſidentem mediocritatem, unà quoque præſentibus quibuſdam Pontificibus cum toto Clero noſtro, relatum eſt de prævaricatore nunc Monembaſiæ Apoſtolo nominato, quod

ubivis locorum Christianis, studio nimirum Latinis gratificandi præbeat scandala, & perturbationes, ac sine ullo metu excommunicationes contra eos fulminet, nolens intelligere vanus homo, sese esse illum, qui condemnationibus, & execrationibus canonum subjaceat; ut qui illegitimè, spretisque canonibus indignè ad locum, in quo nunc dicitur esse, progressus sit. Atqui cùm antea causam ejus hîc synodicè tractaremus; sententiam in eum viva tantùm voce pronunciare satis habuimus. Sed quia non cessat, omnem movere lapidem, ut officiat ubique orthodoxis; nec ullo pacto vult, ut pote Judæ imitator, eodem ubi illi sunt, ire; [hoc est, eorum vestigia sequi.] Ideo mediocritas nostra, synodicè, ac in scriptis eum justissimè ut perturbatorem, & scandolorum adversus orthodoxos auctorem ἔχει ἀφωρισμένον, (en forma excommunicationis) habet excommunicatum in hoc, & in futuro sæculo à sancta consubstantiali, individua, & inconfusa Trinitate, uno, inquam, Deo substantia & numero, omnipotente, & cunctorum conditore. Rursus eundem ut qui indignè, & contra leges Pontificalem Monembasiæ sedem occupavit, ἔχει καθῃρημένον (ecce forma depositionis) habet depositum (hoc est, pro deposito habet seu deponit,) omnique prorsus sacerdotio, & pontificia dignitate exutum. Hæc est sententia nostra, quam sancto Spiritu auctore, approbatoreque in ipsum pronunciamus. Cunctos verò rectè sentientes Christianos ubicunque locorum sunt in Spiritu sancto, ἔχομεν εὐλογημένους καὶ συγκεχωρημένους, (ecce forma absolutionis) benedictos, & venia condonatos habemus, (hoc est benedictione nostra prosequimur & absolutos censemus, seu absolvimus) maximè autem eos, quoscunque execratus ille excommunicatione percussit, mediocritas nostra (repetit formam absolutionis) omnipotente potestate divini, vivifici, & omnipotentis Spiritus benedictos censet, & veniam consequutos, solutosque, ac liberes vinculo, & reatu habet. Sic de his quoque in Spiritu sancto sententiam pronunciamus, cujus causa productiva (ecce tibi error Græcorum in productione Spiritus sancti) immediatè adoranda est Patris hypostasis. Unde cunctis quibuscunque in locis sunt, rectè sentientibus Christianis nota facimus, quæ contra eum egimus, ne omnino quisquam ad ipsum accedat, tanquam vestigium habentem sacerdotij. Neque ullo modo perturbetur effusa ab ipso excommunicatione. Quibus de causis etiam hæc scripta sententia nostra, sub circularis ad omnes Epistolæ edita est forma.

Alterius diplomatis inscriptio, vel ut aliis placet, ὑπογραφή, non ἐπιγραφή, subscriptio est hujusmodi: συγχωρητικὴ εὐχὴ τοῦ πατριάρχου Ἀντιοχείας Μιχαήλ, ἣν ἀναγινώσκει ἐπάνω τῆς κεφαλῆς τοῦ εἰς αὐτὸν ἐξομολογηθέντος, φέρων καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν στολήν, καὶ ἐπευχόμενος τὰ σωτήρια, καὶ νουθετῶν ἐκκλίνειν ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποιεῖν ἀγαθόν. Absolutoria deprecatio Patriarchæ Antiocheni Michaëlis, quam recitat supra caput ejus, qui ipsi confitetur, gestans Pontificiam stolam, & deprecans salutaria, monens item declinare à malo, & facere bonum.

Ipsa verò deprecatio sic habet: Μιχαὴλ ἐλέῳ θεοῦ πατριάρχης τῆς μεγάλης θεουπόλεως Ἀντιοχείας, καὶ πάσης ἀνατολῆς.

Ἡ μετριότης ἡμῶν ἀπὸ τῆς χάριτος καὶ δωρεᾶς καὶ ἐξουσίας τοῦ παναγίου καὶ ζωαρχικοῦ πνεύματος, τῆς δοθείσης παρὰ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ τοῖς θείοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις εἰς τὸ δεσμεῖν τε καὶ λύειν τὰς ἀνθρώπων ἁμαρτίας, εἰρηκότος αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς, ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται. καὶ ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἐξ ἐκείνων δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς ἀλληλοδιαδόχως ταύτης διαβάσης τῆς θείας χάριτος, ἔχει συγκεχωρημένον καὶ τὸ κατὰ πνεῦμα υἱὸν αὐτῆς Θεόδοτον, εἰς ὅσα καὶ αὐτὸς ὡς ἄνθρωπος ἥμαρτε, καὶ εἰς θεὸν ἐπλημμέλησε λόγῳ, ἔργῳ, διανοίᾳ, καὶ πάσαις αὐτοῦ ταῖς αἰσθήσεσι. καὶ εἰ ὑπὸ κατάραν καὶ ἀφορισμὸν ἀρχιερέως, ἢ ἱερέως ἐγένετο. ἢ πατρὸς ἢ μητρὸς αὐτοῦ, ἢ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι περιέπεσεν, ἢ ὅρκον παρέβη, ἢ ἄλλοις τισὶν ἁμαρτήμασιν ὡς ἄνθρωπος περιεπάρη, καὶ πνευματικοῖς ταῦτα πατράσιν ἐξωμολογήσατο, καὶ τὸν παρ' αὐτῶν κανόνα ἀκριβῶς ἐποιήσατο. ἐκ τούτων πάντων τῆς ἐνοχῆς καὶ δεσμεύσεως λύομεν αὐτὸν καὶ ἐλεύθερον ἔχο-

μένον καὶ συγκεχωρημένον τῇ παντοδυνάμῳ ἐξουσίᾳ, καὶ χάριτι τοῦ θείου καὶ προσκυνητοῦ πνεύματος.
» Michaël miseratione Dei Patriarcha ma-
» gnæ Dei Urbis Antiochiæ, totiusque O-
» rientis.
» Gratia, dono, ac potestate sancti, & aucto-
» ris vitæ Spiritus, (quæ à Salvatore nostro
» Jesu Christo divinis suis discipulis, & Apo-
» stolis data est, ligandi, atque solvendi pec-
» cata hominum, cùm dixit, Accipite Spi-
» ritum sanctum, quorum remiseritis pec-
» cata, remittuntur eis, & quorum retinue-
» ritis, retenta sunt. Et quæcunque ligaveri-
» ritis super terram, erunt ligata & in cœlis, &
» quæcunque solveritis super terram, erunt
» soluta & in cœlis; quæ etiam potestas ab
» illis ad nos continua successione transiit,)
» Mediocritas nostra habet venia condona-
» tum spiritualem filium suum Theodosium
» in quibuscunque etiam ipse ut homo de-
» liquit, atque in Deum verbo, opere, cogi-
» tatione, omnibusque suis sensibus pec-
» cavit, & si imprecatione, seu ex communi-
» catione Pontificis, seu Sacerdotis, vel pa-
» tris aut matris suæ obnoxius fuit, vel sibi
» ipse malum imprecatus est, seu jusjurandum
» violavit, vel etiam aliis quibusdam erratis,
» quippe qui homo sit, & ipse confixus est,
» & hæc quidem spiritualibus Patribus con-
» fessus est, ab eisque impositam sibi pœni-
» tentiam diligenter perfecit, à reatu, nexu,
» & ligamine horum omnium omnipotenti
» potestate gratiaque sancti, & adorandi Spi-
» ritus, eum solvimus, & habemus liberum,
» & venia donatum. (hoc est, liberum eum
facimus, & veniam ipsi damus.)

Hanc eandem orationem absolutoriam vidi postea cùm hæc jam scripsissem, concessam Leopoli, quæ est Metropolis Russiæ, cuidam Petro Archidiacono Rutheno à Patriarcha Joachimo Antiocheno, qui illas regiones nostra ætate peragravērat. Unde observare potui certam esse normam absolvendi in Ecclesia Antiochena, & longe antea usurpatam fuisse ab antistibus illius sedis.

Illud nobis aliquis fortassis objiciet, formam absolutionis in his literis esse illa postrema verba: αὐτὸν λύομεν, καὶ ἐλεύθερον ἔχομεν, eum solvimus, & liberum habemus, hoc est facimus.

Non negarem posse esse formam, sed & si deessent, sufficerent quæ in principio literarum ponuntur. Mediocritas nostra veniâ donatum habet, hoc est dat veniam. Hæc enim postrema potiùs ad majorem explicationem intexere solent, & nihilominus in his postremis superiora repetunt: ἐλεύθερον ἔχομεν, καὶ συγκεχωρημένον. Ubi etiam verbum ἔχω non solùm cum participio συγκεχωρημένον, sed etiam cum ἐλεύθερον connectunt. Et raro cæteri Græcorum dicunt, συγχωροῦμεν, λύομεν, frequentissimè λελυμένον & συγκεχωρημένον ἔχομεν. Neque illud nos movere debet, quod συγκεχωρημένον, videatur esse præteriti temporis, nam hîc accipitur in significatione præsentis. Ita etiam Christus dixit: ὧν ἂν ἀφῆτε, ἀφέωνται, ὧν ἂν κρατῆτε, κεκράτηνται. Ubi ἀφέωνται, & κεκράτηνται, sunt præteriti temporis. Sic enim formatur verbum ἵημι, ἥσω, ἧκα, mutato η in ω ὧκα. Addito ε, ἕωκα. Passivum ἕωμαι, ἀφέωμαι, ἀφέωνται. Et alibi idem Salvator ait, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι. Quæ verba, si grammaticorum regulas inspicias, dices Latinè, dimissa sunt tibi peccata: si sensum auctoris spectes, rectissimè Latinus interpres vertit, remittuntur tibi peccata. Adde quòd in formulis loquutionum suprà recensitis, reperitur modus præteriti temporis. Item sunt verba nonnulla, quorum præterita sumuntur pro præsentibus: οὕτω πέφυκα, pro οὕτω φύσεως ἔχω. Et contra alia præsentia quæ summuntur pro præteritis, ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα, &c.

Solent autem Græci Patriarchæ ejusmodi diplomata indulgentiarum instar, & cujusdam Jubilæi concedere, ob eamque causam appellant ea συγχωροχάρτια, quasi dixeris, condonatitias literas. Concedunt autem tum iis, qui apud eos confitentur, si postulent, tum aliis, quos jam supponunt priùs confessos fuisse, cujus sanè confessionis auricularis mentionem in literis faciunt.

Cæterùm quæ in calce harum literarum Patriarchæ Antiocheni ponuntur: ὅσα δὲ διὰ λήθην, ἢ αἰδῶ ἀνεξομολόγητα εἴασε, κἀκεῖνα συγχωρήσαι αὐτῷ ὁ ἐλεήμων θεὸς ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Quæcumque verò oblivione, vel

» vel verecundiæ causa confiteri prætermisit, illa quoque condonet ipsi misericors Deus, qui est benedictus in sæcula. Et quæ etiam in aliis diplomatibus Patriarchæ Constantinopolitani memini me legisse, & videre licet in undecimo capite primi responsi Hieremiæ adversus hæreticos Confessionis Augustanæ, ubi ad verbum sic habetur: ὅσα δὲ διὰ λήθην, ἢ αἰδῶ ἀνεξομολόγητα εἴασεν, εὐχόμεθα τῷ ἐλεήμονι καὶ πανοικτίρμονι Θεῷ καὶ ταῦτα συγχωρηθῆναι αὐτῷ, καὶ πεπείσμεθα τὴν συγχώρησιν τούτων ἐκ Θεοῦ λήψεσθαι. » Quicquid verò peccatorum aut propter oblivionem omiserit, aut propter verecundiam obticuerit; oramus misericordem, & mitissimum Deum, ut ei hæc quoque remittantur, & confidimus ea ipsi remissum iri.

Hæc inquam, & similia, omisso διὰ λήθην, justa reprehensione non carent. Licet enim illis verbis (quæcumque per verecundiam confiteri omisit, condonet ipsi Deus) non videantur absolvere; sed deprecari, & ostendere pium affectum, quo cupiunt pœnitenti, si rectè non est confessus, sed propter pudorem aliquid omiserit, ut Deus sit illi propitius, & misericors; tamen possent hæc verba præbere ansam pœnitentibus ad non rectè, integreque confitendum.

Neque est cur aliquis dicat pro Græcis, Christum Dominum dicere universè, quæcumque solveritis. Nam intelliguntur ea omnia quæ pœnitens confessus, vel etiam oblitus fuerit; Non autem quæ malitiosè omiserit. A quibus Confessarius, neque habet, neque potest habere animum absolvendi pœnitentem, qui verè pœnitens non est. Neque Græcorum Patriarchæ ab iis pœnitentem soluunt, sed tantùm rogant Deum. Alioquin id nihil aliud esset, quàm extra Sacramentum absolvere, quod tamen nulla ratione usus Græcorum admittit. Neque id sonat apud eos illa trita, propriissima, & valde germana hujus Sacramenti vox, ἐξομολόγησις, atque ἐξαγόρευσις.

Quin & ipse Hieremias, qui hæc scripsit, statim post ea verba ad probandum, quę de exomologesi antea dixerat, infert: ὡς γὰρ ὁ θεῖος Βασίλειος, ὁ τὰ πνευματικὰ μέγας φησὶ, πᾶν ἁμάρτημα ἀναφέρεσθαι δεῖ τῷ προεστῶτι. κακία γὰρ σιωπηθεῖσα, νόσος ὕπουλός ἐστι τῇ ψυχῇ. Ut « enim divinus Basilius rerum spiritualium « peritissimus ait, omne peccatum exponendum « est antistiti. Malitia enim silentio « tecta, morbus subexulceratus est « animæ. Quæ verba Basilij oppugnant ea, quæ ipsi asserunt, ὅσα δι' αἰδῶ ἀνεξομολόγητα εἴασε, πεπείσμεθα τὴν συγχώρησιν τούτων ἐκ Θεοῦ λήψεσθαι. Proinde existimo Patriarchas facilè id prætermissuros in posterum, si adverterint. Alioquin est non ferendus abusus, ac planè destruens auricularem confessionem.

Ante aliquot annos cùm degerem in Russia incidi in quendam Græcum, cui nomen erat Nicephorus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconum, dignitate, ac officio πρωτοσύγκελλον, hominem alioqui non indoctum, cæterùm supra quàm dici possit, tum φιλότιμον, tum audacem, ac proinde Reipublicæ Christianæ maximè turbatorem, ac perniciosum. Nam & à Confessionibus fuit multis, cùm non esset Presbyter, & ut obtineret Patriarchatum, cujus absente Hieremia, qui eleemosynæ colligendæ causa aberat in Moschovia, curam garebat, tantum æris alieni contraxerat, ut neque Hieremias, neque post eum subsequuti nonnulli alij Patriarchæ eo potuerint se liberare. Quod eo animo fecerat, ut Hieremias desperata solutione cederet illi dignitatem Patriarchalem. At enim cùm minimè res illi ex animi sententia evenisset, adjecit animum ad res Multanorum: quantas verò turbas in eo principatu excitarit, longum est dicere, atque ad institutum nostrum nihil pertinet, ἀλλὰ δίκη κίχε πάντας, ut ille ait Poëta. Nam accusatus à Principe Moldaviæ apud serenissimum Regem Poloniæ, hujus nominis Sigismundum tertium, qui nunc feliciter regnat, in cujus regnum confugerat, & Russorum concordiam jam cum Romana Ecclesia factam perturbare cœperat, damnatus ad perpetuos carceres, miserè mortem obiit.

Ut igitur unde digressi sumus, redeamus, is interrogatus à me de absolutionis forma, hanc assignavit: ἡ θεία χάρις τοῦ πανα-

γίου πνεύματος δι᾽ ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἐλαχίστου δούλου αὐτῆς ἔχει συγκεχωρημένα ὅσα ἥμαρτες ἐκ νεότητός σου μέχρι τῆς παρούσης ἡμέρας καὶ ὥρας. Divina gratia ſanctiſſimi Spiritus per me peccatorem, & minimum ſervum ſuum habet condonata quæcunque peccaſti à juventute tua uſque in præſentem diem, & horam.

Quo magis ratus ſum ſuperiorem formam ſuum pondus, quale nimirum in hujuſmodi Sacramento requiritur, retinere, ac firmam, & ſtabilem eſſe.

Gabriel Philadelphiæ antiſtes in libello de Sacramentis, ubi agit de Sacramento Pœnitentiæ, hanc aſſignat formam: ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔχει σε συγκεχωρημένον καὶ λελυμένον. Gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum, & abſolutum.

Hanc eandem varietatem formarum, & eaſdem fermè ſententias reperi etiam apud Ruthenos; communiter enim Confeſſarij vel deprecativè, vel imperativè modo ſuperiùs explicato pœnitentes abſoluunt. Neque deſunt tamen orationes apud quoſdam, quæ veram hujus Sacramenti contineant formam, ut in quodam libro Ruſſorum idiomate manuſcripto Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Metropolita Chiovienſis Hypatius Pocieij mihi oſtendit, ubi inter alia in fine orationis abſolutoriæ, hæc habentur. Ego quoque Pater tuus ſpiritualis, poteſtate mihi à Deo, & à ſuperioribus meis conceſſa, abſolvo te ab omnibus peccatis tuis.

Cæterùm præſtat more noſtro in gratiam lectoris hîc eam inſerere, quæ ſic habet.

Domine Deus noſter, qui claves Regni tui Petro Principi Apoſtolorum concredidiſti, & Eccleſiam tuam ſuper eum fundaſti, eique poteſtatem in terra ligandi, atque ſolvendi dediſti, exaudi nos hodie indignos famulos tuos, orantes pro emundatione ſervi tui N. & confidentes in te, qui dixiſti per os ſanctorum Prophetarum tuorum, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, & illud; Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Tu ergo amator hominum, ne averſeris ſervum tuum N. qui nunc revertitur à via erroris, ſupplicatque tibi, ut eum emundes; ſed benignitate tua ſubleva eum, quia tu pœnitentium ſalvator es, & eorum, qui ad te convertuntur, Deus.

Huc uſque nihil de forma, ſed & Græci ipſi habent hanc eandem orationem, & ea circumfertur ſub nomine Methodij Patriarchæ, cujus initium illud eſt: Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας σου Πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων καταπιστεύσας. Quam tamen non ſolent recitare, niſi ſuper eos, qui cùm antea deſertores fidei extiterint, poſtmodum facti pœnitentes ad eandem redeunt.

At Rutheni poſt hanc orationem convertendo ſe ad pœnitentem ſubjungunt. Ipſe igitur idem Deus, qui propter nos incarnatus eſt, totiuſq; mundi peccata tulit, & omnes vult ſalvos fieri, poteſtate ſua ſtatuit, pœnitentes de peccatis in gratiam recipiendos eſſe, & ideo ab omnibus peccatis, quæcunque nunc corā me indigno confeſſus es, liberum te faciat. Ego quoq; pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi à Deo, & à ſuperioribus meis conceſſa abſolvo te ab omnibus peccatis tuis. Det ergo tibi Deus, ut in hoc, & in futuro ſæculo irreprehenſibilem te ſiſtas judicio ejus, qui eſt benedictus in ſæcula.

Eſt ergo vera forma apud Græcos, ſed duo ab illis requirenda, & ut fierent, optanda eſſent. Alterum ut paſſim ea omnes uterentur, quod non faciunt. Alterum ut in re præſenti, nimirum graviſſima, atque omnino neceſſaria, non cuilibet liceret ad libitum his, vel aliis verbis, & orationibus eam enunciare; ſed una eſſet & oratio, & forma certa & determinata, quæ omnibus inſerviret, quæque in Enchologio contineretur. Atque hæc de forma hujus Sacramenti, quo ad Græcos attinet, ſufficiant.

De forma Latina.

CAPUT IV.

FOrma Latina eſſentialis ſunt hęc verba, Ego te abſolvo, ſive abſolvo te, ἐγώ σε λύω.

Eadem forma μετὰ πλάτος.

» Deprecatio ante formam. Misereatur
» tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis
» tuis perducat te ad vitam æternam.
» Oratio complectens formam. Dominus
» noster Jesus Christus, qui est summus Pon-
» tifex, per suam piissimam misericordiam
» absolvat te, & ego auctoritate ipsius, licet
» mihi indignissimo concessa, in primis ab-
» solvo te ab omni vinculo excommunica-
» tionis, suspensionis, & interdicti in quan-
» tum possum, & indiges, deinde eadem au-
» ctoritate, ego te absolvo ab omnibus pec-
» catis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spi-
» ritus sancti.

Postremò sequitur deprecatio, quæ est hujusmodi.

» Passio Domini nostri Jesu Christi, & me-
» rita Beatæ Mariæ semper Virginis, & om-
» nium Sanctorum, & quicquid boni feceris,
» & mali patienter sustinueris, sit tibi in re-
» missionem peccatorum tuorum, in aug-
» mentum gratię, & in præmium vitę æternę.

Εὐχὴ πρὸ τῆς συγχωρήσεως.

Ελεήσαι σε ὁ παντοδύναμος θεὸς, καὶ συγχώρησιν δοὺς τῶν παραπτωμάτων, ἀξιώσαι σε τῆς αἰωνίου ζωῆς. ἀμήν.

Εὐχὴ περιέχουσα τὴν συγχώρησιν.

Ο κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς, ὁ μέγας ἀρχιερεὺς διὰ τὴν ἄκραν αὐτοῦ εὐσπλαγχνίαν δώῃ σοι τὴν συγχώρησιν. κἀγὼ τῇ ἐκείνου ἐξουσίᾳ, εἰ καὶ ταύτην ἀναξίως ἐγχειρισθεὶς, λύω σε ἐν πρώτοις ἀπὸ παντὸς δεσμοῦ ἀφορισμοῦ, ἀργίας, καὶ σὺν πνοῶν ἐπιτιμίου, ἐφόσον δύναμαι, καὶ αὐτὸς χρήζεις. εἶτα τῇ αὐτῇ ἐξουσίᾳ ἐγώ σε λύω τῶν σῶν παραπτωμάτων εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Εὐχὴ μετὰ τὴν λύσιν καὶ συγχώρησιν.

Τὸ πάθος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, καὶ τὰ ἱερὰ κατορθώματα τῆς μακαρίας Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων, καὶ πᾶν ὅ, τι ἂν ἀγαθὸν πράξῃς, ἢ δεινὸν καρτερικῶς ὑπενέγκῃς, ἔστω σοι εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν σου, εἰς αὔξησιν τῆς θείας χάριτος, καὶ εἰς ἔπαθλον τῆς αἰωνίου ζωῆς. ἀμήν.

His ita fusius disputatis, tandem nolui prætermittere, quin etiam hîc cum superioribus Græcorum formis, Latinorum formam contexerem, ut cuilibet presbytero Græcorum, si ea velit uti, liberum sit. Profectò sine ullo prorsus populi scandalo vera forma enuntiativa, sive cum orationibus Latinorum, sive aliis uti quisque poterit. Non enim populus ista scire curat. Neque animum intendit, ut hanc vel illam formam agnoscere velit, modò Græcè proferatur.

De Iurisdictione Græcorum Sacerdotum. An ipsi verè possint absolvere, & pœnitentes verè absolvantur.

CAPUT V.

Postquam de materia, & forma egimus hujus Sacramenti, sequitur ut saltem leviter attingamus Jurisdictionem presbyterorum: An illam habeant Parochi Græcorum. Qua in re duplex dubium moveri potest. Alterum, an verè possint absolvere. Alterum, an de facto absolvant. Primum respicit confessarios, secundum pœnitentes Græcos, qui non videntur esse capaces absolutionis. Ratio autem dubij est, quia cùm sint schismatici, & præterea Oecumenicum Sacrosanctum Concilium Florentinum rejicere audeant: excipio multos inter eos verè Catholicos, viros graves, pios, virtute præditos, & laude dignos, sanam doctrinam amplectentes, qui tamen pauci sunt respectu aliorum. Reliqui verò cùm non sint conjuncti cum Romana Ecclesia, non sunt veri pastores, ergo non possunt absolvere, uno excepto casu, in articulo mortis, in quo quidem vel de jure divino convenit omnibus, vel de jure positivo & Ecclesiastico piissima mater Ecclesia, ne in suos fideles pœnitentes crudelis esse videatur, absente Catholico sacerdote, potestatem facit excommu-

municato schismatico, & hæretico absolvendi eos, qui animam agunt.

Præterea qui non habet Spiritum sanctum non potest remittere peccata, dictum est enim Joan. 20. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. At hæretici, & schismatici non habent Spiritum sanctum, ergo.

Ad hoc posterius respondeo. Argumentum militare etiam contra malos Christianos, quantumvis licet Catholicos, qui sunt à Confessionibus audiendis. Neque enim ipsi habent Spiritum sanctum; & tamen ex officio illis injuncto verè ut ministri peccata dimittunt.

Locus itaque Joannis, de potestate dimittendi peccata intelligitur sic & exponūt Chrysostomus, & Cyrillus. Quæ sanè potestas potest esse sine gratia gratum faciente. Non est autem alienum à sacra scriptura spiritum vocare dona Spiritus sancti 1. Corinth. 12. Unicuique datur minifestatio spiritus ad utilitatem: & statim, explicat dona Spiritus sancti. Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum. Altеri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in uno spiritu. Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, &c. & cap. 14. Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. Ubi spiritum vocat Apostolus donum prophetandi à Spiritu sancto datum.

Alij dicunt, eo modo loquendi, voluisse Dominum significare effectum Sacramentorum præcipuè pendere à virtute Spiritus sancti. Sic intellexit Dionysius Areopagita, Chrysostomus homilia 6. in 2. ad Corinthios. S. Bernardus, & alij quorum testimonia in hoc libro alibi prolixè retulimus Hacque ratione assistit Spiritus sanctus & operatur in Sacramentis, licet non operetur in ministro, hoc est, non eum sanctificet.

Tandem non desunt Patres, ut Ambrosius, & Augustinus, qui eo loco per Spiritum sanctum intelligunt Spiritum, ut largitur veram charitatem, & diffundit eam in cordibus nostris. Et hoc modo datur gratia gratum faciens per sacram ordinationem initiatis, non ut simpliciter dimittant peccata, id enim habent per potestatem sibi traditam, quæ distincta est à gratia; sed ut dimittant sine offensa Dei.

Ut autem quæ priùs objecta sunt, diluamus, distinguendum est. Vel enim Parochus Græcus, & pœnitens uterque est conjunctus cum Romana Ecclesia. Et tunc sine dubio rectè fit absolutio. Vel neuter est conjunctus non solùm materialiter, sed etiam formaliter, quia nimirum culpabiliter, & sciens dissentit ab Ecclesia: & tunc nullum est Sacramentum, quia est obstinatus in statu peccati mortalis, & ideò incapax Sacramenti Pœnitentiæ. Vel Parochus Græcus est sejunctus ab Ecclesia, & errat in fide, pœnitens bene sentit. Et in hoc casu sunt, qui putent ex Concilio Constantiensi Parochos Græcos verè posse absolvere sibi subditos (licet mortaliter peccent administrando Sacramentum) eo ipso quòd non sunt nominatim tales declarati, ac denunciati excommunicati. Nec adempta fuit illis unquam talis potestas, sed tolerantur ab Ecclesia. Pœnitens autem non peccat, dum utitur suo jure, & Confessarium adit ab Ecclesia toleratum.

Hæc sententia mihi valdè probatur. Cui tamen illud non parum officere videtur. Nempe quod alij Patriarchæ à Latinis loco Græcorum à Pontifice, credo, Innocentio tertio, ut ex illorum temporum historiis constat, substituti sunt. Hac ratione videtur Pontifex declarasse eos veluti schismaticos, & non veros, ac legitimos Pastores. Quod enim causa schismatis alij creati fuerint, hoc Eugenius quartus tacitè quidem, verùm non obscurè in Concilio Florentino significare videtur. Quippe qui facta unione, negabat, se velle deponere Latinum Patriarcham, nisi Græci, mortuo Joseph, alterum à se confirmandum eligerent.

Hoc non obstante, credo Pontificem ita hos elegisse, & creasse, ut illos nominatim schismaticos esse non declaraverit, sed potiùs toleraverit, spe scilicet concordiæ aliquando faciendæ. Ducor autem

in hanc sententiam, ut ita existimem, tum quia Eugenius Quartus ante Unionem Josephum Patriarcham Constantinopolitanum, tanquam legitimum, & verum Patriarcham excepit. Quem longè præcesserat, vigente tamen schismate, Joannes Veccus Patriarcha item Constantinopolitanus, qui fuit vir acerrimi ingenij, valde pius, & Catholicus, & scripsit libellum adversus responsiones Græcorum de processione Spiritus sancti à Filio, ita ut appellaretur à suis Græcis λατινόφρων. Pro cujus defensione Cardinalis etiam Bessario conscripsit apologiam contra Gregorium Palamam, quem libellum nos latinitate donavimus; tum etiam quia post Concordiam transactam, non deposito Latino Patriarcha, duos deinceps Patriarchas Græcos creatos Constantinopoli Ecclesia Romana, quippe sibi conjunctos, legitimos habuit. Hi Gregorius Protosyncellus, & Gennadius Scholarius fuere. Post quos Romani Pontifices contra alios Patriarchas schismaticos, vel hæreticos nihil ediderunt. Nec eos disiunctos esse ab Ecclesia declararunt. Quin potius eos ad Concilium Tridentinum invitarunt; ut mihi retulit nonagenarius vir, Gaspar Uivianus integerrimus Antistes Anagninus, rerum Græcarum peritissimus; cujus aliàs in hoc opere nostro mentionem honorificam fecimus. Quamvis ipsi Patriarchæ, ne adventus eorum in Italiam suspectus esset Turcæ, absentiam suam excusaverint. Postremò hac ipsa nostra ętate Gregorius ille verè alter Magnus XIII. totum sane orbem vasto animo agitans, mentisque oculis benignissimè perlustrans, & admodum gloriosis facinoribus exornans, Orientalem verò plagam, singulari quodam, paternoque affectu perspiciens, Unionis causa faciendæ ad eos veluti ad veros Patriarchas nuncios cum literis miserat de suscipiendo Calendario.

Itaque hac ex parte non obstat, quin Sacramentum effectum suum sortiatur.

Vel tandem Parochus est Orthodoxus, pœnitens schismaticus; & tunc de pœnitente rursus subdivisio adhibenda est. Uel enim est talis, quod aiunt materialiter tantùm, hoc est, qui invincibiliter erret; & tunc sicut non peccat errando, ita est capax absolutionis, quam potest obtinere tam à Parocho orthodoxo, quàm à schismatico ab Ecclesia tolerato. Plurimos autem esse in Græcia nunc, qui invincibiliter errent, affirmant earum regionum periti. Vel est formaliter schismaticus, & tunc ex defectu tam ipsius Confessarij, quamvis rectè sentientis, quàm pœnitentis nulla fit absolutio. Confessarij quidem, quòd non habeat potestatem (nisi in articulo mortis) absolvendi peccata reservata in Bulla Cœnæ Domini, qualia sunt peccata schismatis, & hæresєos. Pœnitentis verò, quia impossibile est etiam in articulo mortis absolvi eos, qui ab hæresi, & schismate non recedunt, sed in eam execrandis erroribus firmato, ac pertinaci animo perseverant. Ex his autem patet solutio ad utrumque supra propositum dubium.

Illud hoc loco lectores monendi videntur, inter alios Græcos esse quoddam genus hominum, qui ignorantes vim schismatis indifferenter se gerunt cum Latinis, & Græcis, ac modò ritu Græco, modò veró Latino provt locus, tempus, & occasio tulerit, Sacramenta suscipiunt, quasi verò nihil intersit hoc, vel illo modo quis faciat.

Quidam etiam, alioquin conjuncti cum Romana Ecclesia non ministros, sed ritum inspiciunt, & suspiciunt, quem certò sciunt antiquissimum esse, & augustissimum. Neque solùm toleratum, verùm etiam approbatum, & laudatum à Romana Ecclesia, quippe eo clarissima Ecclesiæ lumina Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, aliorumque Patrum Græcorum nobilissima Corona usi sunt. Quid ergo de his, & similibus dicemus? Hi sane Catholici, & Orthodoxi censentur, quibus non interdicitur communicatio cum Parochis Græcorum. Non enim nominatim tales esse declarati sunt.

Est ergo Deus optimus maximus dives in Misericordia, & miserationes ejus super omnia opera ejus.



DE EXTREMA-UNCTIONE.

LIBER QVINTVS.

DE MATERIA, ET NOMINE hujus Sacramenti.

CAPUT I.

MAteria hujus Sacramenti, (quod instar medicinæ cujuſdam ſpiritualis confertur) eſt purum oleum, quod non ſit permixtum cum aliis aromatibus inſtar unguenti Confirmationis. Oleum, inquam, quod ſit aptum ad mitigandum, & ſanandum, σωματικῶς καὶ θεωρητῶς, dolores corporis, ἀθεωρήτως, καὶ ἀσωμάτως, morbos animi. Ut in Baptiſmo elementum aquæ eſt efficax ad abluendum ſordes corporis, & ſpiritus; à quo nimirum oleo etiam hoc myſterium nomen accepit. Dicitur enim à Græcis ſcriptoribus, ἅγιον ἔλαιον, ſanctum oleum: tum quòd benedictione, quæ videtur eſſe de eſſentia Sacramenti, ſanctum fiat: tum quòd alios unctione ſanctos efficiat. Paſſim verò cæteri Græci εὐχέλαιον, hoc eſt, oleum cum oratione appellant, compoſito nomine ex eo, quòd Jacobus Apoſtolus dixerit: ad-
„ vocent Preſbyteros, & orent ſuper eum,
„ ungentes eum oleo.

In hoc Sacramento uſus Græcorum recenſendus eſt, ut ſtatus ſubſequentium quæſtionum facilius innoteſcat. Quocirca ſciendum eſt in Eccleſia Orientali non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam Preſbyteros ſolitos eſſe benedicere oleum infirmorum, quo deinde inungunt non ſolùm ægros, ſed etiam benevalentes, & pœnitentes.

Unde dnplex oritur difficultas. Altera, utrum Preſbyter poſſit benedicere: Altera, num firmis viribus robuſtus & benevalens hoc oleo inungi queat. De his utriſque breviter, ac dilucidè agemus.

De Miniſtro conſecrante materiam hujus Sacramenti.

CAPUT II.

ECce itaque tibi ſtatim à limine occurrit difficultas. Materia enim hujus Sacramenti, videlicet oleum, apud Græcos æquè à Preſbytero, atque à Pontifice con-

ſecratur. In Latina Eccleſia nonniſi Epiſcopus illud benedicere ſolet.

Quod nonnulli recentiores Latinorum ſcriptores adeo intrinſecè, deque eſſentia Sacramenti exiſtimant eſſe, ut ſi ab alio benedicatur, non eſſe Sacramentum, affirmare non dubitent.

Itaque duplex conſtituunt genus Unctionis, quæ ad curandos infirmos à Chriſtianis adhiberi conſuevit. Alterum, quod eſt Sacramentum à Chriſto Domino, ſicut & cætera, inſtitutum, à Jacobo Apoſtolo promulgatum. Alterum; quo uſi ſunt multi ſancti etiam laïci ad expellendos morbos. Diſcrimen inter hæc ponunt, quòd materia primi generis, pontificia benedictione perficitur, alterius verò minimè. Quocirca iſta reciprocari exiſtimant, ut ſi Sacramentum conferatur, ſit olei benedictio Pontificia, & ſi ejuſmodi benedictio ſit, Sacramentum conferatur, alioquin minimè. Per conſequens omnes alias unctiones, quæ fiunt extra Sacramentum, referunt ad oleum, quod non ſit ab Epiſcopo conſecratum. Sed hoc non eſſe adeò exploratum, & certum, aliquot exemplis in contrarium allatis infra probabo.

Græcorum autem recentiores utuntur etiam ipſi hoc duplici genere. Nam ſæpiùs ungunt infirmos non adeo graviter decumbentes, immò & ſemetipſos quantumvis ſanos oleo lampadis, quæ in honorem Angelorum Reginæ, vel alterius ex numero beatorum Patroni accenditur. Quod tamen fit, vel propter devotionem, & fidem ſuſcipientis, vel etiam merita & ſanctitatem tam ſuperi invocati, quàm miniſtri conferentis. Et hoc non exiſtimant eſſe Sacramentum. At verò quod vocant εὐχέλαιον, firmiſſimè tenent eſſe Sacramentum. Nam & fit ſolemni cerimonia, & convocant, quando commode haberi poſſunt, ſeptem preſbyteros, recitant præterea ſeptem Epiſtolas, quarum 1. eſt illa Jacobi, ſeptem item Evangelia propoſitæ rei ſatis accommodata. Denique octo, ſeu potiùs novem precationes, quarum una hujus Sacramenti formam complectitur. Ad hæc, integrum canitur officium, ſub nomine κανόνος, id eſt, regulæ, quod verbum (hæc autem refero ad majorem fidem faciendam rei, quæ in quæſtione verſatur) muſicis præfinitam, præſcriptam, ac determinatam menſuram hymnorum ſignificat, propterea, & Canonem vocant, quòd modulationes eam menſuram non excedant. Ea verò aſcendit ad novenarium numerum, qui in numeris (ut harum rerum aiunt periti) eſt omnium maximus. Nam deinceps ſequuntur Decades, Hecatontades, Chiliades, Myriades, quæ ſimiliter progrediuntur, atque monades; reliqui verò numeri ſecundum compoſitionem horum, & repetitionem fiunt. Canon itaque dicitur terminus hujus menſuræ conſtans ex novem Canticis. Cantica verò, quæ Græcis nuncupantur ᾠδαὶ, comprehendunt εἱρμοὺς, & eos ſequuntur τροπάρια, quæ ſunt varia nomina ſacrorum Carminum, ſeu hymnorum Eccleſiaſticorum, quæ rationem rythmi habent longe diverſam à profanis, ſuntque ſatis nota muſicam Græcam callentibus. Dicitur autem εἱρμὸς, ὅτι κατὰ τάξιν τινὰ καὶ συνθέσει, καὶ μελουργίᾳ εἱρόμενος, καὶ πλεκόμενος· καὶ ἁρμοζόμενος πρόεισι, καὶ οὐχ ὡς ἔτυχε. Quod ordine quodam, compoſitione, dulcique cantu continuatus, contextus, atque concinnus, non autem temerè procedat. Uel dicitur εἱρμὸς, id eſt, ſeries, quòd reliquorum quæ canuntur, conſequentia, & ſeries ab eo ducatur. Unde & τροπάρια, dicuntur ea quæ ſequuntur, ὅτι πρὸς τὸν εἱρμὸν τέτραπται, καὶ νένευκε, κἀκεῖνον, ἔχει οἱονεὶ παραδειγματικὸν, καὶ τελειωτικὸν αἴτιον. Quòd ad illum, « qui vocatur εἱρμὸς, vergant, & inclinent, « ac veluti cauſam exemplarem, & finalem « eum habeant. Quippe hymnus, qui vo- « catur τροπάριον, tum demum numeroſus, & concinnus futurus eſt, ſi vox cantorum eo referatur, & convertatur, atque ad imitationem illius primi canatur. Qui autem prærecitat cantoribus hunc hymnorum canonem (ſolent enim Græcorum cantores canere quæ lector priùs alta voce per περικοπὰς, enunciat) vocatur κανονάρχης, inde verbum κανοναρχέω, ῶ, eò quòd incipit lector priùs recitare hymnos canonis, quos inde cantores canunt.

Quæ omnia ſi quis exactiùs velit ſcire,

consulat Zonaram in expositione hymnorum, & Simeonem Thessalonicensem in libello de templo, sacerdotibus, & mystagogia.

Porro antequam ungatur infirmus, & recitentur Epistolæ, Evangelia, & sacræ preces, benedicitur oleum cum invocatione Spiritus sancti. Orant præterea, ut æger illa unctione suscipiat gratiam Spiritus sancti.

Quod ideo dictum velim, ne quis putaret, quandoquidem hoc oleum à Presbytero benedicitur, referendum esse ad aliud genus unctionis extra Sacramentum, quod pendet ex merito, non ex officio, & quod non semper, & infallibiliter, atque ut aiunt Scholastici, ex opere operato confert gratiam. Quippe nullo pacto, saltem ex sententia Græcorum, referri potest.

His ita priùs notatis, admodum cautè procedendum est, & considerandum, an apud Græcos sit verè Sacramentum, nec ne, ex defectu materiæ, seu potiùs ministri consecrantis materiam, quandoquidem benedicitur oleum à Presbyteris.

Cùm itaque Ecclesia Orientis talem consuetudinem habuerit, & in hanc usque diem habeat, & hoc esse verissimum Sacramentum firmiter credat, atque ut ejusmodi, per tot sæcula Christi fidelibus administraverit: Non est putandum in re tam gravi, & necessaria errasse.

Neque obstat Innocentius primus, qui primus etiam de hac re, licet non quasi de re nova, scribens ad Decentium dixit, oleo ab Episcopo confecto licere omnibus uti. Nam intelligitur, vel de oleo adhibito extra Sacramentum, ut communis fert sententia, vel quantum attinet ad benedictionem ordinariam. Quo eodem modo commodè possunt intelligi, & explicari omnes fermè Theologi, & sacra Concilia. Hi enim omnes non negant valere à Presbytero benedictum oleum extraordinariè, & ex commissione: sed affirmant debere ab Episcopo benedici, videlicet ordinaria potestate.

Presbyteri verò benedictionem validam esse, dupliciter exponi, atque defendi potest. Primò si dicamus, benedictionem olei requiri de essentia Sacramenti, ut etiam in unguento Confirmationis: & tunc videtur esse dicendum, de jure divino non scripto, sed per manus tradito, consecrationem olei spectare ordinaria potestate ad Episcopum, extraordinaria, & delegata ad Presbyterum.

Secundò dici potest, consecrationem olei non esse de essentia Sacramenti, per consequens non esse de jure divino, sed præcepto Ecclesiastico. Quam opinionem probabilem censent Victoria in Summa sacramentorum conclusione 219. Martinus Ledesma secunda parte in 4. Sententiarum q.31.art.6. Et eam non omnino esse improbabilem affirmat Nicolaus Serarius in opusculo de Extrema Unctione cap. 7. num. 83. In eam quoque inclinare videtur Caietanus, & etiam Durandus, & Paludanus, qui duo postremi dicunt, Papam posse ungere oleo non consecrato. Ergo est de necessitate præcepti, non sacramenti. Ratio illorum est, quia Jacobi 5. exprimitur materia, forma, & minister, sine mentione benedictionis olei. Ecclesia itaque commisit Episcopo, ut ordinariè benedicat: sed etiam committere potest Presbytero.

At hoc modo, inquies, Græcorum Presbyteri non differunt ab Episcopis, cùm & Confirmationem conferant, & hoc oleum, sicuti & catechumenorum, benedicant.

Respondeo, præter cæteras differentias, magnum esse quoque discrimen inter illos quantum attinet ad ista. Etenim Episcopus benedicit ex officio, ad eumque spectat primariò, & ordinariè; Presbyter verò extraordinariè & ex præscripto Ecclesiæ. Non secus Rex ex officio multa præstat, quæ Prorex ex delegatione Regia exequitur.

An verò liceat Episcopo hæc committere Presbytero, (dato quòd consecratio sit de jure divino. Nam si est de jure positivo Ecclesiastico, Episcopus committere potest) est alia quæstio, quam tetigimus in materia de Confirmatione, & eadem ratiocinatio hîc potest fieri. Quòd enim possit Romanus Pontifex, non pauci probatissimi auctores affirmant. Caietanus 3.

p. q. 72. ar. 3. Scotus in 4. d. 7. q. 1. Paludanus d. 23. q. 1. conclusione 3. in fin. Gabriel eodem loco q. 1. Ualentia 4. p. disp. 8. q. 1. de Sacramento extremæ-Unctionis puncto 2. & Sotus in 4. d. 23. q. 1. a. 3. De aliis Patriarchis, & Episcopis videtur esse major difficultas. Martinus Ledesma loco citato, & in 1. parte 4. quæst. 13. ar. 3. dubio unico ait, esse opinionem probabilem committi posse Presbytero ab Episcopo hujusmodi consecrationem. Ego adhuc mitiùs, & tutiùs responderem: si aliqua magna pars Ecclesiæ, qualis est Ecclesia Orientalis commiserit Sacerdotibus munus benedicendi hoc oleum, idque antequam oriretur schisma, & perniciosissima hæresis, valere Sacramentum videtur, non corrigente statim à principio, sed diù tolerante Romano Pontifice. Nam in tali casu Pontifex tacitè consentire videtur; qui deinde licet possit, non tamen expedit, neque ita facilè similia corrigere solet ob diuturnam consuetudinem.

Propterea existimo Joannem Chrysostomum hom. 3. in cap. 3. prioris ad Timotheum, dum assignat discrimen inter Episcopum, & Presbyterum, de Episcopis dicere, τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. Sola quippe ordinatione superiores sunt Episcopi, idque solùm videntur Presbyteris plus habere. Quia nimirum cætera extraordinariè concedi possunt Presbyteris, atque hac ex parte similes esse quodammodo videntur Episcopis. At verò ordinare, & consecrare alios Presbyteros, nulla ratione, ne extraordinariè quidem Sacerdotibus concedi potest, solaque in hac una re differunt.

Eodem sensu S. Hieronymus epistola 85. ad Evagrium scripsit, Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat? & S. Isidorus de offic. Eccles. lib. 2. cap. 7. His (Sacerdotibus) sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiis Christi, & in confectione divina corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed sola propter auctoritatem summo Sacerdoti clericorum ordinatio & consecratio reservata est: ne à multis Ecclesiæ disciplina vindicata concordiam solveret, scandala generaret.

Quemadmodum itaque olim Episcopi, qui assiduè suo muneri incumbebant, multa per seipsos præstabant, quæ postea Presbyteris commiserunt, vel quia ipsi aliis occupationibus, potissimum verò munere concionandi de rebus sacris impediti erant, vel quia totam Diœcesim propter amplitudinem, frequentiam item maximam populorum fidem Christi recipientium, commodè lustrare non poterant: ita etiam dicendum existimarim & de benedictione hujus olei.

Accedit ad hoc, quod antiqua Concilia, & sancti Patres vetant Sacerdotes conficere, & consecrare Chrisma Confirmationis, non hoc oleum, quare faciliùs potuit hoc committi Presbyteris.

Postremò in illa instructione Clementis VIII. super ritibus Græcorum de oleo Catechumenorum, & infirmorum hæc ad verbum traduntur. Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma ab Episcopis Diœcesanis accipere, cùm hujusmodi olea, ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.

Chrisma itaque apud Græcos, solus Episcopus conficit, & diù asservatur: oleum autem infirmorum tunc temporis benedicitur, quando æger ungendus est. Ut etiam benedicitur aqua, & oleum Catechumenorum, quando quis apud Græcos baptizatur.

Cur autem non asservetur, ratio est, quia cùm sit commissum Presbyteris, possunt illi pro necessitate quovis tempore illud consecrare, & simul administrare, ut contrà, Chrisma diutiùs asseruant, quod careant facultate illud conficiendi. Hoc autem totum etiam indicat, & approbat instructio illa Clementis octavi ad Episcopos Latinos directa, ubi de hoc argumento titulus est. Circa oleum sanctum Catechumenorum & infirmorum. Deinde sequitur. Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episco-

» pis Latinis Diœceſanis accipere. Cùm hu-
» juſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sa-
» cramentorum exhibitione ex veteri ritu
» conficiantur, ſeu benedicantur: Chriſma
» autem, quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam
» juxta eorum ritum, benedici poteſt, co-
» gantur accipere. Sic ibi.

Quamvis autem Epiſcopi, approbante Romano Pontifice, benedictionem hujus olei Preſbyteris commiſerint, proptereaque non aſſeruetur, ipſi tamen Græcorum Pontifices non ſe privarunt hac ſua juriſdictione, ſed ſemel in anno more Latinorum feria quinta Sacratioris hebdomadis ſolemni pompa, & apparatu peracto ſacro illud conſecrant. Quo deinde præſentes, qui divinis officiis interſunt, deliniunt. Rectè ne hoc, an temerè fiat, ex ſubſequentibus clarum facere conabimur. Si priùs tamen, ſicuti ordinis ratio poſtulare videtur, de numero Miniſtrorum, quorum hactenus mentio facta eſt, egerimus.

In adminiſtratione hujus Sacramenti quot requirant Græci Preſbyteros.

CAPUT III.

Mos eſt Orientalis Eccleſiæ ſeptem convocare Preſbyteros, qui extremam Unctionem ægrotis adminiſtrent. In eo munere perfungendo, quamvis varias ſinguli orationes recitent, eandem tamen formam Sacramenti omnes iterant. Qua de re agam ſuo loco. Ita etiam tradit εὐχολόγιον. Septem autem numero Preſbyteros Græcorum Eccleſia exigit, ſive propter ſeptem peccata mortalia, ſive quia ſeptenarius numerus in ſacra Scriptura valdè commendatur, & non caret myſterio. Quin Jubilæum in ſe complectitur. Dicerem etiam propter ſeptem corporis partes, quas ungunt. De quo tamen numero Simeon Theſſalonicenſis ita philoſophatur: καὶ ὁ μὲν ἀδελφόθεος, οὔ φησι τούτων (τῶν πρεσβυτέρων) τὸν ἀριθμόν. ἡ δὲ συνήθεια ἑπτὰ παρέδωκε προσκαλεῖσθαι. οἶμαι δὲ διὰ τὰ ἑπταχῶς ἀριθμούμενα ἐν Ἡσαΐᾳ δῶρα τοῦ πνεύματος. ἢ καὶ διὰ τοὺς ἑπτὰ ἐκείνους τοῦ νόμου πάλαι ἱερεῖς, κύκλῳ σαλπίσαντας τὴν Ἱεριχὼ ἑπτάκις προστάγματι θεϊκῷ, καὶ καταβαλόντας τὰ τείχη, ὡς ἂν καὶ τὴν πονηρὰν οὗτοι πόλιν, καὶ τὰ σκληρὰ τείχη τῶν τῆς ἁμαρτίας ὑψωμάτων καθέλωσιν. ἢ καὶ ὡς νεκρὰς οὔσας τὰς ψυχὰς, κατὰ μίμησιν τοῦ προφήτου, ὡς ἐπὶ τοῦ παιδὸς ἐκείνης τῆς Σουμανίτιδος, εὐξαμένων τῶν ἱερέων ἑπτάκις ταύτην ἐγείρωσι. καθὰ δὴ ὁ Ἐλισσαῖος τὸν παῖδα ἑπτάκις ἐπανακάμψας, καὶ ἑπτάκις εὐξάμενος. ἢ καὶ ὡς ὁ Ἠλίας ἑπτάκις εὐξάμενος τὸν οὐρανὸν, ὃν ἔκλεισε τοῖς ἁμαρτήσασι, πάλιν ἠνοίξε, καὶ κατήγαγεν ὑετόν. καὶ οὗτοι ἑπτάκις εὐξάμενοι λύσωσι μὲν τὸν αὐχμὸν τῆς ἁμαρτίας, ἀνοίξωσι δὲ κατὰ τὸν Πέτρον τὸν οὐρανὸν, τὴν κλεῖδα λαβόντες τῆς χάριτος. καὶ τὸ ἔλεον ἐκ τοῦ θεοῦ ἀφέσεως, ὡς ὑετὸν καταγάγωσιν. οὗτος μὲν οὖν ὁ νοῦς, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τῶν ἑπτά. Et “
Dei frater quidem horum (Preſbyterorũ) “
numerum non exprimit. At verò ſeptem “
eſſe vocandos conſuetudine traditum eſt, “
quod fieri arbitror propter ſeptem dona, “
quæ apud Eſaïam enumerantur Spiritus. “
Uel propter illos ſeptem antiquæ legis ſa- “
cerdotes, qui divino juſſu circumeuntes “
urbem Hiericho ſepties tubis cecinerunt, “
atque mœnia diruerunt. Ut etiam hîc ſe- “
ptem ſacerdotes malitiæ urbem, duraque “
mœnia altitudinum peccati demoliantur. “
Vel etiam tanquam mortua exiſtente ani- “
ma, ut ſupra puerum illius Sunamitidis ad “
imitationem Prophetæ, ſepties orent Sa- “
cerdotes, & eam ſuſcitent, provt ſanè ex- “
citavit puerum Eliſæus ſepties reverſus, ſe- “
pties item precatus. Uel quemadmodum “
Elias ſepties orans, cœlum, quod peccan- “
tibus clauſerat, rurſus aperuit, atque de- “
duxit pluviam; ſic iſti ſepties deprecati ſol- “
vant quidem ſquallorem peccati, accepta “
verò gratiæ clave, non ſecus atque Petrus “
aperiant cœlum, atque miſericordiam à “
Deo remiſſionis, velut imbrem deducant. “
Is ergo ſenſus eſt, ut mea fert ſententia, “
ſeptenarij numeri. Sic ille. “

Nicolaus Serarius opuſculorum 2. tomo, opuſculo de extrema Unctione. Fuit, in- “
quit, quibuſdam in locis ea olim conſue- “
tudo, ut ad ægrotorum unctionem ſeptem “
ſacerdotes accederent, & totos ſeptem dies “
pro illis obſecratio fieret. Citatur in mar- “
gine Gabriel, Caſſand. Piſan.

In necessitate autem & pauciores sacerdotes conficiunt. Ita Simeon Thessalonicensis: τινὲς δὲ ἔνθα σπάνις ἱερέων καὶ τρεῖς προσκαλοῦνται μόνους. καὶ τοῦτο οὐ μεμπτέον. ἔσται γὰρ πρῶτον μὲν διὰ τὴν δύναμιν τῆς τριάδος. ἔπειτα δὲ καὶ διὰ τὸ εἰς μαρτυρίαν καὶ κήρυγμα τῆς τριάδος παρὰ τοῦ Ηλιοῦ πάλιν γεγονὸς, ὅτε νεκρωθέντα τὸν υἱὸν τῆς σαρεφθίας ἀνέστησε τρὶς προσευξάμενος, καὶ τρὶς ἐπιπεσὼν αὐτῷ. ἀλλ᾽ οὐ πολυπραγμονητέον περὶ τοῦ ἀριθμοῦ, ἐπεὶ οὐδὲ ἀριθμὸς γράφεται. πλὴν εἰ καὶ οὐ γέγραπται, ἀλλ᾽ ἀναγκαῖον τὴν ἀρχαίαν τηρεῖσθαι παράδοσιν. καὶ ἔστωσαν μὲν ἑπτὰ, ὡς ἔθος ἀρχαῖον, εἰ δ᾽ ἀνάγκη, τὸ ἔλαττον τρεῖς, καὶ πάντα λεγέτωσαν, ὅσα παραδέδοται λέγεσθαι. ὅτι τοῦ πνεύματος πάντα ἐκ τῶν πατέρων ὄντα. » Nonnulli verò, ubi penuria est sacerdotum, tres tantùm convocant, idque non est reprehendendum. Erit enim in primis propter potentiam Trinitatis. Deinde verò etiam propter aliud factum Eliæ in testimonium, & prædicationem Trinitatis. Quando mortuum filium Saraphthiæ trina precatione, trinaque vice in eum incumbens suscitavit. Cæterùm non est curiosius inquirendum de numero, quando neque numerus scriptus est. Nisi quod, quamvis non sit scriptus, necessarium tamen est, antiquam observare traditionem, & sint quidem septem, ut veteris moris est, si verò necessitas fuerit, tres sint ad minus, eaque omnia recitent, quæcumque per traditionem dicenda esse, acceperunt. Quoniam quæ à Patribus sunt, ea quoque Spiritus esse, fatendum est. Sic ille. Utrum autem possint vocari plures quàm septem?

Idem Simeon: τινὲς δὲ καὶ πλείονας τῶν ἑπτὰ συναθροΐζουσιν, εἰς πλείονος δεῖγμα πίστεως καὶ προθυμίας. » Quidam autem plures etiam quàm septem convocant, ad declarandam majorem fidem, animique alacritatem. «

B. Thomas in lib. 4 contra Gentiles c. 83. in fine. » Quia, inquit, hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento ut multi sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit, Inducat presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sanabit infirmum. Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ cujus minister existit, & cujus personam gerit. «

Ledesma 2. p. qu. 33. art. 1. dub. unico. « Dico, inquit, quòd de necessitate Sacramenti solus unus sufficit, sed ex decentia debent esse plures sacerdotes. Et ita habet consuetudo Ecclesiæ universalis, quòd plures sacerdotes conveniunt ad administrandum hoc Sacramentum. Et in hac sententia est glossa in illo cap. Quæsivit. de verborum significatione. Et si solus unus sacerdos administret hoc Sacramentum tempore, quo possunt multi concurrere, verum quidem Sacramentum conficit, peccat tamen contra ritum Ecclesiæ agens; si autem in articulo necessitatis non reperitur nisi solus unus sacerdos, posset licitè hoc Sacramentum conferre. Quod etiam habet glossa in prædicto capite Quæsivit. «

Helmoldus presbyter lib. 1. Chronicorum cap. 44. » Ludolphus (inquit) venerabilis sacerdos ætate decrepitus, vigore spiritus integer, ubi ægritudine mortali decubuit, misit ad accersendos sacerdotes, & religiosos quosque, & impetrato sanctæ Unctionis officio, conquestus est. «

Matthæus Galenus in promptuario Theologico, catechesi 182. quæ est quarta de extrema Unctione. « Quædam, inquit, ex antiquitate repetenda, quæ ut fuit Apostolicæ traditioni vicinior, ita res omnes religiosius adhibuit, & obivit. Et in primis quàm plurimos advocabat presbyteros, qui si deessent, adhibebantur, qui erant è Clericorum aliis ordinibus, quorum si non fuisset copia, vocabantur utriusque sexus religiosissimi quique, & omnium erat idem labor, extorquere effectum Sacramenti. Nam quod adversarij illos apud Jacobum presbyteros volunt quosdam senes significare, nugæ sunt; ut ex Chrysostomo, Innocentio, Beda docuimus, cùm de sacrificio Missæ disseruimus. Quòd autem nostri volunt enallagen esse numeri, eatenus est verum, quatenus ad Sacramenti administrationem unus satis esse potest. Tamen majores nostri pro sua religione advocabant quos poterant sacerdotes, aut Cleri-

cos, ut clarissimè in rebus gestis Bedæ videre est. Cujus exemplum & doctrinam tam pessimè oderant Illyricani, ut ne dissimulare quidem sibi potuerint centuriæ octavæ cap. 6. Negare tamen haud possunt, Vincentium in speculo hist. lib. 23. cap. 150. narrare Bedam sub vitæ supremam periodum advocasse fratres omnes, & in illorum medio inunctum, fruitumque tremendis mysteriis. Quemadmodum de Malachia Bernardus quoque scriptis prodidit. Qui firma adhuc valetudine de cœnaculo ad suscipiendam inunctionem descendit, & inunctus denuo conscendit.

Reinerus professione Religiosus Ordinis Prædicatorum, qui claruit anno 1254. agens contra Valdenses cap. 5. & eorum errores enumerans, sive Pauperum de Lugduno, Sacramentum, inquit, Unctionis etiam reprobant, quia tantùm divitibus datur, & propter plures sacerdotes, ibi necessarios.

Hæc testimonia probant, multos esse vocandos sacerdotes. His adde Nicolaum Serarium de extrema Unctione cap. 4. n. 71.

Sed quid, si unus tantùm vocetur presbyter, valebitne Sacramentum?

Respondet idem Simeon: εἷς δὲ μὴ πρεσβύτερος μὴ ποιείτω τὸ εὐχέλαιον. ὅτι ὡς περὶ ἐπισκόπου γέγραπται, μὴ χειροτονεῖσθαι παρ᾽ ἑνὸς, οὕτω γε περὶ εὐχελαίου, μὴ παρὰ πρεσβυτέρου ἑνὸς τελεῖσθαι. Unus autem, inquit, presbyter Euchelæon ne conficiat. Quoniam quemadmodum de Episcopo scriptum est, non esse ordinandum ab uno, ita etiam de extrema Unctione, non esse peragendam ab uno presbytero. Atque ut scias, ubi scriptum sit, ne fiat ab uno presbytero, pergit Simeon declarare: προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους φησὶ, καὶ οὐχ ἕνα πρεσβύτερον. Advocet presbyteros, inquit Jacobus Apostolus, & non unum presbyterum.

Non igitur mirum si Thessalonicensis proximè enumeraverit tres, qui in necessitate ad minus advocentur. Cùm enim Apostolus non dixerit duali numero τὼ πρεσβυτέρω, sed τοὺς πρεσβυτέρους, juxta sententiam Simeonis Jacobum interpretantis, non satis erunt duo presbyteri. Addit tamen hoc à se ipso Simeon. Non enim ait Apostolus οὐχ ἕνα πρεσβύτερον.

In primis enim unde colligit ex eo quod Apostolus dixerit, vocet presbyteros, non unum intelligere presbyterum? si propter numerum multitudinis frequenter is numerus in scripturis sanctis accipitur pro numero singulari. Nam & Apostolus ad Hebræos scribens de prophetis dicit, Obturaverunt ora leonum, lapidati sunt, secti sunt, circumierunt in melotis & pellibus caprinis: & tamen qui obturavit ora leonum unus fuit Daniel; & qui lapidatus est unus Hieremias fuit; & qui sectus est unus Isaias. Et similiter S. Matthæus, & S. Marcus referunt latrones cum Christo crucifixos imbecillitatem illi exprobrasse; cùm tamen S. Lucas disertè scribat, Unus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum. Sed eodem modo respondendum est illos accepisse numerum multitudinis pro numero singulari, ut S. Augustinus observavit in l. 3. de consensu Evangelistarum cap. 16. Deinde sæpe scriptura utitur communi modo loquendi. Communiter autem dicimus, confitenda sunt peccata sacerdotibus, in ægritudine vocandi sunt medici: cùm tamen semper uni sacerdoti patefaciamus peccata, & sæpissimè unus medicus curet ægrotum. Itaque quod Jacobus Apostolus dixerit, vocet presbyteros, perinde est ac si dixisset, vocet unum ex presbyteris. Sic Christus Dominus dixit leprosis, ite, ostendite vos sacerdotibus, cùm alteri leproso dixerit, vade, ostende te sacerdoti. Et Levitici 13. de leproso scriptum sit, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. Et profectò si omnes illi decem leprosi uni sacerdoti se ostendissent, præcepto Christi Domini cumulatè satisfecissent.

Sic Nazianzenus in oratione de Baptismo refert hanc historiam: εἰ λέπραν ἔβρυες τέως τὴν ἄμορφον πονηρίαν, ἀπεξέσθης δὲ τῆς κακῆς οὐλῆς, καὶ εἰκόνα σώαν ἀπέλαβες, δεῖξον ἐμοὶ τῷ ἱερεῖ σου τὴν κάθαρσιν, ἵνα γνῶ πόσον τῆς νομικῆς αὕτη τιμιωτέρα. γενοῦ μὴ τῶν ἀχαρίστων, ἀλλὰ τὸν δέκατον μίμησαι. καὶ γὰρ

εἰ Σαμαρείτης ἦν, ἀλλὰ τῶν ἄλλων εὐγνωμονέστερος. Si lepra, hoc est deformi pravitate prius infectus eras, ac deinde rasa, ejectaque hac vitiosa materia, salvam, & incolumem imaginem recepisti; purgationem mihi sacerdoti tuo ostende, ut cognoscam quantum ea purgationem legalem antecellat: novem illis ingratis ne te adjunge, verùm decimum tibi imitandum propone. Qui quamquam Samaritanus esset, alios tamen grati animi officio vicit.

Ubi Nicetas Nazianzeni Interpres singulari numero legit: γέγραπται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ, ὅτι δέκα ἄνδρες λεπροὶ ἀπήντησαν τῷ κυρίῳ. ὁ δὲ τὴν κάθαρσιν εὐαγγελιζόμενος, εἶπεν, ὑπάγετε δείξατε ἑαυτοὺς τῷ ἱερεῖ. ὁ γὰρ ἱερεὺς ἐδοκίμαζε τὸν ἀπὸ τῆς λέπρας καθαρισθέντα συνεξετάζων αὐτὸν τῷ λαῷ. Apud Lucam, inquit, in Evangelio scriptum est, quòd decem viri leprosi Domino occurrerunt, ipse autem faustum purgationis nuncium illis afferens dixit, ite ostendite vos sacerdoti. Sacerdos enim hominem lepra purgatum admittens, reliquæ ipsum plebi accensebat. Nec fuit adeò scrupulosus Nicetas, ut quamvis apud Lucam sit sacerdotibus; ipse nihilominus legerit sacerdoti, nimirum ad sensum respiciens, quòd optimè sciret nihil interesse hoc, vel illo modo quis dicat.

Deinde Simeon non negaret, posse unum Episcopum conferre hoc Sacramentum. Nam istud conveniret illi, vel ratione Jurisdictionis, vel ordinis. Non Jurisdictionis, tunc enim septem presbyteri, vel plures, seu pauciores non possent adæquare facultatem Pontificiam, & nulla ratione possent istud administrare. Igitur ratione ordinis, qui sanè tam est in uno, quàm in septem presbyteris.

Ad hæc, minister hujus Sacramenti, Christi personam gerit, immò Christus Dominus per ipsum agit, ut in aliis quoque Sacramentis fit. At mirum videri potest, si Christus Dominus per unum non efficiet, quod per septem, seu per tres eum efficere Simeon contendit.

Immo (quæ est ratio B. Thomæ 3. p. q. 67. art. 6.) sicut principalis auctor Sacramenti, qui Christus est, una persona est; ita minister, qui ipsum repræsentat, una tantùm persona esse debet. Hoc etiam observamus in aliis Sacramentis. Quo nomine cù quilibet presbyter Jurisdictionem habeat in propria Parœcia, reliqui supervacanei erunt, neque ritè, quamvis validè, hoc Sacramentum poterunt administrare, nisi illis proprius pastor, ejus muneris fungendi potestatem fecerit. Quemadmodum in quibusdam locis solent Parochi laudabiliter multos ad se accersere, ut hac ratione intercessores multiplicati faciliùs divinam opem ægroto in tali statu implorare, ac salutem à Dei benignitate impetrare queant.

Propterea, unus presbyter seorsim consideratus verè propriè ac per se etiam secundum Græcos veram adhibet subjecto materiam, & integram formam hujus Sacramenti: ergo verè, & propriè solus confert hoc Sacramentum. Quare cæteri videntur esse superflui: superfluos dico si exequantur Sacramentum, recitantes eandem formam: immo utrum etiam graviter peccent, dum sine ratione iterant hoc Sacramentum, nec-ne, dicam postea suo loco.

Deniq; si Thessalonicensis congruentias quærat, ut ipse requirit ad minùs tres ad significandam sanctissimam Trinitatem; ita nos unum ad declarandam unicam divinitatem, vel unam personam Christi incarnati, vel aliquid simile: non enim desunt ingeniosis similitudines rerum, & congruentiæ. Quare si vel unus aderit presbyter, sufficit solus præsertim in necessitate. Neque iste error conquirendi de necessitate plures sacerdotes Græcis, sed Simeoni, ut non alij pauci, adscribendus est.

Ad argumentum autem Simeonis respondeo 1. admissa similitudine non esse moris, Pontificem ordinari ab uno Episcopo, dicam ad minus à duobus. Cur ergo ad minus in administratione Extremæ-Unctionis requiruntur tres Presbyteri? Sufficiant duo, dicet aliquis. Secundò dico non esse similem rationem ordinationis Pontificis à tribus Episcopis, vel saltem duobus peragendam, & ministri hujus Sacramenti. In Canonibus enim Apostolorum expressè dicitur, ut sint duo vel tres, neque pau-

ciores. Hîc numerus certus non exprimitur, & commodè per presbyteros & unum & multos possumus intelligere. Idque ex consuetudine Ecclesiæ, quæ suo facto explicat Jacobum Apostolum, qui potiùs qualitatem ministri quàm numerum commendare voluit.

Postremò, si plures presbyteri requirerentur ex vi verborum Apostoli, esset hoc de jure divino. At verò tres Episcopos aut saltem duos requiri ad consecrationem alterius, non esse de jure divino, sed ordinatione Apostolica, certum est. Siquidem Apostoli propter honorem Pontificium sanxerunt, ut unus Episcopus consecraret duobus aliis assistentibus. Cùm alioquin ipsimet Apostoli multos Episcopos soli consecrassent, atque per urbes constituissent, ut Paulus Ephesi, Cretæ, Athenis, & alibi. Joannes Smyrnæ, ac in tota Asia. Andreas Byzantij, & in tota Achaia. Modò etiam si unus Episcopus alterum consecraret sine assistentia reliquorum, peccaret quidem contra sanctionem Apostolicam, & Ecclesiasticam; nihilominus sacramentum ordinationis valeret. Nulla igitur ex parte Simeonis exemplum quadrare videtur.

An bene valens hoc oleo sit inungendus.

Caput IIII.

NOtandum Græcos inter se fermè omnes convenire Scriptores & consonare; quippe qui doceant hoc Sacramentum impartiendum esse ægrotis, præsertim extremè laborantibus, & ob eam causam septimum, & ultimum Sacramentum appellari; quamvis re vera non ea sit potissima causa cur ita vocetur.

Ita Emmanuel Caleca: ὅθεν δῆλον, ὅτι τελευταῖον ἐστὶ τὸ μυστήριον τοῦτο, ὥσπερ ἐπισφράγισμα πάσης τῆς πνευματικῆς ἰατρείας, καὶ ὅτι τοῖς ἀσθενοῦσι προσάγειν δεῖ, καὶ μᾶλλον ἐκείνοις, οἳ δι' ἀσθένειαν οὐκ ἐξεπλήρωσαν τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς κανόνα. Unde manifestum est, esse hoc postremum sacramentum tanquam sigillum totiùs spiritualis curationis, illudque infirmis adhibendum, præsertim iis, qui ob ægritudinem, quem debuerunt subire Canonem, non adimplerunt. Canonem vocat pœnitentiam, quam alio nomine Græci dicunt, ἐπιτίμιον, & ἐπιτιμίαν, eò quòd juxta præscriptum Canonum pœnitentes mulctarentur.

Job Monachus: διὰ τοῦτο καὶ τελευταῖον ἕβδομον μυστήριον, καὶ πρὸς τὰς ἐσχάτας ἀναπνοὰς ἡμῖν ὀφειλόμενον τὸ εὐχέλαιον. Propterea Euchelæon ultimum, atque septimum est mysterium, quodque nobis debetur, dum extremum spiritum agimus.

Simeon Thessalonicensis, & unà cum Simeone quidem verbis Hieremias Patriarcha Constant. cap. 7. suæ censuræ, docent sacrum oleum, ἐξ ἀρρωστημάτων ἡμᾶς ἐγείρειν. Ex infirmitatibus nos sublevare. Igitur exhibetur ægrotis.

Joannes Nathanaël Cretensis in illa Epistola ad Pontificem Anagninum: περὶ δέ γε τοῦ ἁγίου ἐλαίου ἤδη δηλώσωμεν. ἔστι δὲ καὶ λέγεται τὸ ἡγιασμένον ὑπὸ ἑπτὰ ἱερέων ἔλαιον, ὅπερ καὶ εὐχέλαιον ὑπὸ πλείστων καλεῖται, μυστήριον ἕβδομον. ἐπειδὴ ἐν τῇ τελευταίᾳ ὥρᾳ τοῦ ἀνθρώπου δέδοται γίνεσθαι. De sancto verò oleo deinceps dicemus. Quippe oleum, quod & Euchelæon plerique appellant, à septem Sacerdotibus consecratum, & est, & dicitur septimum mysterium, propterea quòd in ultima hominis hora fieri concedatur.

Gabriel Philadelphiensis: εὐχέλαιον ἐστὶ χρίσμα δι' ἐλαίου καθαροῦ κατεσκευασμένον ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείᾳ κατακειμένων. Euchelæon est unctio ex puro oleo constans pro iis, qui morbo decumbunt. Sic illi.

Quare non est dubium, quin istud oleum ægris inservire debeat; quod etiam patet ex Apostolo Jacobo: & hoc ipsum confirmat recens, idemque antiquissimus usus Græcorum.

Cæterùm si vera sunt, quæ hactenus retulimus, hoc est, si propterea hoc Sacramentum postremum omnium appellamus, tum potissimum, quòd ipsum post alias unctiones sacramentorum exhibemus; tum etiam, quòd homini in ultimo termino vitæ constituto, qui per id temporis ob in-

firmitatem non poteſt agere pœnitentiæ opera, iſtud conferimus; profectò non videtur ſanis poſſe convenire.

Unde auctores Græcorum hac in re inter ſe diſſident. Sunt nonnulli ex Græcis, qui clarè affirment, hoc Sacramentum concedendum eſſe non tantùm ægris, ſed etiam bene valentibus, modò illud ad delenda peccata efflagitaverint. Ita Simeon Theſſalon. cùm de hoc myſterio verba facit: ἅγιον ἔλαιον παραδέδοται ὡς ἱερὰ τελετὴ, καὶ θείου τύπος ἐλέους εἰς ἀπολύτρωσιν καὶ ἁγιασμὸν τοῖς ἀπὸ ἁμαρτίας ἐπιστρέφουσι χορηγούμενον. Sanctum oleum traditum eſt veluti ſacrum myſterium, divinæque miſericordiæ typus, quod in redemptionem, & ſanctificationem præbetur his, qui ſe à peccatis convertunt. Eadem planè verba Simeonis Hieremias more ſuo tam in primo, quam in ſecundo reſponſo mutuo ſumpta repetit. Et ambo hæc protulerunt ad docendum, & comprobandum præſentem uſum Græcorum, ac universè accipiunt pœnitentes, ſive illi ſani ſunt, ſive infirmi.

Ex eo autem colligit Simeon hoc oleum pœnitentibus eſſe præbendum, quòd Chriſtus Dominus miſerit diſcipulos binos, & binos qui prædicarent pœnitentiam, & ungerent ægros, Marci 6. quem locum ex Græcis Patribus etiam Theophylactus, & Oecumenius interpretantur de hujus Sacramenti unctione: παραδέδωκε τοίνυν αὐτὸ (τὸ ἕβδομον μυστήριον) ἰδίως τοῖς μαθηταῖς· ἀπέστειλεν αὐτοὺς δύο δύο πρὸ προσώπου αὐτοῦ· οἳ καὶ πορευθέντες φησὶν, ἐκήρυσσον ἵνα μετανοήσωσι. Tradidit igitur Chriſtus (inquit Simeon) ipſum (ſeptimum myſterium) quando diſcipulos ſuos miſit binos, & binos ante faciem ſuam, qui & profecti, inquit, prædicabant ut pœnitentiam agerent. Deinde infert Simeon, ὁρᾷς καὶ τοῦτο τὸ ἔλαιον, ὡς τὰ τῆς μετανοίας τελειοῖ; vides-ne hoc oleum quemadmodum munera pœnitentiæ perficiat? Ibidem, ἰδοὺ τὸ ἔλαιον ἁγιαζόμενον τοῖς μετανοοῦσι δίδοται. Ecce oleum ſanctificatum pœnitentibus datur.

Sed profectò Simeon ineptiſſimè ratiocinatur, & contra ſenſum clariſſimum Evangelici textus. Quamvis enim locus ille hoc Sacramentum indicaret, quod ego non facilè credo, duo tamen diſtincta munera obibant Apoſtoli. Et prædicabant pœnitentiam universè omnibus, & ſanis, & infirmis. Et ungebant oleo non ſanos, ſed infirmos, quos, ut eſſent apti, & capaces, per pœnitentiam ad hoc præparabant. Unde perperam confundit hæc inter ſe Simeon, & per conſequens confundit etiam Sacramenta, quaſi verò ſanis pœnitentibus hoc oleum, veluti Sacramentum Pœnitentiæ, adminiſtratum fuerit. Non enim delet ſanis peccata, quæ nimirum per ἐξομολόγησιν tolluntur; ſed infirmis, ſi quæ ſint, quæ remanſerint.

Deinde fac illum eſſe ſenſum Evangelij, quem Simeon colligit; Nonne per pœnitentes optimè intelligere infirmos poſſemus? Neque enim impœnitentes ægros inungimus, cùm hoc Sacramentum detur inſtar medicamenti: medicina verò vivis exhibetur, non mortuis, quales eſſent impœnitentes.

Idem tamen Simeon in eodem libro de ſeptem Sacramentis, alio in loco clarius adhuc eandem doctrinam profitetur his verbis: ἁμαρτήσαντες προσερχόμεθα θείοις ἀνδράσι, καὶ μετανοοῦντες τὴν ἐξαγόρευσιν τῶν πταισμάτων ποιούμεθα. ὧν τῇ ἐπιταγῇ προσφέρομεν ἅγιον ἔλαιον τῷ Θεῷ εἰς τύπον αὐτοῦ τῆς ἐλεημοσύνης καὶ ἱλαρότητος. ἐν ᾗ τὸ θεῖον καὶ ἱλαρὸν ἀστράπτει τῆς χάριτος φῶς. καὶ δὲ καὶ φῶτα προσφέρομεν. ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ εὐχὴ προσάγεται, καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται, οἱ χριόμενοι τῷ ἐλαίῳ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων εὑρίσκουσιν, ὡς καὶ ἡ πόρνη χρίσασα τοῖς σωτηρίοις ποσὶ, κἀκεῖθεν ἀλειψαμένη. Commiſſo peccato ad ſpirituales viros (hoc eſt qui ſunt à Confeſſionibus, ſic enim eos appellant Græci) accedimus, & pœnitentes erratorum confeſſionem facimus, quorum ſpiritualium Patrum juſſu, offerimus Deo ſanctum oleum in ſignum ipſius miſericordiæ, ac benignitatis, in qua divinum, & exhilarans reſplendet gratiæ lumen. Siquidem, & lumina offerimus. Quoniam verò, & oratio defertur, & oleum ſanctificatur, qui oleo tinguntur, remiſſionem peccatorum conſequuntur. Ut etiam illa meretrix, quæ Salvatoris pedes unxerat, indéque

seipsam quoque inunxerat. Egregiè sanè Simeon, ut sæpè solet. Quocirca Maria Magdalena juxta præsentem doctrinam Simeonis, & pœnitens fuit, & erga seipsam ministra hujus Sacramenti, quamvis & fœmina. Quippe Christus Dominus in illa unctione merè passivè se habuit. At bone vir, non illud oleum seu potiùs unguentum, sed Salvator sine Sacramentis delicta Magdalenæ condonavit. Sed scilicet ea est altitudo Theologiæ Simeonis, quæ penetrat, quæ alij Theologi perspicere minimè valent. Idem circa finem libri: τινὸς γὰρ τῶν ἀδελφῶν ἀῤῥωστίᾳ σώματος, ἢ καὶ ψυχῆς μόνον περιπεσόντος, συγκαλοῦνται παρ' αὐτοῦ τῆς ἐκκλησίας οἱ πρεσβύτεροι. Si quis enim fratrum in morbum corporis, seu duntaxat animæ inciderit; accersuntur ab eo Ecclesiæ Presbyteri, &c.

Sed quid mirum, si de pœnitentibus sanis ita sentiat Simeon, quandoquidem hoc eodem oleo vel ipsum Christum Dominum unctum fuisse his verbis docet: ὅτι δὲ ἠλείψατο καὶ ἔλαιον ὑπὲρ ἡμῶν ὁ σωτὴρ, καταμαθεῖν ἔστιν ἐκ τοῦ μύρου, δι' οὗ ἡ προσελθοῦσα ἤλειψεν αὐτὸν πόρνη. οὐχ ἡ πλησίον τοῦ πάθους Μαρία ἡ τοῦ Λαζάρου, ἥτις καὶ σεμνὴ ἦν, καὶ εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν ἦν αὐτοῦ, ὡς ἔφη, ἐκεῖνο τὸ μύρον. ὡς καὶ ἡ ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ γυνὴ, εἴπερ ἄλλη, καὶ οὐχ ἡ Μαρία ἦν. καὶ τοῦτο γὰρ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ πάθους γεγένηται, καὶ εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν αὐτοῦ, καὶ τοῦτο φησὶν, ἀλλ' ὅπερ ἡ τοῦ Λουκᾶ γεγραμμένη πόρνη προσέφερε, καὶ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεχε, καὶ ἤλειφε τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ταῖς θριξὶν ἐξέματτεν ἑαυτῆς. ὃ δὴ καὶ τῆς μετανοίας ἔλαιον ἐστὶν, εἰκότως αὐτῷ προσενεχθὲν παρὰ τῆς ἁμαρτωλοῦ, δι' οὗ καὶ αὕτη διὰ τῶν τριχῶν, ὧν ἐξέμασσεν ἠλειμμένη τὴν τῶν πολλῶν ἁμαρτημάτων ἄφεσιν εἴληφεν. Quòd Salvator in gratiã nostri hoc etiam oleo unctus fuerit, ex unguento licet planè cognoscere, quo eum inunxit, quæ ad eum accessit meretrix. Non illa quidem Maria passioni proxima, soror Lazari, quę & honesta erat; cùm & illud unguentum in sepulturam ipsius fuerit. Quemadmodum etiam in domo Simonis leprosi illa mulier, si tamen alia, & non Maria fuit; nam istud quoque tempore Passionis factum est, & in sepulturam item ipsius inquit, fuisse exhibitum. Sed quod meretrix attulit, quam describit Lucas. Quæ etiam lachrymis irrigabat, & pedes ejus ungebat, & capillis suis abstergebat. Quod sanè pœnitentiæ oleum est. Meritò ipsi à peccatrice oblatum, quo & ipsa per capillos, quibus abstergebat, uncta, multorum peccatorum remissionem obtinuit. Hactenus Simeonis verba recensuimus.

Profectò nimis violenta, extorta, puerilis, atque inaudita interpretatio. Præterquam quod μύρον, unguentum non est materia hujus Sacramenti, sed simplex oleum. Si tamen dixisset Simeon, voluisse Dominum, cùm esset proximus morti, illam unctionem in se admittere, ut hoc Sacramentum adumbraret, quod instituturus; erat profectò à vero non aberrasset. Quippe istud alij quoque pij viri, & Doctores fassi sunt. Quæ fortassis ratio est, cur etiam Pontifices feria quinta sacratissimæ Hebdomadæ, hoc est, tempore Passioni proximo, cùm unguentum consecrent, tum istud oleum benedicant.

Job Monachus ejusdem videtur esse sententiæ, cujus est & Simeon, sic enim tradit: χρόνος δὲ καθ' ὃν χρεὼν (δέχεσθαι τὸ εὐχέλαιον) σύμπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος μετὰ τὴν ἁμαρτίαν μέχρις ἐσχάτης ἀναπνοῆς. δέον μὲν οὖν εὐθὺς μετὰ τὸ πλημμελῆσαι. διὰ δὲ τὴν ἀνθρωπίνην εἰς τὰ πολλὰ λήθην, καὶ ἄγνοιαν, καὶ αἰσχύνην, καὶ ἀμέλειαν, καὶ ὅλως δι' ὅσα πάθη ἀνθρώπινα, καὶ μετὰ τελευταίας ὥρας ἐνδιδόμενον. Tempus autem quo oporteat suscipere Euchelæon, tota est mortalium vita post peccatum ad extremum usque spiritum. Cumque opus sit statim post errata illud sumere; plerumque tamen ob humanam oblivionem & ignorantiam, verecundiam item, & negligentiam; atque omnino propter quascunque alias humanas passiones, etiam post ultimas horas exhibetur.

Hieremias Patriarcha Constantinop. in cap. 7. suæ censuræ, dicit quædam Sacramenta convenire omnibus, veluti Baptismum, Confirmationem, Communionem item sacram. Nonnulla quibusdam aliis, puta consecratis, sacrum Ordinem, laïcis

laïcis nuptias. Deinde infert : καὶ τοῖς μετὰ τὸ βάπτισμα ἁμαρτήσασι (χρῖσμα) ἡ μετάνοια καὶ ἡ τοῦ ἡγιασμένου χρῖσις ἐλαίου. Illis verò qui post baptisma peccaverunt, pœnitentia consecratique olei unctio conducunt. Nota contra modum loquendi Hieremiæ, pœnitentiam post baptismum peccantibus non solùm esse utilem, sed omnino necessariam.

Si quis autem ab eo quæreret, cur lapsis post pœnitentiam oleum sanctum adhibeatur ? Responderet, propter reliquias peccatorum, si quæ sint, quæ non fuerint per pœnitentiam expiatæ. Hæc enim verba cum superioribus connexit : ἅ τινα (μυστήρια) ἢ ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων χαρίζεται, ἢ τοὺς ἐγκειμένους τῇ ψυχῇ σπίλους ἀποκαθαίρει. Quæ Sacramenta aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.

Sed non valet responsum in benevalentibus, qui reliquias peccatorum eodem Sacramento Pœnitentiæ sæpius iterato delere possunt: vel per alia Sacramenta, quæ post pœnitentiam administrantur. Favet multùm nominatis auctoribus auctoritas Euchologij, in quo non tantùm ægrotus, sed etiam sanus, qui sit ungendus introducitur. Favet item præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget non in aliquo angulo Græciæ, sed ubique passim: quam eandem retinet hac nostra ætate tota Russia, universaque Moschovia.

Joannes Nathanaël in illa Epistola supra citata hunc Græcorum usum omnino improbat. Sic enim scribit : μυστήριον γοῦν ἕβδομον ἐστὶ τοῦτο καὶ λέγεται, ὥσπερ εἴρηται. κἂν καί τινες τῶν ψευδαββάδων καὶ ἀγραμμάτων γραικῶν ἀνοηταίνοντες δι' αἰσχροκέρδειαν συνεχῶς τοῖς ἁμαρτάνουσι διὰ κανόνα, καὶ δίκην ἁγιασμοῦ, ὡς μετανοουμένοις χορηγοῦσι. Mysterium itaque hoc & est, & appellatur septimum, ut dictum est. Quamvis nonnulli ex pseudabbatibus, & illiteratis Græcorum insanientes turpis lucri causa, peccantibus, si resipuerint, frequenter loco mulctæ, & instar rei, quæ illos sanctificet, istud præbeant.

Quare diceret Nathanaël, non usum, sed abusum esse Græcorum, & corruptam consuetudinem. Hoc idem respondit olim mihi Philadelphiensis reprehendens suos Presbyteros. Cùm autem ego instarem, non solùm passim Presbyteros, sed etiam ipsosmet antistites Patriarchas, Metropolitas, Archiepiscopos, & Episcopos semel in anno hoc oleum benedicere, & astantem, ac circumfusum populum solitos esse ungere. Respondit, id eos recta ratione facere, tempus hujus Sacramenti prævertentes, διὰ τὸ ἄωρον τοῦ θανάτου, ob immaturam mortem. Qua ratione possent se excusare Græcorum presbyteri. Sed commentitia, planeque futilis est responsio, quæ tamen responsio est Job Monachi, qui cùm priùs dixisset : πρὸς τοὺς ἐσχάτους ἀναπνοὰς ἡμῖν ὀφείλεσθαι τὸ εὐχέλαιον, Nobis deberi Euchelæon, cùm extremum spiritum agimus; & potuisset aliquis quærere, cur ergo sanis exhibetur ? huic tacitè objectioni respondens ait : εἰ καὶ πολλάκις ἡμῖν τελεῖσθαι τοῦτο (τὸ εὐχέλαιον) διὰ τὸ τοῦ θανάτου ἄωρον, καὶ ὡς τὰ πολλὰ αἰφνίδιον καὶ ἀπροσδόκητον συγκεχώρηται. Quamvis ob immaturam, ac plerumque subitaneam, & inexpectatam mortem, sæpe hoc (Euchelæun) fieri nobis concessum sit.

Sed Job more suo sibi non constat. Dicit enim alibi debere iterari sæpè quàm primùm peccata commissa fuerint. Igitur nihil refert, τὸ ἄωρον τοῦ θανάτου. Et ejus sententia, quæ confundit Sacramentum pœnitentiæ cum extrema Unctione in I. de Baptismate, & lib. de Confirmatione meritò à nobis explosa est.

Ego præsentem morem Græcorum, qui pœnitentes quamvis benevalentes in omnibus iis corporis partibus adhibita quoque forma Sacramenti non aliter, atque infirmos inungunt, nulla ratione probare possum, & si sordidi quæstus gratia id faciunt, ut testatur Nathanaël, eò magis detestandus est. Cùm enim subjectum non sit aptum ad recipiendum Sacramentum (quando, neque graviter quis infirmatur, & ad mortem, ut requirit Apostolus, & exponunt sacri Doctores) frustra, te-

mereque, ac non sine sacrilegio illud Græci administrant. Non secus ac si aliquis eum baptizaret, qui nollet baptismum suscipere, proinde non esset idoneus ad recipiendum sacrum lavacrum. Vel etiam ut hi, qui corpora mortuorum baptizabant, quos valde reprehendunt sancti Patres, propterea quòd nullus effectus Sacramenti sequeretur. Græci verò, qui alios novitatis accusant, & in eos aliquando insolentius insultant, respondeant ipsi à quod istud acceperint, ut contra doctrinam Apostolicam sanos ungere debeant? Ad hæc, multos inungunt feria quinta sanctioris hebdomadæ, qui non sunt expiati Sacramento pœnitentiæ. Non solùm igitur errant, quia subjectum minùs aptum inungunt, sed etiam quia ante Sacramentum pœnitentiæ inungunt, cùm Extrema-Unctio detur extremè laborantibus per modum medicinæ, medicamenta verò non mortuis, sed vivis dantur, proinde hoc mysterium non debeat antecedere cætera Sacramenta; præsertim auricularem confessionem, quam vocant exomologesin. Est itaque merus abusus omnino reprobandus, & abrogandus.

Unde tamen initium sumpserit videndum est. Puto ex eo quod extra Sacramentum oleum hoc aliquando collatum fuerit; ut propterea etiam non multum Græci curarint, si nonnulli nondum confessi illud susceperint.

At si ita est, Cur ergo, dicet aliquis, dum ungunt sanos, eas omnes cerimonias adhibent, quæ nonnisi in ægrotos quadrare videntur? hoc est, benedicunt oleum, in cujus benedictione sanitas corporis commemoratur, & una cum benedictione totum ritum Extremæ-Unctionis connectunt.

Ita profectò est, quod ego nulla ratione laudare possum, ut anteà dixi, & assentior Nathanaëli, qui censet abusum esse. Non enim propter benevalentes hoc oleũ benedici, atque consumi debet. Sed si propter infirmos consecraretur, & deinde sanos quoque ungerent, non per modum Sacramenti, non improbarem. Puto tamen ob eam causam hæc permisceri, atque confundi ab imperitis, eò quod non asservetur oleum.

Cæterùm ut hoc totum melius explicetur, præstat paulò altiùs rem repetere. Ego quantum conjectura ex præsenti statu Orientalis Ecclesiæ assequi possum; existimo antiquitus Episcopos, eosque solos benedixisse oleum, quod vocamus Extremæ-Unctionis. Cujus olei finis proprius, primarius, & præcipuus erat, ut exhiberetur valde graviter decumbentibus. Et quia fortassis viderant homines hoc oleum in Sacramento mira efficere; cœperunt etiam eo uti extra Sacramentum, ut rectè conjicit Bellarminus, de Extrema-Unctione libro 1. capite 6. respondens ad quintum argumentum Kemnitij. Alioquin unde ortum habuisset Græcorum consuetudo? Quapropter huic unctioni assignarunt alterum finem minùs principalem & secundarium, videlicet, ut oleo consecrato ab Episcopo extra Sacramentum ungerentur pœnitentes, quamvis bene valentes, & qui lethali morbo minus decumberent.

Hoc oleum deinde ad istos duplices fines distribuebatur presbyteris, & per totum annum asseruabatur. Quàm primùm autem data est facultas presbyteris, posse illud conficere, desiit asservari. Nihilominus tamen Episcopi quadam ex parte jure suo retinentes morem antiquum, etiamnum semel in anno feria quinta sacratissimæ hebdomadis benedicunt oleum infirmorum, & peracta benedictione circumstantes inungunt. Sed frustra jam consecrare videntur, si non amplius asseruatur propter extremè laborantes, quibus de jure convenit. Ex altera verò parte presbyteri obtenta jam facultate oleum infirmorum consecrandi, hæc duo munia permiscuerunt, quemadmodum & Episcopi; & dum aliquando sanos ungere volunt, cùm non asseruent oleum, non secus atque ipsi Episcopi totam ceremoniam peragunt ad eum modum, quo ægrotos ungere solent. Unde negari non potest, quin ex hujusmodi concessione ἀταξία quædam, & qui-

dem maxima orta sit, & modò rubricæ Euchologij planè sunt corrigendæ.

Dices, unde probabiliter colligis talem usum extitisse, atque ita factum esse?

Respondeo, à posteriori, quia videlicet videmus Episcopos benedicere oleum, quod prorsus pertinet ad infirmos. Tam enim in ipsa benedictione, quàm in consequentibus orationibus, & toto apparatu hujus sacramenti sanitas corporis, & ægritudo indicatur, & exprimitur. Quare autem non asseruetur oleum, & non sit usui extremè laborantibus, ægrè admodum ratio reddi potest, nisi quia postea commissum est presbyteris, qui ubique præstò sunt, & illud conficere queunt; alioquin asservaretur.

Nec mirum si deficiente doctrina, & perdita sapientia talis permixtio facta sit apud Græcos. Nam apud Ruthenos, qui sunt paulò crassiores ipsis Græcis, hoc idem oleum ab Episcopo consecratum ante paucos annos adhibebatur ad confirmandos infantes loco Chrismatis. Neque possumus dicere fuisse divinum unguentum, cùm & simplex oleum fuerit, & iisdem prorsus cerimoniis, & precationibus illud quoque presbyteri consecrarent. Quibus tamen Chrisma confirmationis conficere, nefas est. Unde Rutheni forsan ex hoc à nonnullis auctoribus Chrismatis inficiatores existimati sunt: sed hunc abusum, Deo juvante, sustulimus, cùm à sede Apostolica in eas regiones missi essemus.

Quamobrem si rectè administratio hujus olei fieri debet, vel omnino tale oleum pœnitentibus, si bene valeant, non est conferendum, vel ita conferendum, ut prorsus intelligant extra Sacramentum conferri; & hoc est quod Innocentius Quartus in suis libris toties citatis ad Legatum sedis Apostolicæ Episcopum Tusculanum in Regno Cypri monet faciendum, cùm ita scribit. Nullis autem per sacerdotes, vel confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo inungatur. Ubi notandum verbum, solummodo. Quod ut commodè fieri possit, vel oleum dum benedicitur, & eo aliquis ægrotus ungitur, non debet totum consumi, sed asservandum est ad ungendos benevalentes extra illud tempus; quando nimirum opus fuerit, & ipsi hoc postulaverint, idque sine illis precationibus, quæ extant in Euchologio, potissimùm verò sine forma Sacramenti, & absque eo quod tot partes corporis ungant. Vel saltem quando jam presbyteri administrant illud decumbentibus, antequam totum consumant, eo tantum tempore modo prædicto sanos ungant. At verò non urgente necessitate infirmitatis, quòd presbyter propter sanum pœnitentem dumtaxat illud oleum benedicere, & per modum Sacramenti conferre debeat, nulla ratione probandum est. Totus enim ille ritus consecrationis, & collationis, ut antea non semel dixi, peculiari quadam ratione ad Sacramentum pertinet; cùm in eo toties sanitas corporis inculcetur, quæ impetretur, & ægritudo, quæ propulsetur.

Episcopi quoque illam solemnem benedictionem hujus olei, quam agunt intra dies sacratissimos hebdomadis ante Pascha, vel penitus omittere debent, si tantùm sanos tingere intendant; hac enim ratione frustratur hòc oleum suo fine. Non enim propter sanos propriè à Christo Domino institutum est: vel si eam jure suo retinere, ac præsentes non per modum Sacramenti ungere volunt, mandent presbyteris, necesse est, ut postquam ipsi benedixerint partem illius pro infirmis servent, ad quos intentionem primariò, ac potissimum, dum consecrarent, direxerant. Ut meritò suum finem, propter quem potissimum institutum est, istud oleum sortiatur.

Cæterùm unum nobis superest probandum, nimirum; An extra Sacramentum hoc oleum infirmorum re ipsa aliquando collatum fuerit; idque auctoritate alicujus, & exemplo probari possit. Videtur enim hoc à nobis excogitatum voluntariè, gratisque fuisse dictum. Impertitum igitur fuisse aliquando non per modum Sacramenti, posset probari ex eo quod refert

Tertullianus in libro ad Scapulam de quodam Proculo Christiano, qui eo nomine Imperatori alioquin gentili fuit carissimus, quod ipsum gravi morbo conflictantem oleo sanasset. Ergo extra Sacramentum, cùm non esset is presbyter, nec ille Christianus. Item probatur ex Innocentio primo Epistola prima ad Decentium cap. 8. ubi ait, oleo sancto ab Episcopo benedicto posse uti non solùm sacerdotes, sed etiam omnes Christianos in suis, ac suorum necessitatibus. Ex quibus verbis colligimus
» in quacunque necessitate adhiberi posse,
» non solum in desperata sanitatis salute.
» Tunc enim esset Sacramentum, & laïcus non posset uti; cùm nullum sit sacramentum, quod non requirat essentialiter ministrum sacerdotem: exceptis Baptismo ob summam ejus necessitatem, & matrimonio quod in contractu mutuo nubentium consistit. Cùm ergo laïcus uti possit, intelligitur de usu olei sancti extra Sacramentũ in quacunque necessitate ad curandos quoscumque morbos; ut optimè explicat Dominicus Soto in 4. d. 23. qu. 7. art. 1. Et confirmari potest ex ordine Romano de divinis officiis, ubi recensetur hujus olei consecratio his verbis. Tunc offeratur
» Pontifici oleum de ampullis, quas offe-
» runt populi ad ungendos tam infirmos,
» quam energumenos. Et in ultimo ante-
» quam dicatur (per quem omnia Domine
» semper bona creas) exorcizet, & benedicat
» illud tam ipse, quàm omnes presbyteri,
» qui adsunt, ut tantùm possit à circumstan-
» tibus audiri. Ex quo habemus oleum infirmorum populis usitatum fuisse ad ungendos infirmos, & energumenos, videlicet non per modum Sacramenti.

Et licet Jansenius in cap. 6. Marci aliter interpretetur Innocentium, ejusque opinio sit valde probabilis, scilicet Innocentium loqui passivè, non activè, quòd omnibus liceat uti hoc est recipere tale oleum in suis, suorumque necessitatibus vocando sacerdotes; tamen cùm multi sancti, & sanctæ usi fuerint activè hujusmodi oleo infirmorum, non video, cur non aptiùs de administrantibus, quàm solis suscipientibus intelligatur Innocentius.

In vita sanctæ Genovefæ Virginis apud Surium Tom. 1. tertio Januarij, Dæmonia- «
cus quidam impetrandæ sanitatis causa ad «
sanctam Genovefam à parentibus cum «
multo gemitu, & lachrymis perductus est; «
tum illa ampullam sibi afferri jussit, in qua «
sacratum oleum asservare solebat. Acci- «
dit autem, ut nihil ejus olei eo tempore «
ampulla haberet. Nec Episcopus aderat, «
qui oleum consecraret. Subdit deinde, «
oratione impetrasse, ut ampulla oleo im- «
pleretur, cujus unctione dæmoniacum «
emundavit. «

Ex quo loco duo constant. Primum, Unctionem hujusmodi non fuisse Sacramentalem, tum ex defectu ministri qui debet esse sacerdos, tum suscipientis, qui debet esse infirmus. Alterum, oleum, quo volebat uti sancta Genovefa fuisse extremæ Unctionis, cùm debuerit sacrari ab Episcopo.

In vita sancti Eutychij Patriarchæ Constantinopolitani apud Sur. To. 1. 6. Apri-
lis. Oleo sancto unxit manum à Dæmo- «
ne inflammatam tribus diebus. Cæco vi- «
sum restituit, absoluta precatione unxit «
eum tribus diebus. Ibidem, solita preca- «
tione adhibita precioso oleo laborantem «
oculum inunxit, & infra: hydropicum cùm «
ille precatus esset, & oleo sancto unxisset, «
dimisit.

In vita sancti Vdalrici Episcopi Augustani apud Sur. tom. 4. quarto Julij. Per
oleum ab eo in cœna Domini consecratum «
variis languoribus detenti pristinæ restitu- «
ti sunt sanitati. Nec non & oculorum cali- «
gine obtenebrati hujus sancti olei unctione «
merebantur illuminari. «

In vita sancti Gothardi Episcopi apud Sur. tom. 7. quarto Maij. Mulier gravissi- «
mis oculorum doloribus cruciata sanatur «
admotis floribus à sancto Gothardo bene- «
dictis, mox sequitur. Jussit etiam presbyte- «
ro, ut sacro oleo, quod infirmorum dici- «
tur, ejus ungeret oculos: quæ quidem un- «
ctio, & sancti viri preces ab illo dolore us- »
que ad vitæ finem, eam immunem conser- »
varunt. «

Quamvis autem in plerisque hujusmodi exemplis languores, & morbi commemorentur, atque infirmi uncti fuerint, non bene valentes: revera tamen Sacramentum unctionis, nisi periculose decumbentibus aliis non datur; ut inde appareat, ut etiam satis constat ex contextu orationis historicorum, istud oleum ipsis recensitis morbo quidem affectis, sed non ad mortem, extra Sacramentum collatum fuisse. Quocirca neque nulla mentio fit de primario effectu Sacramenti, videlicet peccatorum remissione. Neque ungebant septem corporis partes, ut mos est, sed dumtaxat locum morbo affectum, vel simpliciter frontem, neque recitabant formam Sacramenti.

Itaque ex his, aliisque hujusmodi exemplis, satis ostenditur, consuetudinem Græcorum si ita fieret, non esse adeo improbandam. Dato etiam quòd aliter intelligatur Epistola Innocentij, hæc tamen testimonia satis clarè probant, morem Ecclesiæ Orientalis in hoc sensu esse vetustissimum, quòd scilicet utatur oleo extremæ-Unctionis extra Sacramentum ad eum modum, quo etiam utebantur nonnulli Latini in sanandis infirmis, & Energumenis, & etiamnum utuntur Græci divino unguento Chrismatis, dum reconciliant à fide Christi transfugas, denuo ad Ecclesiam Christi redeuntes, ut in Sacramento Confirmationis non sine probabilitate ostensum est.

Ne autem per modum Sacramenti sanos ungere Græci videantur, præter illa quæ diximus omittenda esse, nonnulla etiam verba ex rubricis Euchologij omnino sunt expungenda, ut illa: εἰσέρχεται μέσον τῶν ἱερέων ὁ ποιῶν τὸ εὐχέλαιον, qui faciendum curat Euchelæon in medio sacerdotum se constituit. Non quasi æger, sed sanus. Cùm alioquin curare, ut fiat Euchelæon, non bene valentis, sed decumbentis sit, ad quem primario pertinet. Et in fine: καὶ βάλλει μετάνοιαν ὁ ποιήσας τὸ εὐχέλαιον, λέγων, εὐλογεῖτε πατέρες ἅγιοι, συγχωρήσατέ μοι τῷ ἁμαρτωλῷ· τρίς. καὶ λαβὼν παρ' αὐτῶν εὐλογίαν καὶ συγχώρησιν, ἀπέρχεται εὐχαριστῶν τῷ θεῷ. Qui peragendum curat Euchelæon βάλλει μετάνοιαν, (phrasis Ecclesiastica est, quæ idem valet, quod caput inclinat, vel etiam fronte terram percutit) dicens, benedicite sancti patres, concedite mihi veniam peccatori, idque ter repetit, acceptaque ab ipsis benedictione, ac venia, gratias agens Deo discedit. Hæc à posterioribus Græcis inserta fuisse non dubito, & malè ipsi hoc modo administrant recitando formam, & cætera benevalentibus.

At quæret aliquis, unde emanavit iste mos ungendi in aliquo membro læsos, infirmosque cum periculo vitæ minimè decumbentes; & etiam sanos citra Sacramentum? Et si non exhibetur ut Sacramentum, quam hujus exhibitionis assignabimus causam?

Respondeo, in primis, quod etiam antea insinuavi, mihi vehementer placere conjecturam Illustrissimi Bellarmini, qui putat ex eo quod in Sacramento extremæ Unctionis per sacram unctionem accidebat, ut ægri sæpè convalescerent; inde ortum habuisse hanc cerimoniam & cæpisse quosdam viros sanctos uti oleo extra Sacramentum. Quod etiam probat exemplo aquæ benedictæ, allato Augustini testimonio. Quia enim in Baptismo aliquando curabantur homines ab ægritudine corporali, inde cœperunt multi etiam extra Baptismum uti aqua benedicta ad curandos morbos. Cujus rei extant apud Ecclesiasticos historicos permulta exempla. Idem dici posse videtur de Chrismate. Aqua verò benedicta etiam sani modò utuntur.

Certè non abs re videtur hoc fecisse antiquitas, tam enim in benedictione aquæ, quàm in consecratione olei Græci non semel precantur à Deo tantam gratiam his elementis, ut varios morbos, animique passiones eorum sanandi vim habeant, qui iis uti voluerint.

In eo tamen differt nostra opinio à sententia Illustrissimi Bellarmini, quòd ipse existimat oleum extra Sacramentum, non fuisse ab Episcopo benedictum. Proinde neque fuisse oleum, & materiam hujus Sacramenti.

Addo etiam exhiberi in consolationem fidelium, & ad majorem gignendam in animis pœnitentium fiduciam, & contritionem ob mira, & ingentia, quæ efficere & operari solet. Præsertim cùm & oleum divinæ misericordiæ typum repræsentet. Et in Sacramento quidem peccata remittat; extra verò Sacramentum aliquid posse agere videatur.

Hoc tamen non inficior, quin frequentiùs usi fuerint multi Sanctorum oleo simplici benedictione consecrato. Item oleo miraculoso, quod è sanctissima Cruce, & veneranda Imagine inclytæ Uirginis, seu corporibus Sanctorum scaturire solet. Unde, & hujusmodi sancti à Græcis vocantur μυροβλύται, unguentum scaturientes, quales sunt Andreas Apostolus, Nicolaus re ipsa, & nomine Myrensis, Theodorus Stratilates, & alij, ex quorum corporibus veluti perennibus fontibus in hodiernam usque diem suavissimus liquor emanat. Nostri verò Græciæ Monachi etiam hoc nostro sæculo in Monasteriis cùm insigniores Divorum Natales, & Salvatoris, ac Deiparæ Virginis festivitates celebrantur, peractis divinis laudibus matutinis, solent se ungere oleo lampadis, quæ in honorem Sanctorum illius celebritatis accenditur.

Itaque quasi triplex, seu potiùs quadruplex unctio fuit, atque etiamnum apud Græcos viget, & floret. Olei in Sacramento, ejusdem olei extra Sacramentum, & olei simpliciter signo crucis benedicti in lampade existentis, postremo alterius miraculosi.

Neque hoc mirum alicui videri debet, si unum, & idem oleum hoc est apud Latinos ab Episcopo, apud Græcos etiam à presbytero extraordinariè consecratum; modò vices materiæ Sacramenti gerat, modò citra Sacramentum administretur. Nam una eademque res diversos potest habere respectus. Sic verba consecrationis Dominici corporis, & sanguinis alia, aliave ratione ab Evangelistis, atque à presbyteris recitantur. Hi enim, ut pote, qui personam Christi Domini sustinent τελεστικῶς, ut ita dixerim, hoc est effectivè, & consecrativè: Illi verò quippe historici διηγηματικῶς, narrativè proferunt, quod sanè fit deficientibus reliquis circunstantiis.

Et hæc quidem satis dicta sint de materia, ministro, atque usu hujus Sacramenti. In re tamen gravissima, si quid dictum est à me, quod à vero sit alienum, me approbante, ac veritatis cupido, à vera sponsa Christi, quæ vocem sponsi audit, Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, cujus est verum à falso discernere, corrigatur: quod idem in aliis quoque meis lucubrationibus intelligi volo.

De forma hujus Sacramenti.

Caput V.

Forma Extremæ Unctionis est deprecatoria, ut etiam apud Latinos, & Latinæ quoad sensum respondet. Eam complectitur subsequens deprecatio: πάτερ ἅγιε ἰατρὲ τῶν ψυχῶν καὶ σωμάτων, ὁ πέμψας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πᾶσαν νόσον ἰώμενον, καὶ ἐκ τοῦ θανάτου λυτρούμενον, ἴασαι καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας. καὶ ζωοποίησον αὐτὸν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου. τῇ δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, προστασίαις τῶν τιμίων ἐπουρανίων θείων δυνάμεων ἀσωμάτων, τοῦ τιμίου ἐνδόξου προφήτου προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου, τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ καλλινίκων μαρτύρων, τῶν ὁσίων καὶ θεοφόρων πατέρων ἡμῶν, τῶν ἁγίων καὶ ἰαματικῶν ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ, Κύρου καὶ Ἰωάννου, Παντελεήμονος καὶ Ἑρμολάου, Σαμψὼν καὶ Διομήδους, Φωτίου καὶ Ἀνικήτου, τῶν ἁγίων καὶ δικαίων θεοπατόρων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης, καὶ πάντων τῶν ἁγίων. ὅτι σὺ εἶ ἡ πηγὴ τῶν ἰαμάτων ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. "Pater sancte, Medice animorum, & corporum, qui misisti unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum sanantem, & à morte liberantem,

ſana quoque hunc ſervum tuum à corporali, ſpiritualique infirmitate, qua continetur, & vivifica eum per gratiam Chriſti tui, potentia precioſæ, & vivificæ Crucis, precibus ſanctiſſimæ Dominæ Noſtrę Deiparæ Mariæ ſemper Virginis, patrociniis honorabilium incorporearum cœleſtium divinarum virtutum, honorandi glorioſi prophetæ, præcurſoris, & Baptiſtæ Joannis, ſanctorum clarorum, ac celebratiſſimorum Apoſtolorum, ſanctorum glorioſorum, ac egregiorum victorum Martyrum, ſanctorum, ac Deiferorum Patrum noſtrorum, ſanctorum ſanandi vim habentium, ac mercedem pro ſanitate collata non acceptantium Coſmæ & Damiani, Cyri, atque Joannis, Panteleemonis, ac Hermolai, Sampſonis, ac Diomedis, Photij, & Aniceti, ſanctorum, atque juſtorum Deigenitorum Joachimi & Annæ, omniumque Sanctorum. Quoniam tu Deus noſter es fons curationum, tibique gloriam offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

In hac precatione fit mentio generatim quidem plurimorum Sanctorum, nominatim verò quorundam, qui in medicina excelluerunt, qui tamen ſine dubio longè poſtea extiterunt, quàm vel fuerit inſtitutum, vel adminiſtrari cœptum hoc Sacramentum. Itaque veriſimile eſt à poſterioribus Græcis ſanctorum nomina formæ Sacramenti accommodata fuiſſe, ut illis intercedentibus faciliùs impetrarent ægroto ſanitatem.

In vetuſtiſſimo exemplari manu-ſcripto, hæc oratio ſine commemoratione Sanctorum longè brevior ſic habetur. πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ ψυχῶν καὶ σωμάτων, ὁ πέμψας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πᾶσαν νόσον ἰώμενον, καὶ ἐκ θανάτου λυτρούμενον, ἴασαι καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς συνεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου. καὶ ζωοποίησον αὐτὸν κατὰ τὸ σοὶ εὐάρεστον, τὴν ὀφειλομένην σοι εὐχαριστίαν ἐν ἀγαθοεργίᾳ ἀποπληροῦντα. ὅτι σὸν τὸ κράτος, καὶ σοῦ ἐστιν, &c. Pater ſancte, medice animorum, & corporum, qui miſiſti unigenitum filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, omnem morbum ſanantem, & à morte liberantem, ſana quoque hunc ſervum tuum à morbo corporis, & animi, quo detinetur, per gratiam Chriſti tui, & ſecundum beneplacitum tuum vivifica eum, qui ſtudio bonorum operum debitas gratias tibi referat. Quoniam tuum eſt imperium &c.

In hac oratione illa tantùm verba exiſtimo eſſe de eſſentia Sacramenti: πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων ἴασαι τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας. Pater ſancte, medice animorum, & corporum, ſana hunc ſervum tuum à morbo corporis, & animæ, quo detinetur. Similia verba extant in liturgiis Baſilij magni, & Chryſoſtomi, ubi ſic precantur: τοῖς πλέουσι σύμπλευσον, τοῖς ὁδοιποροῦσι συνόδευσον, τοὺς νοσοῦντας ἴασαι ὁ ἰατρὸς τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων. Navigantibus connaviges, iter facientibus una ſis comes, ægrotantes ſana, tu, qui es medicus animorum, & corporum.

Dum addunt (ſancte) contrahunt nomen Patris, atque indicant de quo patre loquantur, quod etiam magis explicant per ſubſequentia verba, Medice animorum, & corporum. Quæ nemini convenire poſſunt, præterquam ipſi Deo. Quæ tamen, ſi deeſſent, virtute in precatione continerentur, & eſſet idem ſenſus. Unde apparet non eſſe requirendam in hac forma mathematicorum ἀκριβολογίαν, quaſi ſine iſtis verbis Sacramenti forma conſtare non poſſit. Addunt tamen aptiſſimè illa verba, medice animorum, & corporum, ut indicent, hoc Sacramentum ad ægrotum applicari, medicinæ inſtar cujuſdam ſpiritualis. Nam & oleum, quod eſt materia hujus Sacramenti, aptiſſimum eſt ad leniendos, & ſanandos quoſdam morbos.

Præterea, ſi relicta voce, ſancte, per illa ſola verba, medice animorum, & corporum, nomen patris determinatum fuiſſet, rectè forma Sacramenti conſtitiſſet. Uel etiam dicendum eſt ſolam voculam patris ſufficere potuiſſe, tunc enim καθ' ἐξοχὴν, intelligeretur is, à quo omnis paternitas. Ad extremum, ſecluſis quoque vocabulis, Pater, & ſancte. Illa, medice animorum,

& corporum, vicem illorum ſupplere poſſent. Reliqua verba quæ ſequuntur: (ἴασαι δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς σωματικῆς καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας. Sana ſervum tuum à corporis & animi ægritudine,) exprimunt duplicem effectum hujus Sacramenti. Et quoniam ſanitas corporis non ſemper conſequitur, idcirco neque illa verba ἐκ τῆς σωματικῆς, neceſſariò requiruntur.

Nec deſunt in aliis precationibus verba, quæ formam ipſam egregiè poſſent exprimere: ſed cum ea non in ipſa unctione, verùm longè antea proferantur, non videntur loco formæ inſervire poſſe.

Unde nimis obſcurè, atque imperfectè de forma hujus Sacramenti Philadelphienſis loquitur, dum ait: τὸ εἶδος ἐστι τὰ ἐπὶ τοῖς νοσοῦντας ῥήματα, τὰ παρὰ τῶν ἱερέων ἐπαδόμενα, δύναμιν ἔχοντα τοῦ ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, καὶ τὰς νόσους θεραπεύειν τῶν πιστῶς τοῦτο λαμβανόντων. Forma ſint verba, quæ à ſacerdotibus ſuper ægrotos enunciantur; quę quidem vim habent dimittendi peccata, ſanandique morbos eorum, qui Sacramentum certa fide ſuſcipiunt.

Nam cùm multa verba in precationibus contenta, immò ipſaſmet integras, ſatiſque prolixas orationes ſuper infirmum preſbyteri proferant; ſi omnia eſſe formam Philadelphienſis contenderit, ut ſentire videtur, & ejus verba ſonant, longè fallitur, & nimis longa foret formæ deſcriptio, valdeque dubia; quippe poſſemus quærere, utrum omnia ſint de eſſentia, & uno quopiam verbo adempto, irritum, ac nullum fiat myſterium? quod haud veriſimile videtur. Sin omnia eſſe negaverit; quæ igitur potiſſimum formam conſtituant, indicare debuiſſet; præſertim in tanta copia precum.

S. Bonaventura in 4. d. 23. qu. 4. refert formam Ambroſianam hujus Sacramenti his verbis. Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; ut more militis uncti, præparatus ad certamen, aëreas poſſis ſuperare poteſtates.

Hanc Paludanus, Ricardus, & Gabriel poſt S. Bonaventuram dicunt Mediolani uſu receptam fuiſſe.

Similem formam refert ibi Palacius ex libro Sacramentali Uenetorum, approbato, ut ibi dicitur, à Leone Decimo. Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus, fortiter ſtare valeas adverſus varias catervas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et in codice antiquo Halitgarij, qui vixit circa annum Domini 820. talis reperitur forma (ut eſt videre Herbipoli in bibliotheca Patrum Societatis Jeſu, teſte Nicolao Serario) Vngo te de oleo Sanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen, aëreas poſſis ſuperare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; Ut non lateat hic ſpiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, ſed operetur in eum virtus Chriſti filij Dei altiſſimi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Albertus Magnus in 4. d. 23. a. 1. qu. 2. recenſet formam mixtam modi indicativi & deprecativi.

Hanc diverſitatem formarum libenter recenſeo, ne ſimus faciles ad damnandum cæteras formas aliarum Eccleſiarũ. Quippe unius, ejuſdemque Sacramenti variæ formæ eſſe poſſunt, modò eæ verbis tantùm differant, re ipſa conveniant.

In forma Græcorum ſunt qui neceſſariò requirant, ut actus unctionis, tanquam res ad eſſentiam ſpectans, exprimeretur, ut exprimitur apud Latinos, veluti ſi diceretur, ἴασαι διὰ τῆς χρίσεως ταύτης, ſana per iſtam unctionem. Profectò clariùs, & ſatiùs eſſet, quippe forma Græcorum magis Latinæ conſonaret. Uerùm mihi non videtur ſimpliciter neceſſarium.

Argumenta è Scholaſticis deprompta, quæ illi objiciunt, hæc ſunt.

Primum, quia formæ Sacramentorum ſemper debent exprimere actionem, ſeu efficaciam miniſtri, ut notat Suarius tom. 4. de extrema Unctione diſput. 9. ſect. 3. n. 12.

Cùm enim duplex ſit materia, remota videlicet, ut aqua, unguentum, oleum, & ſimilia, & proxima, qualis eſt ipſa actio miniſtri, ex qua conſtat Sacramentum, quod

quod habet esse in fieri: remota quidem si exprimatur, rectè sanè, quamvis non sit necessarium eo ipso quod remota sit; at proxima omnino exprimi debet.

Et quoniam in Confirmatione per verbum confirmo, seu signo, non satis explicatur materia proxima seu actio ministri, quæ fit per modum unctionis; idcirco, ait Suarius, peculiaris est ratio, cur addatur formæ materia remota, videlicet nomen Chrismatis. Quod non fit in aliis Sacramentis.

Quare si quis probaret, non necessariò exprimendum esse Chrisma, tota ratio Suarij rueret. Hac enim ratione, non exprimeretur materia proxima & propria illius Sacramenti, cùm verbum signare, significet actionem quandam generalem, quæ possit fieri sine unctione & Chrismate.

Secundum argumentum est fere simile. 1. Quia Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, quæ habent suum esse non in aliquo communi naturali, ut matrimonium, nec habent suscipientes ministros, ut in eodem; neque sunt Sacramenta permanentia, ut Eucharistia, sed in actione tantùm transeunte consistunt, & minister est sacerdos, non suscipiens: non essent valida, nisi verbis formæ actiones ministri exprimerentur. Ergo similiter, & extremæ Unctionis Sacramentum, quod est in fieri, & ejusdem ordinis esse videtur, non erit validum, nisi actus transiens exprimatur.

Tertium, quia omnes aliæ Ecclesiæ, quæ non deprecativa, sed indicativi modi forma utuntur, ut Ambrosiana, Veneta, & quædam aliæ, habent expressam unctionem: signum est ergo esse necessariam.

Quartum argumentum sumitur à simili. Nam ex illis verbis, baptizantes eos, Ecclesia colligit illam formam, Ego te baptizo. Et ex illis aliis, quorum remiseritis peccata, illam alteram, Ego te absolvo. Ergo pariter ex illis, ungentes eum oleo, actus unctionis exprimi debet.

Uerùm hoc argumentum potiùs probat formam Ambrosianam: nam deberet inferri, ego te ungo oleo, quamvis in idem recidit, quandoquidem exprimitur actus unctionis.

Hæc ferè sunt quæ formæ Græcorum opponuntur. Sed ea solvere non est difficile. Nam actio Ministri (quantum ex usu Ecclesiarum conjicere possumus, unde sumenda est regula philosophandi) ejusmodi conditionis est, ut vel re ipsa, & explicitè exprimatur, quod fit in plerisque Sacramentis, vel implicitè significetur. Græci verò eam exprimunt in tropariis, & orationibus antequam ungant, & ea referenda est ad ipsam formam. Unde sensus formæ est, Sana servum tuum me ungente, vel ministrante oleum unctionis, sive, quod idem est, Medice animorum, & corporum sana, ut medicus scilicet, & per medicinam: unctio autem olei instar medicamenti cujusdam spiritualis est, quare implicitè in forma significatur. Sic igitur habetur in tropariis: Χρίσει τοῦ ἐλαίου σου, καὶ ἱερέων φιλάνθρωπε ἐπαφῇ τοὺς οἰκέτας σου ἁγίασον ἄνωθεν, νοσημάτων ῥῦσαι, ψυχῆς τε τὸν ῥύπον κάθαρον, ἔκπλυνον σωτήρ. Unctione tui olei, & Sacerdotum tactu, tucs famulos sanctifica desuper, à morbis libera, sordesque animi purga & ablue, benigne Salvator. Et in prima precatione: αὐτὸς δέσποτα κύριε δὸς χάριν εἰς τὴν διακονίαν σου ταύτην, ὡς ἔδωκας Μωσεῖ τῷ θεράποντί σου, καὶ Σαμουὴλ τῷ ἐκλεκτῷ σου, καὶ Ἰωάννῃ τῷ ἠγαπημένῳ σου, καὶ πᾶσι τοῖς καθ' ἑκάστην γενεὰν καὶ γενεὰν εὐαρεστήσασί σοι. οὕτω ποίησον καὶ ἡμᾶς γενέσθαι διακόνους τῆς καινῆς σου διαθήκης ἐπὶ τὸ ἔλαιον τοῦτο. ὃ περιεποιήσω τῷ τιμίῳ σου αἵματι. ἵνα ἀποδυσάμενοι τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας ἀποθάνωμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ ζήσωμεν τῇ δικαιοσύνῃ, ἐνδυσάμενοι τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν διὰ τῆς χρίσεως τοῦ ἁγιασμοῦ τοῦ μέλλοντος ἐλαίου ἐπάγεσθαι. Tu Domine præbe gratiam ad hoc ministerium, ut præbuisti Mosi famulo tuo, & Samuëli electo tuo, & Joanni dilecto tuo, cunctisque, qui per singulas generationes tibi placuerunt. Ita effice, ut nos quoque ministri simus novi testamenti tui super hoc oleum. Quod acquisivisti tuo pretioso sanguine (hoc est, quod promeruisti tua passione) ut expoliati mundana desideria, moriamur peccato, & induti Dominum nostrum Jesum Christum per sanctificationem unctionis olei, quod exhibituri sumus, vivamus Justitiæ.

Et in secunda precatione, εἰσάκουσον ἡμῶν τῶν ἀναξίων δούλων σου, καὶ ὅπου ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου τῷ μεγάλῳ τὸ ἔλαιον τοῦτο προσάγωμεν, κατάπεμψον τὰ τῆς δωρεᾶς τὰ ἰάματα, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. καὶ ἴασαι αὐτοὺς ἐν τῷ πλήθει τοῦ
» ἐλέους σου. Exaudi nos indignos servos
» tuos, & quibus in nomine tuo magno hoc
» oleum exhibemus, ad eos mitte donatio-
» nis tuæ medicamenta, remissionemque
» peccatorum, & sana eos in multitudine
» misericordiæ tuæ. Sic ibi.

Quòd autem non semper sit necessarium actionem ministri explicitè in forma commemorare, patet ex eo quod Ecclesia Romana formam Confirmationis olim sic proferebat: consigna eos (Deus) signo crucis in vitam propitiatus æternam. Ita Episcopus habito sermone cum Deo enunciabat. Deinde ad confirmandum se vertens, tincto pollice in Chrismate, & facta cruce in frontibus singulorum aiebat, Confirmo te in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, nulla prorsus mentione facta Chrismatis, vel unctionis, immò neque crucis, cùm tamen eam minister adhibeat. Verba enim illa, consigna eos signo Crucis, non sunt pars formæ, quæ consequitur, ego te confirmo. Vide ordinem Romanum in officio Sabbati sancti, ubi describitur ritus confirmationis. Qui liber est antiquissimus, ut alibi diximus, cùm ab Alcuino, & Amalario citetur, qui floruerunt ante annos 800.

Sed quod majoris ponderis est, Patres Concilij Primi Constantinopolitani can. 7. ejusmodi formam Confirmationis recitant, Signaculum doni Spiritus sancti, in qua nulla planè fit mentio explicitè actionis ministri, quæ est unctio Chrismatis per modum crucis. Sed implicitè intelligitur, est enim sensus. Hæc unctio Chrismatis, quam ego re ipsa in fronte per modum crucis exhibeo, est signaculum doni Spiritus sancti. Tametsi verò Paulus in 2. ad Corinthios c. 1. scribat, Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris (qui locus de Confirmatione intelligitur) & exprimat Apostolus actum unctionis; tamen illi Patres non adeo scrupulosi fuerunt, ut eum non omitterent. Quem sanè, si necessarium existimassent, omnino exprimere non neglexissent. Immo neque ipsi eam formam composuerunt, sed majorum suorum, quæ per omnes Ecclesias Græcorum in usu fuerunt, hodieque sunt, verba formæ fideliter retulerunt.

Non ergo actus ille semper in omnibus Sacramentis necessariò est exprimendus, sed necessariò semper est adhibendus, quem saltem implicitè forma significat.

Unde gradatim, ut ita dixerim, in quibusdam Sacramentis non solùm materia proxima, sed & remota exprimitur, in plerisque proxima explicitè formæ apponitur. In paucissimis eadem implicitè significatur; idque ex vario usu Ecclesiarum. Idcirco non audeo formam Græcorum in hoc damnare. Scholastici autem in Sacramento extremæ Unctionis, Confirmationis & aliis mysteriis actionem Ministri explicitè requirunt, ex usu præsenti Ecclesiæ Romanæ: at alius vsus fuit alio tempore, & alius apud alias Ecclesias. Alium verò cùm dico, non essentialem, sed accidentalem intelligo. Iidem Scholastici ex eodem usu necessariò requirunt in hoc mysterio formam deprecativam, & tamen Ambrosianam manifestè damnare non audent.

Iteratio formæ, ac materiæ in hoc Sacramento rectè-ne fiat à Græcis.

Caput VI.

Nota in Baptismo fieri trinam immersionem, & sufficere unam. Neque tamen esse absurdum si propter mysterium & significationem totum corpus ter immergatur, & eædem partes toties humectentur. Confirmationem item Græcos esse solitos adhibere cùm in fronte, tum in cæteris sensibus. Quod quoniam ante schisma Græcorum in Orientali Ecclesia frequens fuit, & ea de re auctoritas extat secundi Concilij generalis, & S. Cyrilli Hierosolymitani, idcirco non videtur pos-

se improbari, ejusdem Confirmationis chrisma apud Latinos consecrari ab Episcopo, sed etiam presbyteros eum imitantes, eodem modo benedicere, & quasi iterare consecrationem. Præterea Eucharistiam communiter unum Sacerdotem conficere, quandoque multos una cum Episcopo consecrare perspicuum esse.

Cùm itaque nonnulla Sacramenta non uno, eodemque modo, sed variè administrentur, & in ea sæpenumero abusus irrepant, hinc fit, ut difficile sit, in quibusdam Sacramentis nonnulla agnoscere (quæ alioquin ad essentiam Sacramenti minimè spectant) an ex usu antiquo serventur, an per abusum irrepserint.

Et quidem ubi Ecclesia Græca convenit cum Latina, ibi errorem abesse omnino fatendum est. Ubi verò non dicam, discrepat, & contraria profitetur, sed quodam modo variat (diversas quippe consuetudines, ac cerimonias diversæ Ecclesiæ pro diversitate regionum in usu habent) ibi cautè procedendum est, ac diligenter considerandum, quænam ut bonæ consuetudines sint recipiendæ, quæ item, ut improbæ rejiciendæ. Quid igitur dicemus de hac Græcorum consuetudine toties eodem tempore Sacramentum extremæ Unctionis iterantium?

Breviter responderi potest. Primò ex similitudine trinæ immersionis, & sacratissimæ Eucharistiæ, quam multi Sacerdotes simul quandoque consecrant, ut in eo capite disseruimus, hîc quoque posset aliquis dicere multos Sacerdotes posse concurrere ad conferendum hoc Sacramentum.

Uerùm in Baptismate, quanquam ob mysterium trina immersio adhibeatur, unica tamen forma enunciatur, & unus minister inservit. In Sacramento autem Eucharistiæ vel omnes simul enunciant formam, & simul consecrant, vel si contingat non omnes simul pronunciare, non omnes consecrant, sed qui prior verba formæ protulerit. Qua tamen ratione presbyteri συλλειτουργῶντες Episcopo, vitare absurda valeant, quæ ex hac consuetudine sequi solent, ibi indicavimus.

At verò hîc postquam unus presbyter totum Sacramentum peregerit, alter succedit, & exceptis aliquot precationibus ad essentiam Sacramenti minùs spectantibus, quæ distinctæ sunt ab illis, quas prior recitat, reliqua æquè, atque primus conficit, & absolvit. Nam & oleo sacro inungit ægrotum, & easdem partes corporis ungit, & eadem prorsus Sacramenti utitur forma. Rubricæ quoque Euchologij sic indicant esse faciendum. Quamvis de membris corporis inungendis nihil expresè tradant. Quis tamen usus sit, dicam sequenti capite.

Unde quemadmodum absurdum esset si baptizato priùs puero alius eum postea baptizaret, vel consecrata priùs ab aliquo sacerdote hostia, eam alius, vel idem sacerdos denuo consecraret: ita videtur hîc non minùs absurdum idem iterare sacramentum.

Secundò dici posset, fortassis antiquitus Presbyteros non easdem partes unxisse, sed alios alias, hocque modo potuisse iterare formam simul, & materiam secundum diversitatem membrorum. Essetque id non secus, ac si duo Presbyteri offerrent sacrificium, & alter quidem consecraret hostiam, alter verò calicem. Et hac ratione multi Presbyteri censentur quasi quidam partiales ministri, qui omnes simul unum totum, ac perfectum perficiunt.

At hoc responsum simul & consuetudinem Græcorum destruit, & singularem doctrinam inducit contra communem Theologorum sententiam. Qui sicut in aliis Sacramentis conficiendis non admittunt multos partiales ministros, qui sacramentum conficiant ordinariè (nisi casu aliquo prior non possit absolvere quod jam cœperat) ita in hoc non admitterent, sed unum per se, vel Sacerdotem, vel Episcopum.

Concedunt quidem communiter Theologi in casu necessitatis posse hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus confici, ut si prior Sacerdos moreretur non absolutis omnibus partibus, posset alius reliquum perficere, quia nimirum hoc sacramentum ex pluribus formis, & materiis partialibus

conſtat. Ita B. Thomas in 4. d. 23. q.1.a.1. q.2.ad 3.Ricardus a. 1. q. 1.ad 4.Durandus q.1.in fine, Sotus q. 1. a. 1. Ledeſma q. 31. ar.2.Silveſter verbo, Unctio extrema q. 4. Tabiena num. 5. Hinc etiam colligunt Ricardus a.12.& Suarius diſp. 14.ſect.2.nu.8. in neceſſitate non ſolùm ex parte miniſtri, ſed etiam ex parte ſuſcipientis, ſi timeatur ne ſubjectum, & tempus deficiant, poſſe plures ſacerdotes illud conficere non ſucceſſivè, ſed ſimul, ſi v.g. dum unus ungit aures, alius ungat oculos, & ſic de aliis.

At extra neceſſitatem concedunt quidem valere Sacramentum propter rationem allatam: ſed graviter aiunt peccare Sacerdotes propter uſum, & ritum Eccleſiæ. Et quia voluntariè relinquere Sacramentum inchoatum, & imperfectum, per ſe grave crimen eſt; Nam quod ab alio poſtea perficiatur, extrinſecum, & quaſi per accidens eſt.

Tertiò dici poſſet, toties fieri Sacramentum, & iterari, quoties ſinguli preſbyteri illud conficiunt. Quemadmodum in Sacramento pœnitentiæ poteſt pœnitens eadem peccata jam in Confeſſione auriculari expoſita iterare, & obtenta denuo abſolutione, majorem ex vi Sacramenti obtinere gratiam. Græci itaque ſive quia in ægritudine moleſtiſſima & graviſſima, qualis eſt eorum, qui lethaliter decumbunt, varia συμπτώματα contingere ſolent, & quodammodo morbus variatur; ſive quia cupiunt ægrum majori auxilio adjuvare, & ſi fieri poſſit, ut is juxta ſententiam Apoſtolicam ἐγείρεσθαι valeat, propterea geminant Sacramentum.

Sed neque hæc ſolutio placet, quia in Sacramento pœnitentiæ non ſtatim aliquis confeſſus adit Confeſſarium, præſertim ſepties, niſi aliquod peccatum oblito in memoriam poſtea venerit. Vel ſi ſpirituali Patri aliquid ut veniale detexerat, quod poſtea mortale eſſe reperiat, ſeu ſuſpicetur, vel alia peccata ſaltem venialia commiſerit; ſymptomata verò non ſunt ejuſmodi, ut propterea ſtatim quis debeat iterare Sacramentum extremæ Unctionis. Art. 4. q. 2.S.Thom. in 4. d. 23. qu. 2. toties, ait, ſufficientem cauſam eſſe iterandi hoc Sacramentum, quoties ſtatus infirmitatis iteratur. Quia hoc Sacramentum non reſpicit infirmitatem, ut ſic, ſed infirmitatis ſtatum, & ideo non datur cuilibet infirmo, ſed in periculo mortis conſtituto. At hæc contingere tam brevi ſpatio temporis non poſſunt. His adde, quòd etiam ſi nihil novi ægroto accidat, Græci nihilominus toties eum inungunt.

Quartò dici poſſet primum ſacerdotem verè conficere Sacramentum, reliquos verò ad excitandam majorem devotionem idem facere non per modum Sacramenti. Cùm enim ſint orationes deprecatoriæ, nihil eſſe ſi iterentur, & alio dirigantur.

Hæc ſolutio quamvis aliquid afferre videatur, mihi non multùm placet. Non enim poſſum intelligere, qua ratione miniſter legitimus materiam Sacramenti, & formam adhibeat cum intentione, & tamen non conficiat Sacramentum. Quare cæteri ſaltem non deberent habere intentionem conficiendi Sacramentum.

Quintò dici poſſet, præſentem morem Græcorum preſbyterorum, ex ſimilitudine unguenti Confirmationis, quod in eadem actione toties ſit iterata forma, ut in eo Sacramento diſſeruimus, fortaſſis non eſſe improbandum. Ut enim in Sacramento Confirmationis ſemel tantùm, & tunc imprimitur character, & producitur effectus Sacramenti, quando primùm ungitur frons, & adhibetur forma; Reliquæ verò unctiones in aliis membris, & iteratio formæ non ampliùs producunt effectum, neque imprimunt characterem, ſed dumtaxat exprimunt varios effectus Sacramenti; quippe hujuſmodi myſterium efficit, ut nos bene operemur per os, per aures, per manus, perque varia membra, quæ inunguntur, quamvis non inungerentur, ut non inunguntur apud Latinos; Ita etiam in extrema Unctione prima adminiſtratio Sacramenti tollit reliquias peccatorum, & allevat infirmum, reliquæ denotant tolli reliquias omnium peccatorũ, idcirco ſeptenarius numerus expletur.

Quin imo in Sacramento Confirmatio-

nis, quod utique imprimit characterem, esset major difficultas: sed si ibi non officit hujusmodi iteratio, fortassis valedit etiam in Sacramento Extremæ-Unctionis, ubi nullus character imprimitur.

Hæc solutio, si vera est, in superiorem concurrit, quæ à primo tantum sacerdote fieri Sacramentum admittit. Sed & exemplum confirmationis non omnino quadrat. Nam ibi semel singula membra inungit baptizans, hîc eadem membra inunguntur septies, & à diversis ministris. Quocirca sine dubio sunt plura Sacramenta.

Illud præterea inculcare possit aliquis, ut Græcos tueatur. Nimirum, non deesse Theologos, qui in Sacramento Extremæ-Unctionis teneant si infirmus moriatur, antequam absolvat Presbyter totum sacramentum, & septem partes inungat, valere nihilominus Sacramentum. Unde effectus Sacramenti diversimode potest conferri. Cùm enim hæc pendeant ex mera voluntate institutoris, videlicet Christi Domini, neque sint actiones physicæ, possunt hoc & illo modo fieri ad sensum, & mentem auctoris.

Verùm hoc responsum (salvo meliori judicio) videtur petere principium. Si enim sciremus mentem institutoris, statim contendere desineremus. Exempla verò quæ attulimus in gratiam Græcorum, habent quidem aliquam similitudinem, sed in aliquibus deficiunt: ut etiam opinio eorum, qui asserunt, iis sacramentum conferri, qui mortem obeunt, antequam omnium membrorum inunctio absolvatur, parum prodest usui Græcorum. Nam ibi Sacramentum cœptum est, & cùm non potuerit absolvi, piè, & rationabiliter excogitantur ab istis, quæ dicuntur: nam non possunt remittit nonnulla peccata, quin remittantur omnia, præsertim mortalia. At hîc Sacramentum absolutum est; nihil igitur remanet, quod suppleatur, neque ulla peccata quæ remittantur.

Postremò itaque dici posset, antiquitus fortè reliquos presbyteros astitisse, & preces quoque pro incolumitate ægroti ad Deum fudisse, ut facilius impetrarent veniam, & sanitatem decumbenti. Non tamen toties iterasse formam, neque unxisse ægrum. Ita in ordinatione Episcopi solent duo alij assistere honoris ergo. Et si hoc verum est, tunc frustra cæteri inungunt, & abusus esse videtur.

Vel etiam dicere possumus, inunxisse locum morbo affectum, & recitasse preces, sed non iterasse formam, neque varias partes unxisse per modum Sacramenti. Nam hoc etiam factum est aliquando apud alias Ecclesias. Matthæus Galenus in Promptuario Theologico Catech. 182. de Sacramento Extremæ Unctionis, simile quid tradit. Ad hæc, inquit, non fiebat illud perfun- «
ctoriè, ac properanter, sed ubi æger non «
convalescebat, redibant eodem sacerdo- «
tes per septiduum ungentes, non quidem «
Sacramentum toties repetentes, sed statis «
precibus, unctione curantes laborantia «
membra, præbentesque sacrosanctam Eu- «
charistiam. Et Catechesi 181. Quid enim «
est mirum raram contingere sanitatem, «
cùm vix habeatur nunc ratio partium af- «
fectarum, quas nostri majores totis septem «
diebus inungebant? Et Catechesi 80. in fi- «
ne. Unde discimus olim non ita parcè a- «
ctum, ut nunc, sed tota infusa, delibuta- «
que fuisse corpora, neque tantùm organa «
sensuum; sed omnes illæ partes inunge- «
bantur, in quibus morbus potissimum «
grassabatur. Idque interdum per continuos «
septem dies. Neque solùm à sacerdotibus, «
verùm etiam ab ipsis infirmis, aut eorum «
amicis, nisi quòd non erat tunc Sacramen- «
tum. Sic ille. «

Mihi fit verisimile præsentem consuetudinem, ut nunc fit, esse abusum. Ut enim Græci introduxerunt in hoc Sacramento alios non dissimiles abusus, quid mirum si & hunc introduxerint? Certè ungere sanos per modum Sacramenti, est plane præceptis adversari Apostolicis, cùm contra expressa Jacobi verba id fiat. Item ob ejusmodi consuetudinem Græci statuunt, ne unus presbyter conferat hoc Sacramentum: atque ut audio Constantinopoli, si non fuerint ad minùs tres, sed unus contulerit, vel etiam duo, ab officio deponuntur. Hoc nimirum effecit doctrina Simeonis Thessalonicensis, qui adeo difficilia

Sacramenta reddit. Ut, si nihil aliud esset, ob hoc solum ejusmodi consuetudo abroganda esset. Quæ privat innumeros Christi fideles hoc saluberrimo Sacramento. Quid enim facient homines in villis, pagis, castellis, ac cæteris locis ab urbibus, ac frequentia hominum remotissimis, ubi non nisi unus Parochus reperitur?

Sufficiat igitur unus presbyter in necessitate, proprius videlicet Parochus, qui quemadmodum solus oleum benedicit, ita etiam Sacramentum solus administret, neque toties iteret formam, & unctionem. At neque preces, quas alij recitare solent. Quòd si plures Sacerdotes accersiti fuerint, ut olim apud Latinos accersebantur, & ex præcepto, & usu Ecclesiastico accersendi sunt, omnino vel unctione supersedeant, vel ita ungant, præsertim partem aliquam corporis morbo affectam, ut á forma recitanda se abstineant. Cujus loco versiculum Davidis proferant, ἡ βοήθεια ἡμῶν ἐν ὀνόματι κυρίου. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Quem ἐν ἑκάστῃ σφραγῖδι esse recitandum monet Simeon Thessalonicensis. Reliquas item preces laudabiliter poterunt recitare.

De partibus Corporis, quas ungunt Græci.

CAPUT VII.

IN Euchologio nihil expressè traditur, nisi universè ungendum esse ægrum.

Convenit autem inter Græcos, & Latinos unctionem sacram solitam fieri ad expiandos, & sanctificandos sensus, per quos delinquimus. Quare Græci dum oleum infirmorum consecrant, ut est videre in eorum Euchologio, ita canunt: ἱλαρότητι σφραγῖδος τοῦ σοῦ ἐλέους νῦν τὰς αἰσθήσεις δέσποτα σφραγίσας τῶν δούλων, ἄβατον, ἀπρόσιτον τὴν εἴσοδον ποίησον πάσαις ἐναντίαις δυνάμεσιν. Hilaritate signaculi tuæ misericordiæ Domine nunc sensus servorum tuorum consignans, effice aditum impervium, inaccessibilem omnibus contrariis potestatibus. Quia enim per sensus impugnare nos solet Dæmon, rogant, ut signati sacro oleo nostri sensus, veluti firmissimo præsidio muniti non admittant jacula, & ingressum hostium. Et rursus: ἡ ἔφοδος μὴ ἐκπικρῶν δαιμόνων ἐφάψοιτο τοῦ ἐπαλείψει ἐνθέῳ σεσημειωμένου σῶτερ αἰσθήσεις, ἀλλ' ἐν σκέπῃ περιτείχισον τοῦτον δόξης σου. Aggressio acerborum Dæmonum, ô Salvator, ne tangat eum, cujus sensus divina inunctione sunt signati, sed præsidio gloriæ suæ hunc circunda. Et iterum: βλέψον ἀκατάληπτε ἐξ οὐρανόθεν ὡς εὔσπλαγχνος ἐν χειρὶ ἀοράτῳ σου σφραγίσας φιλάνθρωπε τὰς ἡμῶν αἰσθήσεις ἐλαίῳ σου θείῳ τὸ προσδεχόμενόν σοι πιστῶς, καὶ ἐξαιτοῦντα πταισμάτων ἄφεσιν. Incomprehensibilis, & humani generis amator respice de cœlo, ut misericors, confugientem ad te cum fide, ac efflagitantem remissionem peccatorum, qui manu tua invisibili signasti nostros sensus divino tuo oleo. Hæc in consecratione olei. Consequenter his similia proferunt in sexta oratione, quando jam peragitur Sacramentum: εἰ ὀφθαλμὸν εἰσίασεν, ἢ ὄσφρησιν ἐξεθήλυνεν, ἢ ἁφὴ κατεμαλακίσθη, ἢ γεῦσιν κατεπόρνευσεν, ἢ ἐν οἱᾳδήποτε κινήσει σαρκὸς καὶ πνεύματος τοῦ σοῦ ἀπηλλοτριώθη θελήματος. Si oculum (æger) pavit, vel odoratum effeminavit, vel tactu est emollitus, vel gustui lenocinatus, vel quacumque alia motione corporis, ac spiritus à tua voluntate se abalienavit. Sic in Euchologio. In hoc itaque, ut dixi, Græci à Latinis non discrepant.

At verò in modo ungendi aliquo modo inter se differre videntur. Latini quidem in viris expressè ungunt oculos, aures, nares, os, & manus propter quinque sensus, deinde renes, ubi est sedes concupiscentiæ, ac tandem pedes ob vim progressivam, & exequutionem. Quòd sanè libenter refero propter Græcos, ut hunc modum ungendi diligenter ipsi considerent, si eum fortè voluerint imitari. Qui tutissimus est. In feminis ratio honestatis id postulare videtur, ut renes non ungantur.

Grecorum verò Sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremò pedes.

Possemus autem hæc inter se conciliare hac ratione. Quòd nimirum Græci ungunt faciem, hoc est nobiliorem partem capitis, & per consequens ipsum caput, quòd ibi præsertim in facie tanquam in arce resideant, sintque collocati quinque sensus. Quos videlicet, etsi non immediatè, & explicitè, mediatè tamen, & implicitè ungere intelligantur.

Pectus autem ungitur ob contentum cor, ex quo oriuntur secundum modum loquendi Scripturę cogitationes. Unde Christus Dominus Matth. 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

Quare sensus formæ Græcorum est: sana servum tuum ab infirmitate animi, hoc est à peccato, quod commisit capite, sive sensibus capitis, dum ungitur caput, pectore, manibus, & pedibus.

Simeon Thessalonicensis in libro de Sacramentis, ubi κατὰ πλάτος de hoc Sacramento agit, caput tantum, & manus ungendas recenset propter cogitationes, & quinque sensus. In cæteris cum nostra expositione convenit. Sic igitur habet: ἀλείφει τῷ ἐλαίῳ σταυροειδῶς αὐτοῦ τὸ μέτωπον διὰ τοὺς ἐντὸς λογισμοὺς, καὶ διὰ τὰ αἰσθητήρια χρίει τὸ πρόσωπον, καὶ τελευταῖον τὰς χεῖρας ἐκ τῶν διανοημάτων καὶ πράξεων πονηρῶν ἀνακαθαίρων αὐτὸν, καὶ τειχίζων τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, καὶ τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ, καὶ ἁγιάζων ἐντελῶς. Ungit (sacerdos) oleo ad modum crucis ipsius (ægri) frontem ob contentas in ea cogitationes. Faciem quoque inungit propter sensuum organa: postremò manus à pravis cogitationibus, & operibus eum expians, sanctoque oleo, & signo crucis muniens, & perfectè sanctificans. Ibidem: οὕτω μὲν οὖν τὸ μέτωπον, ὡς εἴρηται, παρὰ τῶν ἱερέων πάντων χριόμενος τὸν νοῦν ἁγιάζεται. εἶτα σταυροειδῶς τὸ πρόσωπον διὰ τὰ αἰσθητήρια. καὶ τελευταῖον τὰς χεῖρας καθαιρόντων τῶν ἱερέων διὰ τοῦ ἁγίου ἐλαίου ἐν Χριστῷ τῷ οἰκτίρμονι τὰς μολυνθείσας αἰσθήσεις. Sic igitur cùm frons, ut dictum est, ab omnibus sacerdotibus ungitur, mens sanctificatur. Deinde ad modum crucis facies ungitur propter instrumenta sentiendi: postremo manus unguntur, expurgantibus sacerdotibus per sacrum oleum in Christo misericordi pollutos sensus. Sic ille.

Quocirca Græci pro diversitate Ecclesiarum, sive ungant caput modo explicato, & manus tantùm, ut recenset Simeon; sive caput, pectus, manus, & pedes, ut ego retuli, & moris est Græcorum hoc tempore, ut advertere potui: profectò partes necessarias ungere non omittunt.

Albertus Magnus in 4. d. 23. art. 16. in corpore ait, diversarum Ecclesiarum, & ordinum, diversum esse usum. Quia in quibusdam Ecclesiis unguntur loca plura, in quibusdam pauciora: & in solutione argumentorum ad 2. In quibusdam, inquit, Ecclesiis unguntur tantùm extremitates, ut os, & nares, & oculi, & aures. Quia in illis sunt organa quinque sensuum. Tamen alij præter hæc ungunt scapulas, & pectus, & renes, in quibus est delectatio Uenereorum.

Nicolaus Serarius de Extrema-Unctione cap. 9.

In Ecclesiis plurimis, inquit, sicuti hac nostra Herbipolensi, renes omittuntur. Quod Victoria, & alij valdè probant. Posset tamen Sacramenti hujus essentia sarta tecta servari, etiam si vel corpus totum, vel una tantum ejus aliqua pars, aut verò aliæ plures, aut pauciores, quàm quinque linirentur. Nam & olim, & etiam nunc alicubi plures, alicubi pauciores liniuntur. De pluribus linitis, capite scilicet, pectore, scapulis, & aliis planum est: de paucioribus tantùm scilicet quatuor, testis Albertus Magnus.

Probat autem Serarius, quomodocunque fiat unctio, servari Sacramentum. Primò, quia quædam formæ, ut Ambrosiana, Veneta, & nonnullæ aliæ, istarum partium singillatim non meminerunt. Secundò, quia si sensuum organa necessariò inungenda essent, tanquam ad essentiam Sacramenti spectantia, cùm in essentialibus res una alterius vicem non obeat, loco linguæ, aut palati, si os, aut labia ungerentur, ut re ipsa unguntur, ne aliter ungendò nauseam pariant, non esset Sacramentum. Vel si cuipiam oculi effossi forent,

vel aures, aut nares truncatę, & illarum partium unctio ad essentiam Sacramenti necessaria foret, non juberent Theologi, vel ipsa abscissarum partium loca, vel proximas partes inungendas esse, cum tamen jubeant.

Tertiò, quia Theologi veteres etiamsi doceant convenienter illas partes inungi, non tamen aliter fieri non posse contendunt, exceptis Durando, Michaële de Calonio, & Soto. Concilium autem Florentinum enumerat quidem istas partes, sed ut jam usitatas, non ut simpliciter ad Sacramenti naturam spectantes: quia etiam renes annumerat, qui ex communi consensu non necessariò inunguntur.

Idcirco, infert Serarius, vel solum cor, è quo peccatorum omnium sentina, vel solum caput, in quo vitiorum fenestræ, sensus, vel quæcunque alia corporis pars inuncta, cùm nomine carnis vitiorum omnium seminarium in Scripturis significetur, satis quidem ad unctionis effectum foret.

Postremò prudenter monet Serarius, non privato judicio alicujus usitatam consuetudinem permutandam, aut auferendam. Addo ego, multo minus esse condemnandam.

In libro Pastorali, seu Manuali Mechliniensi can. 9. de Extrema-Unctione, (teste Suario in 3. p. S. Thomæ disp. 41. sect. 3. de Sacramento Extremæ-Unctionis n. 8.) ex consilio, & sententia Facultatis Theologicæ Lovaniensis ita decretum est. In morbis contagiosis, & peste grassan-
» te, ut periculum vitetur, sufficit inungi sen-
» sus organum magis ad unctionem exposi-
» tum, aut detectum, dicendo: Per istam san-
» ctam Unctionem, & suam piissimam mise-
» ricordiam, indulgeat tibi Dominus quid-
» quid deliquisti per visum, auditum, odora-
» tum, gustum, tactum, & gressum. Et tunc
» preces, quæ præmittendæ forent, poterunt
» in Ecclesia coram venerabili Sacramento
» devotè legi. Et huic sententię subscribunt Archiepiscopus Mechliniensis, Decanus Universitatis, & Professores Theologi Lonienses anno 1588. mense Decembri, & ferunt in more esse introductum in regione Belgica.

Ex his quæ recensuimus, Græcos cum Latinis facilè quilibet reconciliare poterit.

Et notandum in casu necessitatis, si Presbyter Græcus unam tantùm partem corporis ungeret, & æger moreretur, Sacramentum esset validum, & effectum suum consequeretur propter amplitudinem formæ Græcorum, quæ omnem effectum complectitur.

De effectu Extremæ-Unctionis.

Caput VII.

De effectu hujus Sacramenti superest, ut aliquid breviter dicamus propter incredibilem importunitatem Simeonis Thessalonicensis.

Duplicem igitur effectum hujus saluberrimi Sacramenti ex Apostolo assignant Theologi: alterum, qui conferat ægrotis sanitatem corporis, si nimirum ita expedierit saluti animæ. Estque is minùs principalis, & secundarius. Alterum, qui & primarius est, qui deleat reliquias peccatorum.

Textus autem Apostolicus secundum hanc Theologorum doctrinam varias admittit, easque veras expositiones, fere in idem tendentes.

Quidam illa verba, Oratio fidei salvabit infirmum, ad sanitatem dumtaxat referunt corporis: reliqua (allevabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei) ad sanitatem animi, & ad tollendas reliquias peccatorum. Omissis autem opinionibus eorum, qui per reliquias peccatorum improbabiliter interpretantur peccata venialia, quæ sine sacramento deleri possunt; vel pronitatem, & habitum ex peccato relictum, qui, nisi frequentatione contrariorum actuum, non tollitur; aliter enim etiam post sacramentum remanet: intelligunt ipsi per reliquias peccatorum duo, quæ supersunt quandoque post sacramentum pœnitentiæ, quod antecedit Extremam Unctionem; videlicet torporem

torporem quendam, mœstitiam, & anxietatem animi, quæ solet provenire ex commissis peccatis, ut meritò reliquiæ peccatorum hujusmodi passiones dici possint. Et quæ hominem proximum morti vexare solent. Hunc ergo mœrorem, & angorem animi propulsat ab ægroto Extrema-Unctio. Et idcirco ait Apostolus, Alleviabit eum Dominus, juxta editionem vulgatam. Neque refert quòd in Græco textu sit ἐγερεῖ, eriget. Nam intelligendum est ἀπὸ τῆς κατηφείας, à mœrore. Vel ἐγερεῖ αὐτὸν σκυθρωπὸν ὄντα, eriget, seu excitabit ipsum abjectum, & jacentem. Idque per metaphoram Scripturæ sacræ familiarem. Quo modo loquendi Scriptura significat, pellere mœrorem, tristitiam, &c. Qua ratione dixit etiam Apostolus
» ad Romanos 13. Hora est jam nos de somno surgere. Græcè ἐγερθῆναι, & ad Ephesios 5. ἔγειραι ὁ καθεύδων, Surge qui dormis. Ita in tropariis Græcis hujus cerimoniæ, τὴν ψυχήν μου κύριε ἐν ἁμαρτίαις παντοίαις, καὶ ἀτόποις πράξεσι δεινῶς παραλελυμένην, ἔγειρον τῇ θεϊκῇ σου ἐπιστασίᾳ, ὥσπερ τὸν παραλυτικὸν ἤγειρας πάλαι.
» Animam meam Domine variis peccatis,
» ac turpibus factis vehementer dissolutam
» erige divina tua providentia, quemadmo-
» dum olim paralyticum erexisti. Per reliquias item peccatorum intelligunt ipsamet peccata, quantumvis licet mortalia, quæ videlicet, vel non sunt bene expiata, si contra quam existimat ægrotus, Pœnitentiæ sacramentum non rectè peregerit. Quia potest accidere ex parte pœnitentis defectus dispositionis necessariæ invincibiliter ignoratus, si nimirum desit attritio, si post illud Sacramentum in nova peccata inscius inciderit, proinde ignoret se obnoxium esse peccatis, & postea vi morbi oblitus fuerit; cùm alioqui animum habuerit confitendi. Vel ex parte ministri, si fortè non sit legitimè ordinatus, aut formam debitam sive ex inadvertentia, sive ex malitia omittat. Hæc itaque delet sacramentum Extremæ-Unctionis, quapro-
» pter Apostolus ait, Si in peccatis fuerit, re-
» mittentur ei. Unde apparet necessitas hujus Sacramenti; qui enim damnandus erat ob ejusmodi peccata, beneficio hujus Sacramenti salutem adipiscitur. Hæc sententia sic explicata est doctissimi Bellarmini, secundum quam secundarius effectus pendet ex primario. Remissis enim perfectè omnibus peccatis, subsequitur sanitas corporalis, quæ ut plurimum propter peccatum amittitur. Item dum angor ille animi, & sollicitudo aufertur, & decumbenti vis resistendi tentationibus dæmonis confertur, æger liberat se anxietate illa, unde oritur sanitas. Quocirca ægroti non propter fidem certam, quam habeant, ut nonnulli opinantur, non enim effectus Sacramenti pendet ex miraculis; sed vi hujus saluberrimi Sacramenti, quod ex opere operato confert gratiam, convalescunt, si saluti expedit animæ.

Neque obstant Apostolica verba. Nam oratio fidei nihil aliud significat, quàm ipsammet formam, per quam credimus (nimirum adhibita & Unctione, quippe sine materia minimè agit) ejusmodi produci effectus. Qua ratione cæteræ quoque formæ sacramentorum orationes fidei meritò appellari possent: quia ut sanctus Augustinus docet tract. 80. in Joan. hujus orationis sonus sensu quidem percipitur, sed energia, & vis efficiendi, quod efficit, fide sola comprehenditur, quod est commune cæteris quoque formis sacramentorum.

Alij illa verba, oratio fidei salvabit infirmum, unà cum illis aliis ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, eriget eum Dominus, ad sanitatem corporis pertinere putant. Postrema verò, si in peccatis fuerit, ad sanitatem animi meritò spectare affirmant.

Ego non improbabiliter dixerim, Apostolum primis verbis salvabit infirmum, καθόλου, & generatim describere voluisse effectum hujus Sacramenti; quem deinde per partes singillatim exponit. Quomodo enim salvabit? Videlicet corpore, & animo: ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, scilicet ἐκ τῆς κλίνης, hoc est, à lecto surgere eum faciet. Sic in orationibus Græcis hujus Sacramenti: ἐξέγειρον αὐτὸν ἀπὸ κλίνης ὀδυνηρᾶς, καὶ στρωμνῆς κακώσεως, leva eum à lecto doloris,

& à strato ærumnæ: quo sensu Salvator dixit paralytico, ἔγειραι, καὶ περιπάτει: reliqua verba spectant ad morbum animi, si in peccatis fuerit, remittentur ei.

Sed quomodocumque interpreteris Apostolica verba, omnes in sententia convenimus. Atque hos eosdem effectus agnoscunt recentiores Græcorum.

Hieremias Patriarcha Const. cap. 7. suæ censuræ: τὸ ἅγιον ἔλαιον λύσιν ἁμαρτημάτων παρέχεται, καὶ ἐξ ἀρρωστημάτων ἐγείρει. Sacrum oleum remissionem præbet peccatorum, & ex infirmitatibus nos sublevat.

Quæ autem sunt illa peccata, quæ hoc Sacramentum dimittit, in eodem capite, paulò superiùs declarat his verbis: τοῖς μετὰ τὸ βάπτισμα ἁμαρτήμασι, χρήσιμα ἥ τε μετάνοια, καὶ ἡ τοῦ ἡγιασμένου χρῖσις ἐλαίου. ἅ τινα ἢ ἄφεσιν τῶν ἡμαρτημένων χαρίζεται, ἢ τοῖς ἐγκειμένοις τῇ ψυχῇ ῥύποις ἀποκαθαίρει. Post Baptismum peccantibus conducunt pœnitentia & consecrati olei unctio. Quæ sanè Sacramenta vel remissionem peccatorum largiuntur, (hîc describit effectum Sacramenti pœnitentiæ) vel sordes animo inhærentes emundant. Hoc postremum membrum periodi potissimum propter Sacramentum Extremæ-Unctionis insertum est. Quippe tollit reliquias sordium, quæ per pœnitentiam expurgatæ non sunt. Quare per peccata reliquias peccatorum Hieremias intelligit.

Joannes Nathanaël: μυστήριον ἕβδομον, ἐπειδὴ ἐν τῇ τελευταίᾳ ὥρᾳ τοῦ ἀνθρώπου δέδοται γίνεσθαι, εἰς ἐξάλειψιν μὲν τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, καὶ ἄφεσιν τῶν πλημμελημάτων, ἢ καὶ πολλάκις πρὸς ὑγείαν τοῦ σώματος αὐτοῦ κατὰ τὸν θεῖον Ἰάκωβον τὸν ἀπόστολον. Mysterium septimum est, quandoquidem in postrema hora hominis fieri concessum est, ad delenda peccata, & dimittenda delicta. Sæpe etiam ad obtinendam corporis sanitatem secundum divinum Jacobum Apostolum.

Philadelphiensis: εὐχέλαιόν ἐστι χρίσμα, &c. δύναμιν ἔχον διὰ τῆς εὐλογίας τῆς ἱερατικῆς ἴασιν ψυχικὴν καὶ σωματικὴν παρέχειν τῷ νοσοῦντι. Euchelæon est unctio per benedictionem sacerdotalem vim habens conferendi ægroto sanitatem animi, & corporis. idque probat Philadelphiensis ex verbis Apostoli. Cæterùm paululum progrediens tertium assignat effectum hujus Sacramenti his verbis: καὶ πρὸς τούτοις, ἂν τὸ ὧδε ἀπέλθῃ ὁ χρισθεὶς πρὸς τὰς ἐκεῖσε μονάς, ῥᾳδίως ἀνέρχεσθαι αὐτὸν παρασκευάζει (τὸ εὐχέλαιον) τῶν ἀερίων ἀκαθάρτων πνευμάτων προσεγγίσαι οὐ τολμώντων αὐτῷ. Ad hæc si qui unctus est, hinc migraverit ad cœlestes illas mansiones, disponit eum (Euchelæon) ut faciliùs ascendat, aëreis immundis spiritibus ad eum accedere non audentibus.

Hunc postremum effectum (qui potiùs est effectus aliorum effectuum hujus Sacramenti; si enim defunctus justus fuerit, peccato carens, hoc assequetur) fortassis colligit Philadelphiensis ex forma Ambrosiana, & similibus, & ex eo quod in precatione hujus olei recitentur ista verba: ἵνα οἱ τούτῳ χριόμενοι τῷ τῆς ἀναγεννήσεως ἐλαίῳ φοβεροὶ ὦσι τοῖς ὑπεναντίοις. Ut qui hoc oleo regenerationis unguntur, formidolosi fiant adversariis. Dicitur autem oleum regenerationis, ut hoc obiter observemus, quia cùm per illud reliquiæ peccatorum tollantur, æger adeo purus evadit, ac si denuo esset generatus.

Emanuël Caleca effectus hujus Sacramenti clariùs explicat his verbis: δίδοται τὸ μυστήριον τῆς τελευταίας χρίσεως ἤγουν τὸ εὐχέλαιον, ὅπερ καὶ αὐτὸ πνευματικὴ ἰατρεία ἐστὶν, ἵνα ἀπαλλαττῶσι τῆς τοῦ σώματος ἀρρωστίας, ἥτις ἐμποδισμὸς γίνεται πρὸς τὰ πνευματικὰ ἔργα. περὶ οὗ ὁ θεῖος ἀπόστολος Ἰάκωβος γράφει, ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ εὐξάσθωσαν ἐπ᾽ αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου. καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα. καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος. κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. εἰ δὲ μὴ ἀπαλλάττοιτο διὰ τούτου τῆς τοῦ σώματος ἀρρωστίας, οὐκ αἰτιᾶσθαι δεῖ τὴν τοῦ μυστηρίου τούτου δύναμιν. πολλάκις γὰρ καὶ τὸ θεραπευθῆναι σωματικῶς τοὺς ἀξίως τὸ μυστήριον τοῦτο λαμβάνοντας οὐκ ἔστι χρήσιμον πρὸς τὴν πνευματικὴν σωτηρίαν. ἴσως γὰρ οὐδὲ χρήσονται τῇ ὑγείᾳ πρὸς τὸ συμφέρον. οὐ μέν τοι ἀνωφελῶς πάλιν τοῦτο λαμβάνουσιν, εἰ καὶ μὴ ἡ σωματικὴ θεραπεία ἀκολουθήσει. ὠφελεῖ γὰρ καθ᾽ ἄλλον τρόπον. καὶ γὰρ ταῖς ἀσωμάτοις νόσοις, αἵ τινές εἰσιν εὐκολία πρὸς τὸ κακὸν, ἀμέλεια πρὸς τὸ ἀγαθὸν, διὰ τῆς μετανοίας, ὡς εἴπομεν δεῖ θεραπεύε-

σθαι. ἐπεὶ δὲ ὁ ἄνθρωπος ἢ διὰ ῥαθυμίαν, ἢ διὰ τοὺς ποικίλους τοῦ βίου περισπασμοὺς, οὐ τελείως θεραπεύει τὰς προειρημένας ἐν αὐτῷ ἀῤῥωστίας, ἐπὶ σωτηρίᾳ τὸ μυστήριον τοῦτο δέδοται, ὥστε ἀναπληροῦσθαι διὰ τούτου τὸ ἀτελὲς τῆς θεραπείας ἐκείνης, ἣ διὰ μετανοίας ἐγένετο. καὶ ἐλευθεροῦσθαι τῆς καταδίκης τῆς ὀφειλομένης αὐτῷ, ὅτι οὐκ ἐτελείωσε τὸν τῆς μετανοίας κανόνα. ἵνα μηδὲν αὐτῷ ἀπολειφθῇ δυνάμενον ἐν τῇ ἐξόδῳ τῆς ψυχῆς ἐμποδίσαι ταύτην τοῦ τυχεῖν τῆς μελλούσης δόξης. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ συμβαίνει μήτε μνημονεύειν, μήτε γινώσκειν πάντα, ὅσα ἔπραξεν ἁμαρτήματα, ὥστε δύνασθαι διὰ μετανοίας ταῦτα ἐξαλείφεσθαι. εἰσὶ δὲ καί τινα καθημερινὰ ἁμαρτήματα, ὧν χωρὶς οὐκ ἔστι τὸν βίον τοῦτον διελθεῖν. ὧν πάντων ὁ ἄνθρωπος ἀναγκαίως καθαίρεται διὰ τούτου τοῦ μυστηρίου. διὸ καὶ προστίθησι, κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. Mysterium extremæ Unctionis, hoc est, Euchelæon, quod & ipsum spiritualis est medicina, datur, ut corporis morbo liberemur; qui sanè morbus nobis obstat quominus exerceamus opera spiritualia. De quo mysterio divinus Apostolus Jacobus scribit. Infirmatur quis in vobis? Advocet presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit laborantem, & eriget eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Quòd si per hoc mysterium morbo corporis non fuerit liberatus, non oportet hujus mysterij vim accusare. Sæpe enim ad spiritualem salutem, sanitatem corporis consequi, haud conducit iis, qui dignè Sacramentum suscipiunt. Fortè enim nec ad suum commodum sanitate utentur. Non tamen sine vllo fructu hoc Sacramentum suscipiunt, quamvis corporalis sanitas non sequatur: prodest enim hoc mysterium secundùm aliam rationem; siquidem morbis animi, qui sunt facilitas ad malum, negligentia ad bonum, per pœnitentiam, ut diximus, par est mederi. Quoniam verò homo seu propter socordiam, seu propter varias vitæ occupationes non adeo perfectè curat in se ipso commemoratas animi ægritudines, in salutem hoc mysterium datum est; ut beneficio hujus, quod defuit illi curationi, quæ per pœnitentiam fiebat, adimpleatur; condemnationeque liberari queat, quæ ipsi debetur, propterea quod impositam sibi pœnitentiam non absolverit, ut nihil ipsi desit in exitu, ac profectione animæ, quod ipsi impedimento esse possit, quo minus assequatur futuram gloriam. Verùm enimverò contingit etiam, ut neque meminerit, neque sciat omnia quæcumque patrarit peccata, adeo ut possit per pœnitentiam ea delere. Sunt verò nonnulla etiam quotidiana errata, sine quibus transire vitam non datur, à quibus omnibus necessariò per hoc Sacramentum homo expiatur. Idcirco addit Apostolus, & si in peccatis fuerit, dimittitur ei. Sic Emanuel Caleca, qui quæ refert, ad verbum desumpsit ex lib. 4. S. Thomæ contra gentiles cap. 73.

Sed & ipse Simeon Thessalonicensis: διὸ καὶ λύσιν ἁμαρτημάτων παρέχεται (τὸ ἅγιον ἔλαιον) καὶ ἐξ ἀῤῥωστημάτων ἐγείρει, καὶ ἁγιασμοῦ ἐμπίμπλησι. Quocirca & solutionem peccatorum præbet (sanctum oleum) & ab infirmitatibus erigit, & sanctificatione replet. Et alibi: ὁρᾶτε δύναμιν τῆς τελετῆς ταύτης; καὶ ἀῤῥωστίας λύει, καὶ τοὺς κειμένους ἐγείρει, καὶ ἁμαρτίας ἀφίησι. Videtis-ne, quænam sit vis hujus mysterij? Et morbos relevat, & decumbentes erigit, & peccata dimittit.

His ita concordissimè ex parte Latinorum, atque Græcorum recensitis, ac declaratis, satis mirari non possum qua fronte idem Simeon Thessal. hac in re Latinos redarguat, ita scribens fermè à principio sui operis: ἐνταῦθα καὶ ἄλλη τις τῶν καινοτομούντων Λατίνων καταβάλλεται δόξα. οὗτοι γάρ φασι τὸ ἅγιον ἔλαιον οὐ χρὴ δίδοσθαι τοῖς ἐλπίδα κεκτημένοις ζωῆς, ἀλλὰ ἀποθνήσκουσι μόνοις. ἐπειδὴ ἁμαρτημάτων παρέχεται ἄφεσιν. ἀπεναντίας τοῖς ἀποστολικοῖς ὡς ἐν ἅπασι, καὶ ὧδε καὶ φρονοῦντες καὶ πράττοντες ῥήμασι. τοῦ γὰρ θεαδέλφου βοῶντος, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, οὗτοι τοῖς μὴ ἐγειρομένοις παρέχειν τοῦτο φασίν. Hîc quædam alia quoque Latinorum, res novas molientium destruitur sententia. Hi enim asserunt, sanctum oleum non spem vitæ habentibus, sed moribundis tribuendum esse, quandoquidem remissionem præbet peccatorum; contra fidem Apostolicorum verborum, ut in omnibus aliis, ita etiam hac in re, & sentientes, &

facientes. Cùm enim Dei frater clamet, eriget eum Dominus, isti aiunt piis, qui non eriguntur, esse præbendum. Et circa finem libri: ἀλλ' οἱ καινοτομοῦντες πάντα Λατῖνοι, καὶ τὸ περὶ τούτου παρέφθειραν. καὶ οὐ χρὴ διδόναι τοῦτο ἀῤῥωστοῦσί φασιν, ἀλλ' ἀποθνήσκουσιν. ἐπεὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν, ἵνα μὴ πάλιν ἐπιζήσας τις ἐξαμαρτήσῃ. βαβαὶ τῆς ἀπονοίας. ὁ μὲν ἀδελφόθεος, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος. οὗτοι δὲ ἵνα ἀποθάνῃ φασίν. ὁρᾷς τὸν ἐκκρημνισθέντα, ὅπως ἀεὶ πρὸς τὸ κάταντες κάτω φέρεται; κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς ἀφεθήσεται αὐτῷ. ἵνα ἰαθῇ, καὶ ἐγερθῇ δηλονότι. καὶ τοῦτο δείκνυσιν ὁ σωτὴρ πρὸς τὸν παραλυτικὸν εἰρηκώς, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι. ἔγειραι καὶ περιπάτει. καὶ ἴδε ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται. οἱ δὲ ἀπεναντίας φρονοῦσι τῷ σωτῆρί τε καὶ τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ, καὶ τοῖς μὴ ἐγειρομένοις, ἀλλ' ἀποθνήσκουσι τοῦτό φασι δίδοσθαι. διὸ καὶ οὐ κατὰ τὴν ἀποστολικὴν τοῦτο ποιοῦσι παράδοσιν, προσκαλούμενοι παρὰ τῶν χρηζόντων, ἀλλ' ἰδίᾳ ποιοῦντες φυλάττουσι. καὶ τὸ μὲν ἱερόν φησιν εὐαγγέλιον, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους, καὶ ἐθεράπευον. οἱ δὲ διδόασι μὴ εἰς τὸ θεραπεύεσθαι, ἀλλ' εἰς τὸ εἶναι ἀθεραπεύτους, καὶ ἀποθνήσκειν φασίν. ἄνθρωπε ἀγνοεῖς τὴν γνῶσιν τῶν μυστηρίων, καὶ εὐλαβῶς ἀπάντα. τὸ μὲν γὰρ εὐαγγέλιον, καὶ ὁ τοῦτο δεδωκὼς ἀδελφόθεος, ὑπὲρ ἀῤῥώστων τοῦτό φασι τὸ ἔλαιον, καὶ εἰς τὸ ἀφεθεισῶν τῶν ἁμαρτιῶν τοῖς χριομένοις ἐγείρεσθαι. καθὼς καὶ ἑτέρῳ παραλυτικῷ ἐῤῥέθη. καὶ τοῖς δυσὶ γὰρ ἔφησεν ὁ σωτήρ, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, ὡς δεικνυμένης τῆς ἀῤῥωστίας ἐξ αἰτίας ἁμαρτημάτων εἶναι. Verùm qui omnia immutant Latini, hanc etiam cerimoniam corruperunt, atque non esse exhibendum ægrotantibus, sed moribundis aiunt. Quandoquidem enim hoc Sacramentum dimittit peccata, propterea moribundis exhibetur, ne, si quis supervixerit, rursus peccet. ô dementiam! frater Dei enunciat, & oratio fidei salvabit infirmum, & eriget eum Dominus: Hi verò aiunt, ut moriatur. Vides præcipitatum, quo modo semper ad proclive feratur? Et si peccata admiserit, dimittentur ei, ut sanus fiat videlicet, & erigatur. Atque hoc ostendit cùm paralytico dixit, dimissa sunt tibi peccata, surge & ambula. Et, ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi gravius contingat. Hi verò contra Salvatorem, ejusque Apostolos sentiunt, atque iis, qui non eriguntur, sed obeunt dandum esse existimant. Quocirca neque secundùm traditionem Apostolicam ab indigentibus accersiti hoc conficiunt, sed privatim facientes asseruant, & sacrum quidem Evangelium ait, ungebant oleo multos ægros, & sanabant. Hi verò censent dandum esse, non ut curentur, sed ut sint insanabiles, & moriantur. O homo ignoras cognitionem mysteriorum, & cautè responde. Textus enim Evangelicus, & Deifrater, qui hoc mysterium literis tradidit, hoc oleum pro infirmis esse testantur, atque ut dimissis peccatis uncti erigantur. Quemadmodum & alteri paralytico dictum est (duobus enim dixit Salvator) dimissa sunt tibi peccata tua. Qua ratione ostendit ægritudinem ex causa peccatorum provenire.

Ad nauseam usque Simeon eadem repetit, atque inculcat. Sed sunt pleraque meræ calumniæ, & illustria mẽdacia. Quod enim ait, Latinos solitos esse ungere infirmos, mox morituros, ne videlicet si superstites sint, iterum peccent. Hoc est insigne mendacium. Si enim non est absurdum iterare Sacramentum pœnitentiæ, si postea peccata fiant, idque optimè norunt Latini, & faciunt ex præcepto Salvatoris, qui non tantùm septies, sed septuagies septies jubet ignosci, quis eorum scrupulus, quæ religio erit, denuo inungendi ægrotum, si primùm convaluerit, deinde peccata commiserit, ac demum iterum ægrotarit? Ergo Simeon ut in plerisque aliis, ita etiam in hoc egregiè mentitur. Quippe hoc Sacramentum æquè apud Latinos, & Græcos est iterabile, non enim imprimit characterem. Unde B. Thomas 3. p. in supplemento q. 33. a. 2. & sanctus Antoninus 3. p. tit. 14. c. 15. §. 7. plenè concedunt non solùm in diversa infirmitate hoc Sacramentum repeti posse, sed etiam eadem infirmitate laborantibus, non secundùm eundem, sed diversum infirmitatis statum concedi posse. Quocirca dicitur extrema Unctio, non quòd iterum si opus fuerit impertiri non debeat, neque tam propter ex-

tremo morbo laborantes, quibus hoc Sacramentum meritò exhibetur; quàm quòd poſt alias unctiones Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, item peccatorum confeſſionem & perceptam Euchariſtiam ut plurimum, noviſſimum Sacramentorum in hominem Chriſtianum conferri ſoleat. Quamvis antiquitus Euchariſtiam vltimò conferrent.

Et à quonam unquam Latinorum accepit Simeon dari extremam Unctionem, ἵνα ἀποθάνῃ, ſeu εἰς τὸ μὴ θεραπεύεσθαι? Ego verò quantùm conjicere poſſum, ex ſententia illius dicerem hoc abſurdum valde ſequi. Cùm enim nolit, ut hoc Sacramentum moribundis adminiſtretur, eò quòd videlicet timeat, ne moriantur, & fuſtretur ſuo fine hoc myſterium, videtur parum, aut nihil tribuere huic Sacramento. Ex qua falſa poſitione illius ſequitur, ut quamvis Sacramentum hujuſmodi ægrotis detur, mors tamen interveniat. Et hac ratione ſecundùm novam Theologiam hujus egregij viri, poſſemus dicere: datur hoc Sacramentum, ut infirmus moriatur.

Quòd ſi idcirco Simeon reprehendit Latinos, quòd non ſimpliciter quibuſlibet infirmis conferant hoc Sacramentum, ſed quorum morbi ſunt periculoſi: Multò magis erit ipſe reprehendendus, ſi in iis, quibus vis naturæ mederi poteſt, cœleſtia remedia quærat. Neque advertit non eſſe opus ope ſupernaturali non graviter laborantibus. Quippe vi naturali, & favore terreni medici, ſanitatem corporis aſſequi poſſunt. At verò quando alicujus eſt deſperata, ſeu potiùs in periculo ſalus corporis, tum demum confugiendum ad remedia ſupernaturalia. Alioquin irrideremur à gentilibus, ſi quæ ipſi ordinariè arte medica præſtare poſſunt, nos per Sacramentum tanquam mira quædam effici contenderemus, nullum enim conſtaret miraculum. Unde etiam Apoſtolus graviter decumbentem illis verbis deſcribit, ἐγερεῖ, eriget, videlicet κείμενον, jacentem, ſeu decumbentem, & κάμνοντα, deficientem, ὅθεν οἱ καμόντες, dicuntur mortui. Idcirco & preſbyteros ad ægrotum vocari mandat, quippe æger ad eos accedere minimè valeat.

Neque tamen adeo graviter infirmum ægrotare intelligimus, ut prorſus careat judicio, ſitque ſenſibus deſtitutus.

Si verò Simeon damnat Latinos propter effectum Sacramenti, videlicet ſanitatem corporis, quæ non ſemper ſequitur in graviter decumbentibus, cùm multi ex illis mortem obeant.

Dicendum, eum non eſſe effectum primarium, ſed ſecundarium, quem nimirum ſortitur Sacramentum, ſi ſaluti expedit animæ. Proinde perperam ipſe citat loca Evangelica. Chriſtus enim Dominus immediatè ſine Sacramentis, poteſtate, quam vocant Theologi excellentiæ, patrabat miracula. Unde non ſequitur, ſi Chriſtus, quippe abſolutus Dominus ad declarandam ſuam divinitatem, & beneficentiam cumulatiſſimè præſtabat beneficia, & non ſolùm remittebat peccata, ſed etiam amiſſam propter peccata priſtinam, & longè majorem reſtituebat ſanitatem. Non ſequitur, inquam, ut etiam Sacramentum abſolutè hoc idem ſemper efficiat. Quamvis ægritudo ob peccata hujuſmodi accidere poſſit; ſed conditionatè, ſi nimirum expedit æternæ ſaluti.

Neque poteſt rejicere Simeon hanc expoſitionem. Alioquin ſi poſt illam unctionem conſtanti, & perpetuo ordine ſequeretur, ut ægri à morbo convaleſcerent; nemo unquam unctus hoc ſacro oleo è vita decederet. Quod falſiſſimum eſt, & quotidiana experientia oppoſitum probat.

Præterea Simeon tum alios Græcos, qui de Sacramentis ſcripſere, habet ſibi contrarios, tum ipſammet praxim & uſum orientalis Eccleſiæ. Quippe etiamnum Græcorum preſbyteri, quamvis quandoque inungant bene valentes, ſed multò magis, & fermè ſemper moribundos, & à profeſſoribus medicæ artis deſperatos, ut etiam Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha in ſua cenſura fol. 237. eos refert, τοὺς ἐπικινδύνως ἀσθενοῦντας, qui periculoſo morbo decumbunt.

Illud autem quod ait: διὸ καὶ οὐ κατὰ τὴν ἀποστολικὴν τοῦτο ποιοῦσι παράδοσιν, ἀλλ᾽ ἰδίᾳ ποιοῦντες φυλάττουσι, temere effutit, & Apoſtolicarum traditionum imperitum pla-

ne ſe oſtendit. Cùm enim ad Epiſcopos olei benedictio primariò pertineat, meritò à Latinis presbyteris oleum aſſeruatur qui non poſſunt ordinariè illud conficere. Neque ſemper, & ubique habent præſentes Epiſcopos, qui ex officio ordinario oleum conſecrent. Græcorum verò presbyteri, ſi hanc benedictionem, ut & collationem unguenti Confirmationis, multaque alia non uſurpatint & extorſerint, ſed rectè ipſis à ſummis Pontificibus, & ſanctis patribus diſpenſata fuerint; ut interim juvat nos credere, facultates ejuſmodi eos à majoribus accepiſſe, cùm tamen conſtet hæc munia primariò Pontificum eſſe, etiam ex ipſorummet Græcorum ſententia; certè immerito in alienis officiis tanquam propriis gloriantur. Unde tanta licentia non paruam quandam ἀταξίαν, immò ingentes abuſus in res divinas, & Eccleſiaſticas intulit. Adeo ut modò non pudeat paſſim Græcorum presbyteros hoc oleum inſtar Sacramenti ex imperitia benevalentibus adminiſtrare. Quod ſi hoc non ſit adverſus traditionem Apoſtolicam, & Jacobi clariſſimis verbis expreſſam ſententiam, atque adeo ipſummet εὐχλόγιον, ubi ſanitas corporis, quæ velut amiſſa recuperetur, centies commemoratur, neſcio quid aliud unquam contrarium eſſe poterit.

Ecce tibi illud etiam, quod Latini hoc oleum extremæ Unctionis privatim conficiant, tantum abeſt, ut ſit verum, ut potiùs de Græcis hoc affirmare non dubitem, quippe ipſis in more poſitum ſit, in privatorum domibus, prout neceſſitas poſtulaverit, hoc oleum conſecrare; de Latinis penitus negem. Siquidem Pontifex auguſtiſſimis cerimoniis ſemel in anno illud publicè conſecrare ſolet. Sedenim hoc illud eſt, aliis propria dedecora adſcribere non erubeſcere. Cùm enim Simeon odio in Romanam Eccleſiam obcæcatus ad abſurdiſſima quæque præceps ruat, alios ſtabiles, ac bene firmos ipſe titubans, & lubricus ἐκτραχηλιάσθαι φαντάζεται.

Apoſtoli autem Marci 6. oleo ungebant infirmos, & multos ſanabant, ſed non per modum Sacramenti, partim ob defectum Miniſtri, cùm nondum eſſent Apoſtoli ſacerdotes, & per conſequens etiam nondum haberent facultatem adminiſtrandi hoc Sacramentum, & dimittendi peccata: partim quod ſubjectum non eſſet aptum ad ſuſcipiendum Sacramentum, cum inter infirmos multi eſſent cæci, claudi, & id genus, non tamen cum periculo vitæ decumbentes, item quidam non baptizati, qui omnes nulla ratione erant capaces hujus Sacramenti.

Quòd ſi dixeris, habuiſſe illam cerimoniam aliquam ſimilitudinem cum Sacramento extremæ Unctionis, & quodammodo iſtud adumbraſſe. Concedendum eſt ad eum modum quo Baptiſmus Joannis inſinuavit Baptiſmum Chriſti, cùm tamen longè alius foret. Et propterea Veteres ceremoniam illam, aiunt ſignificatam unctione Jacobi, ut eſt videre, tum in commentariis, & operibus Doctorum, tum in ipſo Euchologio, ubi accuratè hoc totum deſcribitur.

Sed quoniam ex Græcis patribus Oecumenius, & Theophylactus, & ex Latinis Beda in Commentariis Marci, & Jacobi quos ſequuntur Thomas Vvaldenſis tom. 2. de Sacramentis c. 163. & Alphonſus de Caſtro lib. de hæreſibus, verbo. Extrema Unctio, videntur dicere, eandem unctionem in utroque loco ſignificari; quamvis Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. illam unctionem adumbraſſe hoc Sacramentum doceat; ſi quis tamen velit eorum ſententiam tueri, dicendum eſt, cunctos illos ægrotos eo tempore ſanatos fuiſſe, quod illorum æternæ ſaluti expediret; ita etiam diſponente Domino ad probandam vim hujus Sacramenti. Unde ex eo facto perperam colligit Simeon, perpetuo tenore debere hoc idem fieri.

Poſtremò, pro complemento hujus argumenti objiciet aliquis. Si Sacramentum extremæ Unctionis per ſe, & primariò pertinet ad ſanandum animum, per accidens autem, aut certè ſecundariò ad corpus, cur non valeat, quæſo, adminiſtratum ob ſolam curationem animi, hoc eſt collatum homini corpore bene valenti, ægrotanti animo?

Respondeo, Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse à Christo Domino præcisè ad delendos morbos animi; Extremam verò Unctionem ex conditione modò superiùs explicato; tollit enim reliquias peccatorum, quæ non expiantur Sacramento Pœnitentiæ; cùm æger multa obliviscatur, atque etiam opera pœnitentiæ exercere non valeat, & ob eam causam forma unctionis precatione absoluitur. Et si conducit animæ saluti, confert etiam ægro corpori sanitatem. Unde egregiè profectò Emanuel Caleca: πάλιν ἐπειδὴ συμβαίνει καὶ ἐμπόδιόν τι περὶ τὴν σωματικὴν ζωὴν, καθὸ ἕκαστος ἀσθενεῖ, ἀναγκαίως εἰσάγεται ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἡ τοῦ ἀσθενῶς ζῶντος θεραπεία. τοῦτο δὲ θεωρεῖται καὶ κατὰ τὴν πνευματικὴν ζωήν. ὁ γὰρ ἄνθρωπος, διότι ἐστὶν αὐτεξούσιος, δύναται ἁμαρτάνειν, ὅταν ἔξω τοῦ λόγου, καὶ τῆς ἀκολουθίας τῶν ληφθέντων αὐτῷ μυστηρίων ἐνεργῇ τι. εἰ μὲν οὖν ἐν τῇ ψυχῇ γίνεται μόνον ἡ ἀσθένεια αὕτη, καὶ ἡ ἀποξεστὴ, διὰ τοῦ μυστηρίου τῆς μετανοίας ἐπανορθοῦται. εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ἁμαρτίας ἐπὶ τὸ σῶμα ἡ ἀσθένεια διαβαίνει, διὰ τὸ συμφέρον τοῦ τὴν ἁμαρτίαν πεποιηκότος (καὶ γὰρ πολλάκις ἀσθενεῖ τις διὰ ἁμαρτίας, ἵνα σωφρονισθῇ) ἐπανορθοῦται διὰ τοῦ μυστηρίου τοῦ εὐχελαίου, ὃ τελευταῖα λέγεται χρίσις. Rursus, inquit, quandoquidem contingit etiam aliquod impedimentum circa corporalem vitam, quatenus unusquisque infirmatur, necessariò ab externis adhibetur ægroto curatio. Hoc idem consideratur etiam circa vitam spiritualem. Homo enim, quoniam suapte natura liber est, potest peccare, quando extra rationem, atque tenorem Sacramentorum, quæ suscipit, aliquid agit. Igitur si tantum in anima fiat hæc ægritudo, etiam hujus ægritudinis aversio, atque populsatio per mysterium pœnitentiæ corrigitur. Si verò à peccato, quod est in anima, infirmitas ad corpus transeat, propter utilitatem illius, qui peccatum commiserit (sæpè enim infirmatur quispiam propter peccata, ut se ad frugem bonam recipiat) tunc emendatur morbus per mysterium Euchelæi quod extremam Unctionem vocamus. Sic Emanuel.

Et hæc quidem satis sint de hoc Sacramento.





DE SACRAMENTO ORDINIS.

LIBER SEXTUS.

DE NOMINE HUIUS SACRAMENTI.

CAPUT I.

SAcramentum hoc Græci communiter appellant χειροτονίαν. Quæ vox apud Scriptores Ecclesiasticos duo significat: aliquando electionem ipsam, & ψῆφον, suffragium; plerumque consecrationem, & initiationem ad aliquam dignitatem Ecclesiasticam. Ac de prima significatione nulla videtur esse difficultas. Etenim apud profanos auctores χειροτονεῖν significat creare magistratum, & χειροτονία est illa actio, quam præstabant in electione Magistratus, eò quòd αἴροντες seu τείνοντες τὰς χεῖρας, attollendo, & porrigendo manus efferrent suffragia; talis quippe mos erat apud Græcos, qui tamen ubique jam pridem exolevit. Cùm itaque Christiani populi in eligendis Episcopis eundem planè usum observarent, hinc factum est, ut idem nomen quoque retinuerint. Hoc enim tradit Zonaras Canonista in expositione 19. Canonis Concilij Antiocheni his verbis: πάλαι δὲ καὶ αἱ ψῆφοι χειροτονία ὠνόμαστο. ὅτε γὰρ τοῖς τῶν πόλεων πλήθεσιν ἐξῆν ἐκλέγεσθαι τοὺς ἀρχιερεῖς, συνῄεσαν τὰ πλήθη. καὶ οἱ μὲν τόνδε ᾑροῦντο, οἱ δὲ τόνδε. ἵνα οὖν ἡ τῶν πλειόνων κρατοίη ψῆφος, λέγεται τείνειν τὰς χεῖρας τοὺς τὴν ἐκλογὴν ποιουμένους, καὶ διὰ τούτων ἀριθμεῖσθαι τοὺς ἕκαστον ψηφιζομένους, καὶ τὸν παρὰ πλειόνων ᾑρημένον, εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην προκρίνεσθαι. κἀντεῦθεν ἐξειλήφθη τὸ τῆς χειροτονίας ὄνομα. Antiquitus verò, etiam suffragia Chirotonia nominabantur. Quo enim tempore penes urbium multitudinem electio Antistitum erat, conveniebat populus, alij hunc legebant, alij illum. Ut ergo plurium suffragium vinceret, dicuntur manus porrexisse illi, qui electionem faciebant, hisque numerasse eos, qui cuique suffragati fuissent, & illum, cui plura suffragia contigissent, in pontificalem sedem promovisse. Hinc Chirotoniæ nomen desumptum est. Hactenus Zonaras; Qui tamen quod ait postremò, sumptum esse nomen χειροτονίας ab illa actione populorum, qui eligebant Episcopos, si ita intelligat, ac si antea non fuisset ille usus apud gentiles, & profanos, fallitur. Nam hujus vocis meminerunt probatissimi auctores primæ classis, Demosthenes, Xenophon, & alij. Sed hæc obiter. Redeo ad commemoratam vim hujus nominis, secundùm quam intelligendus est canon 4.

Concilij Nicæni, qui ſtatuit: καθίστασθαι ἐπίσκοπον, & χειροτονίαν ποιεῖσθαι, hoc eſt, ψηφίζεσθαι, ſuffragiis Epiſcopum legi, vel ab omnibus provinciæ Epiſcopis, vel ſaltem à tribus, cęteris interim aſſenſum ſuum per literas teſtantibus. Ita etiam intelligunt nonnulli Canonem 6. Concilij Sardicenſis, qui ait, εἰ δέ τινι ἐπαρχίᾳ εἷς μόνος ἐπίσκοπος κατελήφθη, κἀκεῖνος παρὰ τοῦ μητροπολίτου κληθεὶς εἰς ἐπισκόπου χειροτονίαν μὴ παραγένηται, μήτε μὴν ἀντιγράφῃ, τὸ ἱκανὸν ὁ μητροπολίτης ἐχέτω. Si alicui Provinciæ unus duntaxat Epiſcopus reliquus fuerit, atque is à Metropolitano accerſitus, ad Epiſcopi Chirotoniam (hoc eſt electionem) non venerit, neque reſcripſerit, ſufficientiam Metropolitanus habeat. Addit σχόλιον Philotheus (puto Patriarcha Conſtantinopolitanus) τουτέστιν, ἱκανὸς ἔστω καὶ μόνος ὁ μητροπολίτης εἰς τὸ ψηφίσασθαι. οὐ γὰρ καὶ χειροτονήσει μεμονωμένος αὐτός, εἰ μὴ κατὰ τὸν ἀποστολικὸν κανόνα. Hoc eſt, ſolus Metropolitanus ſufficiens & idoneus eſto ad eligendum Epiſcopum. Non enim ipſe ſolus ordinabit, niſi ſecundum Apoſtolicum Canonem. Certè in hunc ſenſum accipitur Canon 19. Concilij Antiocheni: ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου, καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας. τούτου δὲ παρόντος ἐξ ἅπαντος βέλτιον μὲν συνεῖναι αὐτῷ πάντας τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ συλλειτουργούς, [συλλειτουργοὺς, Epiſcopi appellabant eos Coepiſcopos, & Preſbyteros, immò & Diaconos, qui ejuſdem profeſſionis fidei, & communionis eſſent. Quos propterea unà ſecum ad celebrandum ſacrum & λειτουργίαν admittebant.] καὶ προσήκει διʼ ἐπιστολῆς τὸν ἐν τῇ μητροπόλει συγκαλεῖν. καὶ εἰ μὲν ἀπαντοῖεν οἱ πάντες, βέλτιον. εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τοῦτο, τούς τε πλείους ἐξ ἅπαντος παρεῖναι δεῖ, ἢ διὰ γραμμάτων ὁμοψήφους γίνεσθαι. καὶ οὕτω μετὰ τῆς τῶν πλειόνων ἤτοι παρουσίας, ἢ ψήφου γίνεσθαι τὴν κατάστασιν. εἰ δὲ ἄλλως παρὰ τὰ ὡρισμένα γίνοιτο, μηδὲν ἰσχύειν τὴν χειροτονίαν. εἰ δὲ κατὰ τὸν ὡρισμένον κανόνα γίγνοιτο ἡ κατάστασις, ἀντιλέγοιεν δέ τινες διʼ οἰκείαν φιλονεικίαν, κρατεῖν τὴν τῶν πλειόνων ψῆφον. Epiſcopus ne eligatur abſque ſynodo, & præſentia Metropolitani provinciæ. Eo tamen præſente omnino melius eſt, omnes unà cum eo adeſſe, qui ſunt in provincia comminiſtri, & oportet per Epiſtolam Metropolitanum eos convocare: & ſi omnes quidem accerſerint, bene eſt; ſin autem hoc fuerit difficile, plures omnino adeſſe oportet, vel per literas una cum illis ſuffragium ferre, & ſic cum plurium præſentia, vel ſuffragio fieri conſtitutionem. Sin autem aliter præter hæc, quæ decreta ſunt, fiat, non valeat Chirotonia. Quòd ſi ex præfinito canone facta fuerit conſtitutio, aliqui autem litigandi ſtudio contradicant, vincat plurium ſuffragium. Hic clariſſimè per χειροτονεῖσθαι, & χειροτονίαν eligere, & electionem Canon intelligit; tum quod ad conſecrationem non omnes Epiſcopi Provinciæ convenirent (quamvis Anacletus, modò ſit Anacletus, ſed quicumque ſit, refert morem ſui temporis, in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, omnes provinciæ Epiſcopos ad ordinationem Epiſcopi debere convenire auctoritate Apoſtolica decernat, niſi & ipſe per ordinationem electionem intelligat) tum etiam quòd conſecratio valida fuiſſet, quamvis cum peccato, & contra Canones. At hîc χειροτονία ſi ex conſenſu aliorum non fiat, nulla eſt; ut propterea hoc nomine electio intelligi debeat. Quòd etiam magis clarum facit Canon, dum ait in fine, plurium ſuffragium vincat. Ita etiam interpretatur Zonaras, qui reddit quoque rationem, cur hujuſmodi Canones fuerint conditi: τὸ παλαιὸν οἱ δῆμοι τῶν πόλεων ἡροῦντο τοὺς ἐπισκόπους. ὅτι δὲ στάσεις ἐντεῦθεν ἠγείροντο, διὰ τοῦτο τοῖς ἐπισκόποις ἑκάστης ἐπαρχίας τὸ περὶ τῆς τῶν ἐπισκόπων καταστάσεως ἀνετέθη ψήφισμα. Olim, inquit, populi civitatum eligebant Epiſcopos. Quoniam verò ſeditiones excitabantur, propterea uniuſcujuſque provinciæ Epiſcopis commiſſum eſt munus eligendi Epiſcopos. His annumera Canonem quintum Concilij Laodiceni, qui ſtatuit, μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι. Non debere Chirotonias præſentibus auditoribus fieri. Ubi Zonaras, χειροτονίας τὰς ψήφους ὠνόμασεν. ἐν καὶ τῇ τελεσιουργίᾳ τοῦ ἀρχιερέως μᾶλλον ἔθος πολλοὺς συνέρχεσθαι. ἐν δὲ ταῖς ψήφοις, διὰ τὸ εἰσάγεσθαι καί τινα αἰτιώματα κατὰ τῶν ψηφιζομένων

ἀνδρῶν, ἀπηγόρευται τὸ παρεῖναί τινα καὶ ἀκροᾶσθαι τούτων. Chirotonias suffragia Canon appellavit: nam alioquin in Pontificis inauguratione plurium mortalium concursus fieri solet. At in efferendis suffragiis propterea vetitum est, homines adesse, & audire, quòd nonnulla crimina in eos, de quibus feruntur suffragia, objiciantur.

Hoc itaque significat χειροτονία, nimirum electionem ad aliquod officium, seu dignitatem, æquè apud profanos, & sacros auctores. Uerùm quia profani præter electionem nihil aliud addebant, sed hoc ipso magistratus creatus esse existimabatur, vel si fortè varias cerimonias adhibebant, non tamen iterum manus porrigebant; Nostri verò sacrorum Antistites, & eorum successores præter electionem, in ipsa consecratione manus similiter extendebant, & initiatis imponebant, ut etiam nunc extendunt, atque imponunt. Hinc factum est, ut apud profanos hæc vox χειροτονία nullam aliam habeat significationem præter electionem; apud Ecclesiasticos alterum quoque significet, videlicet ipsam consecrationem, inaugurationem, & initiationem, ut rectè observarunt Canonistæ Græcorum. Zonaras in expositione 19. Canonis Concilij Antiocheni illis verbis: οὐ μόνον δὲ ἐπίσκοποι, ὡς εἴπομεν, ἐπισκόπους καὶ ἱερεῖς ἐξέλεγον καὶ ἐτελείουν, καὶ οὐχὶ οἱ λαϊκοί, ἀλλὰ καὶ χειροτονία τοῖς κανόσι νοεῖται ἡ τῆς καθιερώσεως τοῦ ἱερᾶσθαι λαχόντος τελεσιουργία τῶν εὐχῶν, καὶ ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος τελεσιουργὸς ἐπίκλησις. ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα, εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον. Non solùm autem Episcopi, ut diximus, Episcopos, & sacerdotes eligebant, & consecrabant, & non laici: sed etiam Chirotonia in canonibus intelligitur ipsa consecratio, qua, qui sacrum ministerium sortitus est, per orationes perficitur. Et Sancti spiritus initiatrix, & consecratrix invocatio. Diciturque Chirotonia, quòd Pontifex extendat manum, dum eum benedicit, quem ordinat.

Et Armenopolus in sua epitome Canonum, dum explicat primum Canonem Apostolicum: ὁ μὲν τῶν ἀποστόλων κανὼν περὶ καθιερώσεως καὶ χειροθεσίας φησίν. ὁ δὲ τῆς δευ- της συνόδου περὶ ψήφου. ταύτην γὰρ κατάστασιν καὶ χειροτονίαν καλεῖ. Canon, inquit, iste Apostolorum de consecratione, ac manuum impositione loquitur. Primæ verò Synodi Canon de electione. Hanc enim & constitutionem & Chirotoniam vocat. Sic ille.

Porro ex hac posteriori notione vocatur Sacramentum ordinis χειροτονία, quæ alio vocabulo dicitur χειροθεσία, ἐπίθεσις, & ἐπιβολὴ τῶν χειρῶν. Hoc significatu accipitur etiam verbum χειροτονῶ, & χεῖρας ἐπιτίθημι, tum in primo Canone Apostolorum, ubi dicitur, ἐπίσκοπος ὑπὸ δύο, ἢ τριῶν ἐπισκόπων χειροτονείσθω. Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis per manus impositionem ordinetur. Et Can. 9. Concilij Nicæni, τοῖς τοιούτοις χεῖρας ἐπιτεθήκασι, talibus manus imposuerunt, hoc est eos ordinarunt. Et sæpe alibi, tum Actor. 14. χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Cùm creassent illis manuum impositione presbyteros per Ecclesias. Dum enim alibi Apostoli χειροτονοῦσι, Scriptura sacra, cùm orassent, inquit, imposuerunt illis manus. Iste enim est mos, & usus Ecclesiæ. Estque hoc modo χειροτονία, electio alicujus in aliquam dignitatem Ecclesiasticam. Consecratio item ejusdem per impositionem manuum.

Idem Sacramentum multis appellatus χρίσις, unctio, & χρίειν, apud præstantiores Doctores idem est aliquando, atque sacris aliquem imbuere. Nazianzenus oratione quinta, cujus initium, Nihil senectute fortius: διὰ τοῦτο χρίεις τὸν ἀρχιερέα. Idcirco me pontificem ungis. Ibidem: εἰ δὲ καὶ ἄξιον ὑμῶν τε τῶν χριόντων, καὶ ὑπὸ οὗ, καὶ εἰς ὃν ἡ χρίσις, οἶδε τοῦτο ὁ πατὴρ τοῦ ἀληθινοῦ καὶ ὄντως Χριστοῦ, ὃν ἔχρισεν ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους αὐτοῦ, χρίσας τὴν ἀνθρωπότητα τῇ θεότητι. Dignum-ne verò & vobis qui ungitis, & eo propter quem peragitur, in quem tendit hæc unctio, perspectum hoc habet pater veri illius, ac genuini uncti, quem exultationis oleo præ consortibus suis perfudit, cùm humanitatem divinitate unxit. Et in oratione septima, cùm ordinaretur Episcopus Sasimorum, πάλιν ἐπ' ἐμὲ χρίσμα καὶ πνεῦμα, rursum super me unctio, & Spiritus. Item oratione 41. quæ incipit, Resur-

rectionis dies, μυστήριον ἔχρισέ με, mysterium unxit me, hoc est festum: ac si diceret, in die festo sacerdos factus sum. Et in oratione in laudem magni Basilij: κινεῖ γὰρ (τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) ἐκ τῆς ὑπερορίας τοὺς χειροῦντας ἄνδρας, ἐπ' εὐσεβείᾳ γνωρίμους καὶ ζηλωτάς. καὶ μετὰ τούτων τὸν νέον Ἀβραάμ, καὶ πατριάρχην ἡμέτερον, τὸν ἐμὸν πατέρα. Nam ad eum (Basilium) ungendum viros pietate claros, ac zelo flagrantes ab exteris regionibus (Spiritus sanctus) excitat. In iisque novum Abraham, & Patriarcham nostrum, parentem, inquam, meum. Ibidem de suo parente: νέος ἐπανέρχεται, εὐσθενής, ἄνω βλέπων, ῥωσθεὶς ἐκ τῆς χειρὸς καὶ τῆς χρίσεως, οὐ πολὺ τοῦ εἰπεῖν, ὅτι καὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ χειροθετοῦντος. Iuvenis redit, firmus, ac valens, oculos erectos habens à manuum impositione, & unctione, addo etiam, & ab illius qui ungebatur capite roboratus. De sancto Chrysostomo ita scribit Metaphrastes: τῷ ἱερατικῷ χρίσματι τελειοῦται, καὶ τῷ τῆς ἐκκλησίας ὕψει συνείζεται. Sacro chrismate consecratur, & in excelso loco Ecclesiæ collocatur. De Gregorio Palama, cæteroquin schismatico, immò hæretico, & ψευδαγίῳ, quem recentiores Græci celebrant 2. Dominica Quadragesimæ, in vita illius sic habes: τὸ μέγα χρίσμα τῆς ἱερωσύνης ἐδέξατο, magnum Chrisma sacerdotij suscepit. Et in tropariis ad ipsum: μύρῳ ἐσφραγίσθης τῆς ἀρχιερωσύνης. Unguento consignatus es Pontificatus.

Sed quæritur utrum re ipsa adhibita unctio materialis, quæ spiritualem significaret, & ex ea nominatum sit Sacramentum unctio; an merè propter spiritualem? Nam unguentum illud antiquæ legis (ut rectè observavit Nicetas in oratione 6. Nazianzeni) quod primum ipsum caput ornabat, deinde barbam, ac postea usque ad extrema ipsius indumenta defluebat, allegoricè Spiritum sanctum nobis designat. Hìc enim totius primùm corporis caput, hoc est Christum implebat. Deinde ad Apostolicum chorum, qui faciei Christi ornatus erat, dimanabat: ac postea in totum corpus, id est in Ecclesiam, labebatur. Quia ergo in Sacramento ordinis initiatis confertur Spiritus sanctus, quem indicat unguentum, inde meritò Sacramentum hoc appellari potest unctio.

De Latinis loquendo negari non potest, quin propter utrumque rectè dici debeat hoc Sacramentum unctio. Sic enim habent in usu, ut ex Pontificali Romano constat. Quamvis materialis unctio non sit de essentia Sacramenti: Ejus tamen mentionem facit Anacletus in Epistola ad Episcopos Italiæ, Pacianus Ambrosij coætaneus in Epistola 3. ad Sympronianum, Auctor de operibus Cardinalibus Christi in sermone de Chrismate, & Gregorius libro 4. in libros Regum cap. 5.

Quia verò Græcis non idem mos est, idcirco quærimus, An aliquando uncti materialiter fuerint, & eam deinde cerimoniam neglexerint, vel eam numquam adhibuerint?

Partem affirmativam adstruere videtur Dionysius Areopagita de Eccles. Hier. cap. 4. quippe qui ait, Pontificem uti sacro unguento in omni fere consecratione Pontificali, & rationem reddit. Quia enim unguentum Christum significat, Christus autem est verus Deus, & verus homo, atque ut homo à Spiritu sancto sanctificatur, ut Deus aliis Spiritum sanctum impertit, & eos sanctificat; idcirco unguentum & sanctificatur à Pontifice, & per illud Pontifex alias consecrationes sanctificat. Sic igitur habet Dionysius: αὐτῷ χρῆται (ὁ ἱεράρχης) πρὸς πᾶσαν σχεδὸν ἱεραρχικὴν τελεσιουργίαν. Illud adhibet in omni fere Pontificio munere. At unum præcipuum & frequentissimum munus est consecrare sacerdotes, quamvis sacerdotes apud Latinos non unguento, sed oleo Catechumenorum inungantur, unguento verò Episcopi. Et in Theoria: καὶ προσέτι τὸ θειότερον, ὅτι τῷ θείῳ μύρῳ χρῆται πρὸς παντὸς ἱεροῦ τελεσιουργίαν, ἐναργῶς ὑποδεικνύουσα (ἡ ἱεραρχία) κατὰ τὸ λόγιον ἁγιάζοντα τὸν ἁγιαζόμενον. Quodque etiam divinius est, divinum unguentum in cujusvis rei sacræ consecratione adhibet, apertè demonstrans eum, qui sanctificatur, alios sanctificare, quemadmodum sacra Scriptura tradit. & circa finem capitis: ἔστι γὰρ αὐτὴ τελετὴ, καὶ τὸ δι' ἡμᾶς

ἀνθρωποπρεπῶς ἁγιάζεσθαι, καὶ τὸ θεουργικῶς ἅπαντα τελεῖν καὶ ἁγιάζειν τὰ τελούμενα. Est enim ejus τελετὴ, id est sacra operatio, & causa nostra ut hominem sanctificari, & ut Deum tum perficere, tum sanctificare, quæ perficiuntur omnia. Sic Dionysius.

Sanctus Maximus confessor, scholiastes Dionysij: δι' αὐτοῦ γὰρ ἅπαν ἅγιον τελειοῦται. Per unguentum, inquit, omne sanctum perficitur. In iisdem scholiis ejusdem 4. cap. τελειοῖ γὰρ πάντα τὸ θεῖον μύρον ἐπιχριόμενον ὥσπερ ἡ μετάληψις τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος. Perficiuntur enim omnia divino unguento delibuta, quemadmodum participatione sancti corporis, & sanguinis.

Job Monachus, voluntario cognomento peccator, iterari ait Sacramenta varias ob causas. Unguentum verò geminari duplici de causa docet: ἢ ἐξ ἀνάγκης, ἢ τάξει τινὶ, vel necessitate, vel ordine quodam (dignitatis ac loci.) Necessitatem interpretatur in hæreticis & apostatis, qui vi tormentorum adducti deserunt fidem; & apud recentiores Græcos denuo inunguntur, quando redeunt ad fidem Catholicam. Ordine quodam dignitatis intelligit inaugurationem Regum, & Pontificum: τάξει δέ τινι (ἐπιτελεῖται τὸ θεῖον μύρον) καὶ ἐν τῇ τελετῇ τῆς βασιλικῆς διαδηφορείας, ἢ παρά τισι καὶ ἱεραρχικῆς προεδρείας ἄνωθεν εἴωθε γίνεσθαι. καὶ τούτοις γὰρ προκεχρισμένοις πάντως, ὡς ἔθος πᾶσι μετὰ τὸ βάπτισμα, ὅμως αὖθις θείου μύρου σφραγὶς περιχρίεται. Ordine verò quodam dignitatis administratur divinum unguentum in initiatione regum, cùm in sella collocantur. Vel apud nonnullos denuo fieri solet in consecratione Pontificiæ præcedentiæ. Hi enim, quamvis omnino antea, ut moris est apud omnes, post baptismum unguento sint obliti, nihilominus rursum divini unguenti sigillo inunguntur. Hæc probant unctionem materialem Græcis aliquando usitatam fuisse.

Contrà verò nonnulli Græcorum sentiunt eam unctionem spiritualiter tantùm debere intelligi. Idque, meâ sententiâ, facilè adducuntur ut credant, propter præsentem morem Orientalis Ecclesiæ, quæ sacerdotes, & Pontifices ungere minus consuevit.

Cabasilas in oratione 3. de vita in Christo, ubi agit de unguento, probat unguentum, hoc est, Sacramentum Confirmationis, quandoque appellari manuum impositionem, & impositionem manuum, hoc est, Sacramentum Ordinis à præstantissimis Theologorum vocari unctionem, videlicet propter eundem effectum, quem producunt hæc Sacramenta: tam enim unctione, quàm impositione manuum datur affluenter Spiritus sanctus, & imprimitur character. Unde dicunt: ἐσφραγίσθη τῷ μύρῳ τῆς ἀρχιερωσύνης. Consignatus est unguento Pontificatus. Quod etiam probat Cabasilas inde sumpto argumento, quia in veteri lege sacerdotes, & reges ungebantur: modò in lege nova baptizatis, cùm confirmantur, tanquam regibus præbetur unguentum, sacerdotibus loco unguenti manus imponuntur, per quas accipiunt Spiritum sanctum. Unde & nomina promiscuè usurpantur.

Neque ista usurpatio nominum ob effectum insolita est sacris Doctoribus, quippe Nazianzenus Baptismum ob eandem causam vocat χρίσμα, quod regius sit, & Reges efficiat.

Sed redeo ad Nicolaum Cabasilam, cujus sunt hæc verba: καὶ γίνεται νῦν τοῖς τελουμένοις, ὅπερ ἐπὶ τῶν προτέρων χρόνων αἱ τῶν ἀποστόλων χεῖρες τοῖς ὑπ' ἐκείνων βαπτιζομένοις. καὶ γὰρ ἐπιτιθέντων τὰς χεῖρας τῶν ἀποστόλων, τοῖς μεμυημένοις, φησὶ, τὸ πνεῦμα ἐδίδοτο. καὶ νῦν ὁ παράκλητος τοῖς χριομένοις ἐπιδημεῖ. τεκμήρια δὲ πρῶτον μὲν τῶν παλαιοῦ νόμου καὶ βασιλέας χρίοντος τὸν ἴσον τρόπον καὶ ἱερέας. ὁ τῆς ἐκκλησίας θεσμὸς ἐκείνοις τῷ μύρῳ βασιλεύων, τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιτίθησι χεῖρας, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος εὔχεται χάριν. ὅπερ ἐστὶ δεικνῦντος καὶ τοῦτο κἀκεῖνο πρὸς ταυτὸ φέρειν, καὶ τὴν αὐτὴν ἄμφω δύναμιν ἔχειν. ἔπειτα καὶ τῶν ὀνομάτων κοινωνοῦσιν ἀλλήλοις. καὶ χρίσμα μὲν ἐκεῖνο, πνεύματος δὲ κοινωνίαν τοῦτο. τὴν τε γὰρ τῶν ἱερέων χειροτονίαν οἱ θειότατοι τῶν ἱερέων χρίσιν καλοῦσι. καὶ ἔμπαλιν, οἷς τὸ μυστήριον τοῦ μύρου τελοῦσι, κοινωνοὺς τοῦ ἁγίου πνεύματος εἶναι, καὶ εὔχονται καὶ ποιοῦσι. καὶ τὴν τελετὴν ὅ, τι ποτέ ἐστι τοῖς τελουμένοις δεικνῦντες, πνευματικῆς δωρεᾶς σφραγῖδα καλοῦσι. τοῦτο γὰρ ἐπᾴδουσι τοῖς χριομένοις. Fitque modo initiatis, quod antiquis temporibus fiebat per Apostolicas manus bap-

tizatis. Manus enim, inquit, Apostolis imponentibus, dabatur initiatis Spiritus sanctus. Modò etiam Paracletus iis, qui unguntur, obtingit. Argumenta verò sunt, primò quidem quòd cùm antiqua lex æquè Reges, & sacerdotes ungeret, Ecclesiæ lex illos unguento Reges constituens, sacerdotibus manus imponit, & Spiritus gratiam precatur. Quo sanè declarat & manuum impositionem, & unctionem eodem pertinere, & ambas eandem vim habere. Deinde communicant quoque inter se nomina, & unctio quidem illud Sacramentum, Spiritus verò communicatio istud est. Nam & sacerdotum per impositionem manuum ordinationem, divinissimi sacerdotum unctionem appellant. Et contra quos Sacramento unguenti perficiunt, ut participes sint Spiritus sancti, & precantur & credunt, atque initiationem, cujusmodi tandem sit, initiatis ostendentes, spiritualis gratiæ sigillum nominant. Istud enim sacri carminis iis, qui unguntur, canunt. Sic illè.

Elias Metropolita Cretensis, scholiastes Nazianzeni in oratione septima super illa verba, rursum super me unctio, & spiritus, ita disserit: πάλιν εἶπεν, διὰ τὸ τῆς ἱερωσύνης χρῖσμα, ὑφ' οὗπερ ἤδη περιεκέχριστο. πλὴν πάλαι μὲν, ὡς ἐν πολλοῖς πολλάκις περὶ τούτου εἴπομεν, τῷ νομικῷ τε καὶ τυπικῷ οἱ ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς ἐχρίοντο χρίσματι. ὕστερον δὲ τῷ πνευματικῷ, ὅπερ ἐστὶ χειροθεσία καὶ τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπίκλησις καὶ ἁγιασμός. Rursus, dixit Nazianzenus, propter sacerdotij unctionem, quam prius jam acceperat. Porro veteres sacerdotes & Pontifices, ut sæpe alibi de hac re diximus, unctione legali, & typica ungebantur. Legis autem novæ sacerdotes spirituali, quæ quidem in manuum impositione, & Spiritus sancti invocatione, atque consecratione posita est. Sic ille.

De sancto quoque Nicolao ita canit Ecclesia Græca: μύροις παρῳκήσας αἰσθητῶς, μύρον ἀληθῶς ἀνεδείχθης, μύρῳ χρισθεὶς νοητῷ, ἅγιε Νικόλαε, ἀρχιεράρχα Χριστοῦ. καὶ μυρίζεις τὰ πρόσωπα τῶν πίστει καὶ πόθῳ, σοῦ τὴν πανᾴδιμον μνήμην τελούντων ἀεί. Myræ qui tanquam advena corporaliter habitasti, unguentum re vera evasisti, unctus unguento intelligibili, sancte Nicolae, Pontifex Christi, & unguento imbuis facies eorum, qui fide, ac desiderio tuam semper celebrant sempiternam memoriam.

Hîc fit allusio copiosa. Nominatur enim partim locus ac civitas Myræ, Lyciæ Metropolis, quæ unguentum exprimit; partim vir sanctus, qui bonus odor Christi extiterit; tum illius tanquam Pontificis consecratio, quæ spirituali unguento fit absoluta: demum mirificum unguentum, quod è sacro corpore Nicolai perpetuò manat, quo, qui adsunt celebritati, se inungunt.

Simeon Thessalonicensis in libro de Sacramentis in hac unctione materiali videtur velle reprehendere Latinos, quippe de Græcis ita scribit: καλῶς δὲ οὐ χρίονται οἱ χειροτονούμενοι αἰσθητῶς, ὅτι οὐδὲν ὑλικὸν ἐνεργοῦσιν, ἀλλὰ πάντα πνευματικά. καὶ ὅτι τῷ ἀληθινῷ προσεγγίζουσι μύρῳ, ὅπερ ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστὸς, οὗ μύρον ἐκκενωθὲν ὄνομα. Rectè verò non unguntur sensibiliter qui ordinantur, quòd nihil materiale, sed omnia spiritualia exerceant, quodque vero unguento proximè accesserint, quod sanè Jesus Christus est, cujus nomen unguentum effusum.

Sed hæc ratio Thessalonicensis nullo fundamento innititur, & falsa est. Cùm enim Christus Dominus instituerit Sacramenta in rebus partim sub sensum cadentibus, partim intelligentia comprehensis, idque in gratiam nostri, quippe nos etiam animo, & corpore constamus; ineptè concludit, non esse materialiter ungendos. Potuisset enim esse materia hujus Sacramenti unctio, si ita Christo Domino visum fuisset. Sed etiam si non sit, nihil refert, multæ enim cerimoniæ materiales sunt in omnibus Sacramentis, ut unctiones olei Catechumenorum in Baptismate, & alia id generis, quæ non sunt de essentia Sacramenti, nec tamen eas respuimus. Vel dicamus in Sacramento Confirmationis non esse ungendos baptizatos, quòd ibi nihil materiale agatur. Vel dicamus (si unguntur materialiter) confirmatos non appropinquare Christo, qui est unguentum spirituale nostrâ causâ effusum. Item nulla porrigantur instrumenta ordinandis, cùm

illa sint crassa, & nimis αἰσθητὰ, & tamen ibi nihil materiale fiat, hoc est merè sæculare, alioquin multa materialia fiunt. Quæ omnia quàm sint absurda, nemo non videt.

Ego in primis cum cæteris Theologis assero, hanc cerimoniam esse quidem Sacramentalem, sed accidentalem, quia minimè impartitur Spiritus sanctus: alioquin si per eam impartiretur, esset materia essentialis Sacramento; ea tamen significatur Spiritus sanctus, qui postea per manuum impositionem confertur.

Secundò dico, eam in Ecclesia Græca minimè requirendam esse, si aliquando non fuit in usu. Nam Ecclesiæ antiquissimæ Orientis, & Occidentis, cùm egregiè conveniant inter se in iis, quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent; in multis aliis cerimoniis differunt, quarum diversitate variè, ac mirificè ornantur.

Tertiò dico, mihi videri hanc cerimoniam nunquam ab Ecclesia Græca usurpatam fuisse, inde sumpto argumento, quòd Chrysostomus dicat Sacerdotes veteris legis unctos fuisse: idem autem dixisset & de nostris, si mos fuisset eos ungendi. Sic enim habet in morali digressione primæ orationis in primam ad Timotheum secundum divisionem Græcorum, juxta verò Latinorum in morali 2. orationis: τούτῳ (τῷ μύρῳ) χριόμεθα, ὅταν βαπτιζώμεθα. τότε καλὸν ἀποπνέομεν. τὸ δὲ καὶ εἰς τὸ ἑξῆς τούτου ἀποπνεῖν, τῆς ἡμῶν ἐστι σπουδῆς. διὰ τοῦτο καὶ παλαιὸν μύρῳ ἐχρίοντο οἱ ἱερεῖς, τῆς ἀρετῆς σύμβολον διδόντες. ὅτι τὸν ἱερέα καλὸν ἀποπνεῖν δεῖ. Hoc unguento ungimur, cùm baptismatis fonte renascimur. (Hoc dicit Chrysostomus propter Confirmationem, quæ post baptisma statim administrabatur.) Tunc fragrantiam spiramus, postea verò hujusmodi odorem spirare, studij nostri fuerit; idcirco & antiquitus unguento inungebantur sacerdotes, magnæ virtutis indicium præferentes. Quippe eum, qui sacerdotio fungitur, odorem spirare optimum convenit. Item quòd Dionysius Areopagita minutissimè describat sacros ordines Episcopi, Presbyteri, & Diaconi (juxta cujus normam hi ordines hodie exercentur apud Græcos) nulla prorsus facta mentione in ordinatione Pontificis, & presbyteri unctionis, cùm alioquin alias cerimonias, quantumvis licet accidentales, commemorare non omittat.

Est autem observandum, Dionysium in Contemplatione recensere, quænam sint communia Pontifici cum Presbytero, & Diacono, quæ cum solo Presbytero, quæ sibi propria; & certè unctio esset illi communis cum sacerdote, de qua tamen non agit, quamvis nullo pacto silentio prætereunda fuisset.

Quare ad auctoritates Dionysij respondeo, eum ibidem explicare, quænam sint ea fermè omnia, in quibus utatur unguento Pontifex. Atque ait, eum adhibere unguentum in benedictione aquæ baptismatis, quæ unguento perfunditur. In confirmatione baptizatorum, & consecratione altaris. Consecrationem sacerdotum nequidem nominat. Atqui si in ea illud ordinandis Pontifex adhibuisset, cùm præcipua, & propriissima illius sit functio, quam cum alio inferiore communicare non potest, nedum ei prætermittenda, sed etiam primo loco in exemplis ponenda fuisset. Quare idem Doctor propositionem quasi universalem statim exemplis coarctat, ostendens quomodo intelligi debeat.

Et similiter interpretandus est sanctus Maximus: alioquin si omnibus adhibendum est unguentum, igitur Diaconis etiam, Subdiaconis, & cæteris.

Ad loca Nazianzeni respondeo, eum mysticum unguentum intelligere, quo sacerdotes unguntur, ut ipsemet testatur in 2. oratione contra Julianum Apostatam his verbis: ἔχω τι καὶ μύρον, ἀλλ' ᾧ χρίονται μόνον ἱερεῖς τε καὶ βασιλεῖς, ὄντι ποικίλῳ τε καὶ πολυτελεῖ, καὶ δι' ἡμᾶς κενωθέντι, μεγάλου μυρεψοῦ τέχνῃ συγκείμενον. Unguentum quoque ipse quoddam habeo (sed quo sacerdotes solùm & Reges unguntur, ut pote vario, & exquisito ac nostra causa effuso) magni unguentarij arte confectum.

Ubi Elias Scholiastes: πεπείσμεθα δὲ καὶ τὸν δεσπότην Χριστὸν, μύρον εἶναι ὑπερουσίως εὐῶδες νοητοῖς διαδόσεσι τὸ νοερὸν ἡμῶν τε ἐπὶ τὰ χείρω ῥοπῆς καθαρεῦον, [fortassis καθαῖρον, vel ἀκ

καθαίρον.] ἀποπλήσσων τε θείας ἡδονῆς. μύρον οὐκ ἐξ ἀρωμάτων αἰσθητῶν, οὐδ' ἀνθρωπίνη τέχνη, ἀλλ' ἐκ θεότητος καὶ τῶν παναγνῶν καὶ παρθενικῶν αἱμάτων, καὶ τέχνη μεγάλου μυρεψοῦ συγκείμενον. καὶ τοῦ λόγου μάρτυς ὁ Γαβριὴλ πρὸς τὴν παρθένον λέγων, πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. ᾧ μόνῳ χρίονται οἱ κυριεύοντες τῶν παθῶν καὶ βασιλεύοντες, καὶ οἱ θύοντες ἑαυτοὺς καθεκάστην κατὰ τὸν μέγαν ἀπόστολον λέγοντα, καθημέραν ἀποθνήσκομεν. περὶ οὗ καὶ ἡ ἐν τῷ ᾄσματι νύμφη φησί, μύρον ἐκκενωθὲν ὄνομά σου. ἐκκένωται γὰρ τῆς ἑαυτοῦ δόξης ἐπὶ μικρόν. Nobis verò illud persuasum est, Christum quoque vnguentum esse, præcellentem quendam in modum fragrans, per spirituales infusiones mentem nostram à propensione in vitium repurgans, ac divina lætitia cumulans. Unguentum, inquam, non ex sensibilibus aromatibus, nec arte humana, verùm ex deitate, ac purissimis, & virgineis sanguinibus magni unguentarij arte, ac solertia conflatum. Ac sermonis hujusce testis est Gabriel ad Virginem dicens, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit ibi. Quo solo ij unguntur, qui turbulentis animi permotionibus dominantur, & imperant, & qui se ipsos quotidie mactant instar magni Apostoli dicentis, quotidie morimur. De quo etiam sponsa in Canticis ait, Unguentum exinanitum nomen tuum, siquidem ad exiguum tempus à sua gloria exinanitum est. Sic ille.

Quocirca idem Theologus, ubi dicit, rursum super me unctio, continuò addit, & Spiritus, quasi explicans quænam sit illa unctio: alioquin per illam unctionem non datur Spiritus sanctus. Et in oratione in laudem Basilij, cùm de suo parente dixisset, eum juvenem, firmum, ac bene valentem à sacra unctione roboratum rediisse, statim ibidem inter adagia de sanitate solita usurpari, enumerandum esse ait, unctionem Spiritus: τοῦτο προσκείσθω τοῖς παλαιοῖς διηγήμασιν, ὅτι πόνος ὑγείαν χαρίζεται, καὶ προθυμία νεκροὺς ἀνίστησι, καὶ πηδᾷ γῆρας χρισθὲν τῷ πνεύματι. Hoc, inquit, ad priscas narrationes accedat, quòd labor sanitatem affert, & animi alacritas mortuos excitat, & exilit senectus spiritu delibuta.

Atque ita interpretamur Nazianzenum, Metaphrastem, & alios propter auctoritatem Dionysij, Chrysostomi, & usum Ecclesiæ Græcæ; Alioquin possemus eos aliter etiam explicare. Nam cùm unguentum materiale, spirituale significet, & utraque simul optimè stare possint; liberum foret sacris Doctoribus modò unum, modò alterum, & aliquando utrumque intelligere, & quando unum nominarent, non propterea excluderent alterum.

Dices, argumentum negativum non esse solidum ad probandum, quod assumpsimus. Non enim quia Dionysius unctionis non facit mentionem, propterea sequitur, signum esse, non fuisse adhibitam. Non enim affirmat esse adhibendam, sed etiam non negat, vel contrarium imperat.

Respondeo, istud genus argumentandi planè infirmum esse, quando non concordat cum usu illius Ecclesiæ, secus verò quando convenit: præterquam quod etiam defecisset in re haud parui momenti Dionysius. Quippe de sacris ordinibus, hoc est, hierarchicis, non obiter loquitur, sed data opera consultoque accuratissimè tractat.

Ad auctoritatem Jobi Monachi, quod ait, apud nonnullos esse in more positum, ut Pontifices ungantur; Respondeo, eum vel Latinos intelligere, vel in ipsa Græcia varium morem fuisse apud quosdam aliquando, dicere necesse est.

Quòd autem in materiali unctione hæretici Latinis insultant, & eos unctos appellant, nihil est quod laboremus. Habent enim Latini suos antiquissimos, ac præstantissimos Doctores, quibus se strenuè tuentur; & quoad modum loquendi non solùm Latini, sed etiam Græci unctos se appellari gloriantur, ut vidimus ex Nazianzeno. Siquidem & filius Dei Christus, hoc est unctus, & est, & dicitur. Sed de vario nomine hujus Sacramenti, deque ejus significatione satis.

De modo conferendi ſacros Ordines apud Græcos.

Caput II.

ANtequam de materia & forma hujus Sacramenti agam, ut ritum Græcorum, & modum tradendi hoc Sacramentum Latini meliùs perſpicere queant, utque agnoſcant qua in re ab Orientalibus differre videantur, quave cum illis conveniant, eum ex Euchologio depromptum utraque lingua hîc inſeram, ac velut in aliqua tabella depictum ob oculos ponam. Deſcribam autem ſacros ordines incipiendo à Lectore. Nam de aliis minoribus ordinibus habeant illos Græci, nec-ne, diſſeram poſtea circa finem libri.

Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ ἀναγνώστου καὶ ψάλτου.

Προσαγόμενος τῷ ἀρχιερεῖ ὁ τοιοῦτος, εἰ μὲν κοσμικός ἐστι, μετὰ ἱματίου ἀσκεπής, εἰ δὲ μοναχὸς μετὰ μανδύου. καὶ σφραγίζεται τρίτον τὴν κεφαλὴν παρὰ τοῦ ἀρχιερέως, καὶ κείρεται παρ᾽ αὐτοῦ σταυροειδῶς, λέγοντος, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐπιφωνούντων καθ᾽ ἑκάστην ἐπίκλησιν τῶν συμπαρόντων, τὸ, ἀμήν. εἶτα τέλεον ὑπό τινος εἰς κληρικοῦ κείρεται σχῆμα, καὶ οὕτω πάλιν τῷ ἀρχιερεῖ προσάγεται. καὶ αὐτὸς λαμβάνων φαιλώνιον ἐνδιδύσκει, καὶ τρίτον τὴν τούτου κεφαλὴν σφραγίζων ἐπιτίθησιν αὐτῷ τὴν χεῖρα, καὶ εὔχεται οὕτως.

Κύριε ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ἔκλεξαι τὸν δοῦλον τοῦτον, καὶ ἁγίασον αὐτὸν, καὶ δὸς αὐτῷ μετὰ πάσης σοφίας καὶ συνέσεως τῶν θείων σου λογίων τὴν μελέτην, καὶ τὴν ἀνάγνωσιν ποιεῖσθαι, διαφυλάττων αὐτὸν ἐν ἀμέμπτῳ πολιτείᾳ ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, μεθ᾽ οὗ εὐλογητὸς εἶ σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Καὶ μετὰ τὴν ἐκφώνησιν δίδοται, τῷ ἀναγνώστῃ βίβλιον ἀποστολικὸν, καὶ ὀλίγον ἀναγινώσκων λαμβάνει παρὰ τοῦ ἀρχιερέως εἰρήνην. εἰ δὲ ψάλτης ἐστὶ, λέγει ἀπὸ τοῦ ψαλτηρίου προκείμενον. εἰ δὲ εἰσὶ καὶ πλείονες οἱ χειροτονούμενοι ἀναγνῶσται, χειροτονοῦνται ὁμοῦ, καὶ λέγεται ἡ εὐχὴ πληθυντικῶς. ἰστέον δὲ ὅτι ὅτε οὐκ ἔστι λειτουργία, ποιεῖ ὁ ἀρχιερεὺς εὐλογητὸν, καὶ ψάλλεται τὸ, βασιλεῦ οὐράνιε, τρισάγιον, παναγία τριὰς, πάτερ ἡμῶν, ὅτι σοῦ ἐστιν, καὶ λέγομεν τροπάριον τῆς ἡμέρας, εἶτα γίνεται ἡ ἀκολουθία, ὡς προεγράφη.

Ordo, qui obſervari ſolet in ordinatione Lectoris.

Adducitur hujuſmodi homo ad Pontificem, qui jam ſe ornavit ad celebrandum ſacrum. Et quidem ſi ſæcularis ſit, cum veſte, ac ſine pileo: Si verò Monachus, cum pallio. Ejus caput Pontifex ter ſignat, eumque tondet ad modum crucis dicens, tondetur ſervus Dei N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ad ſingulas invocationes, qui adſunt, reſpondent, Amen. Deinde ab aliquo juxta figuram Clericorum perfectè tondetur. Sic denuo ad Pontificem adducitur, qui accepto camiſo eum induit, ejúſque caput ter ſignat, impoſitaque manu ſic precatur.

Domine Deus omnipotens, elige ſervum tuum hunc, & eum ſanctifica. Da ei cum omni ſapientia, & prudentia, ut divina eloquia tua exerceat, ac legat, conſervans eum in irreprehenſibili converſatione, miſericordia, & miſerationibus, ac benignitate unigeniti Filij tui, cum quo es benedictus una cum ſancto, bono, ac vivifico tuo Spiritu nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Et dicto Amen, datur Lectori liber, in quo continentur Acta, & Epiſtolæ Apoſtolorum, & paucis lectis accipit à Pontifice panem (hoc eſt finita lectione dicit ei Pontifex, pax tibi). Quod ſi cãtor ſit is, qui ordinatur, aliquid recitat ex pſalterio, quod Epiſtolis præmitti ſolet. Si verò multi extiterint lectores, qui velint ſuſcipere ordines, ſimul ordinantur, & oratio enunciatur in numero multitudinis.

Sciendum autem eſt, quòd quando non celebratur Miſſa, Pontifex incipit dicere, benedictus Deus noſter perpetuò nunc, & in ſæcula ſæculorum, & canitur, Rex cœleſtis, ter ſanctus, ſanctiſſima Trinitas, Pater noſter, quoniam tuum eſt Regnum, &

dicimus

dicimus τὸ τροπάριον illius diei. Deinde fit ordinatio, ut præscriptum est. Hæc de Lectore ex Euchologio.

Quoniam verò plerumque Lectores sunt, vel debent esse Cantores, propterea in Euchologio habetur, ἐπὶ χειροτονίᾳ ἀναγνώστου καὶ ψάλτου. In ordinatione lectoris, & cantoris, cùm alioquin munus Cantoris hodie non spectet ad minores ordines. Vel fortassis antiquitus enumerabantur inter minores ordines ab Ecclesia constitutos.

Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ ὑποδιακόνου.

Τοῦ ἀρχιερέως καθεζομένου ἐπὶ τῆς ὡραίας πύλης, πρὸ τοῦ ἄρξασθαι τῆς λειτουργίας, προσάγεται τῷ ἀρχιερεῖ ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι ὑποδιάκονος, εἰ μὲν κοσμικός ἐστι, μετὰ φαιλωνίου, εἰ δὲ μοναχὸς, μετὰ μανδύου. κελεύει δὲ ὁ ἀρχιερεὺς ἀποδύσασθαι τοῦτον τὸ φαιλώνιον, ἢ τὸ μανδύον, καὶ ἐνδύσασθαι στιχάριον, καὶ ζώσασθαι, κομισθῆναι δὲ χερνιβόξεστον, καὶ μανδύλιον. εἶτα σφραγίζων τρὶς τὴν αὐτοῦ κεφαλὴν καὶ ἐπιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα, τοῦ διακόνου λέγοντος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, λέγει ὁ ἀρχιερεὺς τὴν εὐχὴν ταύτην.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ ἁγίου πνεύματος, διαιρῶν ἑκάστῳ ὧν, ἐξελέξω τὰ χαρίσματα, ὁ τάγματα διάφορα τῇ ἐκκλησίᾳ σου δωρησάμενος, καὶ βαθμοὺς λειτουργίας καταστησάμενος ἐν αὐτῇ πρὸς ὑπηρεσίαν τῶν ἁγίων σου καὶ ἀχράντων μυστηρίων, ὁ τῇ σῇ ἀρρήτῳ προγνώσει ὁρίσας καὶ τοῦτον τὸν δοῦλόν σου ἄξιον εἶναι τοῦ ὑπηρετεῖν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ, αὐτὸς δέσποτα ἀκατάγνωστον αὐτὸν ἐν πᾶσι διαφύλαξον. καὶ δὸς αὐτῷ ἀγαπᾷν εὐπρέπειαν οἴκου σου. παρεστάναι ταῖς θύραις τοῦ ναοῦ τοῦ ἁγίου σου. ἀνάπτειν λύχνον σκηνώματος δόξης σου, καὶ φύτευσον αὐτὸν ἐν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ ὡς ἐλαίαν κατάκαρπον, καρποφοροῦντα καρπὸν δικαιοσύνης, καὶ τέλειον ἀνάδειξον δοῦλόν σου ἐν καιρῷ τῆς παρουσίας σου, τὸ τῶν εὐαρεστησάντων σοι ἀπολαῦσαι ἀμοιβῆς. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ μετὰ τὴν ἐκφώνησιν δεξάμενος ὁ ἀρχιερεὺς τὸ μανδύλιον ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ τοῦ χειροτονουμένου. ὁμοίως δίδωσιν αὐτῷ καὶ τὸ χερνιβόξεστον, ὁ δὲ λαβὼν ἀσπάζεται τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ βάλλει ὕδωρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, καὶ νίπτεται. λέγων καὶ τὸ, ὅσοι πιστοὶ, τρίς. καὶ οὕτω λαμβάνων εὐλογίαν, ἀπερχόμενος ἵσταται ἔμπροσθεν τῶν ἁγίων θυρῶν. καὶ λέγει τὸ τρισάγιον, παναγία τριὰς, πάτερ ἡμῶν, τὸ, κύριε ἐλέησον, πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον, καὶ εἴ τι ἄλλο δόξει αὐτῷ εἰπεῖν μυστικῶς. μετὰ δὲ τὴν μεγάλην εἴσοδον, ὅταν θυμιᾷ ὁ διάκονος τὴν ἁγίαν τράπεζαν, πάλιν νίπτεται ὁ ἀρχιερεὺς εἰς τὸ λεκανίδιον, ὅπερ φέρει ὁ χειροτονηθείς. εἰσοδεύει δὲ αὐτὸς εἰς τὴν μεγάλην εἴσοδον, πάντων ἐξόπισθεν, κρατῶν καὶ τὸ χερνιβόξεστον, καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ μετὰ τὴν εἴσοδον εἰσέρχονται ὅλοι εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, πλὴν αὐτὸς μένει ἔξω ἑστὼς εἰς τὸν συνήθη τόπον. οὕτω γίνεται. καὶ εἴπερ εἰσὶν οἱ χειροτονούμενοι πολλοὶ, τῆς εὐχῆς ὑπαλλαττομένης πρὸς τοὺς πολλούς.

Ordo, qui observari solet in ordinatione Subdiaconi.

Sedente Pontifice è regione portæ speciosæ in ambone (media porta sanctuarij vocatur hoc nomine) priusquam Missam incipiat, adducitur ad eum, qui ordinandus est Subdiaconus, si sæcularis sit, cum penula, si Monachus, cum pallio. Jubet autem Pontifex eum exuere penulam, vel pallium, & induere sticharium (hoc est Dalmaticam strictam) & cingi, afferri quoque vas ad infundendam aquam pro lotione manuum, & manutergium. Deinde ter obsignans ejus caput, & imponens manum, ubi Diaconus dixerit, Dominum deprecemur. Pontifex hanc recitat orationem.

Domine Deus noster, qui per unum, atque eundem Spiritum dividis charismata unicuique eorum, quos elegisti, qui Ecclesiæ tuæ varios odines largitus es, in ea quoque gradus ministerij constituisti in administrationem sanctorum & immaculatorum tuorum mysteriorum. Qui & ineffabili tua præcognitione determinasti hunc servum tuum, ut esset dignus, qui famularetur Ecclesiæ sanctæ tuę. Tu Domine irreprehensibilem eum in omnibus conserva. Da ei, ut amet decorem domus tuæ, ut assistat foribus sancti templi tui, accendat lampadem tabernaculi gloriæ tuæ, & planta eum in Ecclesia sancta tua, velut

» olivam fructiferam afferentem fructum
» Justitiæ, & eum ostende perfectum ser-
» vum tuum tempore adventus tui, qui re-
» tributione eorum, qui tibi placuerunt, frui-
» turus sit. Quoniam tuum est regnum, &
» potentia, & gloria Patris, & Filij, & Spi-
» ritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula
» sæculorum.

» Et dicto Amen, accipiens Pontifex man-
» tile imponit sinistro humero ejus, qui or-
» dinatur. Similiter præbet illi vas ad infun-
» dendum aquam pro lotione manuum, ille
» verò vas accipiens deosculatur manum ip-
» sius, & aquam infundit ad manus Pontifi-
» cis, qui eas lavat; tandem accepta bene-
» dictione discedit, statque pro foribus san-
» ctuarij, & suo tempore in Missa ter pro-
» fert illud, Quotquot fideles, &c. Peracto
» verò majori ingressu, cùm sacram mensam
» Diaconus incensat, rursus lavat manus
» Pontifex in catenulo, quod gestat qui or-
» dinatus est. Porro in ingressu majori ipse
» quoque ordinatus post omnes sequitur
» gestans etiam vas pro manuum lotione, ac
» mantile. Et quidem cæteris omnibus san-
» ctuarium ingredientibus, ipse remanet ex-
» tra stans in loco consueto. Sic fit ordinatio,
» & si multi sunt, qui ordinantur, oratio ad
» multos accommodatur.

Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ διακόνου.

Μετὰ τὸ εἰπεῖν τὸν ἀρχιερέα τὴν ἐκφώνησιν, τὸ, καὶ ἔσται τὰ ἐλέη τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν, ἐξελθόντες δύο διάκονοι ἐκ τοῦ ἁγίου βήματος, λαμβάνουσι τὸν μέλλοντα χειροτονεῖσθαι διάκονον, ἑστῶτα ἐν τῇ σολέᾳ. καὶ εἰσάγουσιν αὐτὸν εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, κυκλοῦντες τὴν ἁγίαν τράπεζαν τρὶς, ψάλλοντες καὶ τὸ, ἅγιοι μάρτυρες οἱ καλῶς ἀθλήσαντες. εἶτα προσερχόμενος τῷ ἀρχιερεῖ, σφραγίζεται τρὶς τὴν κεφαλὴν, καὶ κελεύει ἀποζώσασθαι τοῦτον, καὶ ἆραι τὸ μανδύλιον. εἶτα ἐρείδει ὁ χειροτονούμενος τὸ μέτωπον αὐτοῦ τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ, καὶ κλίνει τὸ γόνυ τὸ δεξιόν. καὶ τοῦ ἀρχιδιακόνου ἐκφωνήσαντος τὸ, πρόσχωμεν, ὁ ἀρχιερεὺς ἔχων ἐπικειμένην τὴν χεῖρα τῇ κεφαλῇ τοῦ χειροτονουμένου, ἐκφωνεῖ, ἡ θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα. προχειρίζεται τὸν δεῖνα τὸν εὐ-

λαβέστατον ὑποδιάκονον, διάκονον. εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος.

Καὶ εὐθὺς τὸ κύριε ἐλέησον ἐκ γ'. παρὰ τῶν ἐν τῷ βήματι, καὶ παρὰ τῶν ἐκτὸς, καὶ ὁ ἀρχιερεὺς σφραγίζει γ'. τὴν αὐτοῦ κεφαλήν. καὶ τοῦ διακόνου εἰπόντος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, ὁ ἀρχιερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐπικειμένην εὔχεται οὕτως.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ τῇ προγνώσει τῇ σῇ τὴν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος χορηγίαν καταπέμπων ἐπὶ τοὺς ὁρισμένους ὑπὸ τῆς σῆς ἀνεξιχνιάστου δυνάμεως λειτουργοὺς γίνεσθαι καὶ ἐξυπηρετεῖσθαι τοῖς ἀχράντοις σου μυστηρίοις. αὐτὸς δέσποτα καὶ τοῦτον, ὃν εὐδόκησας προχειρισθῆναι παρ' ἐμοῦ εἰς τὴν τῆς διακονίας λειτουργίαν, ἐν πάσῃ σεμνότητι διατήρησον, ἔχοντα τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. δώρησαι δὲ αὐτῷ τὴν χάριν, ἣν ἐδωρήσω Στεφάνῳ τῷ πρωτομάρτυρί σου, ὃν καὶ ἐκάλεσας πρῶτον εἰς τὸ ἔργον τῆς διακονίας σου. καὶ καταξίωσον αὐτὸν κατὰ τὸ σοὶ εὐαρέστον οἰκονομῆσαι τὸν παρὰ τῆς σῆς ἀγαθότητος δεδωρημένον αὐτῷ βαθμόν. οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται. καὶ τέλειον ἀνάδειξον δοῦλόν σου. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Καὶ μετὰ τὸ ἀμήν, λέγει ὁ ἀρχιδιάκονος λεπτῇ φωνῇ, ὅσον ἀκούειν τοὺς συμπαρόντας διακόνους, καὶ ἀποκρίνασθαι, τὰ διακονικὰ ταῦτα.

Ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης, καὶ τῆς σωτηρίας τῶν ψυχῶν ἡμῶν τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ σύμπαντος κόσμου, εὐσταθείας τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, καὶ τῆς τῶν πάντων ἑνώσεως τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τοῦ ἀρχιεπισκόπου ἡμῶν τοῦ δεῖνος, ἱερωσύνης, ἀντιλήψεως, διαμονῆς, εἰρήνης, ὑγείας, σωτηρίας αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἔργου τῶν χειρῶν αὐτοῦ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τοῦ δούλου τοῦ Θεοῦ τοῦ δεῖνος τοῦ νῦν προχειριζομένου διακόνου, καὶ τῆς σωτηρίας αὐτοῦ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὅπως ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς ἡμῶν ἄσπιλον, καὶ ἀμώμητον αὐτῷ τὴν διακονίαν χαρίσηται, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης, πάσης πόλεως, χώρας, καὶ τῶν πίστει οἰκούντων ἐν αὐταῖς τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τοῦ ῥυσθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου καὶ ἀνάγκης τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ἀντιλαβοῦ, σῶσον, ἐλέησον,

καὶ διαφύλαξον ἡμᾶς ὁ θεὸς τῇ σῇ χάριτι. Κύριε ἐλέησον. Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης, ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, μετὰ πάντων τῶν ἁγίων μνημονεύσαντες, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους, καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Χριστῷ τῷ θεῷ παραθώμεθα. Σοὶ κύριε. Τούτων ῥηθέντων, ὁ ἀρχιερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐπικειμένην εὔχεται οὕτως.

Ο θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, ὁ τῇ ἀφθάρτῳ σου φωνῇ τοῖς ἀποστόλοις σου θεσπίσας, καὶ πρῶτον αὐτῶν κηρύξας τὸ τοῦ διακόνου πληρεστάτα ἔργον, καθὼς γέγραπται ἐν τῷ ἁγίῳ εὐαγγελίῳ σου, ὅστις θέλει ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔστω ὑμῶν διάκονος. Σὺ δέσποτα τῶν ἁπάντων καὶ τὸν δοῦλόν σου τοῦτον, ὃν κατηξίωσας τὴν τοῦ διακόνου ὑπεισελθεῖν λειτουργίαν, πλήρωσον πάσης πίστεως, καὶ ἀγάπης, καὶ δυνάμεως, καὶ ἁγιασμοῦ, τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου καὶ ζωοποιοῦ σου πνεύματος. Οὐ γὰρ ἐν τῇ ἐπιθέσει τῶν ἐμῶν χειρῶν, ἀλλ' ἐν τῇ ἐπισκοπῇ τῶν πλουσίων σου οἰκτιρμῶν, δίδοται χάρις τοῖς ἀξίοις σου. Ἵνα καὶ οὗτος πάσης ἁμαρτίας ἐκτὸς γενόμενος, ἐν τῇ φοβερᾷ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεώς σου, ἀμέμπτως σοι παραστῇ. Καὶ τὸν μισθὸν τὸν ἀδιάψευστον τῆς σῆς ἐπαγγελίας κομίσηται. Σὺ γὰρ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν, περιτίθησι τὸ ὠράριον τῷ χειροτονηθέντι κατὰ τὸν ἀριστερὸν ὦμον, λέγων, ἄξιος. Καὶ ψάλλεται συνήθως τρίτον τὸ ἄξιος παρὰ τῶν τοῦ βήματος, καὶ τρίτον παρὰ τῶν ψαλτῶν. Εἶτα ἐπιδίδωσιν αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς ἅγιον ῥιπίδιον, λέγων ὁμοίως, ἄξιος καὶ ἀσπάζονται αὐτὸν πάντες οἱ διάκονοι. Ὁ δὲ ῥιπίδιον λαβὼν, ἵσταται ἐκ πλαγίου τῆς ἁγίας τραπέζης ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ μέρους, καὶ ῥιπίζει ἐπάνω τῶν ἁγίων. Καὶ ἕτερος διάκονος ἵσταται ἔξω τοῦ βήματος ἐν τῷ συνήθει τόπῳ, καὶ λέγει, πάντων τῶν ἁγίων μνημονεύσαντες ἔτι, καὶ ἔτι τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, καὶ τὰ λοιπά. Εἰς δὲ τὸν τῆς μεταλήψεως καιρὸν, πρῶτος τῶν ἄλλων ὁ χειροτονηθεὶς μετέχει τῶν θείων μυστηρίων, καὶ λέγει τὰ διακονικὰ εἰς τόπον αὐτῶν, ἤγουν, τὰ ὀρθοὶ, μεταλαβόντες. Ταῦτα δὲ γίνονται, ὅταν γίνηται λειτουργία τελεία. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἐν ταῖς προηγιασμέναις γίνεται, ἰστέον ὅτι, μετὰ τὸ ἀποτεθῆναι τὰ προηγιασμένα ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ, πρὶν εἰπεῖν τὸν διάκονον, πληρώσωμεν τὴν δέησιν, προσάγεται ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι, καὶ γίνεται ἡ τάξις τῆς χειροτονίας, ὡς εἰρημένον.

Ordo qui observari solet in ordinatione Diaconi.

Postquam dixerit Pontifex in sacro elata voce illa verba, & erunt misericordiæ magni Dei, & salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis; Egressi duo Diaconi à sanctuario accipiunt secum eum, qui est ordinandus Diaconus, stantem in solea (hoc est in pavimento eminentiori Ecclesiæ, extra tamen sanctuarium. Verbum est fortasse Latinum, solum τὸ ἐπίπεδον.) & introducunt eum in sanctuarium, circundantque sacram aram ter illud canentes, Sancti Martyres, qui bene decertastis. In qua trina circuitione futurus Diaconus inclinans se, signo crucis facto, deosculatur ter singulos angulos Altaris. Deinde accedit ad Pontificem, qui ejus caput signat ter, ac jubet eum cingulum solvere, & auferri mantile. Post hæc, qui ordinatur in sacra mensa fronte inhæret, & genu dexterum flectit. Archidiacono verò elata voce proferente, Attendamus, Pontifex habens manum impositam capiti ordinandi, clara voce enunciat: Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus; & statim canitur trina voce Kyrie eleison tam ab iis, qui sunt in sanctuario, quàm ab aliis, qui sunt extra. Pontifex autem signat ter ejus caput, ac Diacono dicente, Dominum deprecemur, Pontifex imposita manu sic precatur.

Domine Deus noster, qui præcognitione tua iis præbes auxilium tui sancti Spiritus, qui à tua ininvestigabili potentia sunt destinati, ut fiant ministri, & inservire debeant immaculatis tuis mysteriis. Tu Domine & hunc, quem voluisti, ut à me promoveretur in ministerium Diaconatus, in omni honestate conserva, habentem mysterium fidei in pura conscientia. Dona ei verò gratiam, quam largitus es Stephano protomartyri tuo, quem etiam primum vocasti ad opus ministerij tui. Et dignum fac eum secundùm beneplacitum tuum, qui curam habeat gradus à tua bo-

nitate illi donati. Qui enim bene inservierint, bonum gradum sibi ipsi acquirunt, & perfectum servum tuum ostende. Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, dicit Archidiaconus submissa voce ita ut tantum qui sunt præsentes audiant, & respondeant, hæc, quæ solet Diaconus recitare. In pace Dominum deprecemur: alij circunstantes ad singula respondent, Kyrie eleison. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro pace totius mundi, stabilitate sanctarum Dei Ecclesiarum, cunctorumque unione Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro Archiepiscopo nostro N. sacerdotio, adjutorio, conservatione, pace, incolumitate, salute ipsius, & opere manuum ejus Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro famulo Dei N. qui nunc promovetur Diaconus, & salute ipsius Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Ut humanissimus Deus immaculatum, irreprehensibile ipsi ministerium largiatur, Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro hac civitate, omnique alia civitate, ac regione, & fidelibus habitantibus in eis Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Ut nos omni tribulatione, ira, periculo, ac necessitate liberemur, Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Defende, salua, miserere, & conserva nos Deus tua gratia. Kyrie eleison. Mentione facta sanctissimæ, immaculatæ, super omnes cæteras benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ, nos ipsos, & alter alterum, totamque vitam nostram Christo Deo committamus, tibi Domine.

His dictis, Pontifex habens impositam manum sic precatur.

Deus Salvator noster, qui incorrupta tua voce Apostolis tuis legem sanxisti, & primum eum prædicasti, qui opus ministri exequitur, sicut scriptum est in sancto tuo Evangelio, qui vult inter vos esse primus, sit minister vester. Tu Domine omnium, & hunc servum tuum, quem dignum fecisti, ut munus subiret Diaconi, imple omni fide, & charitate, ac potestate, & sanctificatione, adventu sancti, & vivifici tui Spiritus. Non enim in impositione manuum mearum, sed in præstatione copiosarum miserationum tuarum datur gratia iis, qui te sunt digni: & fac ut ab omni peccato liber in tremendo die tui judicij sine reprehensione tibi se sistat, & mercedem infallibilem tuæ promissionis recipiat. Tu enim es Deus noster, Deus, qui misereris, & saluas, tibique gloriam offerimus, Patri, & Filio ac Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, circundat Pontifex illi, qui ordinatus est, in sinistro humero horarium (hoc est stolam) dicens, dignus; & more solito canitur ab iis qui sunt in sanctuario ter, dignus, ter item à Cantoribus. Deinde exhibito osculo pacis porrigit illi Pontifex sacrum flabellum dicens, similiter, dignus, & salutant eum omnes Diaconi: ipse verò accepto flabello stat à latere sacræ mensæ, à parte dextera aërem ciens super sancta mysteria. Alter autem Diaconus stat extra sanctuarium in loco consueto, illudque recitat, omnium Sanctorum mentione facta, Iterum, atque iterum, in pace Dominum deprecemur, & reliqua. Tempore verò Communionis, qui est ordinatus, primus inter alios Diaconos particeps fit divinorum mysteriorum, & recitat loco illorum Diaconica, (hoc est, quæ ad Diaconum spectant) illud scilicet, Recti (subintelligitur stemus) participes facti divinorum, sanctorum, immaculatorum, immortalium, supercœlestium, ac vivificorum mysteriorum, dignè Domino gratias agamus, & quæ sequuntur in sacro Diaconica. Tandem peracta communione Clericorum in sanctuario, Pontifex porrigit calicem Diacono tunc consecrato, ut ipse Populo ad communionem accedenti distribuat.

Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ πρεσβυτέρου.

Μετὰ τὸ πληρωθῆναι τὸν χερουβικὸν ὕμνον, ἵσταται ἐν τῇ σολέᾳ ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι πρεσβύτερος, καὶ ἐξερχόμενοι δύο διάκονοι λαμβάνουσιν αὐτὸν ἐξ ἑκατέρου μέρους, καὶ φέρουσιν αὐ-

τὸν ἄχρι τῶν ἁγίων θυρῶν. ἐκεῖ δὲ ἀπολύουσιν αὐτὸν οἱ διάκονοι, καὶ λαμβάνουσιν αὐτὸν δύο πρεσβύτεροι, ὁ πρῶτος καὶ ὁ δεύτερος. καὶ κυκλοῦσι τρὶς τὴν ἁγίαν τράπεζαν, ψάλλοντες καὶ τὸ, ἅγιοι μάρτυρες οἱ καλῶς ἀθλήσαντες. ἰστέον δὲ ὅτι, ὅταν ψάλλωσι τὸ, ἅγιοι μάρτυρες, κάθηται ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας τραπέζης ὁ ἀρχιερεὺς εἰς θρονίον. καὶ ἐκεῖ, ὅπου κυκλοῦσι γύρωθεν, ὅταν ἔρχωνται ἔμπροσθεν τοῦ ἀρχιερέως, ποιοῦσι μετάνοιαν, καὶ ὁ χειροτονούμενος ἀσπάζεται τὸ γόνυ τοῦ ἀρχιερέως ἐπάνω τοῦ ὠμοφορίου. εἶτα ἀνιστάμενος ὁ ἀρχιερεὺς, προσέρχεται αὐτῷ ὁ χειροτονούμενος, καὶ σφραγίζεται τρίτον τὴν κεφαλὴν παρ' αὐτοῦ. καὶ ἐρείσας τὸ μέτωπον τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ, κλίνει καὶ ἄμφω τὰ γόνατα. καὶ ἐκφωνοῦντος τοῦ διακόνου, πρόσχωμεν, εὐθὺς ἐκφωνεῖ ὁ ἀρχιερεὺς, ἔχων καὶ τὴν δεξιὰν χεῖρα ἐπικειμένην αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ, Ἡ θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται τὸν δεῖνα τὸν εὐλαβέστατον διάκονον πρεσβύτερον. εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος. καὶ λέγουσι τὸ, κύριε ἐλέησον τρὶς οἱ ἐντὸς τοῦ βήματος, ὁμοίως καὶ οἱ ψάλται. πάλιν οὖν σφραγίσας αὐτὸν γ'. καὶ τὴν χεῖρα ἔχων ἐπικειμένην, τοῦ διακόνου εἰπόντος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, λέγει ὁ ἀρχιερεὺς τὴν εὐχὴν ταύτην μυστικῶς.

Ὁ θεὸς ὁ ἄναρχος καὶ ἀτελεύτητος, ὁ πάσης κτίσεως πρεσβύτατος ὑπάρχων, ὁ τῇ προσηγορίᾳ τοῦ πρεσβυτέρου τιμήσας τοὺς ἐν τῷ βαθμῷ τούτῳ ἀξιωθέντας ἱερουργεῖν τὸν λόγον τῆς σῆς ἀληθείας, αὐτὸς δέσποτα τῶν ἁπάντων καὶ τοῦτον, ὃν ἐδοκίμασας προχειρισθῆναι παρ' ἐμοῦ ἐν ἀμέμπτῳ πολιτείᾳ καὶ ἀκλινεῖ τῇ πίστει, εὐδόκησον ὑποδέξασθαι τὴν μεγάλην ταύτην χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος. καὶ τέλειον ἀνάδειξον δοῦλόν σου ἐν πᾶσιν εὐαρεστοῦντά σοι, καὶ ἀξίως πολιτευόμενον τῆς δωρηθείσης αὐτῷ ὑπὸ τῆς σῆς προγνωστικῆς δυνάμεως, μεγάλης ταύτης ἱερατικῆς τιμῆς. ὅτι σὸν τὸ κράτος, καὶ σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ μετὰ τὴν ἐκφώνησιν, λέγει ὁ πρωτοπαπᾶς λεπτῇ φωνῇ, ὅσον ἀκούειν τοὺς συμπαρόντας καὶ ἀποκρίνεσθαι, τὰ διακονικὰ ταῦτα. ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κύριε ἐλέησον. ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης. ὑπὲρ τοῦ ἀρχιεπισκόπου τοῦ δεῖνος, ἱερωσύνης, ἀντιλήψεως, διαμονῆς, εἰρήνης, ὑγείας, σωτηρίας αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἔργου τῶν χειρῶν αὐτοῦ, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τοῦ δούλου τοῦ θεοῦ τοῦ δεῖνος, τοῦ νυνὶ προχειριζομένου πρεσβυτέρου, καὶ τῆς σωτηρίας αὐτοῦ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὅπως ὁ φιλάνθρωπος θεὸς ἡμῶν ἄσπιλον καὶ ἀμώμητον αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην χαρίσηται, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης. ὑπὲρ τοῦ ῥυσθῆναι ἡμᾶς. ἀντιλαβοῦ, σῶσον. τῆς παναγίας ἀχράντου. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐπικειμένην εὔχεται οὕτως.

Ὁ θεὸς ὁ μέγας ἐν δυνάμει, καὶ ἀνεξιχνίαστος ἐν συνέσει, ὁ θαυμαστὸς ἐν βουλαῖς ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, αὐτὸς κύριε καὶ τοῦτον, ὃν εὐδόκησας τὸν τοῦ πρεσβυτέρου ὑπεισελθεῖν βαθμὸν, πλήρωσον τῆς τοῦ ἁγίου σου πνεύματος δωρεᾶς, ἵνα γένηται ἄξιος παρεστάναι ἀμέμπτως τῷ θυσιαστηρίῳ σου, κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας σου, ἱερουργεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας σου, προσφέρειν σοι δῶρα, καὶ θυσίας πνευματικὰς, ἀνακαινίζειν τὸν λαόν σου διὰ τοῦ λουτροῦ τῆς παλιγγενεσίας. ὅπως καὶ αὐτὸς ὑπαντήσας ἐν τῇ δευτέρᾳ ἐπιδημίᾳ τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, δέξηται τὸν μισθὸν τῆς ἀγαθῆς οἰκονομίας τοῦ οἰκείου τάγματος ἐν τῷ πλήθει τῆς ἀγαθότητός σου. ὅτι ηὐλόγηται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν ἀνίστησιν αὐτὸν, καὶ φέρει τὸ ὄπισθεν τοῦ ὠραρίου αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ἔμπροσθε τοῦ δεξιοῦ μέρους λέγων, ἄξιος. εἶτα ἐνδύων αὐτὸν τὸ φαινόλιον ἐκφωνεῖ καὶ αὖθις τὸ, ἄξιος. καὶ ψάλλουσιν αὐτὸ οἱ τοῦ βήματος, καὶ οἱ ψάλται. καὶ οὕτως ἀσπάζεται τὸν ἀρχιερέα, καὶ τοὺς πρεσβυτέρους, καὶ ἀπερχόμενος ἵσταται μετὰ τῶν πρεσβυτέρων ἀναγινώσκων τὸ κοντάκιον. καὶ ὁ διάκονος ἵσταται εἰς τὸν συνήθη τόπον λέγων, τὸ, πληρώσωμεν τὴν δέησιν ἡμῶν τῷ κυρίῳ. ὅτε δὲ τελειωθῶσι τὰ ἅγια, καὶ μέλλει εἰπεῖν, ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσι. προσερχόμενος ὁ χειροτονηθεὶς ἐπιδίδωσιν αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς τὸν ἅγιον ἄρτον, λέγων οὕτως. λάβε τὴν παρακαταθήκην ταύτην, καὶ φύλαξον αὐτὴν, ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτε παρ' αὐτοῦ μέλλεις ἀπαιτεῖσθαι αὐτήν. ὁ δὲ λαβὼν ἀσπάζεται τὴν χεῖρα τοῦ ἀρχιερέως, καὶ μεθίσταται ἐν ᾧ πρότερον ἵστατο τόπῳ, ταῖς μὲν χερσὶ θεὶς ἐπάνω τῆς ἁγίας τραπέζης, καθ' ἑαυτὸν δὲ λέγων τὸ κύριε ἐλέησον, καὶ ἐλέησόν με ὁ θεός. ὅτε δὲ μέλλει εἰπεῖν, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, τότε ὁ χειροτονηθεὶς ἀποδίδωσι τὸν ἅγιον ἄρτον, καὶ παρὰ τοῦ ἀρχιερέως μεταλαμβάνει πρῶτος τῶν ἄλλων, καὶ λέγει καὶ τὴν ὀπισθάμβωνον εὐχήν.

Ordo, qui observari solet in ordinatione Presbyteri.

Absoluto hymno Cherubico in Missa, stat qui ordinandus est presbyter in solea, & egressi duo Diaconi accipiunt eum medium, & ducunt eum usque ad sacras fores sanctuarij: ibi eo relicto à Diaconis, accipiunt eum duo digniores presbyteri, ac sedente Pontifice coram sancta mensa in faldistorio, circumdant more Diaconorum sacram aram ter, illud canentes, Sancti Martyres, qui bene decertastis. Cùm verò transeunt coram Pontifice, inclinant se profundè honoris causa, & qui consecratur, quotiescumque transit coram Pontifice, deosculatur genu Pontificis supra humerale (hoc est pallium.) Deinde surgente Pontifice, accedit ad eum qui ordinatur, cujus caput ter signat Pontifex. Qui verò ordinatur, fronte incumbens sacræ aræ utrumque genu flectit. Diacono verò elata voce dicente, Attendamus, statim Pontifex imposita manu una cum pallio clara voce enunciat. Divina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt, supplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Et respondent ter Kyrie eleison hi, qui sunt in sanctuario, & similiter extra cantores. Rursus signans eum ter Pontifex, & manum habens impositam, ubi Diaconus dixerit, Dominum deprecemur, hanc orationem mysticè recitat.

Deus, qui es sine principio, & fine cares, qui omnem creaturam senio superas, qui appellatione presbyteri eos ornasti, qui in hoc gradu digni facti sunt, qui verbum tuæ veritatis administrent. Tu Domine omnium secundùm beneplacitum tuum velis, ut iste, quem tibi placuit à me promoveri, suscipiat in irreprehensibili conversatione, & firma fide magnam hanc gratiam Spiritus sancti tui. Et perfectum ostende servum tuum in omnibus tibi acceptabilem, & dignè conversantem, ut dignitas hujus sacerdotalis honoris à tua præcognitiva potentia ipsi donati requirit (clara voce quod sequitur:) Quoniam tuum est imperium, & tuum est regnum, & potentia, & gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, primus presbyter recitat Diaconica submissiori voce, ut tantùm præsentes audiant, & respondeant. In pace Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro superna pace, &c.

Pro Archiepiscopo nostro N. sacerdotio, adjutorio, perseverantia, pace, incolumitate, salute ipsius, & opere manuum ejus Dominum deprecemur.

Pro servo Dei N. qui modò promovetur presbyter, & salute ipsius Dominum deprecemur.

Ut amator hominum Deus noster immaculatum, ac irreprehensibile ipse sacerdotium largiatur, Dominum deprecemur.

Pro hac Civitate &c. His dictis, Pontifex habens manum impositam sic precatur.

Deus, qui magnus es in potentia, & inscrutabilis in prudentia, qui mirabilis es in consiliis præ filiis hominum. Tu Domine & hunc, quem voluisti, ut subiret gradum presbyteri, imple dono sancti tui Spiritus, ut fiat dignus, qui assistat sine querela sanctuario tuo, prædicet Evangelium tui regni, administret verbum tuæ veritatis, offerat tibi dona, & sacrificia spiritualia, renovet populum tuum per lavacrum regenerationis; ut & ipse occurrens in secundo adventu magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi unigeniti filij tui, recipiat mercedem bonæ administrationis proprij gradus in multitudine bonitatis tuæ. Quoniam benedictum, & glorificatum est honorabile, ac magnificum nomen tuum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, jubet eum surgere, & posteriorem partem stolæ ad anteriorem ex parte dextera transfert, dicens, Dignus, & canunt illud ter, tum qui sunt in sanctuario, tum etiam cantores. Deinde induens eum planetam, iterum exclamat, Dignus, iterumque canitur, Dignus. Ita

demum oſculo ſalutat Pontificem, & Preſbyteros, ac diſcedens ſtat una cum Preſbyteris τὸ κοντάκιον, (hoc eſt liturgiam) recitans. Diaconus verò ſtat in loco conſueto, dicens, Perficiamus deprecationem noſtram Domino &c.

Cùm verò conſecrata fuerint ſancta, & dicturus eſt Pontifex illa verba, Ita ut fiant participantibus; accedit ordinatus, cui præbet Pontifex ſanctum panem, hoc eſt particulam panis conſecrati, ſic dicens, Accipe depoſitum hoc, & ſerva illud uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando debet abs te illud repetere. Is verò accepto ſancto pane deoſculatur manum Pontificis, & recedit ad locum, ubi priùs erat, imponens manum ſuper ſacram menſam. Cùm verò Pontifex dicturus eſt, Sancta ſanctis, tunc conſecratus reſtituit ſanctum panem Pontifici, & primus inter alios preſbyteros communicat. Et in fine recitat orationem, quæ poſt ambonem recitari ſolet. Per ambonem Græci hìc intelligunt locum eminentiorem extra ſanctuarium. Solent enim è regione portę ſpecioſæ ſanctuarij, relicto parvo ſpatio, aliquot gradus erigere cum aliqua planitie, ubi ſedem collocant Pontificis, ut ſunt gradus Altaris apud Latinos. Hunc igitur locum in hoc loco liturgiæ Græci appellant ἄμβωνα, ambonem, ἀπὸ τοῦ ἄνω βαίνειν, quòd eſt aſcendere, & fortaſſis olim antiqui Patres ex hoc loco habebant conciones ad populum.

In antiquo manuſcripto Patriarchali Euchologio poſtremus paragraphus ordinationis, qui incipit, Cùm verò conſecrata fuerint ſancta, ſic ſe habet: ὅταν ἐπαρθῇ τὸ καταπέτασμα, καὶ ὁ λαὸς εἴπῃ, ἄξιον καὶ δίκαιον, τότε ὁ ἀρχιεπίσκοπος ἐπιδίδωσι τῷ χειροτονηθέντι εἰς τὰς χεῖρας ἕνα ἄρτον. Cùm ablatum fuerit velum ſanctuarij, & populus dixerit, Dignum, & juſtum eſt, tunc Archiepiſcopus porrigit ordinato unum panem (eſt valde parvus panis, more Ruthenorum, parum excedens rotunditatem parvæ hoſtiæ, licet ſit craſſior; vel unum panem vocat particulam abſciſſam panis) & eum inclinari jubet ſuper ſacram menſam, tenentem ipſi traditum panem, & incumbentem fronte, ac ita manentem, donec dicantur illa verba, Sancta ſanctis. Tum verò reſtituit panem Archiepiſcopo, ac primus communicat inter alios preſbyteros, (quia more Græcorum alij quoque Preſbyteri Archiepiſcopo concelebrant, & communicant, qui tunc minimè ſacris initiantur) particeps quoque fit pretioſi ſanguinis, ac cæteris diſtribuit. Præterea recitat orationem, quæ poſt ambonem dici ſolet, ac celebrant ſeptem diebus. Sic ibi.

Diſcrimen itaque inter antiqua Euchologia manuſcripta, & typis excuſa eſt, quòd in manuſcriptis panis datur preſbytero conſecrato nondum conſecratus, qui eum conſecrat: in excuſis datur conſecratus.

Mihi videtur corrigendum eſſe Euchologium typis excuſum ab Euchologio antiquo manu ſcripto. Et danda eſt particula panis, quam ipſe nuper conſecratus conſecrare debeat. Si tamen Pontifex conſecrans vult eam exhibere preſbytero recenter ſacris initiato conſecratam; præbeat illam ſtatim poſt verba Chriſti conſecratoria. Hoc eſt, ante illa verba, ποίησον τὸν μὲν ἄρτον. Nam recentiores Græcorum Antiſtites propterea dant panem conſecratum poſt illa verba: ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. quòd exiſtiment, falsò utique, ea eſſe conſecratoria. Cùm tamen illud ποίησον, non ad panem referatur, quaſi illum tunc conſecret, & eum faciat corpus Chriſti; ſed ad illud, ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς. &c. ut ſit ſenſus, fac ut iſte panis, qui eſt corpus Chriſti tui, fiat participantibus in ſobrietatem animæ, in remiſſionem peccatorum, &c. Quem ſenſum enucleatius, ac prolixius ſuo loco expoſuimus in lib. de Euchariſtia, ubi tractatur quibuſnam verbis fiat conſecratio.

Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ ἐπισκόπου.

Μετὰ τὴν τοῦ τρισαγίου συμπλήρωσιν, ἄνεισιν ὁ ἀρχιερεὺς εἰς τὴν κρηπῖδα, τὴν πρὸ τῆς ἁγίας τραπέζης, καὶ προσάγεται τούτῳ παρὰ τῶν συμπαρόντων τριῶν ἀρχιερέων ὁ χειροτονεῖσθαι μέλλων ἐκ τοῦ δεξιοῦ μέρους. ὁ δὲ χαρτοφύλαξ ἐκ

τοῦ [ἀριστεροῦ] δίδωσιν αὐτῷ χάρτιον, ἐν ᾧ γέγραπται, εἰ μὲν πατριάρχης ἐστὶν ὁ χειροτονῶν, ταῦτα. ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν ἱερωτάτων μητροπολιτῶν καὶ ἀρχιεπισκόπων καὶ ἐπισκόπων. εἰ δὲ μητροπολίτης, ταῦτα, ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, καὶ τῶν ὁσιωτάτων πρεσβυτέρων. Η θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται τὸν δεῖνα, τὸν θεοφιλέστατον πρεσβύτερον, ἐπίσκοπον τῆς θεοσώστου πόλεως τῆς δε. εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος. καὶ οἱ τοῦ βήματος, καὶ οἱ ἐκτὸς, τὸ κύριε ἐλέησον γ. ἐπιδιδομένου τοίνυν τοῦ τοιούτου χάρτου τῷ ἀρχιερεῖ, καὶ τοῦ χαρτοφύλακος, ἢ τοῦ ἀρχιδιακόνου λέγοντος, τὸ, πρόσχωμεν, ὁ ἀρχιερεὺς ἀναγινώσκει εἰς ἐπήκοον τῶν περιεστώτων, καὶ πάντων φωνούντων τὸ κύριε ἐλέησον, ὡς προδεδήλωται, ἀναπτύσσει τὸ εὐαγγέλιον ὁ ἀρχιερεὺς, καὶ ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ, καὶ τῷ τραχήλῳ τοῦ χειροτονουμένου, συνεφαπτομένων καὶ τῶν ἄλλων ἀρχιερέων. εἶτα ποιῶν σταυροὺς τρεῖς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, καὶ ἔχων ἐπικειμένην αὐτῷ τὴν χεῖρα, εὔχεται οὕτως.

Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ νομοθετήσας ἡμῖν διὰ τοῦ πανευφήμου σου ἀποστόλου Παύλου βαθμῶν καὶ ταγμάτων τάξιν εἰς τὸ ὑπηρετεῖσθαι καὶ λειτουργεῖν τοῖς σεπτοῖς καὶ ἀχράντοις σου μυστηρίοις ἐν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, πρῶτον ἀποστόλοις, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλοις, αὐτὸς δέσποτα τῶν ἁπάντων, καὶ τοῦτον τὸν ψηφισθέντα, καὶ ἀξιωθέντα ὑπεισελθεῖν τὸν εὐαγγελικὸν ζυγὸν, καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν ἀξίαν διὰ τῆς χειρὸς ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ τῶν συμπαρόντων λειτουργῶν καὶ συνεπισκόπων τῇ ἐπιφοιτήσει καὶ δυνάμει καὶ χάριτι τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, ἐνίσχυσον, ὡς ἐνίσχυσας τοὺς ἁγίους σου ἀποστόλους καὶ προφήτας, ὡς ἔχρισας τοὺς βασιλεῖς, ὡς ἡγίασας τοὺς ἀρχιερεῖς. καὶ ἀνεπίληπτον αὐτοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπόδειξον, καὶ πάσῃ σεμνότητι κατακοσμῶν ἅγιον ἀνάδειξον, εἰς τὸ ἄξιον γενέσθαι τοῦ αἰτεῖν αὐτὸν τὰ πρὸς σωτηρίαν τοῦ λαοῦ, καὶ ἐπακούειν σε αὐτοῦ. ὅτι ἡγίασταί σου τὸ ὄνομα, δεδόξασταί σου ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν λέγει τῶν συγχειροτονούντων ἀρχιερέων εἷς λεπτῇ φωνῇ ὅσον ἀκούειν τοὺς συνόντας ἀρχιερεῖς, καὶ ἀποκρίνεσθαι τὰ διακονικὰ ταῦτα. ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης καὶ τῆς σωτηρίας, &c. ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ σύμπαντος κόσμου. ὑπὲρ τοῦ ἀρχιεπισκόπου ἡμῶν τοῦ δεῖνος, ἱερωσύνης, ἀντιλήψεως, διαμονῆς, εἰρήνης, ὑγείας, σωτηρίας αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἔργου τῶν χειρῶν αὐτοῦ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. ὑπὲρ τοῦ ῥυσθῆναι ἡμᾶς, &c. ἀντιλαβοῦ, σῶσον, ἐλέησον, καὶ διαφύλαξον. τῆς παναγίας ἀχράντου. καὶ τούτων λεγομένων, ὁ ἀρχιερεὺς ἔχων ὡσαύτως τῇ τοῦ χειροτονουμένου κορυφῇ τὴν χεῖρα ἐπικειμένην εὔχεται οὕτως.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὴν ἀνθρώπου φύσιν τὴν τῆς θεότητός σου ὑπενεγκεῖν οὐσίαν, τῇ σῇ οἰκονομίᾳ ὁμοιοπαθεῖς ἡμῖν διδασκάλους καταστήσας, τὸν σὸν ἐπέχοντας θρόνον, εἰς τὸ ἀναφέρειν σοι θυσίαν καὶ προσφορὰν ὑπὲρ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, σὺ κύριε καὶ τοῦτον, τὸν ἀναδειχθέντα οἰκονόμον τῆς ἀρχιερατικῆς χάριτος, ποίησον γενέσθαι μιμητὴν σοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ποιμένος, τιθέντα τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ τῶν προβάτων σου. ὁδηγὸν τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων, φωστῆρα ἐν κόσμῳ. ἵνα καταρτίσας τὰς ψυχὰς, τὰς ἐμπιστευθείσας αὐτῷ ἐπὶ τῆς παρούσης ζωῆς, παραστῇ τῷ βήματί σου ἀκαταισχύντως, καὶ τὸν μέγαν μισθὸν λήψηται, ὃν ἡτοίμασας τοῖς ἀθλήσασιν ὑπὲρ τοῦ κηρύγματος τοῦ εὐαγγελίου σου. σὸν γάρ ἐστι τὸ ἐλεεῖν καὶ σώζειν ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ μετὰ τὸ ἀμὴν, αἴρει τὸ εὐαγγέλιον, καὶ τίθησιν εἰς τὴν ἁγίαν τράπεζαν. καὶ οὕτως ἐπιτίθησι τῷ χειροτονηθέντι τὸ ὠμοφόριον, λέγων, ἄξιος. ὁμοίως καὶ ὁ κλῆρος τὸ αὐτό. εἶτα τὸν χειροτονηθέντα ἀσπάζεται ὁ χειροτονήσας, καὶ οἱ λοιποὶ ἐπίσκοποι, καὶ τῆς συνήθους εὐφημίας τελουμένης, ἀνέρχονται εἰς τὸ σύνθρονον. καὶ καθεζόμενος πρῶτος ὁ χειροτονηθεὶς, εἰρηνεύει εἰς τὸν ἀπόστολον, καὶ πρῶτος τῶν ἄλλων τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ μεταλαμβάνει, καὶ τῷ χειροτονήσαντι καὶ τοῖς λοιποῖς μεταδίδωσι.

Ordo qui obſervari ſolet in ordinatione Epiſcopi.

Abſoluto triſagio hymno in ſacro, aſcendit Pontifex ad gradum, qui eſt ante ſacrum Altare, & adducitur ad ipſum à præſentibus tribus Pontificibus, qui conſecrandus eſt ex parte dextera: ibi fronte incumbens ſacræ aræ utrumque genuflectit. Chartophylax verò, (hoc eſt chartarum cuſtos, ſcilicet præfectus ſcriniorum) ex parte ſiniſtra

» nistra Pontifici consecranti exhibet chartam, in qua si is, qui consecrat Patriarcha sit, hæc scripta sunt: suffragio, & approbatione sacratissimorum Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum. Si verò Metropolita sit, qui ordinat, hæc: suffragio, & approbatione Deo amabilissimorum Episcoporum, & reverendorum Presbyterorum, divina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum à Deo custoditæ Civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus.

» Hac igitur porrecta charta Pontifici, & Chartophylace, vel Archidiacono dicente, attendamus: Pontifex unà cum pallio imposita manu recitat quæ sunt scripta, ita ut à circumstantibus omnibus audiatur, cunctisque tam iis, qui in sanctuario, quàm qui sunt extra respondentibus ter Kyrie eleison, Pontifex aperit librum Evangeliorum, & imponit capiti, ac ceruici illius, qui ordinatur, simul unà tangentibus aliis quoque Pontificibus. Deinde facta trina cruce in capite illius, impositaque manu, sic precatur.

» Domine Deus noster, qui per gloriosissimum Apostolum tuum Paulum, graduum, ac ordinum seriem nobis præscripsisti ad famulandum, & inserviendum venerandis, & immaculatis tuis mysteriis in sancto tuo Altari, primùm quidem Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores. Tu Domine omnium, & hunc, qui suffragiis electus est, & dignus factus, qui subiret jugum Evangelicum, & Pontificiam dignitatem per manum mei peccatoris, & præsentium ministrorum, & coepiscoporum, adventu, & virtute, ac gratia sancti tui Spiritus corrobora, ut sanctos tuos Apostolos, & Prophetas corroborasti, ut Reges unxisti, ut Pontifices sanctificasti, ac irreprehensibilem ipsius Pontificatum demonstra, omnique morum gravitate, ac honestate exornans, sanctum ostende, ut dignus fiat, qui petat, quæ ad salutem populi pertinent, & à te exaudiatur. Quoniam sanctificatum est nomen tuum, glorificatum est regnum tuum Patris, & Filij, & Spiritus sancti nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, dicit unus ex iis, qui unà consecrant, Pontificibus tenui voce itaut tantùm audiant, qui adsunt Pontifices, & respondeant, hæc Diaconica. In pace Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro pace totius orbis, &c. Pro Archiepiscopo nostro N. Sacerdotio, adjutorio, perseverantia, pace, incolumitate, salute ipsius, & opere manuum ejus Dominum deprecemur. Pro servo Dei N. qui nunc Episcopus promovetur, & salute ipsius Dominum deprecemur. Ut hominum amator Deus immaculatum, & irreprehensibilem Pontificatum ipsi largiatur, Dominum deprecemur. Pro hac Civitate, &c. Pro omnibus qui indigent Dei adjutorio, & auxilio, Dominum deprecemur. Ut nos liberemur omni tribulatione, &c. Auxiliare, salva, miserere, & custodi nos Deus tua gratia. Kyrie eleison. Sanctissimæ, intemeratæ, superbenedictæ, gloriosę Domicæ nostrę Deiparæ semperque Virginis Mariæ mentione facta, nos ipsi, & alter alterum, totamque vitam nostram Christo Deo committamus. Tibi Domine.

His dictis Pontifex habens impositam capiti ejus, qui ordinatur, manum, sic precatur.

Domine Deus noster, qui eò quòd natura hominis essentiam divinitatis tuæ sufferre nequeat, providentia tua, eadem nobiscum mortalitatis conditione præditos Doctores nobis constituisti. Qui vicem, & thronum tuum obtinent, ut offerant sacrificium, & oblationem pro sancto populo tuo. Tu Domine & hunc renunciatum dispensatorem Pontificiæ gratiæ, effice imitatorem tui veri pastoris ponentem animam suam pro ovibus tuis. Cæcorum ducem, lumen in tenebris degentium, præceptorem desipientium, doctorem infantium, luminare in mundo. Ut cùm animas ipsi concreditas in hac præsenti vita ad perfectionem perduxerit, sistat se tribunali tuo sine ulla erubescentia. Et magnam mercedem recipiat, quam iis præparasti, qui pro

Evangelij tui prædicatione decertarunt. Quoniam tuum eſt miſereri, & ſalvare Deus noſter, & tibi gloriam offerimus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto nunc, & ſemper, &c.

Et dicto Amen, aufert Evangelium, illudque deponit ſuper ſacram menſam, imponitque conſecrato humerale (hoc eſt pallium Archiepiſcopale. Siquidem omnes Græcorum Epiſcopi eo utuntur) dicens, dignus, quod ſimiliter iterat Clerus. Deinde conſecrans conſecratum amplectitur, reliqui quoque Epiſcopi eum ſalutant, & conſueta acclamatione facta aſcendunt, ut unà ſedeant cum Epiſcopo, primuſque ſedens, qui ordinatus eſt, dat pacem in Apoſtolum (hoc eſt recitata Epiſtola Apoſtoli in ſacro, dicit, Pax tibi) & primus inter alios precioſi corporis, & ſanguinis Chriſti fit particeps, diſtribuitque communionem tum ipſi, qui eum ordinavit, tum cæteris.

Nota in Euchologio reperiri ea omnia, quæ requirit Dionyſius in c. 3. de Eccleſ. Hierarchia; Ea verò ſunt: ἡ πρὸς τὸ θεῖον θυσιαστήριον προσαγωγὴ, καὶ ὑπόπτωσις. ἡ τῆς ἱεραρχικῆς χειρὸς ἐπίθεσις ἡ σταυροειδὴς σφραγὶς, ἡ ἀνάρρησις, ὁ τελειωτικὸς ἀσπασμός. ἐξαίρετα δὲ καὶ ἔκκριτα τοῖς ἱεράρχαις μὲν ἡ τῶν λογίων ἐπὶ κεφαλῆς ἐπίθεσις, οὐκ ἐχόντων τοῦτο τῶν ὑφειμένων ταγμάτων. τοῖς δὲ ἱερεῦσιν ἡ ἀμφοῖν τοῖν ποδοῖν κλίσις, οὐκ ἐχούσης τοῦτο τῆς τῶν λειτουργῶν τελειώσεως. οἱ γὰρ λειτουργοὶ, καθὼς εἴρηται, τὸ ἕνα κλίνουσι τοῖν ποδοῖν μόνον. Acceſſus ad divinum Altare (nam Græci reliquos ordines, de quibus non tractat Dionyſius, extra ſanctuarium conferunt.) inflexio genuum, Pontificis manus impoſitio, ſignum Crucis, acclamatio, perficiens ſalutatio. Præcipua verò, & ſelecta Pontificibus quidem eloquiorum ſuper caput impoſitio, quod inferiores ordines non habent. Sacerdotibus autem utriuſque pedis inflexio, quo caret miniſtrorum conſecratio. Miniſtri enim, ut dictum eſt, alterum genu tantùm inflectunt. Quæ omnia ſuum ſignificatum habent, ut ibidem exponit Dionyſius.

Chryſoſtomus in oratione, cujus titulus, ὅτι τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης εἷς ὁ νομοθέτης, quòd veteris, & novi teſtamenti unus ſit legiſlator, explicat quid ſignificet, imponere capiti Epiſcopi Evangelium, ἐπειδὴ ὁ ἀρχιερεὺς κεφαλὴ ἦν τοῦ λαοῦ, ἔδει δὲ τὸν πάντων κεφαλὴν γινόμενον, ἔχειν κατὰ κεφαλῆς τὴν ἐξουσίαν, (ἀπολελυμένη γὰρ αὐθεντία ἀφόρητός ἐστιν, ἔχουσα δὲ ἐπικείμενον τὸ σύνθεμα τῆς δεσποτείας, ὑπὸ νόμον ἄγεται.) κελεύει οὖν τὴν κεφαλὴν μὴ εἶναι γυμνὴν, ἀλλὰ κεκαλυμμένην, ἵνα μάθῃ ἡ κεφαλὴ τοῦ λαοῦ, ὅτι κεφαλὴν ἔχει. διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἱερέων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ κεφαλῆς τίθεται, ἵνα μάθῃ ὁ χειροτονούμενος, ὅτι τὴν ἀληθινὴν τοῦ εὐαγγελίου τιάραν λαμβάνει. καὶ ἵνα μάθῃ, εἰ καὶ πάντων ἐστὶ κεφαλὴ, ἀλλ᾽ ὑπὸ τούτοις πράττει τοῖς νόμοις, πάντων κρατῶν, καὶ τῶν νόμων κρατούμενος, πάντα νομοθετῶν, καὶ ὑπὸ τοῦ νόμου νομοθετούμενος. διὰ τοῦτο γενναῖός τις τῶν ἀρχαίων, Ἰγνάτιος δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ, οὗτος ἱερωσύνῃ καὶ μαρτυρίῳ διαπρέψας, ἐπιστέλλων τινὶ ἱερεῖ ἔλεγε, μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω, μηδὲ σὺ ἄνευ γνώμης θεοῦ τι πράττε. τὸ τοίνυν ἔχειν τὸν ἀρχιερέα τὸ εὐαγγέλιον, σημεῖόν ἐστι, τοῦ ὑπ᾽ ἐξουσίαν εἶναι. διὰ τοῦτο λέγει Παῦλος περὶ γυναικὸς ἐχούσης κάλυμμα, ὃ ἦν εἰκὼν ἐξουσίας. ἦν οὖν ἡ τιάρα τὸ σῆμα τῆς ἐξουσίας. Quoniam Pontifex caput erat populi, oportebat autem eum, qui caput omnium efficitur, ſupra caput ſuum aliam habere poteſtatem (abſolutum enim imperium eſt intolerabile, quod autem habet ſibi impoſitam dominationis notam ſub lege degit) jubet igitur caput non eſſe nudum, ſed velatum; ut diſcat caput populi ſibi aliud eſſe caput. Propterea & in Eccleſia in conſecrationibus Epiſcoporum Evangelium Chriſti capiti eorum imponitur, ut diſcat, qui per impoſitionem manuum ordinatur, ſe veram Evangelij tiaram accipere, atque ut diſcat, etiam ſi omnium ſit caput, ſub his tamen degere legibus, in omnes quidem habentem imperium, ſed legibus ſervientem, omnia lege refrænantem, ſed legi ſubjectum. Quapropter præclarus quidam ex antiquis Ignatius nomine, Sacerdotio, ac martyrio illuſtris, ſcribens ad quendam Epiſcopum aiebat, nihil ſine tua voluntate fiat, neque tu aliquid agas ſine voluntate divina. Quod igitur habeat Pontifex Evangelium, ſignum eſt, eum eſſe ſub poteſtate. Propterea dicit Paulus de muliere habente

velamen, quòd erat imago poteſtatis. Erat itaque tiara figura poteſtatis.

Sic Chryſoſtomus. Ex cujus verbis habemus tum ſignificatum hujus cerimoniæ, tum etiam colligi poſſe videtur, Epiſcopos Græcorum non fuiſſe, nec eſſe ſolitos geſtare Mitram, ſed loco illius, cùm ſacris initiantur, geſtare ſupra caput Evangelium, quod etiam geſtant Latini, ſed & antiquam cerimoniam geſtando mitram Latini obſervant.

De materia hujus Sacramenti.

CAPUT III.

PHiladelphienſis in opuſculo de Sacramentis, dum agit de ſacris Ordinibus, ſic deſcribit materiam hujus Sacramenti, ἡ μὲν ὕλη τοῦ ἱερατικοῦ τάγματός ἐστιν ὁ ἅγιος ἄρτος, καὶ ἡ τῶν ἱερῶν σκευῶν ποσότης, καὶ τὰ λοιπὰ ἑκάστου τάγματος, ὡς ἔθος. Sacerdotalis ordinis materia eſt ſacratiſſimus panis, & ſacrorum vaſorum quantitas (fortaſſis per quantitatem inuſitata phraſi varium genus intelligit) & reliqua uniuſcujuſque ordinis, ut moris eſt. Sic ille.

Ut faciliùs diſcernere valeamus, quænam ſit materia ſacrorũ Ordinum apud Græcos, Nota ex his, quæ recenſuimus, quòd in primis Lectori, Subdiacono, Diacono, Preſbytero, & Epiſcopo, cùm ordinantur, imponuntur manus à Pontifice, eſtque id cõmune omnium. Deinde peractis orationibus conſecratoriis, Lectori porrigit Pontifex librum Epiſtolarum Canonicarum, cum Actibus Apoſtolicis; Subdiacono præbet vaſa, vrceolum, & lebetem unà cum mantili ad infundendam aquam Pontifici. Diacono exhibet flabellum, quo arcet muſcas, pulueres, & id genus à ſacratiſſima Euchariſtia, idque flabellum habet in ſe depictos, ſeu alio modo expreſſos Seraphim. Cujus rei præbuit Græcis anſam Dionyſius in iis, quæ ſcribit de conficiendo ſacro unguento. Quippe ait, τὸ μύρον ὁ ἱεράρχης λαβὼν ἐπιτίθησι τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ περικεκαλυμμένον ὑπὸ δυοκαίδεκα πτέρυξιν ἱεραῖς. Pontifex unguento accepto, illud divino imponit altari, ac duodecim ſacris alis contegit. In Theoria verò per duodecim alas ordinem Seraphicum ſignificari teſtatur, qui Jeſu aſſiſtit. Et quoniam unguentum Chriſtum ſignificat, & quodammodo repræſentat, propterea illud etiam duodecim alis contegit; quæ ſunt iſta flabella, in quibus Greci depingunt, ſeu ſculpunt Seraphim. Quę flabella, dum Pontifex defert unguentum in ſanctuariũ, Diaconi geſtant, qui eum cõmitantur, ut apparet in Euchologio. Propterea fortaſſe Diaconi, quia miniſtri ſint, ut etiã Angeli miniſtrantes Deo, ὡς λειτουργικὰ πνεύματα. λειτουργὸς autẽ, hoc eſt miniſter & ipſe Diaconus appellatur. Clemens Romanus in 8. lib. conſtitutionum Apoſtolicarum c. 12. mentionem facit horũ flabellorum ſic ſcribens, δύο δὲ διάκονοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον, ἢ πτερῶν ταῶνος, ἢ ὀθόνης, καὶ ἠρέμα ἀποσοβείτωσαν τὰ μικρὰ τῶν ἱπταμένων ζώων, ὅπως ἂν μὴ ἐγχρίμπτωνται εἰς τὰ κύπελλα. Duo Diaconi ex utraque parte ſanctuarij geſtent flabellum è tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex velo ſubtili, atque paulatim arceant animalia parua volantia, ne in pocula incidãt. Et fortaſſis Flabella, quibus comitantur Romanum Pontificem ſolemni pompa celebrantem, & quæ deinde in ara ſacra collocantur, ad hanc cerimoniam ſpectabant. Preſbytero Pontifex porrigit Miſſale, & quamvis hoc de porrigendo Miſſali Preſbytero, non ſit notatum in Euchologio, eſt tamen iſte mos alicubi uſitatus. Immò in Conſtantinopolitana Eccleſia, dum porrigit librum Patriarcha conſecrans dicit, ἄξιος, dignus, ut à Monachis Conſtantinopolitanis fide dignis accepi. Eidem preſbytero, dum celebrat ſacrum Epiſcopus, prębet particulam abſciſſam ex majori particula, quæ eſt in patena ſuper altari. Et quidem in Ruſſia præbet hanc particulam Pontifex nondum conſecratam, talis quippe eſt mos, & obſervatio in Ruſſorum ritualibus, ut etiam in Euchologio antiquo Patriarchali manuſcripto, in Græcia verò conſecratam.

Porro illud commune eſt Ruthenis cum Græcis, quòd preſbyter initiatus illo die in eodem ſacro Pontifici concelebrat, &

unà consecrat. In eo differt Ruthenus à Græco, quòd ille particulam, quam manibus tenet consecrat, cùm eam non consecratam à Pontifice priùs accipiat: Græcus verò, cùm nullam præ manibus habeat, eam consecrat, quæ est super altari. Ex qua postea dat ei particulam Pontifex.

Græcorum, & Russorum presbyteri recenter initiati in aliquibus conveniunt cum Latinis. Ambo in eo quòd Pontifici concelebrant, & unà consecrant. Id enim fit etiam apud Latinos. Rutheni tantùm in eo quòd materiam accipiunt nondum consecratam, more Latinorum, qui ante consecrationem materiam in patena contentam, ordinando tangendam porrigunt. At Græci in eo, quòd eandem particulam in altari positam instar Latinorum, non seorsum alteram consecrant. Hæc διηγηματικῶς.

Modò quærendum est, quænam sit materia hujus Sacramenti. Cùm enim in sacris ordinibus tres sint sensibiles res, quæ vicem materiæ supplere possint, videlicet manus impositio, instrumenta, & in presbyteratu præter hæc panis, sive consecratus, sive consecrandus; Declarandum est utrum singula, an omnia simul sint materia.

Quæ sentio, claritatis causâ quasi per pronunciata quædam digeram. Atque à manuum impositione incipiam, quandoquidem primum locum obtinet apud Græcos.

Prima propositio. Manus impositio est cerimonia essentialis, & intrinseca huic Sacramento in ordinibus Græcorum, neque vicem gerit formæ, sed materiæ.

Probatur hæc propositio in primis ex sacra scriptura Act. 6. Hos (diaconos septem electos) statuerunt ante Apostolos, & cùm orassent, imposuerunt illis manus. 1. ad Timoth. cap. 4. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij, & c. 5. Manus cito nemini imposueris, & 2. Timoth. cap. 1. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. At gratiæ Sacramentalis promissio non fit ceremoniis accidentalibus, sed essentialibus. Sacramentum enim nihil aliud est, quàm ritus, & cerimonia externa, sive symbolum externum, cui est annexa divina promissio gratiæ. Sed impositioni annectitur, ergo. Alioquin non possemus convincere hæreticos, atque ostendere illis, ordinationem esse Sacramentum propriè dictum: quia nullum aliud extat in scriptura symbolum externum, quod sit essentiale. Fuit autem hæc cerimonia instituta à Deo in veteri lege, non quidem ad consecrandum sacerdotem, sed ad creandum populi Ducem. Nam in lib. Numeri c. 27. Dominus ait ad Mosen, Tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël. & in libro Deuteronomij cap. 34. sic scribitur: Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas. Quoniam igitur in nova lege sacra scriptura de Apostolis, & eorum successoribus, ac viris Ecclesiasticis ait, Constitues eos principes super omnem terram, & sacri Cleri homines accipiunt Spiritum sanctum ad obeundas suas functiones, & populis præsunt principum instar, hac eadem cerimonia perficiuntur. Alioquin Apostoli minimè eam usurpassent.

Deinde idem probatur ex auctoritate Conciliorum, quæ quidem ita passim loquuntur, ut clarè indicent hac cerimonia, hoc est, χειροτονία, χειροθεσία, & ἐπιθέσει τῶν χειρῶν, quæ in hoc Sacramento idem significant, conferri sacros ordines. Nicænum primum can. 9. εἴ τινες ἀνεξετάστως προσήχθησαν πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἁμαρτήματα αὐτοῖς, καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν παρὰ κανόνα κινούμενοι οἱ ἄνθρωποι τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασι, τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται. Si quidam nullo adhibito examine ad honorem Presbyterij promoti sunt, vel examinati, fassi sunt ipsi sua peccata, & confitentibus illis, præter Canonem homines incitati hisce manum imposuerunt, hos canon minimè admittit.

Neocæsariense can. 9. πρεσβύτερος ἐὰν προημαρτηκὼς σώματι προαχθῇ, καὶ ὁμολογήσῃ ὅτι ἥμαρτε πρὸ τῆς χειροτονίας, μὴ προσφερέτω,

μένων ἐν τοῖς λοιποῖς διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν. τὰ γὰρ λοιπὰ ἁμαρτήματα ἔφασαν οἱ πολλοὶ καὶ τὴν χειροτονίαν ἀφιέναι. Qui corpore priùs peccaverat, si ad Presbyterij dignitatem promotus fuerit, & confessus fuerit se ante ordinationem peccasse, ne offerat, manens in aliis propter aliud ejus vitæ studium. Reliqua enim peccata plerique dixerunt, manuum impositione tolli.

Antiochenum can. 10. τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα. Ij, qui in vicis, vel pagis, vel qui dicuntur Chorepiscopi, etiam si Episcoporum manuum impositionem acceperint, visum est sanctę Synodo, ut proprios terminos sciant. & can. 17. εἴ τις ἐπίσκοπος χειροθεσίαν ἐπισκόπου λαβὼν, καὶ ὁρισθεὶς προεστάναι λαοῦ, μὴ καταδέξοιτο τὴν λειτουργίαν. Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo jussus, munus non susceperit, &c.

Synodus Ancyrana can. 10. διάκονοι εἴ τινες σιωπήσαντες, καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. Diaconi quicunque sanè tacuerint, & acceptaverint in manus impositione se sic permansuros, si postea contraxerint matrimonium, ab officio Diaconatus cessare debebunt.

Carthaginense 4. can. 2. Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. Can. 3. Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant. Can. 4. Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.

Synodus septima universalis can. 14. de ea sic habet. ὅτι τάξις ἐμπολιτεύεται ἐν ἱερωσύνῃ καὶ πᾶσιν ἀρίδηλον. καὶ ὅτι τὸ ἐν ἀκριβείᾳ διατηρεῖν τὰς τῆς ἱερωσύνης ἐγχειρήσεις Θεῷ ἐστὶν εὐάρεστον. καὶ ἐπειδὴ ὁρῶμεν ἐκτὸς χειροθεσίας νηπιόθεν τὴν κουρὰν τοῦ κλήρου λαμβάνοντάς τινας, μήπω δὲ παρ' ἐπισκόπου χειροθεσίαν λαμβάνοντας, καὶ ἀναγινώσκοντας ἐν τῇ συνάξει ἐπ' ἄμβωνος, ἀκανονίστως τοῦτο ποιοῦντας, ἀποτρέπομεν ἀπὸ τοῦ παρόντος τοῦτο μὴ γίνεσθαι. τὸ αὐτὸ δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐπὶ μοναχῶν. ἀναγνώστου δὲ χειροθεσίαν, ἄδειά ἐστιν ἐν ἰδίῳ μοναστηρίῳ καὶ μόνῳ ἑκάστῳ ἡγουμένῳ ποιεῖν, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χειροθεσία παρὰ ἐπισκόπου πρὸς προεδρείαν ἡγουμένου, δῆλον ὅτι ὄντος αὐτοῦ πρεσβυτέρου. ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τοὺς χωρεπισκόπους κατ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου δεῖ προχειρίζεσθαι ἀναγνώστας. Quòd in Sacerdotio versatur ordo, & quòd Sacerdotij collationes exacte servare Deo gratum sit, omnibus manifestum est. Et quoniam videmus nonnullos, qui à pueritia Cleri tonsuram sine manuum impositione accipiunt, & nōdum ab Episcopo accepta manuum impositione, dum peragitur synaxis in ambone legunt, non canonicè id facientes, in posterum hoc fieri non permittimus. Hoc ipsum verò etiam in Monachis servandum esse statuimus. Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio Monasterio etiam soli unicuique præposito facere, si ipsi præposito, existenti videlicet Presbytero, ad dignitatem præsulis imposita est manus ab Episcopo. Similiter & ex antiqua consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu lectores creare oportet. Et hactenus Concilium. Omnia fermè alia antiqua Concilia passim idem tradunt.

Postremò omnium Tridentinum sess. 14. c. 3. Ministrum Extremæ-Unctionis dicit esse Presbyterum ritè ordinatum ab Episcopo per manuum impositionem Presbyterij. Et sess. 25. can. 4. Anathema dicit eis, qui negant Spiritum sanctum dari per sacram ordinationem, ac proinde frustra dicere Episcopum, Accipe Spiritum sanctum.

Quapropter mirandum est, quomodo post Concilium celebratum aliquis Catholicorum inveniri potuerit, qui manuum impositionem non esse de essentia Sacramenti defendere sit ausus.

Ex Pontificibus idem sentiunt Clemens Romanus in lib. 8. constit. cap. 16. Cùm Presbyterum ordinas, Episcope, im-

pone ipse manum capiti presbyteri. cap. 17. Diaconum ordines, Episcope, imponendo ei manus. capite 21. Cùm Hypodiaconum ordines, Episcope, imponas ei manus. cap. 22. Constituo ut lectorem eligas, cui manu imposita preces Deo adhibens dicas. Anacletus in Epistola ad Episcopos Italiæ: Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia, Episcopis sunt celebrandæ: qui simul convenientes scrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Evangeliis, quæ prædicaturi sunt, imponentes, Dominica die hora 3. orantes, sacraque unctione exemplo Prophetarum, & Regum capita eorum (more Apostolorum, & Mosis) ungentes &c. Hoc ritu solemnem celebrant ordinationem. Damasus Epistola 4. Nec illud prætereundum nobis videtur, quòd alibi in canonibus expressum est. Qui in vicis, & possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati fuerint, &c. Nec ab re dictum perpendo, quamquam manus impositionem Episcoporum perceperint; cùm Episcoporum nomen pluralem in se contineat numerum. Videtur enim mihi, quod tunc non ab uno, sed à pluribus ordinabantur.

In canone X. Concilij Antiocheni, quem citat Pontifex Damasus, illæ voces χειροθεσίαν ἐπισκόπων, manus impositionem Episcoporum, sunt ambiguæ: nimirum ἢ τῶν χειροτονούντων, ἢ τῶν χειροτονουμένων. Possunt enim referri vel activè ad eos Episcopos, qui sua manuum impositione alios consecrant; clariusque dixisset canon, quamvis manus impositionem ab Episcopis susceperint: vel passivè ad eos, qui ut consecrentur Episcopi, manuum impositionem suscipiunt. Quippe nullus Episcopus ordinatur sine χειροτοθεσίᾳ. Primum sensum intellexit Damasus, unde requirit multos Episcopos, qui unum Chorepiscopum ordinent. Secundum sensum addiderunt interpretes (& ut Episcopi consecrati fuerint) quæ verba non reperiuntur in canone Græco, sed explicant quid sit illud, quamvis manuum impositionem Episcoporum susceperint. hæc obiter.

In eadem Epistola idem Pontifex. Eorum ordinatio à Canonibus discordat, qui per manus Episcoporum eos institui jubent. In eadem Epistola. Nam benedictio, quam prædicti Chorepiscopi ante suam prohibitionem per manus impositionem dabant, magis nobis videtur vulnus inferre, quàm salutem. Et illi, qui Pontificatus apicem non habebant; quomodo ea, quæ non habebant, dare poterant? Quoniam nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Aut quis hominum, licet more humano loquamur, dare potest, quod non habet? Præsertim cùm Pontifices non erant, ea, quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant; quàm ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quicquid ex supradictis ministeriis Pontificalibus præsumebant, irritum erat, & nihil tangendo proficiebant; sed magis juxta Prophetam maledictionem pro benedictione. (Si ratum est dicere) conferebant. Quapropter per illam illicitam manus impositionem, ut paulò superiùs prælibavimus, vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepisse, habebant. Et ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula, id est reiterare necessum est, quod legitimè actum non est, aut collatum minimè approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitimè non habuit, invenire non possum.

Innocentius 1. Epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 3. Cùm nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput, ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, ut possit recipere sanitatem: quæ sanitas post vulnus sequuta sine cicatrice esse non poterit, atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nam si, ut legitur, quod teti-

gerit immundus, immundum erit, quomodo id ei tribuetur, quod munditia, & puritas consuevit accipere? Sed è contrario asseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est, certè qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit. Et qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.

Leo I. Epistola 83. ad Episcopos Africæ, explicans Paulum, Manus citò nemini imposueris, Quid est, inquit, cito manus imponere? nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis?

Cælestinus in Epistola, quam scripsit ad Concilium Ephesinum, & extat in tertia parte Concilij cap. 20. laudat Patres, quòd deposuerint Nestorium, & elegerint, atque creaverint loco illius Maximianum Episcopum Constantinopolitanum; ac post multa præconia virtutum, quæ dicuntur in laudem illius, addit Pontifex, Interfuimus, nec nos dixerimus absentes, cùm ejus capiti verba mystica dicerentur.

Gregorius in fine registri in decreto quinto: Quia ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelij verò lectionem minister legit, Confirmationis verò hujus Epistolam Notarius excipit, sicut Pontificem manum non decet, quam imponit vendere, ita minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam vel calamum venundare. Et hom. 39. quæ refertur causa 1. q. 3. can. vendentes. Vendentes, & ementes templo eliminat Christus, quia vel eos, qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum Spiritus emere nituntur, damnat.

Alexander Papa secundus causa 1. qu. 3. can. ex multis. Chalcedonense Concilium unum ex principalibus, simili pœna condemnat eos, qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt, & eos, qui sacram manus impositionem, per quam Spiritus sanctus confertur, mercari dinoscuntur. Utrosque enim auctoritate inexpugnabili, illos à beneficio, istos à sacro ordine jubet expelli. In eodem canone, per Columbarum venditores illi denotantur, qui sacram manus impositionem vendere conantur.

Urbanus 2. Epistola ad Episcopum Pistoriensem refertur causa 1. q. 7. can. Daibertum: Beati Innocentij Papæ sententia constat declaratum, quod Nezelon; quem constat ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit, hoc est Daiberto in Diaconum ordinato. Hæc & alia hujusmodi Pontifices de impositione manuum.

Communis quoque Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum eadem est sententia. Græci enim communiter ordinationem appellant χειροτονίαν, χειροθεσίαν, ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν, Basilius ἐπιβολὴν τῶν χειρῶν, etiam nuncupat. Itaque ad hanc sententiam confirmandam prodeat in medium primus, tempore antiquissimus, doctrina sapientissimus, sanctimonia præstantissimus, coryphæus Theologorum, divinus Hierarcha Dionysius Areopagita, qui cap. 5. de Eccles. Hierarch. totum ritum sui temporis de Episcopo, presbytero, & Diacono consecrandis minutissimè tradit, copiosè contemplatur, luculenter explicat, perfectè distinguit, & omnibus numeris absolutum reddit. Titulus est: μυστήριον ἱερατικῶν τελειώσεων, mysterium sacerdotalium perfectionum, id est consecrationum, quibus nimirum perfecti redduntur sacerdotes, & sacris initiantur. Sequitur: ὁ μὲν ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱεραρχικὴν τελείωσιν προσαγόμενος ἄμφω τὼ πόδε κλίνας ἐπίπροσθε τοῦ θυσιαστηρίου ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια, καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα. καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ πρὸς τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου ταῖς παναγεστάταις ἐπικλήσεσιν ἀποτελειοῦται. ὁ δὲ ἱερεὺς ἄμφω τὼ πόδε κλίνας ἐπίπροσθε τοῦ θυσιαστηρίου, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν ἱεραρχικὴν δεξιὰν, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ πρὸς τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου ταῖς ἱεροποιοῖς ἐπικλήσεσιν ἁγιάζεται. ὁ δὲ λειτουργὸς ἕνα τοῖν ποδοῖν κλίνας ἐπίπροσθε τοῦ θείου θυσιαστηρίου ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου

δεξιὰν τελειούμενος ὑπ' αὐτοῦ ταῖς τῶν λειτουργῶν τελειωτικαῖς ἐπικλήσεσιν. ἑκάστῳ δὲ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος ἱεράρχου σφραγίς. καὶ καθ' ἕκαστον ἀνάῤῥησις ἱερὰ γίνεται, καὶ τελειωτικὸς ἀσπασμὸς ἀσπαζομένου παντὸς ἱερατικοῦ παρόντος ἀνδρὸς, καὶ τοῦ τελέσαντος ἱεράρχου τὸν πρὸς τῶν εἰρημένων ἱερατικῶν ταγμάτων ἀποτελεσθέντα. Pontifex quidem, qui ad pontificiam consecrationem adducitur, utroque genu flexo ante altare supra caput habet libros à Deo traditos, manumque Pontificis (ecce materia); atque hoc modo à consecrante eum Pontifice sanctissimis invocationibus consecratur (ecce forma.) Libri à Deo traditi Evangelia sacra intelliguntur, ut interpretatur Scholiastes Dionysij, & perspicuum est ex variis conciliis. Vel etiam sacra Biblia. Nam antequam scripta essent Evangelia, multi fuerunt creati Episcopi, in quorum tamen bibliorum locum successerunt postea Evangelia, postquam scripta fuere, & ea sola adhiberi solitum est. Sequitur apud Dionysium. Sacerdos autem flexis ante aram genibus capiti suo admotam Pontificis manum dexteram habet, atque à Pontifice, qui eum consecrat, sanctis precationibus sanctificatur. Minister verò genu altero flexo ante Altare, dextram manum Pontificis, qui eum consecrat, super caput habet, ab eoque consecratur iis precationibus, quibus ministri consecrari solent. Unicuique autem eorum signum Crucis à consecrante Pontifice imprimitur, & singulis sacra fit acclamatio, perficiensque salutatio, omnibus Ecclesiastici ordinis, ipsoque Pontifice consalutantibus eum, qui in aliquem ordinem Ecclesiasticum eorum, quos enumeravimus, cooptatus est.

Per acclamationem sacram Dionysius intelligit verba formæ, quæ sunt veluti quoddam præconium, & Pontifex consecrans divini instar præconis enunciat: Divina gratia, quæ semper imbecilla curat, & imperfecta perficit, promovet R. hunc N. in Diaconum, sive presbyterum, sive Episcopum.

Postea sequitur apud Dionysium contemplatio, in qua explicat Dionysius, quæ communia sint, quæve peculiaria Episcopo, presbytero, ac diacono. Item docet, quid sibi velint hujusmodi ceremoniæ. De impositione verò manus sic habet: ἡ δὲ τῆς ἱεραρχικῆς χειρὸς ἐπίθεσις, ὁμοῦ μὲν ἐμφαίνει τὴν τελεταρχικὴν σκέπην, ὑφ' ἧς ὡς παῖδες ἱεροὶ περιέπονται πατρικῶς, αὐτοῖς μὲν ἕξιν καὶ δύναμιν ἱερατικὴν δωρουμένης, τὰς ἐναντίας δὲ αὐτῶν δυνάμεις ἀποῤῥαπιζούσης. διδάσκει δὲ ἅμα καὶ πάσας τελεῖν τὰς ἱερατικὰς ἐνεργείας, ὡς ὑπὸ θεῷ πράττοντας τοὺς τελεσθέντας, καὶ τὸν οἰκείων ἐνεργειῶν αὐτὸν ἔχοντας ἐν παντὶ καθηγεμόνα. Manus autem Pontificis impositio simul quidem divinum præsidium declarat, qua manus impositione tanquam sancti pueri patris charitate foventur, & quæ manus impositio eis quidem habitum vimque Ecclesiastici ordinis largitur; contrarias autem potestates procul ab eis fugat. Docet etiam omnia officia, & munera sacri ordinis exequi eos, qui consecrati sunt, ut sub Deo agentes, eumque suarum actionum habentes ducem in omnibus. Sic Dionysius.

Ubi notandum est, manus impositionis duplex significatum. Per illam nempe Pontifex gerens personam Christi, divinam declarat protectionem, & sacros ordines confert. Ideo ait, αὐτοῖς μὲν ἕξιν καὶ δύναμιν δωρουμένης. Quæ verba diligenter notanda sunt. Qui verò recipiunt sacros ordines, hoc ipso quòd illis imponitur manus, non absolutum se habere imperium, sed sub alterius existere potestate, ac voluntate pendere, Deumque suarum functionum habere ducem, ostendunt. De Pontifice verò ait Dionysius, eum per impositionem sacrorum Evangeliorum plenariam, & amplissimam à Deo accipere potestatem. Quare in ordinatione Episcopi materia erit secundùm Dionysium, sacrorum Evangeliorum, & Pontificiæ manus impositio, ut etiam apparet in Pontificali Romano. Sed de Dionysio hactenus.

Narrat Gregorius Nyssenus in vita Gregorij Thaumaturgi de eodem Sancto, cùm Phædimus Amascensium antistes omni studio conaretur eum Ecclesiæ administrationi præficere, atque id sensisset Gregorius, varias solitudines transeundo latitasse,

tasse, & aufugisse. Tandem Phædimus, cùm nihil intentatum reliquisset impetu quodam divino provectus, nihil curans interjectum spatium, quo ab Gregorio dirimebatur: ἀντὶ χειρὸς ἐπάγει τῷ Γρηγορίῳ τὸν λόγον, ἀφιερώσας τῷ θεῷ τὸν σωματικῶς οὐ παρόντα. Loco manus impositionis adhibuit ei sermonem, quo eum absentem Deo consecrabat. Ergo per manus impositionem veteres consecrabant. Et quoniam Phædimus non potuit ei absenti manus imponere, & eum ordinare, idcirco subjicit idem Doctor, πάντων μετὰ ταῦτα τῶν νομίμων ἐπ' αὐτῷ τελεσθέντων. Omnia deinde in eo peracta esse instituta, quæ in omni ordinatione jure fieri solent.

Basilius in Epistola Canonica ad S. Amphilochium can. 2. loquens de nonnullis hæreticis, per impositionem manuum dari spirituale donum Sacerdotij clarissimè docet, cùm ait, ἀπέλιπε γὰρ ἡ μετάδοσις τῷ διακοπῆναι τὴν ἀκολουθίαν. οἱ μὲν γὰρ πρῶτοι ἀναχωρήσαντες παρὰ τῶν πατέρων ἔχοντας χειροτονίας, καὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτῶν εἶχον τὸ χάρισμα τὸ πνευματικόν. οἱ δὲ ἀπορραγέντες λαϊκοὶ γενόμενοι, οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον ἐξουσίαν. Defecerat enim collatio successionis serie interrupta. Qui enim primi recesserunt, sacris ordinibus initiati erant, & per impositionem manus Patrum spirituale donum habebant. Qui autem abrupti sunt, laïci effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem.

Et in Epistola ad Nicopolitas: ταῦτα δὲ ἔγραψα οὐχ ὑμῶν ἀπιστῶν, ἀλλὰ τό τινων ἀμφίβολον στηρίζων, ἐκ δὲ γνωρίσαι τὴν ἐμαυτοῦ γνώμην, ὡς μὴ προληφθῶσί τινας εἰς κοινωνίαν, μηδὲ τῆς χειρὸς αὐτῶν ἐπιβολὴν δεξαμένοις, μετὰ ταῦτα εἰρήνης γενομένης βιάζεσθαι ἑαυτοὺς ἐναριθμεῖν τῷ ἱερατικῷ πληρώματι. Hæc autem scripsi non quòd fidem vobis non adhibeam, sed ut quorundam animi dubietatem patefactâ meâ sententiâ confirmem, ne videlicet recipiantur nonnulli ad communionem. Neque postea facta pace, se ipsos in sacro cœtu numerandos esse contendant, quòd impositionem manus ipsorum susceperint.

S. Ephrem de Sacerdotio. O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum Sacerdotum!

Chrysostomus per easdem voces χειροτονίαν scilicet, & ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν, ordinationem intelligit in locis citatis Pauli. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij: οὐ περὶ πρεσβυτέρων φησὶν ἐνταῦθα, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων. οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. Non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis Apostolus loquitur. Neque enim profectò Presbyteri Episcopum per manus impositionem ordinabant. Manus cito nemini imposueris: ὃ πάντων μάλιστα κυριώτατον ἦν, ἐπήγαγε. καὶ ὃ μάλιστα συνέχει τὴν ἐκκλησίαν, τὸ τῶν χειροτονιῶν. χεῖρας γάρ φησι μηδενὶ ταχέως ἐπιτίθει, μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις. τί δέ ἐστι ταχέως; μὴ ἐκ πρώτης δοκιμασίας, μηδὲ δευτέρας, μηδὲ τρίτης, ἀλλὰ πολλάκις περισκεψάμενος καὶ ἀκριβῶς ἐξετάσας. Quod maximi momenti & ponderis est, quodque in primis Ecclesiam continet, illud intulit, de imponendis manibus scilicet. Manus, inquit, citò nemini imponas, neque communices peccatis alienis. Quid sibi vult citò? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus.

Et de ipsomet Chrysostomo Simeon Metaphrastes in ipsius vita narrat rem valde admirandam, & memoratu dignissimã. Cùm enim Chrysostomus Presbyter crearetur, & Episcopus Antiochenus Flavianus ei manus imponeret, lapsam esse ait columbam in caput ejus. Quo significaretur in ea ceremonia dari Spiritum sanctum, qui in forma columbæ tunc visibiliter descenderat, ὡς δὲ καὶ τῷ ἱερῷ προσῆλθον θυσιαστηρίῳ, καὶ αὐτὸς μὲν, ὡς θέμις, ὑπεῖχε τῷ ἱεράρχῃ τὴν κεφαλὴν, τούτου δὲ αἱ χεῖρες ἐπετίθεντο, θαυματουργεῖ κἀν ταῦτα θεὸς, καὶ δεικνύει τὸν τελειούμενον ἄξιόν τε ὑπάρχοντα, καὶ κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτῷ τῆς ἱερωσύνης καταξιούμενον. περιστερὰ γὰρ τό, τε χρῶμα λευκὴ, καὶ τὸ εἶδος σφόδρα καλὴ, ἄνω τὸν ναὸν περιϊπταμένη, κάτεισι παραχρῆμα, καὶ τῇ τοῦ χειροτονουμένου ἐπικάθηται, κεφαλῇ. πάντως οὐ χρὴ περιττοὺς εἶναι τὰ δῆλα διερμηνεύοντας. τίνι γὰρ οὐ σαφὲς, ὅτι τοῦ θείου πνεύματος τοῦτο σύμβολον ἦν;

Theodoretus in 4. lib. Ecclef. Histor. cap. 15 vel 14. secundùm Latinum Codicem, rem similiter memoriâ dignam narrat. Cùm enim Episcopi Catholici convenissent, ut in locum sancti Eusebij à muliere Ariana tegulâ interfecti, nepotem illius sororis Antiochum eligerent, virum sanctimonia insignem, deductumque ad sacrã mensam coëgissent genua flectere, conversus Antiochus simul ac vidit inter alios antistites Jovianum Episcopum Pergæ, qui parvo tempore communioni Arianorum adhæserat, ἀπεσείσατο τὴν χεῖρα, καὶ τῶν χειροτονούντων ἀποκριθῆναι προσέταξε, λέγων, μὴ ἀνέχεσθαι δεξιᾶς δεξαμένης διὰ βλασφημίας τελεσθέντα μυστήρια. Manum ejus repulit, imperavitque ut è numero eorum, qui ipsum consecrarent, segregaretur nullo modo posse ferre inquiens, dexteram illam sibi imponi, quæ mysteria per blasphemiam peracta recepisset.

Nec dissimile est illud, quod idem auctor refert in eodem libro cap. 21. vel 23. secundùm divisionem Græcorum, de quodam Mose, quem Mavia Regina Ismaëlitarum virili animo femina, recenter Christianis sacris susceptis suę genti Episcopum designari efflagitaverat. Is ergo Moses, mandante Valente Imperatore Ariano, cùm Alexandriam profectus esset, ut consecraretur, ἐπειδὴ τὸν Λούκιον εἶδεν ἐπιθεῖναι αὐτῷ τὴν χεῖρα πειρώμενον, μὴ γένοιτο, ἔφη, παρὰ τῆς σῆς με χειροτονηθῆναι χειρός. οὐκ ἐπιφοιτᾷ γάρ σου καλοῦντος ἡ χάρις τοῦ πνεύματος. ὁ δὲ Λούκιος, πόθεν ταῦτα, ἔφη, τοπάζων λέγεις; ὁ δὲ οὐ τοπάζων εἶπον, ἀλλ' οἶδα σαφῶς. Ubi, inquit, vidit Lucium (Arianorum Episcopum) sibi manum imponere velle, Absit, inquit, ut tua manus me consecret. Nam tua invocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit. At Lucius, Unde, inquit, ista conjicis? Cui Moses, Non conjiciens dixi, sed certò scio. Hactenus Theodoretus.

Simeon Thessalonicensis de Diacono docet statim fieri quamprimum enunciata fuerit forma, illa scilicet, divina gratia promovet talem Hypodiaconum in Diaconum, τότε γοῦν εὐθὺς ἀπὸ ὑποδιακόνου εἰς τὸ διάκονος εἶναι γίνεται. Tunc igitur, inquit, statim de Subdiacono factus est Diaconus: sed tunc temporis nulla est ibi materia, præterquam impositio manuum.

Job Monachus in tractatu de Sacramentis probans nonnulla mysteria propter effectum, quem producunt esse supra naturam, quippe distinguit, ac docet alia esse ὑπὲρ φύσιν, alia κατὰ φύσιν, nonnulla ἐν τῇ φύσει. De Sacerdotali ordine sic scribit. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ τῆς ἱερωσύνης ὑπερφυὲς καὶ ἄρρητον. χθὲς καὶ πρώην ὄντα τινὰ τῶν πολλῶν, καὶ ἕνα τῶν τυγχανόντων ἰδιωτῶν, ἄρτι καὶ σήμερον πνεύματος ἁγίου δυνάμει καὶ ἀρχιερέως φωνῇ καὶ δεξιᾶς ἐπιθέσει τοιαύτην ἀλλοίωσιν κρείττονα δέχεσθαι, καὶ τοσοῦτον ἀποκαθίστασθαι, ὥστε τὰ θεῖα μυστήρια τῆς ἱερᾶς ἐκκλησίας τελεῖν δύνασθαι, καὶ μεσίτην θεοῦ καὶ ἀνθρώπων γίνεσθαι, ἑαυτόν τε καὶ τοὺς ἄλλους ἁγιάζειν. Similiter quoque in sacerdotio res admiranda, & quæ fandi potentiam superat; ut cùm heri, & nudius tertius è vulgo quispiam, & plebeius extiterit, modò, & hodie virtute Spiritus sancti, voceque Pontificis, & impositione dexteræ tantam in melius mutationem suscipiat, & talis evadat, ut divina mysteria sanctæ Ecclesiæ administrare queat, ac mediator Dei & hominum fiat, seque ipsum, & alios sanctificet.

S. Ambrosius in libro de dignitate sacerdotali cap. 5. Homo, inquit, manum imponit, & Deus largitur gratiam. & in Commentariis in primam ad Timoth. c. 4. idem affirmat.

S. Hieronymus explicans in cap. 58. Esaiæ vocem illam χειροτονίαν ait, non solùm ad imprecationem vocis, sed impositionem impleri manus. Quo loco Hieronymus assignat nobis materiam, & formam hujus Sacramenti. Accedit enim, ut loquitur Augustinus, verbum ad elementum, & fit Sacramentum, sive ut placet Hieronymo, Accedit imprecatio ad impositionem manus, & impletur hoc Sacramentum, quod meritò Græci vocant χειροτονίαν.

Nec dissimilia tradit alterum lumen Ecclesiæ S. Augustinus lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. Si ergo, inquit, ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur,

quomodo exaudit homicidam deprecantem (Nota per deprecationem, seu invocationem, ut alibi loquitur, Augustinum intelligere verba formalia, seu veras formas Sacramentorum. Unde statim subjungit veras materias) vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen, & fiunt & valent etiam per homicidas. Et super gestis cum Emerito. Invocatio, inquit, nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati. Non enim suscipio Episcopum, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus. Deinde infert. In errante, & deserente milite crimen est desertoris, character non est desertoris, sed imperatoris. Vult ergo Augustinus in ordinatione characterem imprimi per impositionem manuum invocato Christi nomine. Et in 2. sermone super iisdem gestis cum Emerito. Cæteri autem, inquit non aderant ordinationi ejus, quando ei manus imposita est.

Et confirmatur ex Pontificali Romano. Etenim adhuc Romana nonnisi manuum impositione ordinat Episcopum, ut scilicet docet Dionysius, & hi Patres.

His addendus venerabilis Beda hom. 40. Qui autem sunt, inquit, in templo Dei hodie, qui columbas vendunt; nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? Per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cælitus datur.

Ex aliis Patribus, & Scholasticis Altisiodorensis 4. par. de Sacram. ord. cap. 1 Archiepiscopatum affirmat non esse distinctum ordinem ab Episcopatu. Probat id. Quia omnis ordo conficitur impositione manuum, nulla autem impositio diversa, ergo.

Durandus in 4. dist. 24. qu. 3. existimat Diaconi potestatem dari per solam impositionem, eoque tempore imprimi characterem. Probat hoc Durandus, quoniam non omnes Ecclesiæ habent morem tradendi Diacono Codicem Evangeliorum. Nam Ecclesia Aniciensis, cui ipsi præfuit, non habebat suo tempore hunc morem.

Paludanus in 4. d. 24. qu. 2. a. 3. probabile dicit in impositione manuum dari gratiam justificantem.

S. Bonaventura in 4. d. 24. par. 2. a. 1. qu. 4. disertissimis verbis non semel pronunciat, in primitiva Ecclesia tantùm per impositionem manuum ordines collatos fuisse, & sentit potuisse conferri.

Ledesma 2. p. 4. sent. qu. 36. a. 3. ad finem, putat manuum impositionem essentialem esse. Concilium verò Florentinum de hac re nihil definivisse.

Hosius Cardinalis in Confessione Polonica de Sacramento Ordinis cap. 50. & 53. de materia hujus Sacramenti ita loquitur. In sacerdotibus unctio, sive manuum impositio est materia, sive signum, seu elementum. In reliquis attactus eorum, quæ tangenda sunt.

Petrus Sotus de institutione sacerdotis tractatu de Sacramento Ordinis lect. 5. nihil esse magis ait consentaneum scripturæ, & patribus, quàm impositionem manuum esse de essentia. Quare, inquit, magis videtur perfici Sacramentum in illa impositione manus in superioribus tribus ordinibus: sed utcunque sit, melius est hoc sub dubio relinquere.

His Doctoribus jure optimo annumerandus est gravissimus auctor Bellarminus tomo 2. libro unico de Sacramento ordinis cap. 9. qui de impositione manus contra Dominicum Sotum idem defendit, quod nos in hac assertione asseveramus.

His auctoritatibus fulcitur prima nostra propositio.

Secunda Propositio. Instrumenta apud Græcos exhibentur quidem, quia tamen exhibentur sine ullis verbis, peractis jam sacris ordinibus, & nulla fit eorum mentio in orationibus consecratoriis, non videntur de facto & ut nunc se res habet, esse materia, quamvis possent esse, ut sunt apud Latinos, si aliter & unà cum forma exhiberentur; sed potiùs videntur esse materia quodammodo, circa quam versantur sacri ordines, &, ut aiunt Scholastici, non in actu primo, sed in actu secundo. Quippe Lectori præbent librum Epistolarum Apo-

ſtolicarum, & in exhibitione nulla ei verba dicunt, quaſi formam Sacramenti, neque poſtea, ſed ipſe creatus jam Lector munere ſuo fungitur, & ſtatim recitat lectionem ex Actibus Apoſtolicis. Similiter Hypodiaconus accipit vaſa de manu Archidiaconi ſine vllis conceptis verbis, & cerimonia, & ſtatim infundit aquam in manus Pontificis. Diaconus accepto flabello non diſſimili ratione occupat ſe circa Euchariſtiam. Sacerdoti verò porrigitur quidem liber liturgiæ, quem Κοντάκιον appellant, ſed ſine vllis verbis. At neque omnes Epiſcopi conſecrantes illum porrigunt, neque quicquam ea de re habetur in Euchologiis tam impreſſis, quàm manu ſcriptis. Quamvis autem à Patriarcha Conſtantinopolitano (ut audio) enuncietur illud verbum ἄξιος, dignus, cùm exhibetur presbytero liber liturgiæ, quod verbum ſimiliter dicitur quando induitur ſacerdotales veſtes, vel illa alia verba dicantur, accipe depoſitum hoc, dum præbetur illi panis conſecratus, non tamen ea verba ſunt forma, ſed neque panis eſt materia, ut dicam poſtea.

Præterea valde difficile eſt intelligere quomodo proferatur forma, & valeat ſine materia, cùm commodè ſimul adhiberi materia, & forma proferri poſſit. Et natura ſua forma ſit contractiva materiæ, ut mirum non ſit, ſi aliquando materia mox contrahenda per formam, ut in Confeſſione præcedat: formam autem, quæ contrahit, & facit materiam Sacramenti, expectare, quòd contrahat, rationi congruere non videtur.

Ob has, & ſimiles rationes, & quia Diaconi, & Preſbyteri ſecundùm Dionyſium, & alios veteres Patres in primitiva Eccleſia manuum impoſitione ordinabantur, cogor defendere apud Græcos præter manus impoſitionem nullam aliam reperiri materiam.

Quam ſententiam omnium probabiliſſimam, ac veriorem puto. Hac enim ratione omnia inter ſe perbellè conveniunt, & unà cum materia prolata forma ſtatim efficit, ac perficit conſecratum, & ad modum rerum naturalium forma dat eſſe rei, idque ſignificant verba formæ. Divina gratia creat, ſeu promovet talem in Diaconum, in preſbyterum, in Epiſcopum. De quibus ſuo loco dicam poſtea.

Tertia propoſitio, nulla probabilitate aſſeritur, panem illum eſſe materiam hujus Sacramenti in preſbyteratu. Si enim apud Græcos inſtrumenta, quæ porriguntur, non ſunt materia, eo quòd alia materia, & forma Sacramenti præceſſerit, illa verò exhibeantur ſine vllis verbis, quę formam repræſentent, multo minus ille panis erit materia, qui longè poſt inſtrumenta conſequitur.

Alioquin ſi eſſet materia, mancum, & imperfectum faceremus Dionyſium, qui tradit modum initiandi Preſbyterum, nulla prorſus mentione facta hujus cerimoniæ.

Præterea ex eodem Dionyſio initiatus antequam accipiat panem, ſalutat oſculo Pontificem, & reliquos Sacerdotes, quaſi jam peracta ordinatione ſimilis illis effectus: ideò Dionyſius poſtremam rem ordinationis ponit τὸν ἀσπασμὸν, ſalutationem, quam etiam τελειωτικὸν, vocat conſummativam, & perfectivam, poſtquam ſcilicet nihil remanet, quod agatur, ſed ea præſtita ordinationi finis imponitur, & res abſoluta eſſe cenſetur. Quod magis declarat in Theoria Dionyſius ita ſcribens, ὁ δὲ ἐπὶ τῷ τέλει τῆς ἱερατικῆς τελειώσεως ἀσπασμὸς ἱερὰν ἔμφασιν ἔχει. πάντες γὰρ ὅσοι πάρεισι τῶν ἱερατικῶν ὄντες τάξεων, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ τελέσας ἱεράρχης ἀσπάζονται τὸν τετελεσμένον. ὅταν γὰρ ἱερατικαῖς ἕξεσι καὶ δυνάμεσι, καὶ θείᾳ κλήσει καὶ ἁγιαστείᾳ πρὸς ἱερατικὴν τελεσιουργίαν ἀφίκηται νοῦς ἱερὸς, ἐραστός ἐστι ταῖς ὁμοταγέσι καὶ ἱερωτάταις τάξεσιν εἰς τὸ θεοειδέστατον ἀνηγμένος κάλλος, ἐρῶν τῶν ὁμοειδῶν νοῶν, καὶ πρὸς αὐτῶν ἱερῶς ἀντερώμενος. ἔνθεν ὁ πρὸς ἀλλήλοις ἱερὸς ἀσπασμὸς ἱερουργεῖται, τὴν τῶν ὁμοειδῶν νοῶν ἱερὰν κοινωνίαν ὑποδηλῶν, καὶ τὴν ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἐραστὴν εὐφροσύνην, ὡς ὁλοκλήρως ἀποσώζουσαν ἱερατικῇ μορφώσει τὸ θεοειδέστατον κάλλος. Quæ circa finem in ſacrorum ordinum conſecratione adhibetur ſalutatio, ſacram ſignificationem continet. Nam & omnes, qui adſunt in ſacris ordinibus conſtituti, & Pontifex ipſe, qui conſecravit, eum, qui

consecratus est, salutant. Cùm enim sancta mens, habitu, vique Pontificis, & divina vocatione, atque sacra cerimonia ad Ecclesiastici ordinis consecrationem, honoremque pervenerit, cara est paribus, sanctissimisque ordinibus, & ad pulchritudinem divinæ similem perducta, mentes similes amat, atque ab eis sanctè redamatur. Hinc consalutatio illa inter Ecclesiastici ordinis homines servatur, & perficitur, quæ sanctam parium, similiumque mentium societatem, lætitiamque mutuam, quæ amore digna est, indicat, quippe quæ sacerdotali formæ pulchritudinem divinam integrè conservat. Satis magnificè de hac salutatione Dionysius. Ubi notanda est ratio salutationis, quam reddit Dionysius: propterea enim ait fieri consalutationem, quod is quem salutant, evaserit similis illis, sitque hoc nomine carus. At quanam ratione evasit par, & similis? partim ἱερατικαῖς ἕξεσι καὶ δυνάμεσι, partim θείᾳ κλήσει καὶ ἁγιαστείᾳ: primis verbis declarat Pontificiam potestatem, quæ consistit in charactere. In numero multitudinis ait, ἕξεσι καὶ δυνάμεσι, quòd potestas Episcopalis, & is character ad multa se extendat. Quo mediante Pontifex sacros ordines confert, hunc Dionysius vocat ἕξιν habitum. Sicut enim habitus est affectio animi firma; ita character indelebilis. Unde loquendo Dionysius alibi de manu Pontificia consecrante, dicit, αὐτοῖς μὲν ἕξιν καὶ δύναμιν δωρουμένης, quòd ea manus impositio consecratis largiatur habitum, & facultatem obeundi sacras functiones. Postremis verbis declarat ipsam formam Sacramenti θείᾳ κλήσει καὶ ἁγιαστείᾳ, divina vocatione & sacra cerimonia, hoc est, consecratione. His enim verbis innuit formam, quæ hujusmodi est, Divina gratia promovet talem ad talem dignitatem. Igitur antequam fiat oonsalutatio, est absolutum Sacramentum, per quod similis evadit is, quem salutant, & ista salutatio, ut ait Dionysius, fit in fine.

Præterea inter cætera notanda sunt illa verba. ὁ τελέσας, τὸ τετελεσμένον, αὐτουργός, quæ significant rem jam peractam. Quod etiam totum confirmat his verbis Euchologium: ἀσπάζεται (ὁ πρεσβύτερος) τὸν ἀρχιερέα καὶ τοὺς πρεσβυτέρους, ἀποσχόμενος ἵσταται μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, ἀναγινώσκων τὸ κοντάκιον. Sacerdos amplexu salutat Pontificem, & presbyteros; deinde recedens stat cum presbyteris recitans κοντάκιον, hoc est, liturgiam. Sic enim interpretabatur hanc vocem quidam Archimandrita Constantinopolitanus.

Nota primò, vocem esse peregrinam, & fortassis corrupta jam puritate linguæ Græcæ à posterioribus inventam. Nota secundò, inter hymnos Ecclesiasticos esse quoddam genus, quod hoc nomine appellatur; & singulos dies festos habere unum tantùm, & illud proprium & singulare contacium. Non enim sunt ut cæteri cantus, ubi sunt multæ odæ, εἱρμοὶ non pauci, & multa τροπάρια. Nota tertiò expositores non indicare unde hoc nomen originem trahat, sed Moschopulus in libello, quem composuit περὶ σχεδῶν, fol. 154. explicans quid sit τόμος, ait, τὸ κοντάκιον. Quo circa possumus è converso κοντάκιον, exponere esse τόμον. Nam ista reciprocantur: τόμος autem inter cætera significat tomum ἀπὸ τοῦ τέμνω, scindo. Inde primus tomus, secundus tomus, & sic deinceps. Quòd quandoque auctores prolixitatis fugiendæ causâ, sua opera τέμνουσιν εἰς πολλὰ μέρη. Per consequens denotat librum, volumen, & in hac significatione accepit illud Balsamon responso quinto ad Marcum Patriarcham Alexandrinum. Quæsierat Marcus, rectè ne celebrarent liturgias nonnullæ nationes, quæ non Græco, sed patrio idiomate uterentur? Optimè eas celebrare, respondet Balsamon, quòd exemplaria haberent à Græcis sumpta, & versa in linguam eorum. Ubi volumina liturgiarum Græcarum Balsamon appellat κοντάκια. ἀντίγραφα ἔχοντες τῶν συνήθων ἁγίων εὐχῶν ἀπαράλλακτα, ὡς μεταγραφέντα ἐκ κοντακίων καλλιγραφηθέντων διὰ γραμμάτων ἑλληνικῶν. Habentes exemplaria immutabilia consuetarum sacrarum precum, ut quæ transcripta sint ex contaciis, hoc est, voluminibus literis Græcis eleganter scriptis. Item τόμος significat propriè illud, quod exciditur è pellibus animantium, ἀπὸ τοῦ τέμνω,

ut dictum est, & adhibetur ad ſcribendum; impropriè verò uſurpatur ad ſignificandam chartam, & quamlibet aliam materiam ſcripturæ aptam. Qua ſignificatione Georgius Codinus intellexit κοντάκιον, deſcribens munus, τοῦ ἱερομνήμονος, hoc eſt, magiſtri cerimoniarum. Ait enim, ὁ ἱερομνήμων, εἰς τὸ βλέπειν τὰς εὐχὰς ὄπισθεν τοῦ ἀρχιερέως, κρατεῖ τὸν ἐνθρονισμὸν, καὶ τὸ κοντάκιον τῆς χειροτονίας. Magiſter cerimoniarum eſt conſtitutus pone Pontificem ad inſpiciendum preces, (hoc eſt, ad monendum quid agendum, quove tempore recitandum ſit aliquid ex precibus, ne Pontifex erret.) tenens, hoc eſt, præ manibus habens τὸ κοντάκιον τῆς χειροτονίας, volumen ordinationis, hoc eſt chartam, quæ in ſe continet ſcriptam formam ordinationis. Forma verò ſunt iſta verba, ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν ἱερωτάτων μητροπολιτῶν, καὶ ἀρχιεπισκόπων καὶ ἐπισκόπων ἡ θεία χάρις, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα προχειρίζεται τὸν δεῖνα, τὸν θεοφιλέστατον πρεσβύτερον ἐπίσκοπον τῆς θεοσώστου πόλεως τῆς δε. Suffragio & approbatione ſacratiſſimorum Metropolitarum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabiliſſimum Preſbyterum in Epiſcopum à Deo ſervatæ civitatis N. ut clarè conſtat ex Euchologio in conſecratione Epiſcopi, & nos ſuprà retulimus in ſecundo capite. Ubi hujuſmodi charta porrigitur Patriarchæ conſecranti Epiſcopum a Cartophylace, olim verò eam præbebat magiſter cerimoniarum aſſiſtens Pontifici, ut eam Pontifex recitaret, ac enunciaret. Is enim perficit, ac peragit conſecrationē, non ipſe ἱερομνήμων.

Sed quid ſibi vult, quod ait Codinus de magiſtro cerimoniarū, κρατεῖν τὸν ἐνθρονιασμόν? Fortaſſis in ea charta, ubi erat deſcripta forma ordinationis, vel ſimili, alia quoque verba exarata erant, quibus Pontifex ordinans, vel ipſe cerimoniarum magiſter invitabat conſecratum ad ſedendum, & eum in ſede collocabat. Vel ſimpliciter ea verba denotant, cerimoniarum præfectum tenuiſſe manibus thronum, & eum recenter initiato porrexiſſe ad ſedendum unà cum aliis Coepiſcopis conſecrantibus. Quam cerimoniam Euchologium innuit illis verbis, τῆς συνήθους εὐφημίας πληρωθείσης ἀνέρχονται εἰς τὸ σύνθρονον. Conſueta acclamatione peracta aſcendunt (Epiſcopi) in conſeſſum. Siquidem eminentiorem locum parant, ubi collocant ſedes.

Cur autem τόμος volumen & charta brevis, carmen etiam quoddam κοντάκιον vocaretur, rationem omni ex parte convenientem aſſignare, difficile eſt. Niſi quòd in lingua pura & caſta Græcorum κοντὸς ſignificat contum, unde proverbium κοντῷ πλεῖν, conto navigare, accipitur pro eo, quod eſt, προσηκόντως ζῆν, decenter, ac pro tenui conditione vivere. In lingua verò vernacula κοντὸς & κοντακιμὸς ἄνθρωπος, curtum & parvæ ſtaturæ hominem ſignificat. Solent autem Græci ſcribere in charta pergamena, & ſcripturam involuere & implicare paruo quodam ſuppoſito ligno figuræ cylindricæ, qui modus ſcribendi & implicandi eſt uſitatiſſimus in Græcia. Sive igitur ex vocula κοντὸς, vocetur volumen & charta κοντάκιον, ob parvum ſuppoſitum lignum; ſive ex eadem voce juxta tritum vernaculæ linguæ uſum accepta, κοντάκιον vocetur breve volumen & curtum, hacque ratione hoc nomen in aula Romana epiſtolis reſpondeat, quas ſummus Pontifex ad Principes ſolent mittere quę Brevia vocantur, & inter Eccleſiaſticos hymnos κοντάκιον carmen ſignificet breviſſimum, quod ſummam feſtivitatis contineat, vel in parua charta ſcriptum ſit, quocunque modo accipere illud volueris, liberum eſt, dum melior expoſitio non occurrit. Vel itaque recens initiatus ſacris recitabat illud carmen, quod appellatur κοντάκιον, ut etiam recitat circa finem ſacri vltimam orationem, quam vocant εὐχὴν ὀπισθάμβωνον, orationem poſt ambonem, hoc eſt, quam novus Sacerdos de ſanctuario exiens & ſtans in loco poſt ambonem recitat. Vel κοντάκιον liturgiam, in eo ligno, quod deſcripſimus, involutam, & implicatam ſignificat. Eſtque veriſimile hanc vocem ſic debere intelligi, ut etiam intellexit Balſamon. Nam nihil aliud eſt ibi quod recitet. Deinde quorſum daretur in manus illi Miſſale, ſi nihil recitare deberet?

Et hæ quidem rationes universè probant,

panem illum non esse materiam, sive sit consecratus, sive non consecratus. Singillatim verò si sit consecratus non esse materiam, probatur evidentissima ratione. Nam antequam Pontifices eum porrigant, ipsimet Presbyteri tanquam perfectè sacris initiati unà cum Episcopo eum consecrant. Quare in Euchologio vocatur is, qui accedit ad accipiendum panē, ὁ χειροτονηθεὶς, hoc est, ordinatus jā, & consecratus per manus impositionem. Vel ergo non rectè appellatur hoc nomine, & non debet panem consecrare, neque liturgiæ preces recitare, si nondum existit Presbyter, quippe materia illi nondum sit porrecta, ut constare possit sacramentum Ordinis, & ipse Sacerdos evadere. Vel si consecrat, ut re ipsa consecrare videtur, & ex illis, quæ recitat, manifestum est; certè nulla ratione sanctissima illa Eucharistia potest esse materia ordinis. Est ergo cerimonia quædam, qua Pontifex gravissimè commonefacit sui muneris Presbyterum.

Dices, Græcos in errore versari, qui panem ante consecrationem non exhibent; contra quàm faciunt Rutheni, & habetur in antiquo manuscripto Euchologio.

Præterea, in liturgiis præsanctificatis Græci non solent consecrare Presbyterum. Id propterea fit (dicet aliquis) quia requiritur panis non consecratus. Alioquin si posset dari panis consecratus Presbytero, posset etiam fieri ejus initiatio in præsanctificatis, & tamen non fit, hoc enim in usu habetur apud Græcos, & Ruthenos. Ergo indicium est, eum requiri tanquam quid necessariò spectans ad essentiam Sacramēti. Inde verò sequitur, Presbyteros Græcos recenter creatos, cùm nondum sint perfectè sacris initiati, nondum videlicet acceptâ totâ materiâ ordinis, verè non consecrare, quamvis falsò existiment se consecrare. Quocirca est verus ordo Sacerdotij apud Græcos, cùm vera reperiatur forma, & materia, tamen intercedit hìc error mentis, cùm ipsi arbitrentur illo die se consecrare.

Respondeo, ceremoniam illam tradendi panem sive non consecratum, sive cōsecratum à Græcis variè servatam fuisse secundū varietatem Ritualium. Et qui consecratum exhibent, propterea fortassis id faciunt, ut gravius muneris sui Presbyterum cōmonefaciant, dum illi non simplicem panem, sed consecratum porrigunt. Sed licet etiam nō consecratum præberent, non tamen inde inferre possemus esse materiam, propterea quod antequā porrigatur panis Presbytero, ille jam sit sacris initiatus, ut observavimus ex Dionysio. Itaque porrigitur illi, ut eum consecret, & potestatem acceptam exerceat.

In præsanctificatis autem tametsi non confertur ordo Presbyteratus, quod nimirum recepta consuetudine Presbyter recenter creatus materiam habere debeat, quam consecret, tamen non est necesse, ut eam præ manibus habeat, sed satis est, si eam, quæ super altare posita sit, consecret.

Deinde etiam si non esset hic mos hostiam consecrandi eo tempore, non deesset alia causa non conferendi talem ordinem, videlicet propter celebritatem, quæ minus agitur in præsanctificatis, cùm sit tempus jejuniorum, quam tamen Græci requirunt in initiandis Presbyteris. Jejunium autem apud Græcos die Sabbati, & Dominico solvitur, hoc est, bis comeditur in die, & tunc festivitates agere possunt, & sacra in honorem Martyrum celebrare.

Adde quòd liturgia præsanctificatorum ob diversas ceremonias, quas habet ab aliis non adeo commodè admittit initiationem Presbyteri. Quod ergo aiunt, & objiciunt, Presbyteros Græcos eo tempore non cōsecrare, nulla ratione admitto, cùm & Romanos, & Ruthenos in hujusmodi initiatione consecrantes videam. Quin potius oppositum colligo ex orationibus, & verbis Christi, quæ ipsi recitant in liturgia. Ad quid enim datur ipsis antea liber liturgiæ, si nihil recitare debeant? Cùm & rubricæ ita faciēdum doceant, & usus idem confirmet.

Inde igitur apparet, quàm inconsideratè Philadelphiensis dixerit, materiam Sacerdotij apud Græcos esse panem. Quî enim fieri potest, ut panis instar materiæ, & unius partis Sacramenti eos perficiat, quem ipsi tanquam perfecti perficiunt, consecrantve? At non mirum cùm & cōtradictione in hac re laboret Philadelphiēsis. Sic enim de for-

ma hujus Sacramenti ſcribit, quæ longè antecedit exhibitionem particulæ cõſecratæ, τὸ εἶδός ἐστιν ἡ θεία χάρις, ἡ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τοῦ ἀρχιερέως ἐπὶ τὸν χειροτονούμενον κατερχομένη, καὶ τέλειον αὐτὸν ποιοῦσα ἱερέα. Forma eſt, divina gratia, quæ per impoſitionem manus Pontificis in eum, qui ſacris initiatur, deſcendit, & perfectum ipſum creat Sacerdotem. Si ergo divina gratia per impoſitionem manus perfectum efficit Sacerdotem, quid amplius requirit Sacerdos? Si enim indiget materia, quæ illi poſt conſecrationem exhibeatur, non ergo perfectus.

His igitur tribus propoſitionibus ſit firmata conſecratio Græcorum, ubi pro materia cunctis ordinibus nihil aliud aſſignari poſſe videtur, præter ſolam impoſitionem manuum. Modò tranſeo ad Latinos.

Quæ ſit materia ordinum apud Latinos.

CAPUT IV.

QUarta Propoſitio. In Eccleſia Romana materia hujus Sacramenti eſt in Hierarchicis quidem ordinibus non ſolùm porrectio inſtrumentorum, ſed etiam impoſitio manus, in cæteris verò ſola porrectio inſtrumentorum. Hierarchicos ordines eos intelligo, qui cùm ſint cæteris longè præſtantiores, populis pręeſſe dicuntur. Qualis eſt ordo Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum. Quia Diaconi etiam poterant baptizare, Euchariſtiam diſtribuere, publicos pœnitentes reconciliare, prædicare, ac ferè omnia munera Epiſcoporum & Preſbyterorum in eorum abſentia exercere. De quibus ordinibus agit Dionyſius, quæ cauſa etiam eſt, ut in ſacro Collegio Cardinalium, præter hos ordines hierarchicos, nullus alius reperiatur.

Quinta Propoſitio. In Eccleſia Africana, in hierarchicis ordinibus ſola eſt impoſitio manus, & concordat in hoc cum Græca. In aliis ordinibus ſola porrectio inſtrumentorum, & convenit cum Romana. Vide Concilium quartum Carthaginenſe à Canone ſecundo úſque ad octavum incluſivè.

Unde apparet diverſas Eccleſias in conferendis ſacris ordinibus diverſum ritum inſtituiſſe. Diverſum, inquam, non contrarium. Quia neque Romana, quæ longè omnes multumque ſuperat, & ex ſingulari Salvatoris privilegio erroris eſt neſcia, aliquid fidei diſſentaneum inſtituit: neque Africana alicui errori obnoxia fuit, quæ tantos Doctores clariſſima Eccleſiæ lumina protulit: neque Græca, quæ antiquitatem præſefert, aliena, & minus conſentanea ab his cenſenda.

Eſt autem duplex modus concordandi Græcos cum Latinis. Alter eſt, ſi dixerimus (quod viris doctiſſimis placuit) ita inſtitutum eſſe à Chriſto Domino Sacramentum Ordinis, ut conſecratio miniſtrorum fieret aliquibus verbis, & ſymbolis externis, quibus ſatis ſignificaretur miniſterium, ad quod ordinabantur. Ut autem hæc potiùs, quàm illa ſymbola adhiberentur, reliquiſſe in arbitrio Eccleſiæ. Unde Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 3. ſacram ait ordinationem, verbis & ſignis exterioribus perfici. Non autem aſſignat Concilium, quænam ſint verba, & ſigna, quod nimirum poſſint eſſe hæc, vel illa.

Neque id mirum alicui videri debet. Nã quorundam ſacramentorũ materias Chriſtus Dominus determinatè inſtituit, (quod idem dicendum eſt de formis) verbi gratia ſacramenti Baptiſmi materia eſt determinatè ſola aqua elementaris, Euchariſtiæ panis, & vinum cum admixtione aqua, extremæ Unctionis oleum: quorundam verò indeterminatè. Exemplo eſſe poteſt ſacramentum Matrimonij eorum ſententia, qui volunt verba unius conjugis eſſe materiam reſpectu alterius. Nõ eſt enim neceſſe verba, ſeu ſigna eſſe determinatè hæc, ſed vel hæc, vel illa, dummodo exprimant voluntatem contrahendi, & conſenſum. Simili fortaſſe ratione dici poteſt in ſacramento Ordinis materiam eſſe traditionem poteſtatis, ſed vel hoc, vel illo modo expreſſam, hoc eſt vel per porrectionem clavium, verbi gratia, vel per contactum, vel per impoſitionem manuum, vel per aliquid ſimile, dummodo exprimat voluntatem tradendi poteſtatem illam ſpiritualem.

Aliud præterea non diſſimile nobis ſuppetit exemplum. Uidemus enim cùm fit aliqua inveſtitura, adhiberi ab hominibus ſigna

signa quædam externa, quibus ea investitura significetur. Et tamen signa illa quoad materiale apud diversas gentes, esse diversa, quamvis in formali, quod est significatio talis potestatis, conveniant.

Itaque credibile est, Dominum instituisse materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim monendo Apostolos, ut ordines conferrent per aliquod symbolum sensibile, quo significaretur eorum potestas, sive illud esset impositio manus, sive porrectio instrumentorum, sive utraque simul. Unde apparet aliqua varietas Ecclesiarum, cùm alioquin in re essentiali nullatenus discrepent. Semper enim sacramentum Ordinis idem fuit.

Alter modus Ecclesias reconciliandi est, si dicamus quod attinet ad alios ordines non hierarchicos, quia manus est organum organorum, & implicitè in se continet omnia instrumenta, propterea Romanam Ecclesiam, & Africanam ad melius potestatem exprimendam voluisse tradere instrumenta. Posse autem id fieri, ipsos quoque Græcos quodammodo innuere, dum in fine illius sacræ actionis ea porrigunt initiatis. Quia tamen in sacra Scriptura fit mentio solius manus impositionis, sed in Hierarchicis ordinibus; (reliquos quippe divinæ literæ non commemorant:) Idcirco Romanam Ecclesiam, & Africanam in illis manus impositionem retinuisse, sed Romanam etiam per instrumenta eam magis dilatasse, ac expressisse. Unde neque Græci possunt conqueri cum Latinis, quòd eam non adhibeant, neque Latini cum Græcis, & Africanis quòd eam solam adhibeant.

Ut autem hæc alicujus auctoritate probentur, & sacra Concilia, sanctique Patres concordes reddantur, ad singulos ordines descendendum est. Ubi adductis Doctorum sententiis, clarum fiet, quod hactenus disseruimus.

De Lectore, & Hypodiacono.

In ordine Lectoris, & Hypodiaconi materia est apud Græcos sola impositio manuum, apud Latinos, sola exhibitio instrumentorum. Favere videtur Græcis Concilium Oecumenicum 7. can. 14. Lectoris manuum impositionem licet in proprio Monasterio etiam soli unicuique Monasterij præfecto facere; similiter & ex antiqua consuetudine Chorepiscopos, Episcopi permissu, oportet per manuum impositionem Lectores creare. Item Clemens Romanus lib. 8. Constit. c. 21. Cùm Hypodiaconum ordinas Episcope, imponas ei manus. Et c. 22. Lectorem eligas, cui manu imposita, & precibus adhibitis dicas. Idem docet faciendum Euchologium. Postremò idem probant nonnulli, quia Innocentius III. Canone Pastoralis, de Sacramentis non iterandis, interrogatus: An permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit in ordinem Subdiaconatus assumptus. Respondet, quòd in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Signum igitur est Innocentij tertij tempore impositionem manuum in Subdiacono fuisse in usu, alioquin non ita respondisset.

Sed quod attinet ad testimonium Innocentij dicendum est, in duobus vetustissimis exemplaribus reperiri scriptum, Diaconatus, non autem Subdiaconatus. Quare non est allegandus Innocentius.

Favet Latinis Concilium quartum Carthag. c. 5. Subdiaconus, cũ ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patinam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. Eodem modo loquitur etiam Concilium Aquisgranense sub Stephano Papa can. 6. Hi (Subdiaconi) cùm ordinantur, sicut Sacerdotes, & Levitæ manus impositionem non suscipiunt, sed patinam tantùm & calicem de manu Episcopi. Et ab Archidiacono scyphum aquæ cum Aquamanili, & manutergium accipiunt. De Lectore Concilium citatum Carthag. can. 6. Lector cùm ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus vitam, ac fidem, atque ingenium. Post hæc spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: accipe, & esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter, & utiliter impleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei ministraverunt. Item Concilium Florentinum, si-

militer Pontificale Romanum.

His adde Basilium Magnum, qui in Epistolis Canonicis ad S. Amphilochium canone quinquagesimo primo, dividit clericos inter eos, qui ἐν βαθμῷ τυγχάνουσι, in gradu Ecclesiastici ordinis sunt constituti, & eos, qui ἀχειροθετήτῳ ὑπηρεσίᾳ προσκαρτεροῦσι, ministerio minimè eis per manus impositionem tradito incumbunt. Ubi Zonaras Presbyterum, & Diaconum, χειροθεσίαν, ἤτοι χειροτονίαν, ἔχοντας, impositionem manuum habentes interpretatur. Balsamon inter κεχειροτονημένοις, enumerat etiam hypodiaconum. Inferiores verò ἀχειροθετήτους, non per impositionem manuum, ordinatos ex Basilij verbis hi auctores intelligunt, ὡς μόνῃ σφραγῖδι γινομένοις, tanquam qui sola obsignatione, hoc est, signo Crucis fiant, & benedicantur. Ubi nota Latinum interpretem Balsamonis per σφραγῖδα characterem vertere, malè utique in hoc loco, cùm character apud Græcos nonnisi impositione manuum imprimatur. Deinde si minores ordines charactere fiunt, majores quonam alio modo perficiuntur? Nam Basilius ait, ὡς μόνῃ σφραγῖδι γινομένοις. Non ergo Lectori, & Hypodiacono, vel saltem Lectori ex sententia Basilij manus imponebantur.

Verùm hoc testimonium Basilij (quicquid sentiant Canonistæ Græcorum, qui facilè à septima Synodo generali Canone 14. & Euchologio redargui possunt) commodè exponi potest, ut per eos, qui sunt in aliquo gradu manuum impositione constituti, omnes ordinatos Basilius intellexerit, etiam Hypodiaconum & Lectorem. Per ἀχειροθετήτους verò eos acceperit, qui re vera cum nullo ordine Ecclesiastico essent decorati, munia tamen obibant inferiorũ ordinum; ut nunc sunt non pauci etiam in Ecclesia Latina. His omnibus tam ordinatis, quàm non ordinatis, ait Basilius, si in fornicationem inciderint, pœnam præscribere Canones, τὴν ἔκπτωσιν τῆς ὑπηρεσίας, casum, seu prolapsionem ministerij, hoc est, ut removeantur à ministerio, & cadant suo jure.

Turrianus, ut hæc loca concordaret, distinctionem excogitavit asserens variam, ac inter se maximè diversam esse impositionem manuum in ordinatione Subdiaconi, & Lectoris, quæ non perficit ordinem, & impositionem, quæ in aliis perficit. Quare apud Græcos ex sententia Turriani in his duobus ordinibus impositio manus erit cerimonia accidentaria. Ideoque à Latinis non habentibus talem consuetudinem, minimè adhibetur.

Mihi non probaretur hæc solutio, si minores ordines essent de jure divino. Nam Concilium 7. clarè statuit, Lectorem creandum esse per manuum impositionem. Et certè si alterius generis in sacris Ordinibus esset impositio manus, ita ut altera esset de essentia, altera non item; Concilium in eodem Canone laborasset æquivocatione. Quippe universè loquendo de omnibus ordinibus ait: Quod ordo in Sacerdotio versatur, est omnibus manifestum, & Sacerdotij manuum impositiones servare Deo gratum est. Deinde descendit ad Lectorem, & simili modo de manuum impositione loquitur. Quod idem fatendum est de Clemente, qui etiam exposuisset se periculo tradendi alteram materiam loco alterius. Quis enim credat Concilium, & Clementem relictis essentialibus nominasse accidentalia?

Quare potiùs dicendum esset cum S. Bonaventura in 4. d. 24. p. 2. a. 1. q. 2. & a. 2. q. 1. in impositione manus implicitè contineri contactum instrumentorum. Itaque in primitiva Ecclesia erat tantùm impositio manus, in qua continebatur implicitè & virtute quicquid se habet per modum instrumenti. Est enim manus juxta sententiam Bonaventuræ organum organorum, quod etiam dicit Aristoteles. Concedit autem iste Doctor, ut salvet minores ordines, quos ait, postea explicatos fuisse, sive explicitos, & quantum ad verbum, & quãtum ad signum, & quantum ad personas. Sic igitur habet in objectionibus. Quod autem in libri, vel vasis traditione non imprimatur (character) videtur. Quoniam esto, quod tales libri, vel vasa deessent, sicuti fortè deerant in Ecclesia primitiva, nihilominus dari possunt. Huic verò objectioni respondens ait. Dicendum quod sicut omne instrumentum, sive armatura in

virtute manus est, sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia, possunt signari. Verùm (sicuti post videbitur) in impositione manuum in Ecclesia primitiva cæteri ordines implicabantur, qui postmodum processu temporis explicati sunt, sive expliciti, & quantum ad verbum, & quantum ad signum, & quantum ad personas.

Sic Bonaventura. Cujus profectò solutio videtur esse clara & optima. Sed pergamus ad alios ordines, qui sunt majoris ponderis, & momenti. Nam prædictos ordines, sunt qui censeant, non esse de jure divino, & eos posse conferri per varia instrumenta præter Conciliorum Africanorum sanctissima decreta, & usum primæ sedis Apostolicæ: ipsi quoque Græci, ut dixi, quodammo innuere videntur, dum in fine illius sacræ actionis ea porrigunt initiatis.

De Diacono.

In Diaconatu Græci, ut etiam in aliis solam adhibent manuum impositionem. Eam probare possumus ex Dionysio, & Concilio quarto Carthaginense, immò ex sacra Scriptura. Nam primi Diaconi ordinati sunt sola manus impositione, cùm nondum essent scripta Evangelia.

Latini utramque materiam adhibent, nimirum & impositionem manuum, & exhibitionem instrumentorum. Et quidem quòd instrumenta sint essentialis materia, probatur primò auctoritate Concilij Florentini, quod in Decreto unionis Armeniorum, dicit in omni Sacramento esse tria essentialia, materiam, formam, & intentionem ministri, & subdit veras materias, & formas Sacramentorum. De Ordine autem loquens ait: Materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, & assignat traditionem instrumentorum.

Deinde idem astruitur usu totius Ecclesiæ Occidentalis, ut est videre in Pontificali Romano, ubi in rubricis de Episcopo consecrante habetur; moneat ordinandos, ut instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant. Et in porrectione instrumētorum Episcopus profert formam. Ex quo satis apparet illam esse materiam.

Quòd etiam impositio apud Latinos in ordinatione Diaconi ad essentiam pertineat, ex eo probatur quòd in ea dicitur, Accipe Spiritum sanctum. Sed Spiritus sanctus non datur sacramentaliter per ceremoniam, quæ non sit essentialis.

Hìc tamen similiter conciliandi sunt Patres, & Concilium 4. Carthaginense cum Concilio Florentino. Quia illi pro materia solam manus impositionem videntur agnoscere; Concilium Florentinum sola instrumenta decernit.

Ad hoc nonnulli respondent, Patres, & Concilia non consuevisse explicare totum ritum Sacramentorum, etiam quoad essentialia. Neque enim scribebant libros rituales, sed solùm attigisse unam partem essentialem. Unde antiqui manuum impositionis meminerunt; Concilium verò Florentinum eam omisit, quia nimirum nota erat ex Scripturis; magis verò exprimere voluit porrectionem instrumentorum, quia mens Concilij erat assignare pro materia rem aliquam subsistentem, quemadmodum etiam fecit in materia aliorum Sacramentorum.

Possent etiam dicere, Concilium Florentinum nihil omisisse. Nam refert se ad Pontificale Romanum, ubi utraque habentur tanquam essentialis materia. Cætera enim, inquit, legantur in Pontificali Romano. Et certè Concilium noluit damnare multos Scholasticos, qui manuum impositionem requirunt, veluti Sacramento necessariam. Immo & Concilium Tridentinum. Neque usum ordinandi Episcopum, qui nonnisi impositione manuum ordinatur.

Verùm quicquid sit de Concilio Florentino (rectè enim solvitur quoad hoc dubitatio) solutio mihi non placet quoad primam partem. Ut enim vera sit de Concilio Tridentino, quod nihil aliud præter impositionem manuum nominat, & de aliquibus, immò plerisque Patribus, qui non exponunt totum ritum, sed solùm affirmant, ordinationem Sacerdotum consistere in impositione manuum, tamen de omnibus vera esse non potest. Dicere enim mancos nonnullos Patres, qui ex professo tractant, & fusè exponunt apparatum ordinationis, nec so-

lum res ad essentiam spectantes, verumetiā accidentales in medium adducunt, & minutissimè prosequuntur, hoc non est solvere difficultatem. Dionysius in eo argumento tractando, considerato illius genere dicendi, longus est. Anacletus in epist. citata totam refert ordinationem ex scrutinio, unctione, jejunio, oratione, manuum impositione; de porrectione instrumentorum mirandum planè silentium. Sed Anacletus, dicet aliquis, nullam mentionem instrumentorum fecit, quod ibi loquatur de Episcopo, cui nulla instrumenta porriguntur. Esto. At quid dicemus de Clemente Romano, Isidoro de Eccles. offic. cap. 10. & aliis, quorum testimonia non sunt iteranda? Igitur signum est, hanc cerimoniam instrumentorum eo tempore non fuisse in usu.

Porro Concilium Carthaginense quartum clarissimè respuit hanc solutionem. Nam in cap. 2. 3. & 4. de Episcopo, Presbytero, & Diacono decernit ordinandos esse manuum impositione, ut etiam tradit Dionysius. In Canone verò quinto, & octavo „ de Subdiacono ait, Quia manus impositionem non accipit, patinam de Episcopi „ manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. „ Quo modo loquendi distinguit materias, atque manifestè indicat, eos, quibus imponitur manus, non suscipere instrumenta, & contra, quibus porriguntur instrumenta, non suscipere manus impositionem. Quia, inquit, manus impositionem non accipit, patinam accipiat. quasi dicat, si acciperet manus impositionem, non esset opus patinam accipere. Et similiter respuit solutionem quorundam, qui ut salvent Concilium Florentinum, quod instrumenta recenset, & veteres Patres, immò sacram scripturam, quæ impositionem commemorat, aiunt, impositionem fieri, dum Episcopus consecrans exhibet instrumenta. Tunc enim Pontifex manus extendit, & quodammodo eas imponit. At hoc dici non potest. Nam hoc modo etiam minores ordines, quibus exhibentur instrumenta, per impositionem manuum conferri dicerentur. Quod sanè Concilium negat. Hoc tamen verum est, quod Concilium refert morem suæ provinciæ, non autem damnat usum aliarum Ecclesiarum.

Igitur respondendum est, ut supra cum sancto Bonaventura, qui locis supracitatis in resolutionibus ita refert. In ordinibus, „ inquit, sacris, quoniam datur ibi nobilis „ potestas & excellens, fit manus impositio, „ non tantùm instrumenti traditio. Quoniam „ manus est organum organorum, in quo „ scilicet principalius residet potestas ordi- „ nandi. Unde sic ordinabant in Ecclesia „ primitiva, ubi nonnisi isti duo ordines ex- „ pliciti erant. Hactenus Bonaventura. „

Cui consentit B. Thomas 3. p. q. 84. ar. 4. ubi reddit rationem, cur in sacramento Pœnitentiæ manus impositio non requiratur, ut neque in Baptismo requiritur; in sacramento verò Confirmationis, & Ordinis requiratur. Quia, inquit, impositio „ manuum in Sacramentis Ecclesiæ fit ad si- „ gnificandum aliquem copiosum gratiæ ef- „ fectum, quo illi, quibus manus imponun- „ tur, quodammodo per quandam similitu- „ dinem continuantur ministris, in quibus „ copia gratiæ esse debet. Et ideò manus „ impositio fit in sacramento Confirmatio- „ nis, in quo confertur plenitudo Spiritus „ sancti, & in sacramento Ordinis, in quo „ confertur quædam excellentia potestatis „ in divinis mysteriis. Unde & secundæ ad „ Timotheum 1. dicitur, resuscites gratiam „ Dei, quæ est in te per impositionem ma- „ nuum mearum. Sic B. Thomas. Inde verò infert, in sacramento Pœnitentiæ, non requiri manuum impositionem, quia non datur copiosus effectus gratiæ, sed remissio peccatorum. Ut neque in Baptismo; quamvis enim, qui baptizatur, accipiat Spiritum sanctum, non tamen eum accipit cum plenitudine, ut fit in sacramento Confirmationis. Dum igitur vult S. Thomas per impositionem manus conferri plenè Spiritum sanctum, significat eam esse de essentia Sacramenti. Quod etiam probari potest ex iis, quæ disserit in argumento, sed contra, ubi quærit, Utrum impositio manuum Sacerdotis requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ? Negat. Quia cùm Dominus dixit Petro, Quodcunque solveris, & cæteris Apostolis, quorum remiseritis peccata: nullam mentionem de manus imposi-

tione fecit. Ex quibus constat, S. Thomam loqui de illa manus impositione, quæ in Sacramentis requiritur ex institutione Christi.

Idem probatur ex objectione, quam sibi facit S. Thomas de impositione manuũ, quæ fiebat super ægros, ut bene haberent. Ad quam respondens, ait: illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula perficienda. Ubi similiter S. Thomas, dum negat illam impositionem esse sacramentalem, & ideò nihil habere commune cum ea, de qua hîc agit, & loquitur, significat hanc alteram Confirmationis, & Ordinis esse sacramentalem.

Docet igitur S. Thomas eo loco, in sacramento Ordinis reperiri impositionem manuum ex institutione Christi, qua significetur abundans collatio gratiæ, quæ in eo Sacramento confertur propter excellentiam potestatis, quæ traditur.

His planè similia tradit Innocentius IV. in cap. Presbyter de Sacramentis non iterandis, communi quoque consensu receptus. Docet enim tempore Apostolorum formam, qua ordinabantur ministri, fuisse manuum impositionem, nec aliam tunc fuisse formam servatam (per formam autem modum intelligit, non autem eam, quam Theologi vocant formam, quæ consistit in verbis, ut patet ex ipso Innocentij textu) sed postea fuerunt aliæ formæ institutæ, quæ nisi fuissent decretæ, potuisset Ecclesia ordinare per impositionem manuum his verbis, Sis Presbyter, sis Diaconus, esto Subdiaconus. Sed illius verba more nostro ponamus. De ritu Apostolico invenitur in Epistola ad Titum, aliàs Timotheum, quòd manus imponebat ordinandis, & quòd orationem fundebat super eos. Aliam autem formam non invenimus ab eis servatam. Unde credimus, quòd nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret ordinatori dicere, sis sacerdos, vel aliqua æquipollentia verba; sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit. Sic ille.

Igitur secundum hanc doctrinam, antiquitus sola manus impositio fuit materia horum ordinum, postea explicata fuit per traditionem instrumentorum. Nam quòd implicitè continetur in manus impositione, re ipsa explicatur, & exhibetur, cùm instrumenta traduntur. Quamvis certum tempus statuere, quo Romana Ecclesia impositionem manuum per instrumenta extenderit, non modò difficile sit, sed planè ἀδύνατον.

In eo autem tantùm differre videtur manus ab instrumentis, quòd manus sit materia quædam quasi generica, & universalis, quæ multis inserviat, quæque in se nobiliori modo contineat omne instrumentum.

Illud posset aliquis objicere, sine necessitate multiplicari materias.

Sed ad hoc respondendum est. Interdum evenire, ut plura symbola, quæ singula si adhiberentur, satis significare possent aliquid, etiam simul adhibita, habeant rationem unius integri signi. Quemadmodum in re Sacramentaria species panis, & vini simul sumptæ significant refectionem spiritualem, & tamen solæ species panis in communione laïcorum illam sufficienter significant. Eodem modo Coronatio Papæ fit per solam impositionem diadematis, Regum verò, & Imperatoris per impositionem diadematis, traditionem sceptri. & globi aurei. Quibus omnibus simul idem significatur, quod sola impositione diadematis significatur in coronatione Papæ. Potest igitur contingere, ut plura simul symbola adhibeantur ad significandam unam rem, quæ si singula adhiberentur, eandem significare possent; & tamen quando simul adhibentur, habent rationem unius tantùm signi, & unius materiæ.

De Presbytero.

De Presbytero eædem possunt fieri objectiones, & eædem adhiberi solutiones. Quia tamen duplex fit impositio manuum in illius ordinatione apud Latinos, ut perspicere valeamus, quænam sit essentialis, quæ non item, in hoc quoque Ordine parum immorandum est.

Placet multis, iisque gravissimis Theologis, non sine maxima probabilitate, de

duplici materia hujus ordinis ita sentire, ac ratiocinari. Presbyteris duæ potestates conferuntur, altera consecrandi Eucharistiam, quæ dicitur potestas in corpus Christi verum; altera absoluendi à peccatis, quam vocant potestatem in corpus Christi mysticum. Propter has duas potestates in initiatione presbyterorum sunt etiam duæ præcipuæ ceremoniæ, & duæ materiæ, porrectio instrumentorum, & impositio manus, quæ sunt essentiales, & quæ possent dividi, & dari successivè, quando & Christus Dominus tales potestates non eodem tempore dedit Apostolis, sed alteram in vltima cœna, alteram post resurrectionem. Quare impositionem manuum, quæ antecedit porrectionem instrumentorum, putant isti esse accidentariam.

Apud Græcos ista ratiocinatio non valeret, quippe tradunt simul & semel, non successivè utramque potestatem. Nam imposita manu dicunt, Divina gratia creat talem presbyterum, hoc est ad obeundas omnes functiones presbyteri. Neque id abusivum videtur. Nam, ut observavimus ex Innocentio Quarto, poterat Ecclesia more antiquo per solam impositionem manuum ordinare his verbis, sis presbyter, vel similibus.

Hinc quòd attinet ad Latinos non inficior secundam illam potestatem conferri per impositionem manuum, ut ipsamet verba sonant, quæ dicuntur, quando secundo imponuntur manus: „ Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis pecca„ta, remittuntur. Uerùm nos non tam de illa, quàm de primaria potestate loquimur, qua fit verus ἱερεὺς, & sacrificans, qui ordinatur. Fac enim potestatem in corpus mysticum Christi presbyterum non accipere, an propterea non erit verus sacerdos, quamvis non habeat plenam illam ac duplicatam potestatem? Concilia quoque ac Patres cùm sanciunt, seu potiùs referunt, presbyterum manuum impositione consecrandum; non tam ad secundam, quàm ad primam potestatem respiciunt, quam per manuum impositionem ordinandus accipere debeat. Quare Ambrosius, seu quicumque auctor in capite 4. prioris ad Timotheum, Manus, inquit, im„positionis verba sunt mystica, quibus con„firmatur ad opus electus, accipiens aucto„ritatem, teste conscientia sua, ut audeat „vice Domini sacrificium Deo offerre. „ Nota verba citati auctoris, quòd manus impositio inserviat potestati accipiendæ in verum corpus Christi.

Igitur in ordinatione Latini presbyteri quoad primariam potestatem, si deesset manus impositio, & porrigerentur sola sacra vasa cum materia panis, & vini, diceremus secundum superius datas solutiones, Romanam Ecclesiam usurpasse illa instrumenta, tanquam sufficientissimum symbolum significativum illius potestatis, vel antiquam manus impositionem commutatam fuisse ab Ecclesia in instrumenta; nunc cùm ea non desideretur, profectò assignanda est quasi dilatata unà cum instrumentis, tanquam vera materia. Præsertim cùm in Pontificali Romano ante instrumentorum exhibitionem non tantùm Pontifex imponat simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi, sed etiam idem faciant post eum omnes sacerdotes, qui adsunt, quasi ad locum Pauli respicientes primæ ad Timotheum 4. Noli negligere gratiam, quæ data est ti„bi cum impositione manuum presbyterij. „ Quamvis locus Apostoli de Episcopo intelligatur. Idem mandat faciendum Concilium 4. Carthaginense cap. 3. Presbyter „ cùm ordinatur, Episcopo eum benedi„cente, & manum super caput ejus tenente, „ etiam omnes presbyteri, qui præsentes „ sunt, manus suas juxta manum Episcopi „ super caput illius teneant, & cap. 4. Dia„conus cùm ordinatur solus Episcopus, ma„num super caput illius ponat. Et reddit „ rationem. Quia, inquit, non ad sacerdo„tium, sed ad ministerium consecratur. „ Quia videlicet quando ad sacerdotium ordinatur, non solus Episcopus, sed etiam presbyteri manum imponunt. Quamvis manus impositio presbyterorum non sit essentialis, neque eam adhibeant Græci. Igitur videtur prima manus impositio pertinere ad essentiam Sacramenti. Præser-

tim cùm & impositio in Diacono, quæ comparatur cum hac prima impositione presbyteri, & unà commemoratur, sit essentialis; quandoquidem per eam impertitur Diacono Spiritus sanctus. Et certè in his Canonibus Concilium noluit cerimoniam accidentariam declarare, ac jubere. Quod etiam planius facit, cùm in subsequenti Canone quinto sic decernit. Subdiaconus, quia manus impositionem non accipit, patinam accipiat. Sed patina in subdiaconatu est materia assentialis: ergo, si rectè debeat fieri comparatio, manus impositio in aliis ordinibus erit essentialis. At hujusmodi manus impositio Pontificis & Presbyterorum antecedit porrectionem instrumentorum, atque ad primariam potestatem sacerdotis pertinet. Igitur in Pontificali Romano non solùm impositio manus, quæ sequitur collatos ordines, sed etiam quæ antecedit, de essentia esse videtur.

Confirmatur, nam Concilium Tridentinum, non dissimiliter loquitur sess. 14. cap. 3. ubi agit de legitimo ministro extremæ Unctionis. Docet enim ex verbis Jacobi Apostoli ministros esse presbyteros. Quo nomine, inquit Concilium, eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum presbyterij.

Nota postremam vocem, presbyterij, quę idem valet, quòd sacerdotij. Nam vel ea significat manuum impositionem presbyterorum, & hoc modo videntur intellexisse Patres Africani locum Pauli, qui præter impositionem manus Episcopi, requirunt etiam impositionem presbyterorum, ut etiam habet Pontificale Romanum. Vel presbyterij, hoc est, quæ presbytero convenit ad hoc, ut fiat sacerdos. Si primum sensum habeat, impositio prima intelligitur, quippe tunc temporis presbyteri unà cum Episcopo manus imponunt ordinandis. Si secundum, ergo sacerdos, qua sacerdos est, fit per manus impositionem, & similiter prima intelligitur. Cæterùm; ut verum fatear, hoc notandum non est solidum, quòd locus Apostoli de Epistolis intelligatur. Quippe ad Timotheum Episcopum scribens Paulus ait: noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij. Non autem presbyteri consecrabant Episcopum, sed ipsi Episcopi olim appellabantur presbyteri, immò & Diaconi, ut egregiè observat more suo Chrysostomus sermone primo in Epistolam ad Philip. qui ponderat illa verba ad Timotheum: τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. Ministerium tuum imple. Et illa alia ad Titum, Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, si quis sine crimine est, unius uxoris vir. Et statim infert, oportet enim Episcopum sine crimine esse, &c. Unde sensus illorum verborum activè sumptus, est, noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Episcoporum. Hoc tamen notandum ex usu Ecclesiæ Africanæ, & etiam Pontificalis Romani apposui, ad probandum primam impositionem esse necessariam.

Contra verò, ut apud Latinos prima manus impositio essentialis non existimetur, hæc probant.

Primò quia sine forma Sacramenti peragitur. Ratio autem ægrè reddi potest, si prima manus impositio est materia, cur in ipsa non proferatur forma: vel quando profertur forma, cur etiam non imponatur manus, ut fit apud Græcos, cùm utraque simul commodè fieri possint.

Deinde per consequens, quia sine necessitate multiplicatur materia. Nam hìc loquimur de potestate accipienda in verum corpus Christi, cui una materia sufficere videtur. Et quamvis in Diaconatu apud Latinos pariter sint duæ materiæ, impositio manus, cùm dicitur, Accipe Spiritum sanctum, & porrectio instrumentorum, cùm exhibetur Evangelium, tamen sunt etiam duæ formæ. Quod totum fit ad illius ordinis munera clariùs significanda. At verò in prima impositione manuum Presbyteri nulla enunciatur forma.

Præterea si prima impositio manus esset apud Latinos materia Sacramenti, qui ordinantur, essent quodammodo sacris initiati propter exhibitam materiam, &

non initiati propter defectum formæ, quod stare minimè potest.

Ad hæc in omnibus aliis Sacramentis unà cum materia conjungitur forma, & absoluitur Sacramentum, ut patet per singula discurrentibus. Quæ igitur ista prærogativa, ut in hoc Sacramento, cùm commodè utraque simul fieri possint, materiam vagam antecedere dicamus?

Postremò ex Pontificali Romano clarissimè constat, eam non esse materiam: quippe ante illa verba, Accipe potestatem offerendi sacrificium, passim vocantur ordinandi: post illa verba, ubi sese offert occasio eos nominandi, semper appellantur ordinati. Quamobrem impositio illa manus apud Latinos est quædam benedictio, & cerimonia, qua indicant se offerre illos Deo, cultuique divino dicare. Unde Pontifex consecrans in oratione, quæ sequitur primam manuum impositionem: ut quos, " inquit, tuæ pietatis aspectibus offerimus " consecrandos, perpetua muneris tui largi" tate prosequaris. Et in alia oratione, quæ antecedit porrectionem instrumentorum, & formam Sacramenti. Tu Domine, in" quit, super hos famulos tuos, quos Presby" terij honore dedicamus, munus tuæ bene" dictionis infunde.

Sed quid dicemus ad testimonia in contrarium allata? Ego existimo cum S. Bonaventura, in primitiva Ecclesia per solam manuum impositionem hierarchicos Ordines collatos fuisse, ac per consequens in impositione manuum prolatam quoque formam fuisse. Et quidem de Orientali Ecclesia, certo certius est, ut constat ex Dionysio; de Africana item Ecclesia non est dubitandum, quin ita fecerit. Nam Concilium quartum Carthaginense cæteris ordinibus assignat instrumenta, quia non habent impositionem manus, hierarchicis solam impositionem manuum. Cùm igitur in hierarchicis nulla alia superesset materia, necesse est dicere tunc temporis enunciatam quoque formam fuisse. Neque enim forma separatur ab omni materia, vel in aliud tempus differtur. Quare Augustinus " dicit, Deum exaudire deprecantem, quam" vis peccatorem super capita eorum, quibus manus imponitur: quia nimirum quando imponebantur manus, etiam formæ verba proferebantur. Modo verò apud Latinos prima impositio manus non desiit esse materia, sed conjungitur unà cum instrumentis, & pro una materia reputatur, ac tandem Sacramentum absoluitur, quando cum instrumentis forma enunciatur. Quandoquidem enim Ecclesia juxta doctrinam Bonaventuræ dilatavit materiam, reservavit etiam verba, cùm postremò præbentur instrumenta. Quibus traditis, meritò dicit, accipe potestatem offerendi sacrificium. Quæ alioquin verba, si non explicasset materiam, in ipsa impositione manuum protulisset.

Dices, ergo manus impositio per instrumenta dilatata quodammodo spectat ad materiam, & unà cum instrumentis accipitur pro una materia.

Respondeo. S. Bonaventura sic censet locis citatis. In ordinibus, inquit, sacris " (per sacros, Hierarchicos intelligit) quo- " niam datur ibi nobilis potestas & excel- " lens, fit manus impositio, non tantùm in- " strumenti traditio, quoniam manus est or- " ganum organorum, in quo scilicet princi- " palius residet potestas ordinandi. Unde sic " ordinabant in Ecclesia primitiva. Intelligit " autem S. Bonaventura non solùm posteriorem impositionem, sed etiam priorem: si quidem eam comparat cum instrumentis, & insuper ait, propterea fieri manus impositionem, quia datur nobilis potestas, & excellens. Sed potestas in verum corpus Christi est omnium nobilissima, quæ etiam est ratio S. Thomæ 3. p. loco supra citato, ut ibi notavimus.

Neque argumenta in contrarium allata tanti sunt, ut primam impositionem manus non esse de essentia fateri cogamur.

Ad primum jam responsum est. Cùm enim Ecclesia dilataverit materiam, & eam magis expresserit per instrumenta, reservavit etiam formam, quando ultimò præbet instrumenta.

Ad secundum de multiplicatione materiæ jam respondimus suprà, ubi de materia Diaconi egimus.

Ad tertium, concedendum est totum. Quippe

Quippe imposita manu non sunt perfectè presbyteri, sed inchoativè: adhibitis verò instrumentis, & forma enunciata fiunt perfectè, & statim presbyteri.

Ad quartum, hîc etiam conjungitur forma cum materia, hoc est cum instrumentis, & cum impositione manuum, quæ ad instrumenta refertur, per quæ scilicet magis ea explicatur, & exprimitur. Adde quòd moraliter loquendo, non est tanta mora temporis, ut non possit prima impositio referri ad illud instans, quo enunciatur forma. Immò in Sacramento pœnitentiæ, Confessarij aliquando audita confessione procrastinant absolutionem in alium diem: & contrà satisfactio, quæ est pars materiæ Sacramenti pœnitentiæ, longè post subsequitur formam. Non ergo ἀκριβολογία mathematica in his requirenda est, cùm non sit res physica, sed moralis. Excipio tamen nonnulla Sacramenta, quorum natura hoc non patitur.

Ad postremum, non nego illa cerimonia ordinandos consecrari Deo, ut argumentum concludit; sed etiam eandem illis pro materia inservire assero. Neque hoc mirum alicui videri debet. Ut enim aliquando divinæ scripturæ verba varios admittunt sensus literales, ita etiam una res sacra, & cerimonia diversos fines respicere potest.

Explicatur mens Concilij Florentini, quod quidam recentiores Latinorum perperam contra Græcos adducunt.

Caput V.

Quoniam recentiores quidam Latinorum ita urgent Concilium Florentinum, ut omnino velint Græcos eodem planè modo, atque faciunt Latini, debere sua Sacramenta administrare, hoc est, iisdem formalibus verbis, & materiis, & per consequens sacramentum Ordinis per contactum instrumentorum necessariò esse celebrandum affirmant, quod cùm non videant fieri apud Græcos, negant eos habere Sacerdotium; idcirco quid existimandum, & sentiendum sit de illo decreto Pontificis, candidè, & circumspectè, quod sentio, dicam.

Primùm dico, cùm fieret unio Armeniorum, Græcos non fuisse præsentes Concilio. Probatur manifestissima, & evidentissima ratione. Nam post subscriptiones Concilij Florentini, & concordiam jam transactam, summus Pontifex proposuerat Græcis quasdam quæstiones, inter cæteras, cur matrimonia dirimi paterentur cum facultate novas contrahendi nuptias, cùm Dominus noster præceperit eos disjungendos non esse, quos Deus conjunxerit. Præsul verò Mitilenensis, inquit Concilium, omnes legitimè, & secundum Canones dissoluit, ultimis duabus exceptis, nempe quæstione hac de matrimonio dirimendo, & altera de eligendo eo tempore Patriarcha extra Constantinopolim, mortuo Florentiæ Josepho. In quibus cùm summo Pontifici neutiquam satisfecisset, summus Pontifex Imperatorem rogaverat, ut ad se viros doctos mitteret. Verùm Imperator nolens de talibus quæstionibus agere, indoctiores misit, & ita nihil factum est. At in hoc decreto, dum de septimo sacramento Matrimonij Latini agunt, hoc dogma stabiliunt, scilicet quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas esse. Non igitur hic fuit consensus Græcorum, & per consequens non interfuerunt Concilio, dum unio fieret Armeniorum. Græci enim jam defessi, & vix, veritate tamen adducti, ut id facerent, quod præstiterunt, ad illas duas quæstiones à Pontifice illis propositas superficietenus responderunt, neque eas tractare voluerunt, cùm dicerent, quamvis essent justissimæ ut tractarentur, non tamen esse præsentis temporis. Quare de illa instructione Armeniorum parum curæ illis fuit aliquid, vel minimum scire, ideoque non extat Græcè, cùm tamen multæ aliæ res, & colloquia minoris momenti diligentissimè enarrentur. Hoc ideò dixi, & monui, non ut potestati Pontificis vel minimum detraham, absit. Verùm quia multi, qui solùm decretum legunt, ita solent argu-

mentari. Non reclamarunt Græci: ergo ita tenent, & ita sentiunt. Hoc apud illos nullum esset argumentum, & usus Ecclesiæ Græcæ, oppositum nos docet. Cùm ipsa perperam quidem, sed tamen ex causa fornicationis matrimonia dirimat cum facultate nova contrahendi. Id verò totum, quod diximus, patet etiam ex diebus datæ. Decretum enim Eugenij pro Græcis datum est pridie nonas Julij, pro Armeniis decimo calendas Decembris. Quo tempore omnes Græcos decessisse certissimum est, cùm & imminentia mala patriæ, ut quàm primum discederent, eos vehementer urgerent.

Secundò dico; Non propterea dicendum est; quod quidam aliquando suspicati sunt, illam constitutionem Eugenij non esse editam nomine totius Concilij. Ut enim piæ, æternæque memoriæ vir, Julius Antonius Sanctorius S. R. E. Cardinalis amplissimus Sanctæ Severinæ nuncupatus, nostri in Vrbe Collegij amantissimus, ac vigilantissimus Protector (qua erat in omnes pietate, exactissimaque, ac laboriosissima in rebus indagandis præsertim ad cultum divinum spectantibus diligentia) in familiari sermone monuit, hæc sententia non est tuta, sed hæresim sapere videtur. Quamvis enim Græci in toto illo Concilio fuerint pars Concilij, illisque non præsentibus aliqua pars defuerit; tamen quia ipsis consentientibus unio Armeniorum subsequuta est (quippe Græcis placebat Armenios à Latinis instruendos esse, ut intelligere licet ex colloquio Armeniorum privatim habito cum Imperatore) & Concilium censetur unum, & integrum ex continuatione, præsertim quando supersederit, & non abierit caput summus Pontifex cum quibusdam nobilissimis membris; Propterea omni asseveratione affirmo, nomine totius Concilij decretum illud editum esse. Probatur, quia summus Pontifex in illo decreto ita videtur Concilium intellexisse, tanquam totum, generale, universale, & œcumenicum. Siquidem ait: Quis non vehementer admiretur uno eodemque tam brevi tempore duo sic præclara, & tot sæculis desiderata opera (Græcorum scilicet conjunctionem cum Romana Ecclesia, & Armeniorum) in hoc sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Et post pauca laudat Armenios, quòd alacriter ad Concilium venerint. Ut primum enim à nobis accersiti sunt, tanquam Ecclesiasticæ avidi unitatis, spectabiles, devotos, & doctos oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo scilicet quicquid Spiritus sanctus hanc sanctam Synodum illustraverit, ex remotissimis regionibus per multos labores, marisque pericula ad nos, & hoc sacrum Concilium destinarunt. Et non longè post. Multis itaque adhibitis disputationibus, collocutionibus & tractatibus, postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus, & Doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem, tandem expedire judicavimus, ne vlla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenios hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolica, unioque ipsa stabilis, & perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus.

Ubi tria sunt in his verbis observanda, & perpendenda. Primum, Decretum dicere instructionem illam dari Armeniis post magnam disputationem Patrum; secundùm, dari Compendium orthodoxæ fidei, quam in his rebus Romana Ecclesia profitetur: Tertium, dari hujusmodi compendium sacro approbante Florentino Concilio. Præterea septimo loco eis traduntur unionem Græcorum his verbis. Septimo, Decretum unionis cum Græcis consummatę jam pridem in hoc sacro œcumenico Florentino Concilio promulgatum. Ergo pro uno, eodemque Concilio œcumenico Grecorum, & Armeniorum habuit Pontifex. In eo tamen, quod dicit, unionis cum Grecis consummatæ jam pridem, confirmat primum nostrum dictum, nimirum non interfuisse postea Græcos. Et paulò post.

His omnibus explicatis prædicti Armeniorum oratores nomine suo, & sui Patriarchæ, & omnium Armeniorum hoc saluberrimum synodale Decretum, cum omnibus suis capitulis &c. suscipiunt, & amplectuntur. Et tandem in fine. Datum Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia Majori celebrata. Interfuerunt itaque in eo Concilio summus Pontifex, Latinorum præcipui (multi enim antea ex ipsis etiam discesserant, ut apparet ex annotatione statim post subscriptiones.) Aderant etiam ipsi Armenij, & si qui Græci interesse voluissent, liberum erat. Meritò ergo Concilium universale, œcumenicum, totum, perfectum, integrum, & absolutum censetur.

Tertiò dico, mentem Pontificis, & Concilij non eam fuisse, ut eo decreto instruerentur etiam Græci, & in eo includerentur, sed solùm Armenij. Probatur hoc quasi duplici ratione, tum quia in illo decreto præcipitur Armeniis, ut sanctum symbolum, sicut apud Latinos mos est, ita apud Armenios cum illa additione, seu explicatione (Filioque) per omnes Armeniorum Ecclesias intra Missarum solemnia singulis saltem Dominicis diebus, & majoribus festivitatibus decantent, vel legant. Cum tamen Græcis, ut sine illa particula recitent concessum fuerit. Tum etiam quia in tradenda doctrina de Sacramentis Concilium clarissimè indicat Græcos-ne, an Armenios instruat. Siquidem ait, Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armeniorum tam præsentium, quàm futurorum faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula.

Quartò dico, doctrinam illam, quæ in Decreto continetur, à tali Concilio editam universali, & etiam ex consensu Græcorum, ut diximus; Hanc inquam, doctrinam, ut talem esse veram, & Catholicam, utque talem cuilibet Catholico Latino, vel Græco tenendam esse, tuendam, atque defendendam.

Neque obstat quod Græci eo tempore, cæteroquin cum Romana Ecclesia conjuncti, noluerint quæstionem de matrimonio tractare. In hoc enim non laudantur. Cùm enim res tanta esset, tenebantur vel ipsi Græci proponere, & Concilij definitionem expectare. Nunc cùm & ipse Pontifex benignissimè pro munere suo illam proposuerit, & eos rogaverit, ut canonicè, ac synodicè definiretur, illi verò prorsus neglexerint, quis audebit hoc factum Pontificis, immò & Concilij non benefactum asserere?

At dices, si ita est, ergo tenentur modò Græci in ordinatione tradere instrumenta, tanquam materiam juxta hoc decretum, quod tamen à principio negabas. Rursus, tenentur formas sacramentorum, quas assignat decretum, adhibere.

Respondeo, in primis Græcos teneri bene sentire de toto illo decreto tanquam synodico. Deinde dico, teneri etiam in sacramentis nihil essentiale prætermittere. Ad difficultatem verò propositam respondeo, formas Græcas, & materias idem valere, quod & Latinæ. Et quidem singillatim de aliis formis, & materiis partim egimus, partim agemus uberius in propriis locis, ubi ratio argumenti hoc poposcerit. In præsenti verò assero, primam manus impositionem apud Latinos esse materiam essentialem, ut & apud Græcos, sed apud Latinos unà cum instrumentis magis explicitam, & dilatatam, quam dilatationem profectò Græci non damnant, neque enim unquam cum Latinis de hac re conquesti sunt, eam tamen non adhibent. Non enim necesse est, si non est talis mos apud illos, ut eam adhibeant, sed satis est, si eam non damnent in aliis, sed per solam manus impositionem totum adimpleant. Et hoc est illud, quod affirmavimus in tertio dicto, eos non includi in eo decreto, scilicet ut pari modo, iisdemque cerimoniis administrent sua Sacramenta.

Hæc itaque dicimus ad defendendum usum Græcorum. Nam videtur nimis durum asserere, Græcos debere iterum ordinari. Hac enim ratione nunquam fuisset sacerdotium apud Græcos. Et tamen Græci de hac re nunquam à Latinis accusati sunt. Immò verò praxis Ecclesiæ hoc idem nos docet. Non enim Ecclesia Romana Presbyteros Græcos ad concordiam, &

unitatem fidei conversos iterum ordinat, vel aliquid tanquam omissum supplendum censet.

Quo vel uno maximè ducor argumento, ut in superiori capite recensitam pro Græcis opinionem veram judicem, & ritum Ecclesiæ Græcæ vetustissimum sanè, & augustissimum, quippe à viris sanctitate præditis observatum, nulla ratione improbem.

Videmus tempore Clementis VIII. Pont. Max. Russorum Antistites ad unionem Ecclesiarum properasse, in eoque negocio non parum elaboravimus. Nec tamen de illorum ordinatione, ut minùs vera, & legitima, vel minimam suspicionem quisquam habuit. Certè doctissimus Bessarion, & Isidorus Metropolitanus Chioviensis, ac totius Russiæ, ambo dignissimi Cardinales non iterum à Latinis initiati sunt sacris, cùm tamen horum uterque quid illo decreto pro instruendis Armeniis statutum, ac definitum esset, optimè sciret. Immo verò totus cœtus Orientalium Patrum in Concilio Florentino iterum ordinandus fuisset.

Neque Rituale, seu Pontificale Græcorum ab eo tempore immutatum esse, facilè intelligi potest, si quis libros antiquissimos consulat manuscriptos, qui eundem prorsus modum præscribunt ordinandis, quem hodie ad unguem servat Græcorum Ecclesia, atque inter illos Euchologium Patriarchale, quod in ipsomet Concilio Florentino Georgius Vari Cretensis Presbyter Græcus donavit Juliano Presbytero Cardinali tituli sanctæ Sabinæ, ut in ejus calce manu ipsiusmet Cardinalis notatum est, & modò asseruatur in Monasterio Cryptæ Ferratæ.

Quin Eugenius Pontifex in Concilio Florentino jam transacta Concordia, de rebus minutissimis ad ritus, & cerimonias Græcorum circa sacramenta pertinentibus, cùm multas quæstiones Græcis proposuisset, quòd differre à Latinis viderentur, hanc, quæ sine dubio maximi momenti est, nec attigit quidem.

Neque potuit à Latinis ignorari, qui diligentissimè omnia Græcorum cerimonialia inspexissent, & rationes singulorum investigarent, & à Græcis perquirerent. Signum igitur est, censuisse Pontificem, ac totum Concilium Latinorum, Græcos ritè ordinare, neque esse cur quicquam ea de re in controversiam vocaretur. Atque in hunc modum de tota hac re pro Latinis, Græcisque disseruimus.

Quæ nostra, si vera est, sententia (cur autem non sit vera non video) mihi videtur eximere omnem scrupulum. Alioquin non video, quomodo possint salvari Latina cum Græcis, & Græca cum Latinis, de quibus nulla unquam vel minima extitit controversia. Nam neque Romana Ecclesia unquam de Græcis Sacerdotibus dubitavit, neque Græca de Latinis.

Diluuntur argumenta Dominici Soti, qui opinatur manus impositionem non esse materiam essentialem.

CAPUT VI.

Antequam finem imponam huic argumento de materia, ut firmiora maneant, quæ in prima propositione hactenus disputata sunt, objectiones Dominici à Soto solvendæ sunt. Is enim in 4. d. 24. q.1. a.5. & quidam alij existimant manuum impositionem esse accidentariam, & solam porrectionem instrumentorum ad essentiam pertinere. Quæ sententia nonnullis argumentis confirmari solet.

Primum argumentum desumitur ex Concilio Florentino. Verùm illud solvimus. Nam Concilium refert se ad Pontificale Romanum, ubi manus impositio est materia essentialis.

Secundum argumentum nititur auctoritate summorum Pontificum. Gregorius Nonus cap. Presbyter, de Sacramentis non iterandis, docet, manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum. Non igitur sacramento essentialis. Et de quodam ordinato sine manuum impositione nihil iterandum esse ait, sed post tres menses supplendum quod defuerat. Tum ad

hunc modum argumentantur: si essentialis, sequeretur vel oportere post tres menses repetere formam ordinationis, & imponere manus. At ibi clarè definit, nihil iterandum formâ prolatâ sine impositione. Vel non repetere formam, sed solùm imponere manus. At hoc non potest esse. Etenim Sacramenta non possunt fieri, nisi quando materia, & forma simul sunt; vel saltem moraliter loquendo non longè antea separantur. Igitur indicium est, eam non esse essentialem.

Id verò adhuc confirmari posset. Nam in Canone cùm dicitur, nihil iterandum, sed supplendum, quod defuit, semper intelligitur res accidentaria, quæ suppleri debeat. Siquidem Innocentius Tertius de sacra Unctione dicit: si Episcopus sine Unctione balsami consecratus fuerit, nihil iterandum. At constat Unctionem hanc esse accidentariam, tum Canone Pastoralis de sacramentis non iterandis, ubi docet, si quis Chrismatus cum oleo sine balsamo fuerit, supplendum esse quod deest. Tum ibidem ait, in Diacono sine manuum impositione ordinato, nihil iterandum, sed supplendum. Cùm ergo idem judicium faciat de oleo sine balsamo, & de impositione, quemadmodum illud est accidentale, ita hæc non erit essentialis.

Tertium argumentum ductum est ex Pontificali Romano, ubi Episcopus quando tradit ordinando instrumenta dicit, accipe potestatem offerendi sacrificium; tunc enim fit Sacerdos, alioquin si tunc non acciperet characterem, mendax esset forma concessionis potestatis: sed tunc non imponuntur manus. Ergo manus impositio, quæ antecedit vel postea accedit, ad essentiam sacramenti minimè spectat. Immo ante hanc postremam manuum impositionem Sacerdos, ut habetur in rubricis Pontificalis, cùm jam sit ordinatus, peragit sacrificium cum Episcopo, simulque cum eo consecrat.

Quartum argumentum petitur ex factis Christi. Dominus enim ordinavit tradendo instrumenta. Siquidem facti sunt Sacerdotes Apostoli in ultima cœna, cùm tradidit eis Dominus panem vivum, & calicem, ut habet Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Ergo & nunc Sacerdotes fiunt, cùm dantur eis instrumenta cum potestate consecrandi: perinde enim est dicere, Hoc facite in meam commemorationem, quod audierunt Apostoli in ultima cœna, ac dicere, Sacrificate, accipite potestatem faciendi, quæ ego facio, & offerendi sacrificium: quod modò audiunt Sacerdotes in exhibitione ordinis.

Ad extremum adducunt, materiam sacramentorum esse propriam sacramenti, ut determinatè significet effectum propriũ sacramenti: sed impositionem manuum, aiunt, esse cerimoniam huic sacramento communem cum multis. Ananias Act. 9. Paulum baptizaturus imposuit manus. Apostoli Act. 8. & 19. per impositionem manuum dabant Spiritum sanctum, hoc est, confirmabant. Eadem inservit reconciliandis hæreticis, & pœnitentibus, ut constat ex multis Conciliis, & Patribus.

Si quis autem ab his quærat, cur manuum impositio sola exprimitur in Scriptura, si non est essentialis?

Respondent, quia nimirum requiritur, sed non est de essentia, & à simili hoc idem probant. Etenim, inquiunt, confirmatio etiam conferebatur per manuum impositionem, cùm tamen hodie impositio in eo sacramento non spectet ad essentiam. In Concilio enim Florentino dicitur, in Chrismate loco impositionis manuum, successisse unguentum. Non igitur licet arguere esse de essentia, quia in Scriptura exprimatur.

Verumtamen hanc solutionem, simul etiam & sententiam quoad hanc partem de impositione manuum, quod sit accidentaria, viris sanè in doctrina veterum Patrum versatis, præsertim etiam post Concilium Tridentium, credo equidem minimè probatum iri. Neque defendi posse, facilè ex his, quæ diximus in prima propositione, cuilibet constare potest.

Deinde quis credat, scripturam omissis essentialibus semper nominasse ritum accidentalem, cùm vix etiam res essentiales integrè tradat? Immo si hoc demus, possent hæretici rejicere materias omnium

reliquorum sacramentorum. Dicerent enim requiri aquam in Baptismate, vinum in Eucharistia, oleum in Confirmatione, sed non esse de essentia.

Objectio itaque de Confirmatione nulla est. Nam, ut multi existimant, impositio manus in illo sacramento est, & fuit semper in Ecclesia de essentia. Quia per impositionem manuum Apostoli Chrismate confirmabant, & modò per illam signant Chrismate frontes fidelium. Concilium autem Florentinum asserit loco manuum impositionis dari in Ecclesia Confirmationem. Et Innocentius III. cap. cùm venisset, extra. Unctione, dicit, per frontis Chrismationem designari manus impositionem Apostolorum, quæ alio nomine dicitur Confirmatio. Non quòd Apostoli non eodem modo unxerint, sed quoad modum loquendi: Quod enim Scriptura vocat manus impositionem Act. 8. & 19. modò appellat Ecclesia Confirmationem. Neque enim Concilium, & Innocentius aiunt, Chrisma successisse impositioni manuum, sed Chrismationem frontis, seu, quod idem est, sacramentum Confirmationis designare, ac indicare illud quod Scriptura vocat, manuum impositionem. Quod tamen sacramentum administrasse Apostolos satis constat ex scriptis veterum Patrum. Uel etiam dicere possumus, Patres sic locutos fuisse, quod in primordiis Ecclesiæ Apostoli fortassis solam manus impositionem ex dispensatione divina loco materiæ adhibuerint. Cùm enim visibiliter Spiritus sanctus descenderet, unctione corporali non fuit opus. Et notandum quòd de solis Apostolis legimus, eos visibiliter per hoc sacramentum impertivisse fidelibus Spiritum sanctum, non autem de aliis Episcopis; iidem tamen Apostoli postea Ecclesiastica Hierarchia melius disposita, unguento sacro usi sunt, ut constat ex discipulo Pauli Dionysio Areopagita, qui quale unguentum in hoc mysterio adhibendum sit, accuratissimè describit, & certum est eum tradere, quæ à sacris Apostolis acceperat, ut ipsemet non uno in loco testatur. Non itaque mutata est materia Confirmationis, ut ex similitudine idem dicere valeamus, factum esse in ordinatione. Adde quod in ordinatione nunquam datus est ordinariè Spiritus sanctus visibiliter, ut, quasi illud desierit fieri, propterea dicere debeamus mutatam esse materiam.

Nec firma est altera solutio, quam auctores oppositæ sententiæ afferunt. Aiunt enim Patres nominare impositionem, non quòd sit de essentia, sed quia est quædam cerimonia accidentalis notissima. Nomina verò sumi aliquando ab aliquo accidenti, quod omnibus pateat, & sit manifestum.

At hæc nihil eos juvant. Cur enim hæc cerimonia est notissima potest dici. Primò, quia sit principalis, & essentialis. Secundò, quia hæc usurpatur ab omnibus, cæteræ non item. Et si ita est, habemus intentum. Siquidem cerimonia essentialis, debet esse communis toti Ecclesiæ. Tertiò, quia maximè omnium sub sensum cadit. Contrà, cur sensibilior, quám unctio Sacerdotum, vel traditio instrumentorum? Quin potiùs quidam propterea manuum impositionem negarunt esse materiam, quòd cùm sit actio transiens, rem subsistentem, & sensibilem, ut sunt instrumenta, & materia multorum sacramentorum, minus viderent. Quartò, quia maximè propria: sed non, quia nihil communius hac cerimonia, ut ipsamet opposita sententia in ultimo argumento contendit. Quintò, quia Apostoli per divinam dispensationem hac cerimonia ordinarunt, inde factum est, ut re mutata idem nomen manserit, ut apparet in Chrismate, quod aliqui Patres vocant impositionem manuum. Sed non valet. Nam id quidem esset aliquid, & quoquo modo satisfaceret, si nulla manus impositio in ordinibus reperiretur. Nunc cùm & Græci in omnibus ordinibus, & Latini in præcipuis eam diligenter seruent, & adhibeant, quomodo verum erit, mutatam esse; ita ut ipsa desierit? Nam quòd afferunt de Confirmatione, id nos paulò antè dissoluimus. Tandem ipsi non advertunt ultro se concedere, quod minimè volunt. Si enim tempore Apostolorum valida erat hujusmodi materia, cur modò adhibita nullius erit

valoris? Illud etiam quærendum, quisnam ipsis divinitus patefecerit, Apostolos per divinam dispensationem impositione manuum extraordinariè, ac non potius ordinariè ordinasse?

Concludamus itaque ac dicamus, impositionem manuum ad essentiam sacramenti spectare, cùm Concilium Tridentinum, antiqua Concilia, & veteres Patres hoc significent.

Restat ut ad argumenta in contrarium allata respondeamus, quorum tamen primum jam solutum est.

Ad secundum igitur quidam respondent, non eum esse sensum Gregorij, Apostolos introduxisse talem ritum, sed illos primos cœpisse usurpare talem cerimoniam in ordinationibus. Et ad instantiam dicunt, Gregorium non intelligere primam impositionem manuum, sed secundam: voluisse autem indicare, eas cerimonias posse dividi, & dari diverso tempore, & esse efficaces quocunque tempore dentur. Ita tamen ut non pervertatur ordo. Priùs enim confertur potestas in verum corpus Christi, deinde in mysticum. Quæ sanè potestas sive conferatur immediatè post primam, sive longo tempore post, valebit. Proinde prima impositio, & porrectio instrumentorum non est iteranda tanquam validè facta. Secunda impositio, de qua loquitur Pontifex, est supplenda, quia omissa.

Hanc verò posteriorem impositionem essentialem esse, inde quoque probari potest, quòd Episcopus consecrans dicat, Accipe Spiritum sanctum: at Spiritus sanctus in sacramentis non confertur mediante cerimonia, quæ non fit essentialis.

Hæc solutio quoad illam partem, ubi aiunt, Gregorium de secunda impositione manuum loqui, non videtur ad mentem Pontificis. Non enim textus Gregorij hanc expositionem admittit. Quippe in calce illius epistolæ habet: suspensio manuum debet fieri, cùm oratio super caput effunditur ordinandi. At hoc fit in prima impositione, non in secundà, ut constat ex Pontificali Romano. Quare Gregorius Nonus ait, impositionem manuum omissam supplendam esse, ita tamen ut postquam impositæ fuerint manus, & cœperit Episcopus consecrans recitare orationem, tam ipse quàm cæteri Presbyteri, qui adsunt, non amplius imponant manus, sed eas suspendant, & expansas habeant. Quod totum, ut dixi, fit in prima impositione.

Et confirmatur. Nam Innocentius III. interrogatus, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem Diaconatus assumptus? respondet, in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum: sed in ordinatione Diaconi non reperitur nisi unica impositio manus. De hac igitur sic habet Pontificale Romanum. Hìc solus Pontifex manum dexteram extendens ponit super caput cuilibet ordinando, & nullus alius. Cur autem Pontificale dicit, hìc solus Pontifex, & nullus alius? quia, inquit, non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur. Nimirum in ordinatione Presbyteri non solùm Episcopus imponit, sed etiam cæteri Presbyteri præsentes imponunt; adeo ut illa impositio manus super Diaconum, quam dicit Innocentius supplendam esse, omnino huic primæ impositioni, quæ fit in ordinatione Presbyteri, respondeat. Nam in secunda impositione solus imponit manus Episcopus, & nullam orationem super caput illius effundit, neque manus extendunt, qui adsunt Presbyteri.

Hoc itaque certum est, Gregorium loqui de prima impositione. Ad difficultatem autem S. Bonaventura diceret, essentialem eam esse, quippe quæ fit explicita per instrumenta. Et ex eo etiam probari posset. Nam impositio in ordinatione Diaconi comparatur cum hac prima impositione Presbyteri, ut vidimus in rubricis Pontificalis Romani, & in Concilio quarto Carthaginensi. Sed impositio manus in Diacono est essentialis, siquidem per illam confertur Spiritus sanctus.

Porrò impositionem manus ab Apostolis introductam fuisse, dicendum est hoc sensu, quòd illi primi cœperint hanc cerimoniam usurpare, ut docet illustrissimus Bellarminus.

Ad Confirmationem itaque Dominici à Soto, nego accidentale tantùm suppleri. Fieri enim potest, ut accidentale juxta & essentiale suppleatur, & etiam iteretur.

Quod ut rectè intelligatur, sciendum est. In omni Sacramento esse quædam accidentalia, ut sunt cerimoniæ jure Ecclesiastico adhibitæ: quædam essentialia, ut materia, & forma, ex quibus totum essentiale Sacramenti efficitur. Hæc autem ipsa essentialia interdum quidem singularia sunt, ut in baptismate: interdum etiam geminantur, idque bipartito. Vel enim ita geminantur, ut sint duæ materiæ, & formæ, ut in sacramento Ordinis, ubi apud Latinos distinctè traduntur duæ potestates, & etiam in sacramento Eucharistiæ, ubi duæ sunt formæ, & duæ materiæ partiales, præsertim ratione sacrificij, quod sub utraque specie necessariò offerri debet, & etiam Sacramenti, non quoad significationem, cùm in qualibet specie inveniatur tota essentia, & ratio Sacramenti, sed quoad symbola externa, cùm in pane, seu vino sacramentum esse possit; atque ita fit, ut totum integrale sacramentum ex duabus partibus constet, quarum singulæ suam habent partialem materiam, & formam. Vel geminantur, hoc est, una materia magis explicatur & dilatatur, & quodammodo duplex fit, ut in eodem sacramento Ordinis, ubi apud Latinos impositio manus per instrumenta magis extenditur, & explicitè exhibetur. Evenire igitur potest, ut vel omittantur accidentalia sacramenti, vel essentialia, idque bifariam, aut omnino, aut ex parte: atque in his omnibus casibus aliquid suppleri debet, sed diversimodè.

Ad cujus intelligentiam rursus notandum est, hæc duo verba iterare, & supplere, ita inter se differre, ut iterari dicatur id quod semel factum est, sive totum, sive pars sit. Suppleri autem id, quod omissum est, in eo quod validè factum est, quod pars intelligatur esse. Quando igitur præcipitur aliquid non iterandum, validè factum fuisse necesse est; ob eamque rem, nullam esse causam, cur iterum illud ipsum fiat; alioquin enim nulla esset causa, cur iterum fieri non deberet; præcipuè in essentialibus sacramentorum, in quibus, cùm de jure divino sint, dispensare Papa non potest. Quando verò præcipitur supplendum, omissum fuisse aliquid necesse est, vel accidentale, vel essentiale, sive illud integrale sit, sive etiam totale sacramenti. Ritus enim accidentales, & essentiales ita sunt inter se ordinati, ut possint validè fieri hi, sine illis, & contra: ut si initio desit solemnitas, & postea suppleatur, quod solet quandoque contingere in Baptismate, quando nimirum obstetrix ob imminens periculum mortis baptizat infantem. Vel si fuit adhibita solemnitas, relictis tamen essentialibus. Tunc enim postea suppletur, quod omissum est. Ut cùm matrimonium inter duos contrahitur, aliquando deest mutuus, vel alterius conjugis consensus, qui tamen necessarius est ad matrimonium. Tunc enim solemnitas non iteratur, & omissa essentialia supplentur. Vel quando impedimentum est inter contrahentes irritans matrimonium: quo deinde per dispensationem sublato, solemnitas, quæ jam præcessit, omittitur, & suppletur essentiale contractus.

Cùm igitur Pontifices aiunt, in Sacramentis non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat omissum, nihil aliud significant nisi quod semel factum est validè, sive substantiale sit, sive accidentale, non esse iterum faciendum. Et idcirco prohibitio iterationis non est signum clarum ritus accidentalis, vel substantialis, quia potest cadere super utrumque. Sed hoc discernimus aliunde, quia cùm horum quilibet seorsum validè possit fieri, & satis sit semel facere aliquem ritum, de utroque non iterando potest fieri præceptum.

Duæ ergo cùm sint in omni sacramento cerimoniæ, accidentales & essentiales, in iis quidem sacramentis, ubi essentiales cerimoniæ non sunt duplicatæ, cùm aliunde nobis constat esse aliquid essentiale, & dicitur non esse iterandum, accommodamus præceptum non iterandi essentialia, supplendi accidentalia, tanquam non facta;

ita

ita contra, quando ſcimus aliunde eſſe accidentalia, & prohibemur ea iterare, accommodamus præceptum non iterandi accidentalia valida: ſupplendi eſſentialia omiſſa, vel non valida, quia ſi quis etiam adminiſtret aliquod ſacramentum ſine ulla prorſus materia, & proferat formam, forma non eſt tum valida, & idcirco debet totum illud tanquam non validè factum, hoc eſt, & materia, & forma ſuppleri. In iis verò Sacramentis ubi ſunt eſſentialia duplicata vel dilatata, & explicata, quando non omittitur aliquid accidentale, & ideo habemus prohibitionem iterandi illud, tunc accommodamus præceptum non iterandi hæc eſſentialia, tanquam validè facta, & ſupplendi, vel iterandi illa eſſentialia, tanquam omiſſa, vel invalidè facta. Quare hoc incommodo, quod afferunt adverſarij, nullo modo urgetur noſtra opinio.

Impoſitionem itaque tam primam, quàm ſecundam eſſentialem eſſe ſatis nobis aliunde conſtat. Neque locus Innocentij de Balſamo in Confirmatione omiſſo quicquam facit: quia non ſolùm accidentalia, ſed etiam eſſentialia interdum omiſſa ſuppleri poſſunt non iteratis iis, quæ jam validè facta ſunt.

Objicies, ſi prima manus impoſitio eſt eſſentialis, & quodammodo ad materiam ſpectat, ergo non ſolùm illa, ſi omittatur, ſupplenda eſt, ſed etiam forma iteranda. Non enim forma validè ſine materia proferri poteſt. Et tamen Pontifex ibi decernit; nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.

Ad hoc ſic reſpondendum putarem: ſi prima manus impoſitio eſſet ſola materia, ut eſt apud Græcos; & non unà cum inſtrumentis, tunc forma iteranda eſſet, quod ſine vlla materia prolata fuiſſet. Nunc verò, quia inſtrumenta ſunt materia, & magis explicant impoſitionem manus, non eſt cur forma iterari debeat, ſed tantùm ſupplendum, quod eſt omiſſum, ut docet Gregorius Nonus.

Et eodem modo reſpondere coguntur, qui tenent balſamum eſſe de eſſentia materiæ Confirmationis. Si enim prætermiſſum fuerit, non debent iterare materiam & formam, ut docet Innocentius canone Paſtoralis, de Sacramentis non iterandis, cùm forma prolata fuerit cum aliqua debita & convenienti materia, hoc eſt cum oleo, ſed ſupplere balſamum, quod omiſſum eſt.

Ad tertium, & quartum argumentum dico Sacerdotes ordinari ad conficiendum verum corpus Chriſti, cùm illis dicitur, Accipe poteſtatem ſacrificium offerendi, ſuppoſita tamen prima impoſitione manuum, quæ per inſtrumenta explicitè dilatatur. Et ſi hæc omittatur, ſuppleri debet, ut cenſet Gregorius Nonus. Præterea dico, ordinari poſtea ad remittenda peccata, cùm illis dicitur, Accipe Spiritum ſanctum. Nam accipiunt per varias cerimonias varias poteſtates: & ſimiliter ſi hæc poſterior impoſitio manus omitteretur, ſine dubio ſuppleri deberet. Alioquin ordinatus non haberet poteſtatem remittendi peccata.

Quanquam illud, quod afferunt, de ſumenda regula ordinaria ex factis Chriſti, non modò certum, ſed ne probabile quidem ſit, & ſatis tutum. Cùm enim Chriſtus Dominus habuerit eximiam quandam, ac ſingularem poteſtatem, quam vocant excellentiæ, qua nimirum ſine ſacramentis dimittebat peccata, aliaque mira efficiebat, nihil inde certi concludi poteſt. Quod enim eadem poteſtate Apoſtolis hoc ſacramentum contulerit, nullo negotio probari poteſt. Primò, quia ordinavit dicendo, Hoc facite in meam commemorationem. Immò illa verba bis repetiit, ut tradit B. Paulus primæ Corinthiorum cap. 11. Secundò, quia Chriſtus, cùm dicit primo loco, hoc facite, ordinavit ſine traditione inſtrumentorum. Prius enim tradidit panem, & porrexit calicem cum ſacrato vino: ſed illa fuit communio, qualis etiam fuit olim laïcorum, qui ſub utraque ſpecie communicabant. Et niſi Chriſtus Dominus addidiſſet, Hoc facite in meam commemorationem, non eis ſacrum ordinem contuliſſet. Huc autem inſtrumenta minimè ſpectant. Tertiò, quia Chriſtus

ordinavit materia jam consecrata, quod modò non fit. Quartò, quia ordinavit ad remittenda peccata insufflando, quod nunquam Ecclesia imitata est. Quintò, quia divisit has potestates consecrandi, & absoluendi longè diversis temporibus, quod ipsum Ecclesia minimè facit. Sextò, quia unxit, & confirmavit excellentissimo quodam modo per linguas ignitas. Hinc ergo fit, quòd Apostoli hoc advertentes non quidem more Christi, sed ex præcepto Christi Domini per impositionem manuum ordinaverint. Vide Nazianzenum oratione in sanctum lavacrum, qui multa refert, aliter fuisse facta à Christo, atque ab Ecclesia fiunt.

Ad sextum, retorqueo argumentum. Nam etiam juxta sententiam Dominici Soti, oleum est communis materia Confirmationi cum extrema Unctione. Quare Sacramenta si non semper materia distinguuntur ab aliis rebus, ac inter se, distinguuntur tamen forma diversa, & intentione ministrorum, & suscipientium.

Et hæc quidem prolixius de materia hujus Sacramenti, ut par erat, disputavimus, ut de re gravissima, & non in ore omnium trita, quoad expositionem illius, & Patrum concordiam, quorundam animi pacatiores, & mitiores redderentur. Quòd si hæc non satisfaciunt, excogitent alij meliores solutiones. Non enim dubito, quin vetustissimus circa hoc Sacramentum usus Græcorum minimè sit improbandus.

Neque imitabimur quosdam refractarios, & ἀγνώμονας, qui propter innatam sibi animi duritiem, & summam rerum ignorantiam, cum objecta diluere, ac difficultates enodare minimè valeant, omnia ferè Sacramenta Orientalis Ecclesiæ vel negant, vel damnant, & abjiciunt. Quales etiam extitere olim nonnulli Græcorum, qui cùm malè sentirent de Latinis, uniuersè omnes eorũ sacros ritus, & augustissimas cerimonias improbabant, & propter eos Græcorum quoque, qui se Latinis adjunxerant, hoc est, suæ gentis mysteria sacra, & propria penitus repudiabant, & aspernabantur. Quos Georgius Pachymezes in libro sexto suæ historiæ meritò carpit, cùm ita scribit: ἐπειδὴ γάρ τινες τῶν περιττῶν καὶ δυσκόλων, οἷς οὐδ' ἦν τὸ παράπαν εἰδέναι τὰ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ἰταλῶν, οὔτε μὴν καὶ ἀκούουσι ξυνιέναι, ὡς πάλαι ποτ' ἦσαν ἐν πρώτοις ἡνωμένοι τῶν ἄλλων πλέον. καί τι ξυμπεσὸν παρέλυσε τὸν δεσμόν. ὅμως δὲ πάλιν ἀπαραθραυστα μένουσιν ἡμῖν τε κἀκείνοις, τὰ τοῦ χριστιανισμοῦ μυστήρια, ὡς μηδὲν παρεγχειρεῖν τολμᾷν τινας ἐπὶ τελεσμῷ βαπτίσματος, καὶ ἱερωσύνης, καὶ γάμου, καὶ τῇ μοναχικῇ καταστάσει καὶ τοῖς λοιποῖς, οἷς ἄρα καὶ ἡ καθολικὴ καὶ μία ἐκκλησία τοὺς αὐτῆς ἐπιτελεῖ τροφίμους. ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ ἐκ δρυὸς, ἢ ἐκ πέτρας ἀρχῆθεν ἦσαν, μηδὲν τῶν τοῖς χριστιανοῖς ἀνηκόντων εἰδότες, καὶ διὰ ταῦτα ἐκείνοις ἐκτόπως ἀποστρεφόμενοι, καὶ τὰ παρὰ τοῖς ἡμετέροις ἐβδελύσσοντο ἅγια, καὶ κρημνοῖς καὶ ποταμοῖς καὶ ὄρεσιν ἐδίδουν, ὡς μηδὲν ὄντα, τὰ τίμια. κἀντεῦθεν ἐκόλουον τὰ τῆς πίστεως. Cùm enim nonnulli eorum, qui modum excedunt, & temerè credunt, qui res Ecclesiasticas Italorum, nec scire omnino, nec eas vel audiendo intelligere poterant, nimirum quod olim in primis essent cum Græcis conjuncti magis, quàm alij; & quiddam accidit, quod vinculum dissoluerit. Attamen Christianæ professionis sacramenta tam nobis quàm ipsis illæsa, atque invulnerata manent, ut nemo audeat aliquid aggredi contrarium in initiatione Baptismatis, & Sacerdotij, in nuptiis item, & statu monastico, ac reliquis mysteriis, quibus profectò eadem Catholica, & una Ecclesia suos alumnos imbuere solet. Uerùm hi, tanquam si ab initio ex quercu, seu lapide procreati fuissent, cùm nihil eorum, quæ ad Christianos pertinent, scirent, & propterea suprà modum à Latinis aversi essent; etiam quæ apud nos sancta detestabantur, & pretiosa, tanquam nihil essent, in prærupta saxa, fluvios, & montes projiciebant. Hinc verò fidei progressum impediebant. Sic ille, qui res gestas Michaëlis, & Andronici Palæologorum in sua historia prosequitur, eodemque tempore floruit. Vir addictus quidem schismati, sed qui vera contra hujusmodi morosos homines scripserit. Ex cujus testimonio habemus nihil in Ecclesia Occidentali, & Orientali sacramentorum desiderari, neque Latinos & Græcos alteros adversus

alteros aliquid in ea materia innovare ausos fuisse.

De eadem materia, quòd non solùm in Ecclesia Græca, sed etiam Latina sola sit impositio manus.

CAPVT VII.

Res arduas, & perplexas non aliter humanæ menti contemplari, quàm oculis adversum Solem intueri concessum. Cùm acies nostra hujus radiis hebescat, & illa in rerum tenebris ita vacillet & erret, ut nonnisi post longos labores, variasque cogitationes veritatem ipsam assequatur, usuque mihi tritum illud probatum, οἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι.

Nam cùm nonnulla ex iis quę de materia hujus Sacramenti non sine aliqua probabilitate hactenus disputavi, animo voluerem & revoluerem; opinio asserentium, impositionem manuum fieri, dum Episcopus consecrans exhibet instrumenta (tunc enim Pontifex manus extendit, & quodammodo eas imponit) quam suprà leviter tetigi, & rejicere visus sum, re accuratius considerata, addita quoque amicorum altercatione, ut fit, non mihi improbabilis esse videtur, sed quæ longè minores patiatur difficultates; ut propterea etiam eam hîc inserendam, & stabiliendam esse duxerim.

Summa hujus sententiæ est, manuum impositionem in Sacramento Ordinis solam esse materiam, eamque determinatam à Christo Domino, & nullam prorsus aliam, idque esse intelligendum non minùs in Ecclesia Latina, quàm Græca. Unde si deesset talis materia in Ecclesia Latina, vel Græca, non esset verum Sacramentum, & Sacerdotium. Dicere enim materiam hujus Sacramenti non esse determinatam (quod quibusdam viris doctis visum est) aliquam haberet probabilitatem, si divinæ literæ de ea non loquerentur: sed nihil frequentius, & usitatius cùm in sacris paginis, tum Conciliis, & Doctoribus hac cerimonia, ubi de hoc sacramento incidit sermo. Unde si nolumus negare sacramentum Ordinis in Ecclesia Latina, ut certè nolumus, neque possumus, immò omni asseveratione & de fide fatemur in Ecclesia Romana genuinum Ordinis sacramentum verissimè reperiri, & si in omnibus aliis Ecclesiis deficeret, ac periret, tamen in Ecclesia Romana, quæ est magistra, & caput aliarum Ecclesiarum (si vera sunt verba veritatis, Christi Domini, ut verissima sunt) non posse deficere, nec perire. Si, inquam, nolumus istud inficiari, necesse est pro materia hujus sacramenti solam impositionem manuum assignare. Hanc enim solam Apostoli, Concilia, & plerique Patres commemorant.

Scholastici autem varia senserunt propter varias cerimonias quæ in hoc mysterio adhibentur. Et quidem duo Coryphæi Scholasticorum S. Thomas, & B. Bonaventura, ut tuerentur auctoritatem divinæ Scripturæ, quæ impositionem manuum recenset, & usum Ecclesiæ Romanæ, quæ non potest errare, atque per porrectionem instrumentorum confert sacros ordines, fassi sunt in Presbyteratu, & Diaconatu, quoniam ibi datur nobilis potestas, & excellens, non tantùm fieri instrumenti traditionem, sed etiam impositionem manus. Locum Bonaventuræ retulimus in superiori capite. S. Thomam vide in supplemento q. 37. art. 5. ubi ait, solis Diaconis, & sacerdotibus fieri manus impositionem. Et in fine corporis articuli dicit, characterem imprimi, ac potestatem tradi in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata.

Atque hi Doctores tanquam res diversas acceperunt manuum impositionem, & porrectionem instrumentorum, quia nimirum primam impositionem intellexerunt. Cùm alioquin sit una & eadem res.

Porrò inde orta est difficultas. Nam in conferendis nonnullis sacris ordinibus aliquoties manus imponitur. Et quidem in Ecclesia Græca statim imponitur, cùm enunciatur forma; deinde cùm recitantur subsequentes orationes. Unde non est difficile cognoscere, quænam sit de essentia Sacramenti, quæ minus. Cùm illa prima impositio manus in Ecclesia Orientali sit

necessaria, quæ consociatur cum Sacramenti forma. In Ecclesia verò Latina prius imponitur manus, tanquam prævia dispositio sine ullis formalibus verbis. Deinde extenditur manus, & quodammodo imponitur, sed unà conjungitur cum instrumentis. Postremò imponitur ad accipiendam potestatem secundariam in corpus mysticum Christi. Cùm itaque prima impositio non sit de essentia, quòd ea sine forma verborum fiat, neque postrema, saltem quantum ad primariam potestatem spectat, obscurum remanet, quænam ea sit impositio manus, quæ de necessitate sit Sacramenti. Unde si quis probat instrumenta, quæ adhibentur in secunda porrectione manus, & cum extensione manus conjunguntur, non esse necessaria ad constituendum Sacramentum, sed non esse addita ab Ecclesia Romana ad aliud significandum, proinde illam actionem Pontificis, & extensionem manus sine instrumentis esse considerandam, sequeretur eam esse perquam necessariam ad perficiendum Sacramentum.

Hinc meritò vocamus, χειροτονίαν, ὅτι τείνει τὴν χεῖρα ὁ ἀρχιερεύς, quòd extendat Pontifex manum, & quodammodo eam imponat: per eam quippe conjungit se Pontifex ordinandis, & Sacramentum iisdem confert.

Hanc esse necessariam ex institutione Christi, certissimum est: si quidem per eam, adhibita nimirum & forma, absolvitur Sacramentum. Hanc Sacræ paginæ, Concilia, & potissimum Concilium Florentinum, & SS. Patres ingeminant, & inculcant. Hac utuntur Græci, & Christus Dominus non accidentales, sed essentiales materias instituit. Ne miretur verò aliquis, si hanc extensionem manus, impositionem vocemus. Non tantùm enim quando manus capiti alicujus imponimus, hoc modo loquendi utimur, sed etiam quando manibus extensis aliquem simpliciter tangimus, hanc phrasim usurpamus; nimirum à divina scriptura edocti, quæ Sacramentum Confirmationis, ubi pollice frontem tangendo ungimus, manus impositionem appellat. Quamvis de rigore tunc temporis manus vertici capitis non imponamus. Quocirca Bellarminus etiam in libro de sacramento Confirmationis cap. 2. §. ultimo, extensionem manus, impositionem vocat: Bis, inquit, Episcopus manus imponit confirmandis, ut ex Pontificali Romano intelligi potest, semel cùm super eos manus extendit, atque orat; & rursum cùm signat in fronte, atque ungit. Ipsa enim unctio, & signatio cùm manu fiat, manus impositio rectissimè dicitur. Ergo à simili ipsa porrectio instrumentorum cùm manus extensione fiat, impositio dici potest. Hujus autem opinionis in sacramento Confirmationis in eodem libro cap. 9. adducit Bellarminus Thomam Valdensem tomo II. de Sacramentis cap. 113. & Hugonem de sancto Victore libro 2. de Sacramentis parte 7. cap. 2. qui dicunt idem esse unctionem Chrismatis, & manus impositionem. Qui enim inungit, manus imponit. Unde etiam Marc. 7. cùm postulassent quidam, ut Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit, nam digito tetigit linguam, & aures ejus. B. etiam Thomas 3. p. q. 84. a. 4. in his duobus Sacramentis Confirmatione & Ordine, non autem baptismo, & pœnitentia docet, impositionem manus requiri. Quia impositio manuum in Sacramentis Ecclesiæ fit ad significandum aliquem copiosum effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodam modo per quandam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideò manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti, & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis. Et tamen S. Thomas per impositionem manus in Sacramento Confirmationis, non aliam intelligere potest, quàm eam, quam faciunt Episcopi extendendo manum, & tangendo frontem, dum Baptizatos Chrismate inungunt.

Quòd autem hæc extensio manus etiam citra instrumenta in doctrina S. Thomæ tanquam materia sit necessaria, probatur. Nam in supplemento qu. 34. ar. 5. quærit. Utrùm hoc Sacramentum habeat mate-

teriam? & factis argumentis in oppositum quod habeat: si enim haberet, virtus esset operans in materia Sacramenti, ut est aqua in baptismate sanctificata, & sanctificans, unguentum in Confirmatione, oleum in Extrema-Unctione, & reliquæ materiæ in cæteris: sed in rebus materialibus, quæ in ordine adhibentur, ut sunt claves, candelabra, & hujusmodi, non videtur esse aliqua virtus sanctificandi, igitur non habet materiam. Respondet sub distinctione. Nam vel Sacramenta habent intrinsecam materiam, ut in pœnitentia. Qui enim accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, habet operationem in se, quæ stat pro materia, & ex qua veluti materia sequitur effectus Sacramenti. Hîc nulla est res materialis sanctificans. Vel habent extrinsecam, idque bifariam. Vel enim quod confertur in aliquo Sacramento à solo Deo derivatur, non à ministro, qui Sacramentum dispensat; & tunc efficacia principaliter consistit in materia, quæ virtutem divinam habet, signat, & continet ex sanctificatione per ministerium adhibita. Vel id quod confertur, non à solo Deo derivatur, sed etiam ab eo, qui Sacramentum confert, ut in Sacramento Ordinis spiritualis potestas quæ confertur ab habente eam complete, sicut imperfecta potestas à perfecta. Tunc verò efficacia non requiritur in materia, sed principaliter residet penes eum, qui Sacramentum dispensat. Igitur juxta sententiam S. Thomæ extensio illa manus Pontificis, & porrectio est materia. Per eam similiter Dionysius, hoc est, per impositionem manus Pontificis docet conferri Hierarchicos ordines. Quorsum ergo dantur instrumenta veluti materia? Non ad causandam potestatem, quippe eam Pontificis actio causat: sed adhibentur magis ad determinandam potestatem. Quod patet ex hoc, quod talis materia instrumentorum competit usui potestatis. Quæ ratio S. Thomæ est optima, cur instrumenta non sint materia causans Sacramentum, sed actio Pontificis. In qua nimirum actione, cùm ij, qui ordinantur, tangunt vasa, & per ea conjungunt se Pontifici, character imprimitur, non tam propter instrumenta, quæ traduntur, quàm propter ipsammet actionem Pontificis. Quippe etiam sine instrumentis porrigendo tantùm manum Pontifex, ut fit apud Græcos, & eos tangendo, illis utique potestatem communicaret.

Hac Pontificis actione, & extensione manus supposita pro materia, egregiè cuncta inter se conveniunt. Nam Ecclesia Græca omnes ordines æquè minores, atque majores per impositionem manuum confert. Et auctoritas septimi Concilij generalis huic ritui suffragatur. Romana Ecclesia itidem per impositionem, & ministerium manus eosdem confert. Addit autem instrumenta ad determinandam materiam, circa quam versantur ordines. Nam panem & vinum, quæ continentur in patina & calice, certum est non esse materias accipiendæ, sed exercendæ hujus potestatis in hujusmodi instrumentis. Illa enim sunt materia ex institutione Christi convenientis sacratissimæ Eucharistiæ. Africana verò Ecclesia partim imitata est Græcam, & solam manum in nonnullis ordinibus adhibet: partim Romanam in reliquis, & cum manu instrumenta consociat.

At enim negant illi Patres Africani, se imponere manus, cùm porrigunt instrumenta. Negant quidem hoc sensu, se solas manus imponere; unde quando dicunt, subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, nimirum intellige solam, patinam de Episcopi manu accipiat, scilicet per porrectionem, quæ Episcopi porrectio præter instrumenta, manus etiam actionem significat, & complectitur, & eadem plane est, quæ & impositio. Porrò Concilium septimum generale c. 14. in Ordinibus etiam minoribus mandat imponendas esse manus. Et per auctoritatem Concilij generalis, interpretanda sunt verba Concilij provincialis. Vel dicendum, Patres Africanos in hierarchicis ordinibus solam manus impositionem more Græcorum adhibuisse: patinam verò præbuisse subdiacono, non eo sensu quo præbet Romana Ecclesia sacris ordinibus instrumenta, quæ ut porrecta Pontificis actionem continent; sed simpliciter quatenus sunt merè instrumenta ab Ecclesia

instituta in ordinibus, qui non sunt de jure divino, qualis est secundum quosdam Doctores Scholasticos etiam Subdiaconatus.

Notandum autem est, quod S. Thomas 3. p. qu. 84. in Sacramento Ordinis manuum impositionem requirit tanquam de necessitate Sacramenti, idque ex institutione Christi. Quæ ejus loca, & verba diligenter ponderavimus, & notavimus in superiori capite. At idem Angelicus Doctor in supplemento q.37. a. 5. ubi quærit, utrum sacerdotalis character imprimatur in ipsa calicis porrectione; respondens in corpore articuli, impositionem manus, nimirum primam, quę antecedit porrectionem calicis, requirit tanquam præviam dispositionem ad recipiendum ordinem presbyteratus, ut etiam requirit benedictionem Pontificis, & unctionem. Episcopus, inquit, in collatione ordinum duo facit, præparat ordinandos ad ordinis susceptionem, & ordinis potestatem tradit. Præparat quidem & instruendo eos de proprio officio, & aliquid circa eos operando, ut idonei sint potestatem accipiendi. Quæ quidem operatio in tribus consistit, benedictione, manus impositione, & unctione: sed profectò istæ dispositiones non sunt de necessitate Sacramenti ex institutione Christi. Igitur ne dicamus Angelicum Doctorem non sibi constare, per impositionem manuum, quam asserit necessariam in 3. p. non potest intelligere primam, neque ultimam, quæ fit ad suscipiendam potestatem secundariam in corpus mysticum Christi. Igitur hanc mediam.

Huic porrectionem, & extensioni manus convenit effectus, quem assignat S. Thomas in supplemento loco proximè citato primæ impositioni manuum, nimirum plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia ministri sunt idonei, hoc est ad dispensanda divina mysteria. Et fortassis B. Thomas, si non fuisset morte præventos, ista milius explicasset. Non enim valdè inter se cohærent dicere, manus impositionem requiri de necessitate sacramenti ex institutione Christi, quod asserit in 3. p. & eandem manus impositionem non esse materiam sacramenti, sed dispositionem quandam ad suscipiendum ordinem, qualis est etiam benedictio Pontificis, & Unctio, quas dispositiones non esse necessarias, cuilibet manifestum est. Neque per dispositionem aliquam, & accidentalem cerimoniam datur plenitudo gratiæ, ut etiam non datur in sacramento Confirmationis, nisi per veram materiam, & formam: sed effectus sacramenti de quo agimus secundum Decretum Concilij Florentini est augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

Ut autem ita differerem, & hac ratione conciliarem antiquissimas Ecclesias Latinam & Græcam, id omne acceptum Angelicæ doctrinæ S. Thomæ est referendum.

Superest ut firmiora maneant, quæ in hoc capite disseruimus, ut ad nonnulla singularia descendamus. Sit itaque

Primum argumentum contra hanc sententiam. Concilium Florentinum materiam ait esse illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Ergo materia sunt instrumenta.

Respondeo, Concilium noluisse, nec debuisse more Scholasticorum loqui, ac distinguere materias, & terminos adhibere disceptantium; sed assignasse utramque materiam, & eam quæ causat potestatem, & eam quæ determinat, quando & hæ materiæ simul sunt conjunctæ. Unde cautè loquutum est, non enim simpliciter dixit, materia sunt instrumenta, ut solemus dicere, aqua est materia baptismi: sed addidit, per cujus traditionem confertur, Per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, per libri Evangeliorum dationem. Quo modo loquendi explicat actionem Pontificis consecrantis, ibique vim posuit in actione, quæ causat potestatem, & est de necessitate Sacramenti. Quod etiam magis clarum facit Concilium, cùm addit, & similiter de aliis ordinibus, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Nempe res quæ traduntur, & assignantur, non causant po-

testatem, sed ad ministeria pertinent, & ad exercendam potestatem referuntur; ipsa verò assignatio est, quæ causat.

Secundum argumentum. Gregorius Nonus dicit Sacramentum Ordinis, ubi prætermissa est manus impositio, non iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè omissum est. At si hæc extensio manus & actio Pontificis est impositio, profectò si hæc omitteretur, deberet Sacramentum non tantum suppleri, sed etiam iterari. Non enim valet forma, si sine materia enuncietur.

Respondeo Gregorium loqui de prima impositiono manus, ut in superiori capite probatum est, quæ est dispositio quædam ad ordines. Hæc si omittatur, non propterea Sacramentum iterari debet, sed ista manus impositio veluti res accidentalis supplenda est. Et in hac sententia (modò vera sit) quadam ex parte corrigendum est. Notandum illud quod ibi inseruimus, cùm primam manus impositionem tanquam necessariam defenderemus.

Similiter sententiam Dominici Soti, qui tenet impositionem manus esse cerimoniam accidentalem, castigandam esse aio, ob solam impositionem manuum, quam adhibent Græci, & Africani, ex auctoritate divinæ scripturæ, & per hanc extensionem manus Latinorum, quæ conjungitur cum instrumentis, & est eadem cum illa Græcorum.

Tertium argumentum. Pontificale Romanum in suis rubricis habet, Moneat (Episcopus) ordinandos, ut instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant: ergo instrumenta, sunt materia, si in iis character imprimitur.

Respondeo, bene monet Pontificale Episcopum, ut jubeat ordinandos tangere instrumenta. Si enim non tangerent, cùm illa sint conjuncta manui Episcopi, non tangerent Episcopum, per consequens non assequerentur potestatem; sed in illis, inquit, character imprimitur. Nempè tangendo illa, illa conjungunt se Pontifici, seu extensioni manus Pontificis, ratione cujus imprimitur character, & hac ratione assequuntur ordinem sacrum.

Quartum argumentum. Innocentius IV. in cap. presbyter de Sacramentis non iterandis, De ritu, inquit, Apostolico invenitur, quod manus imponebat ordinandis, & quod orationem fundebat super eos. Aliam autem formam non invenimus ab eis servatam. Unde credimus quòd nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret ordinatori dicere, sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba. Sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit. His verbis insinuat Pontifex mutatam esse materiam, & formam. Non igitur hodie in Ecclesia Romana confertur ordo per manus impositionem.

Respondeo primò. Innocentius quartus non loquitur ex Cathedra, sed antequàm esset Pontifex, privatus Doctor, composuit illa commentaria, quæ tamen hac ex parte plurimum favent Græcis. Deinde dico, Innocentium asserere factam esse aliquam mutationem, nimirum in eo quòd Apostoli solam manum imponerent; Ecclesia autem Romana una cum instrumentis eam imponat. Nam tempore Apostolorum primi Diaconi ordinati sunt per solam manus impositionem; cùm nondum essent scripta Evangelia. Unde Apostoli non poterant dicere, accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, sed aliis æquivalentibus verbis conferebant potestatem. Et per eandem solam impositionem impertiebant Apostoli Presbyteratum, immo & Episcopatum teste Paulo. Sed postmodum Ecclesia Romana ad officia eorum meliùs exprimenda, & determinanda, addidit instrumenta, quibus accommodavit & formas. Hoc sibi volunt Innocentij verba.

De forma hujus Sacramenti.

Caput VIII.

PHiladelphiensis locis citatis hanc esse formam tradit: τὸ εἶδός ἐστιν ἡ θεία χάρις, ἡ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τοῦ ἀρχιερέως ἐπὶ τὸν χειροτονούμενον κατερχομένη, καὶ τέλειον αὐτὸν ποιοῦσα ἱερέα. Forma est divina gratia, quæ per impositionem manus Pontificis in eum, qui

sacris initiatur, descendit, & perfectum ipsum creat sacerdotem.

Miror quomodo non dixerit Baptismi formam esse divinam gratiam: & hac ratione una erit, & eadem omnium sacramentorum forma. Nam in omnibus sacramentis divina gratia in eos descendit, qui ea suscipiunt, nisi obstaculum aliquod posuerint, & si posuerint, minimè descendit. Et tunc ex sententia Philadelphiensis non erit Sacerdos, qui obicem peccati posuerit, cùm ei defuerit gratia, quæ est forma. Quod idem dicas de baptizato, confirmato, contrahente matrimonium. Et deberent omnino hæc sacramenta iterari: & tamen sacramenta, quæ imprimunt characterem, nonnisi cum sacrilegio iterarentur. Præterea sacris initiatus secundum Philadelphiensem erit materia, ad quem descendit divina gratia, & quasi compositum quoddam ex tali forma, & materia inde orietur: sed fortassis voluit dicere, illa verba esse formam, ἡ θεία χάρις ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα. Certè clarius debuisset loqui, & se exprimere.

Igitur forma est hujusmodi enunciativa: ἡ θεία χάρις ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται τὸν δεῖνα τὸν εὐλαβέστατον ὑποδιάκονον, διάκονον. τὸν εὐλαβέστατον διάκονον, πρεσβύτερον. τὸν θεοφιλέστατον πρεσβύτερον, ἐπίσκοπον. Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat, seu promovet N. venerabilem Subdiaconum in Diaconum, venerabilem Diaconum in Presbyterum, Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum.

In ordinatione tamen Episcopi addunt hæc verba, si à Patriarcha ordinetur; ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν ἱερωτάτων μητροπολιτῶν, καὶ ἀρχιεπισκόπων καὶ ἐπισκόπων. Suffragio, & approbatione sacratissimorum Metropolitarum, Archiepiscoporum, & Episcoporum divina gratia creat, seu promovet per me scilicet, &c. Si verò Episcopus à Metropolita consecretur, dicitur ψήφῳ καὶ δοκιμασίᾳ τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, καὶ ὁσιωτάτων πρεσβυτέρων, suffragio, & approbatione Deo amabilissimorum Episcoporum, & piissimorum Presbyterorum divina gratia creat, Hoc modo loquendi imitari videntur Apostolos, qui in Actibus dicunt, visum est Spiritui sancto, & nobis; quamvis sensus sit, se quidem electionem facere, Deum autem per ipsos consecrare.

In ordinatione Diaconi, & Presbyteri similiter subintelligitur causa instrumentalis, hoc sensu, divina gratia creat per me N. Presbyterum. Sic enim habes in consequentibus precationibus: ὃν εὐδόκησας προχειρισθῆναι παρ' ἐμοῦ. Quem (tu Domine Deus) voluisti, ut à me promoveretur, seu crearetur Presbyter.

Et in Litaniis, ὑπὲρ τοῦ ἔργου τῶν χειρῶν αὐτοῦ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Pro opere manuum ejus (Pontificis consecrantis) Dominum deprecemur.

Hanc verò formam dum enunciat Pontifex consecrans, capiti ordinandorum manum imponit. Quæ sanè forma diversa fit ex diversitate eorum, qui sacris initiantur. Quippe unus eligitur, & promovetur in Sacerdotem, alter in Diaconum, alter in Episcopum. Et vel hoc unum minimum mutationis nominis, quod tamen non est minimum, sed amplissimum, satis est, ut varia censeri debeat forma.

Hanc eandem formam præstantissimus Theologorum Dionysius Areopagita ἱερὰν ἀνάρρησιν, sacram acclamationem & præconium appellat de Ecclesiastica Hierarchia c. 5. Est enim ἀνάρρησις, idem quod ἀναγόρευσις. Porrò ἀναγορεύειν βασιλέα, est renunciare, & creare Imperatorem, ut ἀνάρρησις creationem significet, quæ tamē cum fausta quadam acclamatione, & præconio fieri solet. Si quidem præconis instar Pontifex consecrans proclamat quali honore, ac dignitate Deus ornet Diaconum, presbyterum, Episcopum. Et eodem nomine ἀναρρήσεως Dionysius voculam illam comprehendit, ἄξιος, dignus quæ toties iteratur, dum Presbyterum circundant stola, & reliquo sacerdotali ornatu induunt. Quemadmodum contra cùm gradu sacerdotali aliquem privant, & eum sacris vestibus exuunt, dicunt ἀνάξιος. Id, quod de sanctissimo Ignatio Patriarcha Constantinopolitano tyrannicè deposito refert Niceta in ejus vita, quæ habetur in tertio tomo Conci-

liorum his verbis: μετὰ πολλὴν τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἅμιλλαν καὶ σπουδὴν καὶ τριβὴν κατ' οὐδένα δικαιοσύνης νόμον, μόνῃ δὲ τῇ ἐξουσίᾳ μανικῶς χρώμενοι, ἐνδύουσι τοῦτον ἱμάτια διερρωγότα, καὶ ῥυπῶντα, καὶ τὴν ἱερατικὴν στολὴν περιβαλόντες ἐκ τοῦ ὄπισθεν ἀπαμφιάζουσιν. ἦν δέ τις ἐκκήρυκτος ὑποδιάκονος Προκόπιος τοὔνομα, τὸν λόγον ἄλογος, τὸν βίον βέβηλος, ὃν ὁ πατριάρχης πρώην διὰ τοῦτο ἔρριψε τοῦ βαθμοῦ. οὗτος πρῶτος ἀναιρούμενος τὸ ὠμοφόριον, καὶ τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα, ἐβόα τό, ἀνάξιος. Post longam verborum altercationem, laborem, & cunctationem sola impotenti freti potentia, præter jus, fasque omne laceris, ac sordidis vestibus eum induunt, sacroque indumento Pontificum circumposito, rursus à tergo illum exuunt. Erat autem hypodiaconus quidam Procopius nomine ab Ecclesia ejectus, sermone ineptus, vita impurus, quem propterea Patriarcha non ita pridem gradu moverat. Hîc primus ablato à Patriarcha Pallio, vesteque reliqua sacra, illud solemne proclamabat, indignus. Sic ille.

Reddit autem rationem Dionysius in contemplatione, cur non alio modo loquendi utatur Pontifex, sed instar Præconis divinum favorem exclamet, nimirum dicens, Divina gratia, &c. τοῦ μυστηρίου δηλοῦντος, ὡς ὁ φιλόθεος ἱεροτελεστής, ἐκφαντορικός ἐστι τῆς θεαρχικῆς ἐκλογῆς, οὐκ αὐτὸς ἰδίᾳ χάριτι τοὺς τελουμένους ἐπὶ τὴν ἱερὰν ἄγων τελείωσιν. Mysterio, inquit, declarante, quòd Pontifex consecrator, cui Deus carus sit, interpres, & enarrator est divinæ electionis. Qui non sua gratia eos qui consecrantur ad sacerdotalem perfectionem (hoc est consecrationem) adducit.

Ubi notanda verba Doctoris, οὐκ αὐτὸς ἰδίᾳ χάριτι, non ipse propria gratia, quæ quasi per antithesim posita sunt: ἡ θεία χάρις, & οὐκ αὐτὸς ἰδίᾳ χάριτι. Tandem in fine capitis concludit: ὅτι τὸν ἱεράρχην οὐκ αὐτοκινήτως χρὴ τὰς ἱερατικὰς ποιεῖσθαι τελεσιουργίας, ἀλλ' ὑπὸ θεοῦ κινούμενον ταύτας ἱεραρχικῶς καὶ οὐρανίως τελεσιουργεῖν. Quòd divinus Pontifex non à seipso moveri debet ad conferendos sacros Ordines, sed eos exequi, ut decet Pontificem, ac more cœlestium Deo moventi, & auctori subjectus.

Neque enim, ut ipse alibi loquitur, ministrorum à ratione adversis cupiditatibus sapientissima divinitas quasi ministra obsequitur, sed Spiritu sancto agitati faciunt quicquid ex suo munere faciunt ministri.

Quòd totum exemplis declarat Dionysius. Quippe & Aaron ad dignitatem Pontificiam à Deo vocatus est. Et Christus Dominus, ut homo non sibi usurpavit honorem, sed Deus ad eum dixit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Quin & ipse Apostolis suis mandat, ut expectent promissionem Patris, & Spiritum sanctum. Et Apostolorum Princeps electionem Matthiæ Deo reliquit, ostende, inquiens, quem elegeris.

Neque tamen inferas, ergo Pontifex nihil efficit, sed tantùm declarat, & interpres est. Nam ut minister operatur, & ut ibidem Dionysius loquitur de Mose, τὴν ἱερατικὴν τελείωσιν ἱεραρχικῶς ἐτελεσιούργησε. Sacerdotalem consecrationem fratris Aaronis ut Pontifex exequutus est, sed ὑπὸ τῷ τελετάρχῃ θεῷ.

Quocirca cùm Græcorum Pontifices dicunt, divina gratia promovet, nihil aliud volunt indicare, quàm se non esse primarios auctores, quippe Deus ipse sit, sed puros ministros Deo sacrorum auctori, ac Principi subjectos, qui sanè quicquid ille jussit, exequuntur.

Item meritò commemoratur divina gratia. Non enim hoc est opus humanum, nec eò perveniunt vires mortalium. Quippe nemo etiam propria sua auctoritate arbitratuque se Sacerdotem constituit. Neque enim ut Reges creant proreges aliasque amplissimas potestates magistratuum, & Respublicæ potestatem habent creandi & ipsosmet Reges, Duces, ac Principes, sic etiam possunt creare Sacerdotes; sed opus est divina gratia & auctoritate, quæ in Episcopis tanquam ministris resideat.

Accipitur autem gratia hoc loco pro auctore gratiæ cum ipsamet gratia. Neque enim gratia per se operatur. Sic David Psalmo 58. Deus meus, misericordia ejus præveniet me. id est, Deus per misericor-

diam suam præveniet me. Psal. 87. Mane oratio mea præveniet te, hoc est, ego per orationem præveniam. Psal. 93. Misericordia tua Domine adjuvabat me. Nimirum tu per misericordiam tuam adjuvabas me. Estque in sacra Scriptura valdè usitatus hic modus loquendi. Immo & apud profanos auctores idem reperias. Homerus Odyss. θ. ὡς φάτο, γήθησεν δ' ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, hoc est ipse Alcinous. Et Odyss. ν. καὶ τότε κήρυκα προσέφη μένος Ἀλκινόοιο. Odyss. π. in fine, ὡς φάτο, μείδησεν δ' ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο, pro ipse Telemachus. Quæ phrasis aliquoties iteratur apud Homerum.

Ad hanc formam videtur mihi Nazianzenus allusisse in oratione Apologetica, dũ in Ecclesiasticos indignos invehitur his verbis: οἱ μηδὲν τῇ ἱερωσύνῃ προσενέγκαντες. ὁμοῦ τε μαθηταὶ καὶ διδάσκαλοι. πρὶν καθαρθῆναι καθαίρουσι. χθὲς τῶν ἁγίων ἔξω, καὶ σήμερον ἱερεῖς καὶ μυσταγωγοί. παλαιοὶ τὴν κακίαν, νέοι τὴν εὐσέβειαν. ὧν τὸ ἔργον χάριτος ἀνθρωπίνης, οὐ τῆς τοῦ πνεύματος. Qui nihil ad Sacerdotium contulerunt, simulq; discipuli & Doctores sunt. Priusquam purgati sint, purgant. Heri extra sancta erant, hodie Sacerdotes audiunt, & sacrorum antistites. Malitia inveterata, pietate extemporanea, quorum opus gratiæ humanæ est, non gratiæ Spiritus. Et in oratione quam habuit in laudem sui Patris, eandem formam innuere videtur, cùm ita scribit: νῦν δὲ κινδυνεύω τὰς δημοσίας ἀρχὰς εὐτακτοτέρας ὑπολαμβάνειν τῶν ἡμετέρων, αἷς ἡ θεία χάρις ἐπιφημίζεται. Nunc verò parum deest, quin existimem publicos magistratus præstantiore ordine nostris administrari, quibus divina gratia ἐπιφημίζεται. hoc est, veluti præconium acclamatur. Non autem, ut vertit Billius, superinvocatur. Quod sanè verbum notandum est. Idem enim est, ἐπιφημισμὸς, & ἀνάῤῥησις, Quo nomine vocat hanc formam Dionysius. Ad hanc formam respexit etiam Chrysostomus in oratione 4. de Sacerdotio, cùm scripsit: καὶ μάλιστα ὅτε πολλαὶ τούτων τῶν χειροτονιῶν οὐκ ἀπὸ τῆς θείας γίγνονται χάριτος, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων σπουδῆς. Præsertim quando & multæ harum ordinationum non à divina gratia, sed & ab humano fiunt studio.

Porro verbum προχειρίζεται, quod deligere, creare, promovere, instituere, seu constituere hoc loco significat, habetur in Actibus Apostolicis c. 22. ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν προεχειρίσατό σε γνῶναι τὸ θέλημα αὐτοῦ. Deus Patrum nostrorum delegit te (inquit Ananias ad Paulum) vel ut interpres vulgatæ editionis habet, præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus. Et cap. 26. εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην καὶ μάρτυρα ὧν εἶδες. Ad hoc (inquit Christus Paulo) apparui tibi, ut constituá te ministrum, & testem eorum quæ vidisti. Eodem planè sensu acceperunt hanc vocem Patres Concilij Nicæni Canone 10. ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατ' ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ. γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται. Quicunque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel etiam quamvis prius scirent ordinantes (eos scilicet esse lapsos.) hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ. Cogniti namque deponuntur.

Et in Epistola Synodica, quam scribunt ad Ecclesiam Alexandrinam, & Ægyptum colentes, iidem Patres testantur de Meletio schismatico mitiùs agentes se decrevisse, μένειν ἐν τῇ πόλει αὐτοῦ, καὶ μηδεμίαν ἐξουσίαν ἔχειν αὐτὸν, μήτε προχειρίζεσθαι, μήτε χειροθετεῖν. Ut in sua civitate remaneat, & nullam habeat potestatem vel promovendi, vel manus imponendi.

Eadem intelligentia usurpatur ista vox à Concilio septimo generali can. 14. κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τοὺς χωρεπισκόπους καθ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου δεῖ προχειρίζεσθαι ἀναγνώστας. Ex antiqua consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu Lectores creare oportet. Extat præterea oratio Chrysostomi, cujus titulus est, ὅτε πρεσβύτερος προεχειρίσθη, hoc est, quam ipse Chrysostomus habuit, cùm sacris esset initiatus, & Presbyter creatus. Initium orationis est, ἆρα ἀληθῆ τὰ συμβάντα περὶ ἡμᾶς;

Idem verbum adhibet Clemens in exponendis sacris Ordinibus, & Ignatius Martyr in epistola ad Ephesios: σπουδάσατε

ἀγαπητοὶ ὑποτάγηναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς διακόνοις. ὁ γὰρ τούτοις ὑποτασσόμενος, ὑπακούει Χριστῷ τῷ προχειρισαμένῳ αὐτούς. Enitimini chariſſimi ſubjecti eſse Epiſcopo, & Preſbyteris, & Diaconis. Qui enim his obedit, obedit Chriſto, qui hos conſtituit. Aliique non pauci auctores Eccleſiaſtici, cùm de hoc argumento diſserunt, adeò frequenter hoc vocabulo utuntur, ut hoc verbo nihil ſit uſitatius.

Simeon Theſsalonicenſis ſingillatim explicat totam hanc formam, dum agit de Diacono his verbis: τοῦ διακόνου κεκραγότος τὸ, πρόσχωμεν, ὁ ἀρχιερεὺς ἐκφωνεῖ, ἡ θεία χάρις, τῆς τριάδος εἶναι κοινὸν μαρτυρῶν τὴν δωρεὰν, καὶ ταύτην ἐπικαλούμενος. καὶ ἐπάγει, ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα. ταπεινοὶ γὰρ ἡμεῖς, καὶ λίαν ἀσθενεῖς, καὶ μάλιστα πρὸς τοιαῦτα τοῦ θεοῦ ἔργα. διὸ καὶ ἡ θεραπεία τῶν ἀσθενῶν ἡμῶν παρ' αὐτῆς. αὕτη γὰρ παρέχει τὴν δύναμιν. καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσά φησιν, οὐ γὰρ ἡμεῖς ἀφ' ἑαυτῶν τι κεκτήμεθα, ἢ ἰσχύομεν, ἀλλ' αὐτὴ ἡ τοῦ θεοῦ χάρις, ἡ πάντα ἰσχύουσά τε καὶ νέμουσα, ἃ περ ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν. ἡ καὶ ἀναπληροῦσα τὸ ἐλλειπὲς ἐν ἡμῖν. προχειρίζεται, ἤτοι προβάλλεται, καθιστᾷ, τελειοποιεῖ. ἅμα τῷ λόγῳ καὶ τὸ χάρισμα δίδοται. οὐδὲ γὰρ χρόνου χρεία τῇ παντοδυνάμῳ, καὶ αὐτοτελεῖ δυνάμει. τὸν δεῖνα καὶ τὸ ὄνομα λέγει, ἵνα τοῦτο γραφῇ ἄνω, καὶ γνώριμος ὑπάρχῃ ἀγγέλοις τε καὶ ἀνθρώποις, ἐπεὶ καὶ θεοῦ καθίσταται λειτουργός. τὸν εὐλαβέστατον ὑποδιάκονον τιμᾷ καὶ τὸ πρότερον χάρισμα, καὶ τὸν ἔχοντα ὡς θεοῦ ὑπηρέτην, ὡς θεοῦ χάριν ἔχοντα, καὶ ἐν Χριστῷ ἐνεργοῦντα. διάκονον δὲ εἰπὼν, καὶ τὸ χάρισμα δίδωσιν ὁ χειροτονῶν, καὶ ὁ χειροτονούμενος τὴν διακονίαν ἔλαβε τῷ λόγῳ τοῦ ἱεράρχου εὐθύς. καὶ ἐνεργὴς ἐστι τῷ παναγίῳ καὶ θείῳ πνεύματι. ὅτι καὶ αὐτὸς οὐχ ὡς ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἱεράρχης λέγει μετὰ τῆς χάριτος. καὶ τὴν χάριν ἐπεκαλέσατο. καὶ ἡ χάρις ἐνεργεῖ, ὅτι καὶ ἐνεργὴς ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. καὶ πάντοτε ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα. τότε μὲν οὖν εὐθὺς ἀπὸ ὑποδιακόνου εἰς τὸ διάκονος εἶναι γέγονεν. Diacono clamante, attendamus, Pontifex pronunciat, Divina gratia. Quibus verbis & eam Trinitati communem eſse teſtatur, & ipſam implorat. Deinde ſubjungit, quæ ſemper infirma ſanat. Quippe nos humiles, ac valde infirmi ſumus, præſertim ad hujuſmodi Dei munera præſtanda. Idcirco & curationem ipſa nobis infirmis adhibet, ipſa nimirum præbet vires. Et quæ deſunt, inquit, ſupplet. Non enim nos á nobiſmet ipſis aliquid comparamus, aut poſsumus, ſed ipſa Dei gratia, quæ omnia poteſt, omnia præſtat, quæ nos minimè habemus, quæ item ſupplet, quæ deſunt in nobis. προχειρίζεται, hoc eſt, deſignat, creat, conſtituit, conſecrat, ſeu conſecratione perficit. Unà cum verbo ſimul donum datur. Neque enim potentiæ omnipotenti ſuaptè natura perfectiſſimæ opus eſt tempore. Talem N. etiam nomen profert, ut illud ſcribatur in cœlis, & notus fiat Angelis, & hominibus, quandoquidem & Dei conſtituitur Miniſter. Reverendum Subdiaconum, his verbis honorat tum antiquum munus, tum eo munere præditum tanquam Dei Miniſtrum, denique gratiam poſſidentem, & in Chriſto ad agendum efficacem. Porrò cùm dicit, Diaconum, & officium conſecrans tribuit, & qui conſecratur unà cum verbo Pontificis continuò miniſterium accipit, ſanctiſſimoque ac divino Spiritu ad operandum potens evadit. Siquidem & ipſe conſecrans non ut homo, ſed ut Pontifex unà cum gratia ea verba profert, & gratiam invocat, ipſaque gratia operatur. Nam & verbum Dei efficax eſt, & omnia operatur unus, & idem Spiritus. Tum igitur ſtatim à Subdiacono factus eſt Diaconus. Hactenus Simeon, certè non ineleganter.

Hæc forma quoad ſenſum eadem eſt cum Latina, neque enim verba, ſed rem opinor ſpectari oportere. Sanè quidem idem eſt dicere, accipe poteſtatem ſacrificandi, ac dicere, Divina gratia conſecrat talem per me in preſbyterum; ad quid enim creatur preſbyter, niſi ut ſacrificium offerat?

Hoc etiam amplius continet, & exprimit forma Græca, quod non habet Latina. Quippe quæ totalis eſſe videtur, & latius patet; Latina verò magis ſtricta, & partialis ob eamque cauſam Latini ad poteſtatem illam duplicem in verum & myſticū Chriſti corpus tradendam, adhuc aliam materiam & formam partiales addunt. Græci verò hac unica forma ambas poteſtates tradunt. Licet enim non fiat clara mentio ha-

rum potestatum, iisdemque fere verbis, quibus utuntur Latini ad eas tradendas, ac declarandas, fit tamen æquivalentibus. Idem enim est dicere, creatur venerabilis talis N. presbyter, ac dicere consecratur, ad obeundas omnes functiones, quæ ad Presbyterum spectant. Non tantum scilicet ad sacrificium offerendum, verùm etiam, si opus fuerit, ad reconciliandos pœnitentes, cæteraque Sacramenta administranda.

Illud autem quod necessariò huic sequi videtur, notandum est. Nimirum unum tantùm imprimi characterem. Quę est probabilior Theologorum sententia. Qui enim duplicem imprimi characterem affirmant, ex divisione potestatum illud probabiliter conjectarunt. At meliùs alij, qui etiam si dividantur potestates, & seorsim tradantur, nihilominus in virtute unius dari alteram existimant. Quod idem ipsum usus Græcorum magis comprobat, cùm unica tantùm forma totum illud efficiat.

Literæ igitur, quibus constituunt Græci more Latinorum Confessarios, quasque vocant ἐνταλτηριώδη γράμματα, id est, jussorias, sive præscriptitias literas, quibus nimirum præscribunt Confessario, ubi, quomodo, & quid agere debeat; Nihil aliud quàm executionem ordinis in se continent, non autem ipsam collationem potestatis. Quod quidem constat tum ex usu Orientalis Ecclesię, quæ nullam orationem super confessarios eo tempore solet recitare; tum ex ipsis literis, in quibus habentur hæc verba: τοὺς λαχόντας τῆς πνευματικῆς πατρότητος δεῖν ἐφοδιάζεσθαι ἐνταλτηριώδεσι
» γράμμασι. Quòd scilicet eos, qui ut sint pa-
» tres spirituales sortiti sunt (ubi fiunt ver-
» ba quasi de re præterita) oportet munitos
» esse præscriptitiis literis. Et illa: ἡ ἡμετέρα ταπεινότης δωρεῖται, καὶ εὐεργετεῖ αὐτὸν τὸ τῆς πνευ-
» ματικῆς πατρότητος λειτούργημα. Nostra hu-
» militas largitur, & instar beneficij confert,
» ei paternitatis spiritualis ministerium. Observanda est illa vox λειτούργημα, quæ ad actum magis, quàm ad habitum spectare videtur. Præterquam quòd etiam hanc facultatem absentibus per literas quandoque concedere solent. Item novi antistites eandem facultatem confessariis à prædecessoribus suis concessam, per similes literas confirmant aliquando, ac exhibent, ut inde clarè appareat, non esse collationem aliquam sacri ordinis; Alioquin non eam iterarent.

Has verò literas sub quadam forma, & tenore conscribi solitas, de industria hîc inserere operæ pretium duxi, quòd eæ in Rituali Græco minimè contineantur. Neque ita facilè, ac passim apud omnes inveniuntur. Licet liberum sit Episcopis etiam sub quacumque alia forma, quam volunt, easdem literas exarare: Νόμος οὗτος παλαιὸς καὶ καλῶς ἔχων, τοὺς λαχόντας τῆς πνευματικῆς πατρότητος δεῖ ἐφοδιάζεσθαι ἐνταλτηριώδεσι γράμμασιν. ἐπεὶ τοίνυν ὁ ὁσιώτατος ὁ δεῖνα συμμαρτυρεῖται παρὰ πολλῶν ἀξιοπίστων ἀνδρῶν ἄξιος εἶναι, καὶ ἡμεῖς αὐτὸν ἀκριβῶς ἐξετάσαντες εὕρομεν ἄξιον. τούτου χάριν διὰ τὴν αὐτοῦ καλοκἀγαθίαν τε καὶ εὐλάβειαν, ὡς εὐσεβεῖ καὶ σπουδαίῳ ἀνδρὶ κατὰ πάντα ἡ ἡμετέρα ταπεινότης δωρεῖται αὐτῷ, καὶ εὐεργετεῖ τὸ τῆς πνευματικῆς πατρότητος λειτούργημα. ὅστις κατὰ πάντα τόπον τὸν ὑφ' ἡμᾶς, καὶ ὅπου δ' ἂν τύχῃ μετὰ γνώμης μέντοι τῶν τῆς ἐκκλησίας προεστώτων τόδε τὸ λειτούργημα διοικείτω. καὶ ἐνδίδομεν αὐτῷ ἀνακρίνειν καὶ ἐρευνᾶν τοὺς λογισμοὺς τῶν προσερχομένων αὐτῷ, καὶ τὰ ἐν βάθει τούτων διανοήματα, καὶ τὰς πράξεις καταμανθάνει. ἐφ' ᾧ τὰς μὲν ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας, ὡς οἷόν τε σπεύδειν ἰᾶν, καὶ τέλεον ἀνακόπτειν. τὰ δὲ τέλη καὶ ἐνεργήματα εὐθύνειν κανονικῶς. πρὸς τὰς ἕξεις μέντοι καὶ διαθέσεις καὶ τὰς δυνάμεις τῶν προσερχομένων αὐτῷ καὶ ποιότητας ὀφείλει ἀναλόγως μεταρρυθμίζεσθαι, καὶ γίνεσθαι τοῖς πᾶσι τὰ πάντα. νῦν μὲν ἐπιτείνων, νῦν δὲ ἀνιείς, καὶ τοῖς αὐστηροτέροις χρώμενος τῶν φαρμάκων, καὶ τὸ γλυκάζον συγκεραννύς. ἄλλοτε ἐλέγχων καὶ ἐπιτιμῶν, ἄλλοτε πάλιν παρακαλῶν, νουθετῶν, καὶ παντὶ τρόπῳ τὰ πρὸς σωτηρίαν τῶν ἀνακειμένων αὐτῷ ψυχῶν διοικονομούμενος. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ δήσει μὲν ἐν τοῖς ὑπ' αὐτόν, ἃ δεῖ δεθῆναι, καὶ λύσει δὲ αὖθις τὰ λύσεως ἄξια. καὶ τοὺς τοῦ τῇδε βίου μεθισταμένους σὺν ἀφέσει τῶν ἐπταισμένων εἰς τὰ ἐκεῖσε παραπέμψει δικαιωτήρια. τούτου χάριν ἐγεγόνει τὸ παρὸν ἡμέτερον ἐνταλτηριῶδες γράμμα, καὶ ἐπεδόθη τῷ εἰρημένῳ ὁσιωτάτῳ ἐν ἱερεῦσι, καὶ πνευματικῷ δεῖνι ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητῷ υἱῷ τῆς ἡμῶν ταπεινότητος. Vetus «
hæc lex est optimè lata, & constitura, «
scilicet eos, qui ut sint Patres spirituales «
sortiti sunt, præscriptitiis literis oporte- «

re munitos, & instructos esse. Quandoquidem itaque religiosissimum N. simul multi viri fide digni, dignum esse testantur, & nos eum diligenter examinantes dignum invenimus. Hac de causa ob ejus eximiam bonitatem, ac pietatem veluti pio, & in omnibus virtute prædito viro nostra humilitas largitur ei, & gratificatur munus audiendi confessiones. Qui quidem in omni loco, qui subest nobis, & ubicumque fuerit, cum facultate tamen, & voluntate præsulum Ecclesiæ hoc munus subeat. Et concedimus ei dijudicare & investigare ad eum accedentium animi sensa, & profundas cogitationes, & actiones intelligere, ita ut principia, & causas, quantum fieri potest, sistere, ac penitus extirpare, fines verò, & operationes canonicè dirigere studeat. Attamen ad habitus, & dispositiones, & facultates, & qualitates ad eum accedentium pro cujusque captu debet se se accommodare, fierique omnibus omnia, nunc quidem retinendo, nunc verò remittendo, & austerioribus medicamentis utendo, & dulcedinem immiscendo, rursus verò adhortando, instruendo, & omni ratione animabus sibi commissis quæ ad salutem spectant administrando. Propterea & ligabit quidem in iis, qui ejus potestati subjecti sunt, quæ oportet ligari, & rursus soluet, quæ sunt digna solutione. Et eos qui ad alteram vitam migrant, cum remissione delictorum ad justa judicia quæ ibi sunt, remittet. Hac de causa præsentes nostræ præscriptitiæ literæ scriptæ sunt, & prædicto religiosissimo sacerdoti ac spirituali Patri N. in Sancto spiritu dilecto filio nostræ humilitatis datæ.

Similem fere formam literarum, & quidem Patriarchalium reperi postea in sexto libro Juris orientalis. Titulus est, ἔνταλμα εἰς τὸ γενέσθαι πατέρα πνευματικόν, mandatum ad patrem spiritualem constituendum.

Quæ cùm ita sint, neque apud Græcos passim presbyteri vocentur πνευματικοὶ, patres spirituales, hoc est Confessarij, satis mirari non possum, cur Rutheni, qui religionem Græcorum profitentur, voluntque illis in omnibus, quàm maximè fieri possit, pares videri, ac similes, non etiam eadem servent cum ipsis; sed omnes passim eorum presbyteri, quàm primùm initiati fuerint sacris, hoc ipso fiant & Confessarij, nulla impetrata ab Episcopo facultate. Et quidem cum amplissima potestate. Neque enim vllum sibi reservatum casum habet Episcopus. Atque hoc posterius etiam Græcis vitio vertitur. Nisi forte hac ex parte aliquis eos excuset, quòd juxta præscripta sanctorum Patrum ac veterum Canonum satisfactiones pœnitentibus imponant.

Post formam commemoratam sequitur in Euchologio: εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus. Unde quæri potest. Cùm per impositionem manuum adhibita forma, qui consecratur, consequatur characterem, & divinam gratiam, quid est quòd rursus rogant, ut in eum descendat gratia Spiritus sancti?

Respondeo primò non esse insolitum, & alienum à modo loquendi scripturæ, ut qui beneficium aliquod acceperit, denuo illud idem precibus obtinere contendat, quasi non acceperit. Vel ut animi affectum ostendat, qui præ nimia lætitia vix credat se accepisse; vel ut firmius istud donum possideat. Sic Propheta Regius Psalm. 4. Cùm invocarem, inquit, exaudisti me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti me: continuò subjungit, miserere mei, & exaudi me.

Deinde rogant, ut non solùm initiatus suscipiat Sacramentum, sed etiam virtutem Sacramenti. Quippe contingere potest ut quis adepto charactere, divinam gratiam minimè nanciscatur.

Adde quòd non desunt Scholastici, qui existimant alio tempore in presbyteratu imprimi characterem, alio conferri gratiam, ita B. Thomas in 4. d. 25. qu. 1. a. 1. tum etiam Scotus, & Gabriel d. 24.

Postremò rogant, ut in majori copia cœlestem gratiam assequatur.

Hæc de ordinatione Sacerdotum in Ecclesia orientali, quòd attinet ad potestatem in corpus Christi, tum verum, tum mysticum. Et eadem inserviunt Diaconis,

& Episcopis modo superius explicato. Restat ut dicamus breviter aliquid de forma Subdiaconi, & Lectoris.

In subdiaconatu nulla talis est forma, sed deprecatoria, in qua fit mentio diversorum graduum Ecclesiasticorum, & charismatum, inter quæ annumeratur subdiaconatus, item variorum ministeriorum ad Subdiaconum spectantium.

Munera hypodiaconi sic describit Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis: φυλάσσει μὲν (ὁ ὑποδιάκονος) τὰς πύλας τὰς ἱερὰς, ἵνα μή τις τῶν ἀναξίων ἔνδον εἰσέλθη τοῦ βήματος. ἅπτεται δὲ τῶν ἱερῶν σκευῶν, καὶ εὐκόσμως αὐτὰ κατατίθησιν εἰς τὸ τοὺς ἱερεῖς προσενέγκαι τὰ δῶρα εὑρηκότας ἡτοιμασμένα. καὶ ἐν τῇ μεγίστῃ δὲ εἰσόδῳ ταῦτα ὑποδεχόμενος ὁ διάκονος, τὰ περιττεύοντα λέγω τῶν ἱερῶν σκευῶν, περιφυλάξαι τοῖς ὑπηρέταις δίδωσιν. οὐ γὰρ ἅπτεσθαι θέμις τούτων ἄλλοις τῶν ὑποδεεστέρων. τοὺς κατηχουμένους τε ἐξωθεῖ κατὰ καιρὸν, ὅτε φησιν ὁ διάκονος, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε. καὶ ἐν ταῖς λιτανείαις τὸν σταυρὸν οὗτος κατέχων προπορεύεται. ἀλλὰ καὶ τὴν ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ λυχνίαν, καὶ τρικήριον τοῦ βήματος καὶ τὰ φῶτα οἱ ὑποδιάκονοι εὐτρεπίζουσι. διὸ καὶ μετὰ τοὺς διακόνους πρὸ τῶν ἱερῶν πυλῶν ἐν πάσῃ ἱερουργίᾳ, ὅτε χρὴ ὑπηρετεῖν τῷ ἀρχιερεῖ, προσέρχονται οὗτοι, καὶ τῶν μυστηρίων κοινωνοῦσι. καὶ τὰ μὲν τῶν ὑποδιακόνων, ἤτοι ὑπηρετῶν οὕτως. Custodit quidem (hypodiaconus) sacras fores, ne quis indignus sanctuarium ingrediatur. Tangit verò sacra vasa, & ea decenter disponit, ut cùm Sacerdotes dona offerre voluerint, parata inveniant. In ipsa quoque maxima donorum introductione vasa quæ supersunt, Diaconus suscipiens, custodienda Subdiaconis tradit. Neque enim fas est èa tangere inferioribus ministris. Item quo tempore Diaconus enunciat, Catechumeni egredimini, Subdiaconus eos expellit. Et in litaniis crucem Subdiaconus gestans alios antecedit, sed & in sacra mensa candelabrum, & tricerium altaris, & lumina ipsi hypodiaconi rectè administrant; quocirca & post Diaconos ante sacras fores in omni sacrificio, sacraque cerimonia, cùm opus est ad ministrandum Pontifici Subdiaconi accedunt. Tandem mysteriorum Eucharistiæ participes fiunt. Et officia quidem hypodiaconorum, hoc est ministrorum, sic se habent. Ita Simeon. Qui quod ait Subdiaconos, τὰ ἱερὰ σκεύη, solitos esse tangere, per σκεύη, non intelligit calicem, & patinam, sed reliquum ornatum. Alioquin videretur esse contra Concilium Laodicenum can. 21. quod non adeo me moveret, cùm oppositum sanciat Concilium 4. Carthaginense; Nisi etiam esset contra praxim Ecclesiæ Orientalis, quæ non permittit Subdiacono ea tractare. Igitur Thessalonicensis per sacra vasa, non calicem sacrum & patinam, sed reliquam supellectilem sacram intelligit, ut sunt eorum operimenta, indumenta sacerdotalia, Cruces, tricerium, hoc est tricandelabrum, thuribulum, & id generis. Neque enim in majori ingressu Diaconus calicem, vel patinam Subdiacono servanda porrigit, quæ quidem sacrificio potissimum eo tempore inserviunt.

Quòd autem attinet ad fores, quas observant Subdiaconi Græci, extant Canones 22. & 23. Concilij Laodiceni hujusmodi: οὐ δεῖ ὑπηρέτην τὰς θύρας ἐγκαταλιμπάνειν. Non oportet ministrum fores relinquere. &, οὐ δεῖ ὑπηρέτας κἂν βραχὺ τὰς θύρας ἐγκαταλίπειν, καὶ τῇ εὐχῇ σχολάζειν. Non oportet ministros vel exiguo tempore foribus neglectis orationi vacare.

Ubi per ὑπηρέτην Armenopulus meritò Subdiaconum interpretatur. Nam in eodem Concilio can. 24. post Diaconos statim ponuntur ὑπηρέται. Deinde Lectores, tandem Ostiarij tanquam diversi à ministris. Unde notare possumus tempore Concilij Laodiceni hypodiaconos, ut modò etiam fit apud Græcos, in custodiendis foribus sanctuarij occupatos fuisse. Ostiarios verò primos aditus vestibulaque templi observasse. Quod Christiana florente religione jam olim cessavit.

Dionysius Areopagita Diaconorum hoc fuisse munus asserere videtur. Sic enim scribit de Eccl. hier. cap. 5. διὸ καὶ ταῖς ἱεραῖς αὐτὴν (τὴν λειτουργικὴν διακόσμησιν) ἐφίστησι πύλαις ἡ ἱεραρχικὴ θεσμοθεσία. Quare sanctis januis eum (ordinem Ministrorum) præficit Pontificij juris institutum. Ubi per ordinem ministrorum, Diaconorum intel-

ligere videtur Dionysius. Neque enim alios ordines præter Episcopatum, presbyteratum, & Diaconatum, qui sunt ordines, per excellentiam sacri, explicat Dionysius, & passim diaconum λειτουργὸν appellat in suis scriptis. Unde S. Maximus Confessor interpres Dionysij loco citato hujusmodi addit: σχόλιον. σημείωσαι ὅτι οἱ διάκονοι τότε τὰς θύρας εἶχον, νῦν δὲ οἱ ὑποδιάκονοι. Nota quòd tunc Diaconi fores custodiebant; nunc verò Subdiaconi. Mihi non videntur hæc dici ad mentem Dionysij. Nam, ut paulò pòst ostendam, Dionysius in c. 3. de Ecclesi. hier. recenset varios ordines ministrorum, alios quidem qui versentur intra sanctuarium, alios verò in foribus. Unde hos postremos bene possumus intelligere esse hypodiaconos. Qui propterea tempore sacrificij non in sanctuario, sed extra suum munus obibant, quòd non essent promoti ad ordinem subdiaconatus intra sanctuarium. Cùm tamen Diaconus, presbyter, & Episcopus sacram aram circumdent, ejus angulos ter deosculentur, in eaque fronte inhæreant, dum sacris initiantur. Certè non aliam ob causam, nisi quia ministeria eorum circa sacrum Altare versantur, ad quod Subdiaconi, & inferiores ministri minimè incumbunt. Hæc de ministeriis hypodiaconorum.

In ordine Lectoris similiter forma est deprecatoria, quam suprà in tertio capite descripsimus.

Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis præter lectionem divinæ scripturæ, quam Lector recitare solet, & cujus fit mentio in oratione consecratoria, hæc alia officia & munera Lectoris recenset: εἰς τὸ βῆμα χωρῶν, ὡς τοῦ βήματος ὑπηρέτης ἀνάπτει φῶτα, καὶ πῦρ προσάγει τῷ ἱερεῖ, καὶ προπορεύεται λαμπαδηφορῶν τῶν ἁγίων, καὶ τὰς προσφορὰς καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ ζέον φέρει αὐτῷ. εἰς εὐκοσμεῖ τὰ τοῦ ναοῦ. καὶ τὰ ἄλλα ὑπηρετεῖ, καὶ τοὺς θείους προλέγει τοῖς ψάλλουσιν ὕμνους, ἤτοι κανοναρχεῖ. καὶ ἁπλῶς ὑπηρέτης τῶν θείων ἐστὶν ἐν τῷ ναῷ. Sanctuarium ingrediens, quippe illius loci minister, accendit lumina, & ignem affert sacerdoti, sanctisque mysteriis antecedit lampadem gerens, panes etiam propositionis, quos vocant oblationes, & aquam, & vasculum, in quo fervet aqua, ipsi defert. Recteque ordinat, & ornat quę sunt templi, cæteraque administrat; divinos item prærecitat Cantoribus hymnos, videlicet munus agit Canonarchæ, ut in summa rerum sacrarum in templo administer est. Sic ille.

Videtur Simeon Lectori attribuere munus Acholuthi. Et quoniam hypodiaconus etiam in sanctuario accendit lumina, & in oratione consecratoria Subdiaconi fit mentio hujus muneris, Simeon videtur distinguere lumina, & Subdiacono assignare candelabrum sacræ mensæ, & tricerium. Lectori verò præter nonnulla lumina sanctuarij, & alia discrimina, hoc etiam adscribere, quòd præeat sacerdoti celebranti cereum accensum gestans. Quod est proprium Acoluthi. Hinc autem manifestè apparet, Græcos diversorum ordinum munia uni attribuisse, & duos minores ordines, vel etiam tres conjunxisse.

Κανονάρχης dicitur is, qui incipit canonem alta voce verbatim recitare, Cantores subsequendo eundem canunt. Quid autem sit Canon in hac materia, reperies à nobis explicatum in libro quinto, secundo capite, ubi agitur de extrema Unctione.

Primam verò tonsuram passim, pueris & infantibus Græci adhibent, vel cùm baptizantur, vel post octo dies à Baptismate. In qua sunt duæ orationes, & hujusmodi forma: κείρεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Tondetur (in præsenti tempore, quemadmodum & in forma baptismi) servus Dei N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed puto abusum esse. Nam & Lectorem cùm ordinant, eadem plane forma verborum priùs tondent. Quo circa vel illa prima tonsura baptismi, vel hæc posterior supervacua est; cùm eam semel contulisse satis sit. Quamvis ego priorem illam rejiciendam esse putarem; tum quia in antiquis Euchologiis manuscriptis, ubi agitur de baptismo, non reperitur; tum etiam quòd à presbytero conferatur. Cùm convenientius esse videatur, ut Episcopus, qui ordines confert, eam etiam impertiri debeat. Et fortassis hoc etiam voluit, at-

que innuit Concilium septimum generale can. 14. ὁρῶμεν ἐκτὸς χειροθεσίας νηπιόθεν τὴν κουρὰν τοῦ κλήρου λαμβάνοντάς τινας, μήπω δὲ παρ᾽ ἐπισκόπου χειροθεσίαν λαβόντας, καὶ ἀναγινώσκοντας ἐν τῇ συνάξει ἐπ᾽ ἄμβωνος, ἀκανονίστως τοῦτο ποιοῦντας. Videmus nonnullos, qui ab infantia cleri tonsuram sine manuum impositione accipiunt, & nondum ab Episcopo accepta manus impositione, dum peragitur synaxis in ambone legunt, non canonicè id facientes. Neque omnia ministeria, quæ hodie Lector exercet in Ecclesia Græca, commemorantur in oratione consecratoria, sed præter lectionem divinorum eloquiorum, quam enunciare debeat Lector, hæc alia Simeon addit Lectoris munia: ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ βῆμα χωρῶν, ὡς τοῦ βήματος ὑπηρέτης, ἀνάπτει φῶτα, καὶ πῦρ προσάγει τῷ ἱερεῖ, καὶ προπορεύεται λαμπαδηφορῶν τῶν ἁγίων, καὶ τὰς προσφορὰς, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ ζέον φέρει αὐτῷ, καὶ εὐκοσμεῖ τὰ τοῦ ναοῦ, καὶ τὰ ἄλλα ὑπηρετεῖ, καὶ τοὺς θείους προλέγει τοῖς ψάλλουσιν ὕμνους, ἤτοι κανοναρχεῖ. καὶ ἁπλᾶς ὑπηρέτης τῶν θείων ἐστὶν ἐν τῷ ναῷ. Verùm, inquit, & sanctuarium ingrediens, ut illius minister, accendit lumina, & ignem defert sacerdoti, & præit sanctis mysteriis lampadem gerens, & oblationes (hoc est panes, quos vocant propositionis) & aquam & vasculum, ubi aqua feruet, ipsi affert, recteque ordinat quæ sunt templi, & cætera ministrat. Item sacros hymnos prærecitat cantoribus, hoc est, munus agit canonarchæ, & ut summatim dicam, rerum divinarum in templo minister est, (hoc est ad cultum divinum spectantium.) Hinc autem manifestè apparet, Græcos ministeria diversorum ordinum uni attribuisse, & duos minores ordines conjunxisse. Κανονάρχης dicitur is, qui incipit Canonem alta voce verbatim recitare, cantores subsequendo eundem canunt. Quid autem sit Canon in hac materia, reperies à nobis explicatum in libro quinto, secundo capite, ubi agitur de extrema Unctione.

De aliis minoribus Ordinibus.

CAPUT IX.

TRes minores ordines apud Græcos hodie non sunt adeo distincti, ut apud Latinos, sed munus Acoluthi ex sententia Simeonis exercetur à Lectore, functio Janitoris à Subdiacono, & secundum alios idem subdiaconus Acholuthi munus etiam implet. Exorcistæ ordo penitus sublatus est. Illius nunc munere Sacerdos fungitur, ut etiam fit apud Latinos.

Videntur mihi Græci existimasse (idque ante schisma tetrum) minores ordines non esse de jure divino, hoc est, à Christo Domino institutos, proinde non esse Sacramenta, potuisse vel non distingui, vel desiisse esse ordines, ut etiam cessarunt nonnulli alij.

At enim hoc ipsum meliùs explicandum est, sint de jure divino, necne.

Communis est antiquorum Theologorum Scholasticorum sententia, S. Thomæ, Bonaventuræ, Ricardi, Paludani, & aliorum multorum in 4. d. 24. minores ordines esse Sacramenta. Quæ illorum opinio his rationibus probari solet.

Prima, quia quæ sunt juris divini quæque à sola Dei voluntate pendent, esse talia sciri non possunt, nisi aliquo fundamento nitantur, quod nobis constet vel per divinam Scripturam, vel veterum Patrum scripta, & communem consensum, seu etiam traditionem. Cùm igitur perantiqua in Ecclesia Dei horum ordinum mentio fiat, non leve indicium est, eos esse de jure divino.

Dionysius de Eccles. Hierarchia cap. 3. non quidem recenset singillatim minores ordines, ita tamen loquitur, ut omnino significet præter Diaconos fuisse alios, atque alios ministros, quos ipse appellat λειτουργοὺς, simpliciter ministros; & quoniam hoc eodem nomine vocantur etiam à Dionysio Diaconi, quòd hi famulentur circa Eucharistiam, ad differentiam illorum Diaconos nuncupat λειτουργοὺς ἐκκρίτους,

ministros

miniſtros ſelectos, ac præcipuos, eorumque munus ait verſari in ſanctuario, reliquorum nimirum extra ſanctuarium. Sic igitur habet: τῶν λειτουργῶν οἱ μὲν ἑστῶσι παρὰ τὰς τοῦ ἱεροῦ πύλας συγκεκλεισμένας, οἱ δὲ ἄλλο τι τῶν τῆς οἰκείας τάξεως ἐνεργοῦσιν, οἱ δὲ τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι σὺν τοῖς ἱερεῦσιν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον. Miniſtrorum ſiquidem pro clauſis templi foribus adſtant (per fores clauſas ſanctuarij portas intelligit. Hæ nempe clauduntur, & Subdiaconi ſolent eas cuſtodire.) Hi verò aliquid aliud eorum, quæ ſunt proprij ordinis, agunt. In adminiſtratorio verò ordine qui ſunt præcipui, unà cum ſacerdotibus ſanctum panem, & benedictionis poculum ſacroſanctis imponunt altaribus.

S. Maximus Confeſſor, & Pachymeres interpretes, per ſimplices miniſtros intelligunt hypodiaconos. Sed cùm Dionyſius varia munera eorum eſſe dicat, cùm hypodiaconos, tum cæteros, quos alij Patres commemorant, jure optimo intelligere poſſumus. Quo circa ponderanda ſunt illa verba, οἰκείας τάξεως, quaſi diverſus uniuſcujuſque ſit ordo ab eorum ordine, qui pro foribus ſanctuarij adſtant. Sed & S. Maximus & Pachymeres per hypodiaconos fortaſſis reliquos omnes miniſtros intelligunt, qui quod non ſint Diaconi, ſub Diacono eſſe dicuntur. Ignatius Martyr in fine Epiſtolæ ad Antiochenos: ἀσπάζομαι τὸ ἱερὸν πρεσβυτέριον, ἀσπάζομαι τοὺς ἱεροὺς διακόνους, ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωροὺς, τοὺς κοπιῶντας, ἐπορκιστὰς, ὁμολογητάς. Saluto ſanctum preſbyterium, ſaluto ſacros Diaconos, ſaluto ſubdiaconos, lectores, cantores, oſtiarios, laborantes, exorciſtas, confeſſores. Epiphanius in compendiaria vera doctrina, quæ eſt poſt hæreſim 80. aliquantulum ante finem, varios recenſet ordines, Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & addit: μετὰ ταύτην τὴν ἱερωσύνην λοιπὸν ἀναγνωστῶν τάγμα. Poſt hoc ſacerdotium reliquus eſt ordo lectorum, qui poſſunt eſſe virgines, ſolitarij, continentes, vidui, uxorati, & ſi opus fuerit, mortua prima uxore, bigami: εἶθ' ἑξῆς τούτων ἐπορκισταὶ, καὶ ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν, &c. λοιπὸν δὲ καὶ κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων, καὶ θυρωροὶ, καὶ ἡ πᾶσα εὐταξία. Deinceps, inquit, poſt hos, exorciſtæ, & interpretes linguarum &c. conſequenter laboratores, qui corpora dormientium componunt, & Janitores, totaque boni ordinis diſciplina. Concilium Laodicenum can. 24. οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων, καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐπορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. Non oportet ſacris officiis deditos à preſbyteris uſque ad Diaconos, ac deinceps Eccleſiaſtici ordinis uſque ad miniſtros, ſeu lectores, ſeu cantores, aut oſtiarios, ſeu etiam eos, qui ſunt ordinis aſcetarum (hoc eſt, monachorum in rerum divinarum meditatione ſe exercentium) cauponam ingredi.

S. Cornelius Romanus Pontifex in Epiſtola ad Fabium Antiochenum, quæ eſt apud Euſebium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 43. ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαρακοντα ἕξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ. ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα. ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα. Is ergo, qui Evangelium vindicabat, neſciebat in Eccleſia unum catholica Epiſcopũ eſſe debere? ubi videbat eſſe preſbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptẽ, Subdiaconos ſeptem, Acoluthos quadraginta duos, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duo. S. Cyprianus l. 2. Epiſtola 8. à principio mentionem facit Acoluthi. Cum diligentia & dilectione feciſti, frater chariſſime (ſcribit ad Cornelium Papam) feſtinatò ad nos mittendo Nicephorum Acoluthum. Et in fine Epiſtolæ 10. ad eundem. Exemplaria eadem nunc quoque per Meſſium hypodiaconum, & Nicephorum Acoluthum tranſmiſi. Ejuſdem mentionem facit Synodus Romana ſub Sylveſtro c. 9. & Concilium quartum Carthaginenſe c. 6 omitto commemorare poſteriores, qui eoſdem ordines enumerant, quos etiam hodie Romana Eccleſia in uſu habet.

Ex his autem videtur negari non posse, quin ab initio fermè nascentis Ecclesiæ, aut omnes, aut fere omnes hi extiterint ordines, qui modò etiam in Ecclesia Romana perseverant.

Secunda ratio, quia si minores ordines non essent Sacramenta, sed officia ab Ecclesia designata, sequeretur non tantùm esse quatuor ordines minores, sed longè plures. Cùm Ecclesia multos alios ordines instituerit, ut est ordo cantoris, laboratoris, seu fossarij, Archidiaconi, Archipresbyteri, Chorepiscopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinalis.

Postremò, quia si non essent Sacramenta, non haberent materiam & formam, nec imprimerent characterem, & repeti possent: sed non iterantur.

Aliis Theologis non ignobilibus probabilior sententia visa est, non esse Sacramenta. Illorum rationes breuiter referam.

Prima, quia in veteri Ecclesia, & à temporibus Apostolorum non semper iidem ordines extiterunt. Nam Ignatius & Epiphanius locis citatis inter alios enumerant laboratores, quos Græci vocant κοπιῶντας, & κοπιατάς, Latini fossarios, quòd in sepeliendis mortuis laborarent, & fossas pararent, quæ illos caperent. Hos autem fuisse in aliquo ordine constitutos, auctor est Epistola ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum tomo 9. quæ est 13. Nam in primo capite titulus est, de primo gradu Ecclesiæ, quem declarat esse fossariorum. Primus igitur, inquit, in clericis fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti sepelire mortuos admonentur. Hos Epiphanius inter alios ordines, & ante Janitores nominat; deinde subjungit, & tota boni ordinis disciplina, ut manifestè appareat, eos ad ordinem Ecclesiasticum pertinuisse. Quippe humare corpora in templo ad Ecclesiasticos spectare videtur. Hos etiam Basilius & Chrysostomus in suis liturgiis distinguunt à reliqua plebe, quæ sacro interest, & eos ante cantores nominant.

Deinde antiquitus Cantores erant in aliquo Ecclesiastico ordine, ut constat ex Clemente libro 3. Constitutionum cap. 11. ubi ait: οὐκ ἐπιτρέπομεν πρεσβυτέροις χειροτονεῖν διακόνους, ἢ διακονίσσας, ἢ ἀναγνώστας, ἢ ὑπηρέτας, ἢ ᾠδοὺς, ἢ πυλωρεὺς, ἀλλὰ μόνοις τοῖς ἐπισκόποις. Non permittimus Presbyteris ordinare Diaconos, Diaconissas, lectores, aut ministros, aut cantores, aut janitores, sed solis Episcopis. Subdit autem rationem: αὕτη γάρ ἐστι τάξις ἐκκλησιαστικὴ καὶ ἁρμονία. Hic est enim ordo, & harmonia Ecclesiastica.

Præterea in canone 26. Apostolorum hominibus, qui ad clerum ἄγαμοι accesserunt, negatur facultas post ordinationem ducendi uxorem, conceditur nominatim lectoribus atque cantoribus. At si cantores non pertinebant ad clerum, non erat opus, eos inter ordines Ecclesiasticos numerare, neque concedere facultatem, quam laici sine venia passim habent; sed satis fuisset dicere, lectoribus, & clericis. Concilium quartum Carthaginense cap. 10. præscribit quidem quandam formam verborum, qua ordinabatur cantor, sed quæ fiebat à Presbytero, contra quam præcipiat Clemens; unde apparet, ordinem Cantorum eo tempore sublatum fuisse. Non enim est ordo, quem non confert Episcopus. Et Græci ipsi hunc ordinem consociarunt cum ordine lectorum. Quare titulus est in Euchologio: ἐπὶ χειροτονίᾳ ἀναγνώστου, καὶ ψάλτου. Cùm igitur isti ordines cessaverint, quis dubitet, eos sola constitutione Ecclesiastica, quæ variari potest, non autem divina, quæ semper manet, institutos fuisse?

Tertiò, antiqui Patres, qui prope tempora Apostolorum floruerunt, Acoluthi nullam prorsus mentionem faciunt. Clemens, Ignatius, Epiphanius. Immò Isidorus libro 2. de Ecclesiasticis officiis, & auctor illius Epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum, qui ex instituto de omnibus ordinibus differunt, de Acolutho nihil habent. Aiunt quidem nonnulli Ignatium in Epistola ad Antiochenos sub finem commemorare istud nominis. Sed ibi Ignatius de suis Diaconis loquitur. Salutant vos, inquit, Philon & Agathopus Diaconi, οἱ συνακόλουθοί μου. Mei comites, seu socij, qui me insequuntur.

Adde quòd tempore Concilij quarti Carthag. Acoluthus ordinabatur accepta materia non ab Episcopo, sed ab Archidiacono, quod videtur esse manifestè contra modum administrandi Sacramentum divino jure institutum. Quippe minister sufficienter exprimere debet actionem suam; quam non exprimit, si unus infundat aquam, alius dicat, ego te baptizo, ut est observatum in omnibus aliis Sacramentis, excepto Sacramento pœnitentiæ.

Quartò, de exorcista non ordinando extat Apostolica constitutio apud Clementem lib. 8. cap. 26. ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται. Negat enim Clemens hunc esse ordinem, (nempe Ecclesiasticum ab Episcopo factum) sed gratiam gratis datam ad ejiciendos dæmones. Et subdit rationem: εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος θεοῦ. Hoc enim munus spontaneæ est divinæ benevolentiæ, & gratiæ erga homines. Hoc est, hoc donum solus Deus impertit cui vult, & quando vult. Hæc autem gratia primùm fuit apud Judæos Act. 19. deinde fuit communicata Apostolis Lucæ 10. tum denique communicata omnibus Christianis Marci vltimo. In nomine meo dæmonia ejicient. Quòd quidem fuisse commune Christianis affirmat Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone: καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου Ἰησοῦν κύριον ἡμῶν τὰ δαιμόνια πάντα, καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν. Et nunc quidem nobis in crucifixum sub Pontio Pilato Jesum Dominum nostrum credentibus, dæmonia cuncta, malignique spiritus obediunt, & subjiciuntur, cùm eos exorcizamus. Idem refert in Apologia pro Christianis, & idem testatur Tertullianus de corona Militis libro ad Scapulam, Apologia contra Gentes cap. 23. Lactantius lib. 2. c. 19. libro 24. cap. 27. & alij, & hoc est quod voluit, & intellexit Clemens Romanus. Sed deinde defervescente calore Christianorum cœpit Dominus subtrahere hanc potestatem, & Ecclesia constituit ordinem, qui expelleret dæmonia. Ideoque Concilium Antiochenum can. 10. tribuit facultatem Chorepiscopis, hoc est, suffraganeis ordinandi exorcistas. Et postea Concilium Laodicenum can. 26. statuit, μὴ δεῖν ἐπορκίζειν τοὺς μὴ προαχθέντας ὑπὸ ἐπισκόπων. Prohibet enim Concilium eos fungi hoc munere, qui ab Episcopis ad tale munus obeundum, non sunt provecti. Cùm itaque iste ordo à principio non fuerit de jure divino, neque Ecclesiastico, non est mirum, si auctor illius Epistolæ ad Rusticum Narbonensem, qui de industria & consultu recenset ordines, hunc penitus omiserit.

Dices, Antiquiores Patres, quos suprà citavimus, exorcistam commemorare & inter alios ordines recensere.

Respondeo, eos non aliter exorcistam commemorare, atque faciunt Diaconissam, & Confessorem, qui coram tyranno fidem Christi profitetur. Quem tamen non habere vllum ordinem satis nobis constat ex Clemente libro 8. Const. cap. 24. quia confiteri fidem, voluntatis est, & tolerantiæ, γνώμης ἐστὶ καὶ ὑπομονῆς.

Quintò, quia si essent minores ordines à Christo Domino instituti, nemo posset eos conferre, præter Episcopum, qui etiam alios confert. Sed Concilium septimum Generale can. 14. facultatem præbet Abbatibus ordinandi Lectorem in proprio monasterio. Igitur signum est, hunc ordinem institutum fuisse ab Ecclesia: quamvis enim ordinare Lectorem soli Episcopo conveniat secundum Clementem, quia tamen hoc non est de jure divino, potuit eadem Ecclesia dare postea potestatem Abbatibus Lectorem ordinandi.

Postremò, Socrates libro 5. tripartitæ hist. cap. 22. varias recenset fuisse in usu consuetudines in diversis Provinciis, & Ecclesiis sine detrimento fidei. Inter eas refert, eo tempore Alexandriæ in more positum fuisse, ut Lectores & ὑποβολεῖς indifferenter ex fidelibus & Catechumenis fierent: ἐν τῇ αὐτῇ δὲ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς διάφοροι, εἴτε κατηχούμενοί εἰσιν, εἴτε πιστοί. Et subdit: τῶν πανταχοῦ ἐκκλησιῶν, πιστοὺς εἰς τὸ τάγμα τοῦτο προβαλλομένων. Cùm omnes Ecclesiæ in hunc ordinem fideles promoveant. Non igitur Lectoris ordo, Catechumenis col-

latus, erat divinus & Sacramentum, cùm baptiſmus janua ſit cæterorum Sacramentorum. ὑποβολεὺς dicitur is, qui ſupponit, & ſuggerit, qualis eſt apud Græcos κανονάρχης, qui præit legendo, quæ cantores illius vocem ſubſequendo canunt. Lectorum autem & Canonarchorum unus & idem erat ordo, propterea hiſtoricus ait, εἰς τὸ τάγμα τοῦτο. Et Simeon Theſſalonicenſis κανονάρχην Lectori conſociat.

Ex his autem patet ſolutio ad primum argumentum contrariæ opinionis. Non enim Patres antiqui in aſſignandis minoribus ordinibus variarent, ſi eſſent de jure divino.

At non iterantur. Verùm dicendum eſt, id provenire, non ex eo quòd imprimant characterem; etenim ſi non ſunt Sacramentum, nullum imprimere poſſunt: ſed quia non eſt in uſu, ut iterentur, præſertim cùm & exercitium illorum jam diu ceſſaverit, & nulla cauſa ſit, quæ jure ſuo exigat, ut rurſus debeant fieri. Adde quòd munus eorum multi exequuntur in multis Eccleſiis, qui carent prorſus talibus ordinibus. Immò verò quidam canunt Epiſt. ſuam, cũ minimè ſint Subdiaconi. Poſtremò non eſt certum indicium, eos imprimere characterem, ex eo quòd non iterantur. Nam conſecratio Eccleſiæ. & calicis, benedictio etiam Eccleſiæ, veſtium ſacrarum, & matrimonij non iteratur, & tamen non imprimit characterem.

Quòd etiam, ſi eſſent ab Eccleſia conſtituti, eſſent longè plures ordines, cùm multas alias dignitates & officia Eccleſia introduxerit, non ſequitur. Non enim illæ dignitates aſſumunt ſibi aliquem gradum, & munus obeundum intra Eccleſiam ab Epiſcopo collatum: ſed ad juriſdictionem ſpectant, & quæ nullum officium habent neque proximè, neque remotè ad conſecrationem Euchariſtiæ, cùm minores ordines habeant ſaltem remotè, & ad diſponendum populum.

Poſtremò, quòd habeant materiam & formam, hoc nihil refert. Nam etiam cantor, qui modò nullo eſt ordine inſignitus, olim exhibito libro inſtar materiæ, ſub certa quadam forma verborum, quæ in Concilio quarto Carthaginenſi cap. 10. præſcribitur, à preſbytero ordinabatur. Itaque Eccleſia, quę hos ordines inſtituit, ad imitationem majorum ordinum, etiam eorum materias & formas aſſignavit.

Sed contra ea, quæ diximus, videtur eſſe Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 2. horum enim quatuor ordinum, quos nunc habemus, nomina, ab ipſo Eccleſiæ initio, & uniuſcujuſque propria miniſteria extitiſſe, affirmat.

Reſpondet Gabriel Vaſquez, Concilium non intelligere hos ordines ſemper fuiſſe diſtinctos, ſed eorum miniſteria in Eccleſia fuiſſe, & nomina etiam in uſu fuiſſe. Nam exorciſtæ meminerunt Clemens & Ignatius. Acoluthi etiam Ignatius mentionem fecit, quamvis diaconos ſuos hoc nomine compellarit. Cyprianus verò & Cornelius Acoluthum ut ordinem quidem diſtinctum nominant: etſi poſt Chriſtum ducentis quinquaginta annis floruerunt.

Quòd autem mens Concilij Tridentini non fuerit declarare hos ordines eſſe Sacramenta, manifeſtè colligitur ex canone 6. ubi ſolùm damnat eos, qui dixerint, non eſſe in Eccleſia Dei hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Preſbyteris, & miniſtris. Optimè autem ſalvatur Concilium, ſi quis per miniſtros diaconos intelligat, & interpretetur. Nec tamen ſine cauſa uſum eſt Concilium communi nomine miniſtrorũ; quod poteſt & ſolis Diaconis & cæteris ordinibus accõmodari. Quia, cùm videret rem hanc in opinione poſitam, nihil decernere voluit.

Sed rurſus inſtabis. Concilium Florentinum in Decreto pro Armeniis, loquendo de Sacramento Ordinis, annumerat etiam minores: ubi enim dixit, eſſe ſextum Sacramentum, & aſſignavit materiam, continuò ponit exempla de ordine Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, & addit, idem de aliis ordinibus intelligendum. Et Concilium Tridentinum loco citato ſeſſ. 23. cap. 2. ſeptem ordines numerat, & poſtea cap. 3. abſolutè ordinem Sacramentum eſſe dicit.

Reſpondeo, Concilium Florentinum

non dicit minores ordines esse Sacramentum: enumerat verò illos, quia solent priùs adhiberi, & quod attinet ad materiam, habent quandam analogiam cum majoribus & sacris ordinibus, qui sunt Sacramentum. Concilium verò Tridentinum ob eandem causam numerat priùs septem, postea vocat ordinem Sacramentum; quòd in eo contineantur veri ordines, qui sunt Sacramentum, ut Presbyteratus, & Diaconatus &c.

Sed adhuc una res officit Græcis, quòd ipsi in ordinatione Lectoris manus imponunt, idque ex Concilio septimo generali, can. 14. quod esse signum videtur, hunc minorem ordinem esse Sacramentum.

Respondeo, Græcos usos fuisse in minoribus ordinibus pro materia impositione manus ad imitationem majorum ordinum, & deinde in fine actionis instrumento aliquo, quod non videtur esse materia, cùm exhibeatur in fine sine vlla forma consecratoria; esse tamen alterius ordinis impositionem, quæ non necessariò conferat gratiam. Nam etiam Diaconissam per manus impositionem Deo consecrant, ut constat ex Concilio quarto can. 16. & Trullano can. 14. & tamen illa cerimonia nullus ordo in Ecclesia constituitur.

Hanc sententiam, & quidem non excluso etiam Subdiaconatu, docere videtur Magister in 4. d. 24. cap. septimus ordo, in fine, ubi agnoscit in primitiva Ecclesia fuisse Episcopos, Presbyteros, & Levitas ab Apostolis consecratos: Subdiaconos verò, inquit, & Acoluthos procedente tempore, Ecclesia sibi constituit. Nota verbum (constituit.) Et eodem modo loquitur Breviarium Romanum de Caio Pontifice ac martyre. Constituit, inquit, ut his ordinum, & honorum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur, ostiarij, lectoris, exorcistæ, acoluthi, subdiaconi, diaconi, presbyteri. Ergo ante hanc constitutionem non eodem modo ascendebatur. Alioqui non erat cur institutio fieret. Gratianus in suo Decreto dist. 21. videtur pro hac opinione facere, qui verba Magistri transcripsit. Ex Scholasticis de Subdiaconatu, & minoribus ordinibus ita senserunt, Durandus in 4. d. 24. q. 2. Caietanus tomo primo opusculorum, tractatu 11. quod probabile sentit esse Franciscus Victoria, Summa de Sacramentis, quæsito 2. de Sacramento Ordinis. Martinus de Ayala libro de traditionibus Apostolicis parte 2 cap. de ordine §. Synodus. D. Sylvestri. De minoribus verò tantùm ordinibus id asserunt Michaël Medina libro 1. de continentia, cap. 46. Navarrus in Summa c. 22. numero 18. §. quare probabis. Sotus in 4. d. 24. q. 1. a. 4. conclusione 7. & §. ad argumenta Durandi. Qui etiam affirmare non dubitat, sibi persuasum habere, si S. Thomas in summa Theologiæ ad hunc locum pervenisset, in contraria opinione, quam in 4. d. 24. tradidit, non utique permansurum fuisse. Gabriel Vasquez in 3. tomo, super 3. p. disput. 237. c. 2. qui fusè ac diligenter id tractat.

Hanc sententiam maximi momenti testimonia suadent. In primis Canon 10. Concilij Sardicensis, qui sic habet: ἐάν τις πλούσιος ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι, μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου, καὶ διακόνου καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ, ἵνα καθ' ἕκαστον βαθμὸν, ἐάνπερ ἄξιος νομισθείη, εἰς τὴν ἀψίδα τῆς ἐπισκοπῆς κατὰ προκοπὴν διαβῆναι δυνηθείη. Si quis dives, vel è foro Scholasticus Episcopus fieri voluerit, non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit; ut in uno quoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere.

Deinde praxis Ecclesiæ aliquando id in usu habuit. Nam Chrysostomus (ut est videre apud auctores, qui ejus præclara gesta referunt, & eum laudibus efferunt, Palladium, Georgium Patriarcham Alexandrinum, Simeonem Metaphrastem, Leonem Imperatorem, & quendam Anonymum) primò constitutus est Lector à Zenone Episcopo Tyri, seu Maiumæ, in Ecclesia Antiochena: Ζήνων ἐπίσκοπος ἐξ Ἱεροσολύμων ἐπανήκων, ἀναγνώστην τε τῷ λαῷ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ἀντιοχέων τὸν Ἰωάννην καθίστησι. Fortè accepta facultate ab Episcopo illius Ecclesiæ. Deinde ordinatur Diaconus à

Meletio magni nominis Confessore. Tandem quòd Meletius in urbe Regia Constantinopolitana spiritum Deo reddidisset, à Flaviano ejus successore presbyter creatus est, anno Domini 397.

Non dissimiliter S. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, primò ordinatur Lector, deinde Diaconus, postea sacerdos, ultimò Episcopus Constantinopolitanus, ut habetur apud Simeonem Metaphrastem circa annum Domini 550.

S. Cæsarius Episcopus Arelatensis tondetur in Clericum à S. Sylvestro Episcopo Cabilonensi, postea fit monachus, deinde ab Episcopo Eonio Arelatensi ordinatur Diaconus, & successivè Presbyter, Abbas postea, & tandem mortuo Eonio, Episcopus Arelatensis constituitur.

S. Joannes Episcopus Cabilonensis primùm fit Lector, sic minister altaris, idque ab infantia. Deinde processu temporis Archidiaconus, postea secundi ordinis sacerdos. Cùm autem S. Patiens, & Euphronius Cabilonum profecti essent, ut in locum Pauli Junioris diem functi alium Episcopum sufficerent, (Patienti enim Episcopo, ut Metropolitano Lugdunensi incumbebat onus illud) S. Joannem virum honestate, humilitate, mansuetudine insignem, stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam sibi consecravere. an. 470. Totum hoc refert S. Sidonius Apollinaris Episcopus Arvernorum Epistola 25. libri quarti. Vide ibi religiosissimum & doctissimum virum Societatis Jesu, Patrem Sirmondum, qui egregiè commentatur illum auctorem.

Quòd autem intelligat per secundi ordinis Sacerdotem, ipsum Presbyterum, facilè sciri potest ex Optato Milevitano, qui
» in libro primo ait; Quid commemorem
» laïcos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt
» dignitate suffulti? quid ministros pluri-
» mos? quid Diaconos in tertio, quid Pres-
» byteros in secundo sacerdotio constitutos?
» Ipsi apices, & principes omnium aliqui
» Episcopi. Consequitur sanctus Optatus
» quòd & multi laïci, & ministri plurimi (hoc est Lectores, sic enim vocat sanctum Joannem Sidonius testimonio supra allato.) insuper & Diaconi, & Presbyteri, & tandem aliqui Episcopi, qui primi & majores sacerdotes appellantur, tradiderint gentilibus divinos codices Evangeliorum. Qui propterea vocantur traditores. Hæc itaque exempla per omnia concordant cum Canone Sardicensi.

Neque tamen in eo Canone sine mysterio loquitur Hosius Cordubensis. Si quis, «
inquiens, dives vel Scholasticus è foro «
rogaverit fieri Episcopus, priùs exequuntor «
munus Lectoris, &c. Nam non semper cum aliis, qui aliquod specimen dederant sanctitatis, adeo stricte servabatur illud Hosij, cùm aliquando, & sine lectoratu & subdiaconatu ordinaverint. Sic S. Autonomus Episcopus in Italia, profectus Nicomediam, fugiens persequutionem Diocletiani, hospitem suum Cornelium quendam ornat dignitate Diaconatus: quem deinde cùm animadvertisset, multos adduxisse ad fidem Christianam, provehit ad gradum presbyteratus. Tandem promovet ad dignitatem Episcopalem 209.

Eodem planè modo, imò & eadem die Pappus Episcopus Cytriæ ordinat S. Epiphanium Diaconum, Presbyterum, & Episcopum. Cùm alioquin prius Epiphanius, ut illud onus effugeret, vera fatendo clamaret, se non esse clericum. Et satis fuit Pappo ad admittendum eum in clerum, contulisse illi, qui erat insignis Monachus, eos tantum ordines. Intelligo autem S. Epiphanium Episcopum Constantiæ in Regno Cypri, magnum virum.

Quin & ipse Epiphanius fratrem S. Hieronymi Paulinianum comprehensum, & ore compresso, ne repugnaret, presbyterum consecravit. Ita S. Cyprianus judicio Dei & plebis favore ad officium Sacerdotij & Episcopatus gradum nulla interposita mora, adhuc neophytus, & ut putabatur novellus electus est. Teste Pontio ejus Diacono, apud Surium tomo V. Ita S. Augustinus raptus ad presbyterij gradum flens consecratur à Valerio in Hipponensi Ecclesia. Possidonius in ejus vita. an. 390. Ita Pinianus, ut Presbyter crearetur Hipponæ

contentio tumultuosa extitit, ipsique Augustino negotij sanè multum, molestiæque concivit. Ita Maximum Palatinum sacerdotio civicus amor (ut Sidonius loquitur) illigavit. Ita S. Paulinus Episcopus Nolanus per vim inflammatæ subito plebis ab Episcopo Lampio sacratus est.

Ut autem exhibent modo Græcorum antistites Ecclesiasticos ordines, ita planè in utraque Ecclesia factum esse, multo plura exempla evidenter probant.

S. Ennodius Episcopus Ticinensis in vita S. Epiphanij ejusdem Episcopi civitatis, narrat Epiphanium sub Crispino integerrimo Pontifice suo decessore cœlestis militiæ tyrocinium sortitum esse, cùm esset annorum ferme octo, Lectoris, inquit, Ecclesiastici suscipit officium. Talis jam ad decimum-octavum ætatis pervenit annum. De Subdiaconatu subdit: in quo secundo à Levitis numero dedicatus, id est, Subdiaconi ordine, nihil amplius quàm biennio commoratus est. Brevi post ad Diaconij evectus est infulas. Talis in Diaconatu à vicesimo incipiens octo annos explevit. Desiderabatur in eo sacerdotium tandem post mortem Crispini, addit Ennodius: finitimarum civitatum junguntur studia, & attrahitur tanta collectio, acsi initiandus esset totius orbis Episcopus: ducitur Mediolanum, consecratur cum omni celebritate cunctorum. Sic ibi. Circa annum 466. Non ergo S. Epiphanius suscepit alios ordines, præter quàm eos, quos modò conferunt Græci.

S. Cyprianum, non illum Afrum, sed Antiochenum, cujus festum celebramus unà cum sancta Justina, Anthimus Antiochenus baptizat, & octavo die sacrum facit eum præconem, & expositorem Christi mysteriorum (hoc est, Lectorem) vicesimo autem Subdiaconum, tricesimo verò refert in numerum Diaconorum, transacto anno fit Presbyter. Parvo tempore summum virtutis apprehendit, & creatus est pastor Antiochenorum an. 290. Nota, quod Metaphrastes eumdem esse existimavit, hunc, & illum Afrum, deceptus auctoritate Nazianzeni, sed longè alius est. Proinde loco Carthaginensium, posuimus Antiochenorum.

S. Marcellus Episcopus Parisiensis primò Lector efficitur, deinde Subdiaconus, postea Episcopus. Ita Fortunatus in ejus vita. Sed existimandus est Diaconatum, & sacerdotium suscepisse. an. 320.

S. Bervuardus Episcopus Hildesiensis, seu Hildesemensis, ab Osdago Episcopo Exorcista ordinatur. Deinde à Villegiso Archiepiscopo Subdiaconatus gradum adeptus est. Idem Archiepiscopus Diaconum eum sacravit. Interjectoque non longo spatio Presbyterij eum honore sublimavit. Osdago decedente, votis omnium ad Episcopatum eligitur. anno 980.

Nota Exorcistam eundem esse atque Lectorem, ut constabit infra ex Syricio.

S. Albertus Monachus cùm non nisi Acolythus fuisset, à Burcardo Cameracensi Episcopo Subdiaconus & Diaconus, postea Presbyter ordinatur. anno Dom. 1100.

S. Theodoretus Siceorum Archimandrita, ut refert Gregorius Presbyter in ejus vita, à Theodosio Anastasiopolitano Episcopo Lector declaratur tonsa coma capitis, postridie verò Subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum instituit. Ecce, inquiens, Dei munere, omnes cleri ordines consequutus es. Postea à Paulo Archiepiscopo Ancyræ ordinatur Episcopus Anastasiopolitanus. anno 580.

S. Austregesilus Archiepiscopus Bituricensis à D. Aunario Episcopo Antisiodorensi decisa cæsarie factus est Clericus, & ordinatus Subdiaconus. Deinde ab Æthereo Episcopo Lugdunensi amicissimo suo Presbyter ordinatus est, atque Abbas B. Nicetij Episcopi, & Confessoris. Tandem mortuo Bituricensi Episcopo Apollinari, in ejus locum suffectus est. anno 600.

Ipse quoque S. Syricius Pontifex, qui circa annum Domini 385. certa statuerat intervalla, per quæ sensim ad sacræ militiæ ordines ascenderetur, quique vehementer incubuerat, ut morem pravum elideret, quo laïci homines, aut etiam Neophyti populi studio raptim in sacerdotes consecrabantur, ut propterea S. Paulinum ab Episcopo Lampio in Presbyterum sacratum noluerit benignè excipere, sed illius congressum vitaverit; is, inquam,

in Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, de ordinibus ita loquitur. Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequiis à sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari. Deinde dicit, si ad tricesimum ætatis annum laudabiliter vixerit, Acolythus & Subdiaconus esse debebit. Ubi conjungit ista officia, nec addit alia Exorcistarum & Janitorum; ex quo constat solitum fuisse conferri acolythatum cum subdiaconatu. Pergit Pontifex: post quæ ad Diaconij gradum accedat, ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congruè Presbyrium consequatur. Deinde Syricius ponit aliud genus hominum, cui adscribit sub distinctione munus Lectoris, aut Exorcistæ. Qui verò jam ætate grandævus ex laïco ad sacram militiam pervenire festinat, desiderij sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo, quo baptizatur tempore, statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur. Ita loquitur, quasi unum ex his sumere satis esset, aut alterum contineretur in altero, ut qui esset Lector, esset etiam Exorcista, aut non eidem personæ utrumque conferendum esset. Deinde subdit: post biennium Acolythus & Subdiaconus fiat. Utrumque conjungit, & sic ad Diaconatum provehatur. Exinde jam accessu temporum Presbyteratum, vel Episcopatum, si eum cleri ac plebis evocarit electio, non immeritò sortietur.

Similia refert postea Zosimus (anno 417.) Epist. 1. ad Hesychium Salonitanum. Nisi quòd, ubi Syricius connectit Acolythatum & Subdiaconatum, ipse sub distinctione loquitur. Neque tamen indicat dari utrumque; sed ut inter Lectores, sive Exorcistas per quinquennium manere, ita Acolythus, vel Subdiaconus quatuor annos explere debet. Deinde fieri Diaconus quinque annis, tandem presbyter. Porro æquè Syricius atque Zosimus primum gradum ordinum Lectoratum agnoscunt.

Elias Cretensis, certè non indoctus Scholiastes Nazianzeni, in Orat. 19. sic habet:
» Per sacerdotum vocabulum reliquos etiam
» sacros ordines complecti mihi videtur, nimirum Lectorum, Subdiaconorum, & Diaconorum. Ex quibus etsi Lectorum ordo altaris non est, ut qui nihil in eo ex his omnibus, quæ Subdiaconi, & Diaconi efficiunt, operari queat; tamen sacer est, ut qui consecrationis symbolum susceperit.

Hæc testimonia protulit multæ lectionis vir, & in antiquorum scriptis versatissimus, integerrimus præsul Zacynthius Raphael Inviciatus, qui modò in alma urbe Romana summo Pontifici Urbano 8. carus, munere Præceptoris Hospitalis S. Spiritus excellenti claritate meritò fungitur.

Sed non desunt alia quoque Patrum testimonia ad stabiliendam consuetudinem & usum Græcorum. Qui sanè in primis probatur luculento testimonio Jo. Damasceni in Dialogo contra Manichæos, ubi ad eos confutandos, qui ponebant duo principia, alterum boni, alterum mali, diligenter investigat varium significatum hujus vocis principij, atque ad exprimendam unam ex cæteris notionibus ponit hoc exemplum: ἀρχὴ καὶ κατὰ τάξιν, ὡς πρῶτον τὸ τοῦ ἀναγνώστου ἀξίωμα, εἶτα ὑποδιάκονος, εἶτα διάκονος, καὶ οὕτως πρεσβύτερος, καὶ οὕτως ἐπίσκοπος. Principium est «
etiam secundùm ordinem, veluti primus «
gradus Lectoris est, deinde hypodiaco- «
ni, tum Diaconi, tum Presbyteri, tandem «
Episcopi. «

In libro etiam quinto Juris Orientalis describitur officium & definitio Episcopi ex libro de Jure qui est Basilij, Constantini & Leonis, titulo quinto cap. 1. & in enumeratione personarum Ecclesiasticarum concordant Imperatores cum praxi Ecclesiæ Græcæ: ἐπίσκοπός ἐστιν ἐπιτηρητὴς καὶ ἐπιμελητὴς πασῶν τῶν ἐκκλησιαζομένων ψυχῶν, τῶν ἐν τῇ αὐτοῦ ἐπαρχίᾳ, δύναμιν ἔχων τελεστικὴν πρεσβυτέρου, διακόνου, ὑποδιακόνου, καὶ ἀναγνώστου, καὶ ψάλτου, καὶ μοναχοῦ. Episcopus est inspector, & curator om- «
nium ad Ecclesiam pertinentium anima- «
rum, quæ in ejus provincia sunt. Habens «
potestatem initiandi Presbyterum, Diaco- «
num, Subdiaconum, Lectorem, Canto- «
rem & Monachum. «

Deinde probari potest ex 69. Canone

Apostolico, ubi recensentur omnes personæ in gradu Ecclesiastici ordinis constitutæ: εἴτις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν οὐ νηστεύει, &c. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam quadragesimam non jejunat, &c. Verùm Latini non recipiunt nisi priores 50. Canones Apostolorum. Reliqui enim ab hæreticis superadditi videntur. Et in multis sunt manifestissimi errores. Quòd autem spectat ad præsentem Canonem, non est verisimile eum esse Apostolicum, in quo non recensentur multò plures ordines, qui tempore Apostolorum extiterunt. Quapropter opinio Græcorum melius confirmari potest ex quinto, canone Octavi Concilij œcumenici Constantinopoli celebrati sub Adriano secundo, & Basilio Imperatore circa annum Domini octingentesimum septuagesimum contra pseudopatriarcham Photium. In quo Canone recensentur iiidem planè ordines, qui modò sunt in usu apud Græcos. Et his contineri omnem gradum Ecclesiasticum Concilium asserit. Canon sic habet: εἴ τις γέγονε κληρικὸς, ἢ μοναχὸς, καὶ πάντα βαθμὸν ἐκκλησιαστικὸν μετελθὼν κατὰ τοὺς ὡρισμένους ἀνεπίληπτος εὑρέθη, προβιβασθήτω εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην, ὥστε ἐν τῷ βαθμῷ τοῦ ἀναγνώστου ἐνιαυτὸν πληρῶσαι, ἐν δὲ τῷ τοῦ ὑποδιακόνου δύο, καὶ ἐν τῷ τοῦ διακόνου τρεῖς, καὶ τέσσαρας ἐν τῷ τοῦ πρεσβυτέρου. Præsentem Canonem sic refert Anastasius Bibliothecarius, qui eos è Græco transtulit, & quorum fragmenta extant in quarto volumine Conciliorum. Si quis fiat Clericus, aut Monachus, & omnem gradum (Nota) Ecclesiasticum transiens per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus extiterit, & probatus, ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi verò duos, sitque Diaconus tribus, presbyter quatuor annis, bene placuit sanctæ & universali synodo eligi hunc atque admitti.

Græcè ad verbum sic habet. Si quis factus est Clericus, aut Monachus, perque omnem gradum Ecclesiasticum transiens, ut Canones præscribunt, irreprehensibilis repertus est, ad Pontificatum evehatur; ita ut in Lectoris gradu annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Presbyteri quatuor annos expleat.

Illa verba, κατὰ τοὺς ὡρισμένους, ambigua sunt. Cùm enim careant substantivo, nescimus, debeat ne intelligi χρόνους, an κανόνας. Unde variè ab interpretibus versa sunt, sed parum refert, cùm optimum sensum utraque expositio faciat; & non in eo argumentum nostrum consistat.

Itaque nullos alios gradus eo tempore fuisse in usu apud Græcos, ex auctoritate citata Concilij constat. Probatur etiam ex vita sanctissimi Patriarchæ Ignatij, quam scripsit Nicetas Paphlago vir pius & eloquens, qui eodem tempore floruit. In ea de Ignatio sacris initiato sic habet: πρῶτον μὲν ἀναγνώστης, ἤτοι τῶν θείων ἱεροκήρυξ γραφῶν, εἶτα ὑποδιάκονος, εἶτα διάκονος, καὶ ἱερεὺς μετὰ ταῦτα, τάξει καὶ νόμῳ πνευματικῆς χειροτονεῖται ἀκολουθίας. Primum quidem Lector, nimirum divinarum literarum præco sacer, deinde hypodiaconus, tum Diaconus, ac deinceps sacerdos ordine ac lege spiritualis successionis consecratur. In eadem vita de Photio sic refert: καὶ ἦν ἀληθῶς ἐκεῖνον ὁρᾷν αὐθημερὸν ἅγιον πλαττόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν. πρώτῃ γὰρ ἡμέρᾳ μοναχὸς ἀντὶ λαϊκοῦ, τῇ δευτέρᾳ δὲ ἀναγνώστης, καὶ ὑποδιάκονος τῇ ἑξῆς. εἶτα διάκονος, εἶτα πρεσβύτερος, ἔπειτα τῇ ἕκτῃ, Χριστοῦ δὲ ἦν τὰ γενέθλια, καὶ αὐτὸς τῷ ἱερατικῷ προσβὰς θρόνῳ, τὴν εἰρήνην τῷ λαῷ προσεφώνει. Eratque verè cernere, ut fertur adagio, eum uno die formatum sanctum. Nam prima die Monachus ex laïco, altera Lector, deinceps Hypodiaconus, tum Diaconus, deinde Presbyter, sexto denique die, qui fuit Christi Natalis, sacerdotalem conscendens thronum, pacem populo proclamavit.

Et notandum quòd commemoratus canon directè contra Photium editus est. Quia enim Photius intra sex dies omnem gradum Ecclesiasticum consecutus fuerat, Concilium singulis gradibus tempora decernit, quæ initiatus observare & explere debeat antequam evehatur ad Episcopatus dignitatem, nulla prorsus mentione facta de aliis minoribus ordinibus à Photio prætermissis.

Zzz

Ex his clarum est, quod antea diximus, hos ordines ante perniciosissimum schisma vel cessasse, vel quod mihi magis arridet, connexos cum aliis ordinibus fuisse: & propterea apud Græcos fortassis supplendos non esse.

Sed obstat nobis Innocentius Quartus, qui in literis ad Episcopum Tusculanum in Regno Cypri legatum missis, ita rescribit. Ad hæc volumus, & expresse præcipimus, quòd Episcopi Græci septem ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cùm hucusque tres de minoribus neglexisse, vel prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.

Respondeo. Pontifex non asserit in illis literis, minores ordines esse de jure divino, immò postremis verbis indicare videtur, non esse sacramenta, alioquin suppleri deberent. Deinde dico, juxta relationem datam Innocentium respondisse. Si enim legatus scripsisset, Græcos, hos ordines, & munera illorum cum aliis ordinibus conjunxisse, fortassis Pontifex non ita rescripsisset. Et ideo addit verbum Pontifex (dicuntur.)

Postremò dico, quamvis minores ordines non sint sacramenta, sed officia ab Ecclesia instituta, potuit tamen Pontifex præcipere, ut ea servarentur, idque ad exemplum & imitationem Ecclesiæ Romanæ aliarum Ecclesiarum principis ac magistræ. Et certè nil esset tutius, immo, & optabilius, quam si Græci mandatum Pontificis exequerentur; ea tamen res non est ejusmodi, ut si in aliis rebus, & dogmatibus fidei Græci cum Romana Ecclesia convenirent, hac in re tolerari non possint. Præsertim cùm non pauci Doctores Catholici teneant sine detrimento fidei, hos ordines non esse de jure divino, ut sunt cæteri, sacramenta à Christo Domino instituti. Ut autem essent de jure divino, tamen certum est ab exemplis allatis non eam esse connexionem inter se ordinum, ut majores licitè non possint conferri, nisi prius susceptis minoribus. Idque fortassis Caius Pontifex, cùm non esset de jure divino, de jure positivo constituit.

In lib. 3. Juris Orientalis Græcorum, quidam Joannes Episcopus Citri responsa dat ad Constantinum Cabasilam Dyrrhachij Archiepiscopum, atque in 8. responso enumerat omnes dignitates Ecclesiasticorum officiorum, non ordinum. Ibi agnoscit primicerium, primum, secundum, & tertium, ostiarium, & multos alios. Deinde post eorum enumerationem ponit θεωροὺς, hoc est, Observatores, Deputatos, & Camisatos, quorum dicit munera non esse officia dignitatum, sed circa sanctuarium ministeria iis injuncta. θεωροὶ μὲν καὶ δεπουτάτοι, καὶ καμισάτοι οὐκ εἰσὶν ὀφφίκια, ἀλλὰ διακονίαι περὶ τὸ ἅγιον βῆμα τούτοις ἁρμόζουσαι. Mox explicat eorum ministeria. θεωροὶ τὴν φυλακὴν καὶ τήρησιν πιστεύονται τῶν ἱερῶν σκευῶν, καὶ τῶν καλυμμάτων αὐτῶν, εἰ μάλιστα ἐνείπονται ταῦτα λίθοις καὶ μαργάροις κοσμούμενα. Observatoribus, inquit, sacra vasa, & eorum operimenta concredita sunt, ut ea custodiant, præsertim si lapidibus pretiosis & margaritis ornata sint. Camisati autem ἀσχολοῦνται περὶ διακονίαν ἀνθράκων πυρὸς, &c. versantur in deferendis candentibus carbonibus, qui inserviunt thuribulo, & calefaciendæ aquæ pro mysteriis. De his ergo nihil dico, non enim faciunt ad rem propositam. At verò Deputatorum illud indicat esse ministerium, quod omnino Acoluthis convenit. At enim, οἱ δεπουτάτοι μὲν μανδιοφοροῦντες μετὰ λαμπάδων προπορεύονται (inde & κηροφόροι, ceroferarij dicuntur) τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, ὁπότε ἀναφέρεται εἰς τὸν ἄμβωνα πρὸς ἀνάγνωσιν, καὶ τῶν ἁγίων δώρων, ἔν τε τῇ εἰς τὴν ἁγίαν τράπεζαν εἰσόδῳ, καὶ ἐν τῇ εἰς τὴν πρόθεσιν ἐπανόδῳ αὐτῶν. Deputati autem pallia ferentes cum lampadibus præeunt sanctum Evangelium, quando in suggestum causa lectionis affertur, & sacra dona in ingressu ad sacram mensam, & regressu eorum ad propositionem. Qui modus & nomen etiam nunc in Hispanicis, ut audio, Ecclesiis servatur.

Simeon Thessalonicensis in libro de Sacramentis dum agit περὶ χειροτονίας, observat duplices fieri impositiones manuum, partim extra cancellos, partim intra sanctuarium: inter externas ponit ceroferario-

rum ordinem, quem cessasse in Ecclesia Græca miratur: δύο μὲν οὖν εἰσι χειροθεσίαι ἔξω τοῦ βήματος ἡ τοῦ ἀναγνώστου, καὶ ὑποδιακόνου. εἰσὶ καὶ ἄλλαι ὀφφικίων δηλαδὴ καὶ ἡ τοῦ δεπουτάτου, ἢ κηροφόρου εἰπεῖν, πρὸ τῶν ἀναγνωστῶν γινομένη, ἥτις, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, οὐκ ἐνεργεῖται. ἐν δὲ τῇ τῶν Θεσσαλονικέων ἐκκλησίᾳ καὶ πρὸ ὀλίγου αὕτη ἦν, καὶ ἐν ταῖς ἀρχαίαις ὑποτυπώσεσι γέγραπται. ἐξαίρετοι δὲ χειροτονίαι ἐντὸς τοῦ βήματος, καὶ ἐν τῇ ἱερωτάτῃ τραπέζῃ εἰς τύπον τῆς τριάδος τρεῖς, περὶ ὧν καὶ ὁ ἱερὸς φησὶ Διονύσιος, ἡ τοῦ διακόνου, ἡ τοῦ πρεσβυτέρου, καὶ ἡ τοῦ ἐπισκόπου. Duæ sunt manuum impositiones extra sanctuarium, Lectoris videlicet & Subdiaconi. Sunt porrò & aliæ, nimirum quæ spectant ad officia, item Deputati, seu Ceroferarij, quæ ante ordinationem Lectoris fit. Quæ sanè nescio cur non exercetur. In Ecclesia verò Thessalonicensium paulò ante in usu erat, & in antiquis Ritualium exemplaribus reperitur scripta. Præcipuè verò impositiones manuum intra sanctuarium, & in ipsa sacratissima mensa in typum Trinitatis tres sunt, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi, de quibus agit sacer Dionysius. Hactenus Simeon.

Opportunè verò nobis nuper accidit, dum hæc scriberemus, ut animi causa Monasterium Cryptæ Ferratæ inviseremus, simul etiam Bibliothecam loci evolueremus. Inter alios enim libros Euchologium Patriarchale invenimus, quantum ex charactere & membrana licet conjicere (non enim annus in calce adscriptus est) vetustissimum. In eo inter cæteros ordinationis gradus, modò à Græcis conferri solitos, habetur etiam hujus Deputati, seu Ceroferarij. In calce verò libri (quod & antea notavimus) hæc pauca verba memoriæ causa, scripta inveniuntur: Hunc librum donavit mihi Juliano sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali Presbyter Georgius Vari de Candia. Puto tempore Concilij Florentini id accidisse. Cardinalis enim hujus nominis & tituli lõgè omnium clarissimus Concilio interfuit, ac strenuè, & cum admiratione Græcorum veluti antesignanum Latinorum se gessit. Quem etiam Cardinalis Besarion in oratione ad Alexium Lascarim summis laudibus in cœlum effert. Sic igitur habet Euchologium: ὁ πᾶσαν κτίσιν τῇ αἴγλῃ λαμπρύνας τῶν θαυμασίων σου κύριε, ὁ καὶ πρὶν γενέσθαι τὰς προθέσεις ἑκάστου παραμετρῶν, καὶ τοὺς ἐξυπηρετεῖσθαί σοι βουλομένους ἐνισχύων, αὐτὸς καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε προτρέχειν λαμπαδηφόρον τῶν ἁγίων σου μυστηρίων αἱρετισάμενον, κατακόσμησον τοῖς ἀμολύντοις σου, καὶ ἀχράντοις στολαῖς. ἵνα λελαμπρυσμένος, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι ἀπαντήσας αἰῶνι, δέξηται τὸν τῆς ζωῆς ἀκήρατον στέφανον σὺν τοῖς ἐκλεκτοῖς σου εὐφραινόμενος ἐν ἀϊδίῳ μακαριότητι. ὅτι ἡγίασταί σου τὸ ὄνομα, δεδόξασταί σου ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

Oratio in Ordinatione Ceroferarij & Deputati.

Domine, qui universam creaturam splendore mirabilium tuorum illustras, quique propositum, & intentionem antequam fiat uniuscujusque metiris, & eos, qui tibi obsequium præstare volunt, corroboras. Tu etiam & hunc famulum tuum, qui sanctis mysteriis tuis præcurrere lampadem gerens elegit, tuis impollutis & incontaminatis indumentis exorna; ut in futuro sæculo splendidus tibi occurrens immortalem recipiat coronam vitæ, cum electis tuis congaudens in æterna beatitudine. Quoniam sanctificatum est nomen tuum, glorificatum est nomen tuum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc certè oratio optimè posset quadrare in Acoluthos. Quicquid sit, hodie communiter apud Græcos non est in usu; ut etiam ingenuè fatetur Simeon Thessalonicensis. Nescio an vigeat in Patriarchali Ecclesia.

De Diaconissis.

Caput X.

Diaconissarum munus jam diù in Ecclesia cessavit. Ut autem aliquid disseramus de illis, occasionem nobis præbet Matthæus Blastarius in suo nomocanone litera γ. ubi ita scribit: τὰ γε μὴν παλαιὰ τῶν βιβλίων, οἷς ἡ τῶν χειροτονιῶν ἁπασῶν ἐγγέγραπται τελετή,

καὶ τὴν καθ' ἡλικίαν, ὁποῖον εἶναι δεῖ, χρόνον ὑφηγεῖται τῆς διακόνου, ὅτι τεσσαρακοντοῦτις. καὶ τὸ σχῆμα, ὅτι μοναχικὸν, καὶ τοῦτο τέλειον. καὶ τὸν βίον, ὅτι τῶν ἀνδρῶν ἁμιλλᾶσθαι χρὴ ταύτην τοῖς ἄκροις τὴν ἀρετήν. τελεῖσθαι δὲ ἐπ' αὐτῇ, πλὴν ὀλίγων, ὅσα καὶ ἐπὶ τοῖς διακόνοις. τῇ γὰρ ἱερᾷ τραπέζῃ προσαγομένην ὠμοφορίῳ καλύπτεσθαι, τῶν ἄκρων τούτου ἔμπροσθεν ἀπῃωρημένων. καὶ μετὰ τὸ ῥηθῆναι, ἡ θεία χάρις, ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, οὐδ' ἕτερον τοῖν ποδοῖν εἰς γόνυ κλίνειν, ἀλλὰ μόνην τὴν κεφαλήν. καὶ ἐπιθέντα ταύτῃ τὸν ἀρχιερέα τὴν χεῖρα ἐπεύχεσθαι ἀμέμπτως αὐτὴν τὸ τῆς διακονίας ἔργον ἐπιτελεῖται, σωφροσύνην καὶ σεμνὴν πολιτείαν μετερχομένην. καὶ τοῖς ἁγίοις οὕτω ναοῖς προσκαρτερεῖν. οὐ μὴν καὶ τοῖς ἀχράντοις μυστηρίοις ὑπηρετεῖν ἐπιτρέπειν. ἢ ῥιπίδιον ἐγχειρίζεσθαι, ὡς ἐπὶ τοῦ διακόνου. εἶτα τῷ τραχήλῳ ταύτης ὑπὸ ὠμοφόριον ἐπιτιθέναι τὸν ἀρχιερέα τὸ διακονικὸν ὠράριον, φέροντα εἰς τὸ ἔμπροσθεν τὰς δύο τούτου ἀρχάς. ἐν δὲ τῷ καιρῷ τῆς μεταλήψεως μετὰ τοὺς διακόνους τῶν θείων κοινωνεῖν αὐτὴν μυστηρίων. εἶτα λαμβάνουσαν τὸ ποτήριον ἐκ τῶν χειρῶν τοῦ ἀρχιερέως, μηδενὶ μεταδιδόναι, ἀλλ' εὐθὺς ἐπιτιθέναι τοῦτο τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ. Vetusti sanè libri, qui cerimonias omnium ordinationum diligenter complectuntur, etiam annum ætatis, quotus esse oporteat Diaconissæ præscribunt; scilicet quadragesimum. Et habitum Monachalem, & eum quidem perfectum, & institutum vitę, quod nimirum deceat eam cum viris virtute præstantibus certare. Præterea ea omnia peragi in ejus initiatione, exceptis paucis, tradunt, quæ & in Diaconorum solent. Quippe ad sacram mensam adducta pallio Pontificis contegitur, extremitatibus pallij à parte anteriori Pontificis pendentibus, ac prolatis illis verbis, divina gratia quæ infirma sanat, neutrum pedum ad genu flectit. Sed tantùm caput inclinat, impositaque ipsi manu Pontifex precatur, ut sine reprehensione ministerij opus perficiat, castitatem, atque honestam conversationem sectetur. Ac ita sacris ædibus assidua præsto sit. Non autem permittit ei immaculata administrare Eucharistiæ mysteria, nec flabellum in manus ipsi tradit, ut fit in ordinatione Diaconi, sed stolam Diaconorum subter pallium Pontificis collo ejus imponit, deductis extremitatibus stolæ ad partem anteriorem. Tempore verò Communionis post Diaconos divinorum mysteriorum participem efficit. Quæ accepto calice, ex manibus Pontificis impertit nemini, sed continuò ipsum Altari sacro imponit. Hucusque Matthæus.

In libro octavo Constitutionum Apostolicarum Clementis de Diaconissa c. 19. & 20. hæc extant: De Diaconissa verò ego Bartholomæus constituo, ut manus ei Episcope imponas, præsentibus Presbyteris, & Diaconis, & Diaconissis. Et dices: Deus æterne, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui viri, & mulieris auctor es, qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu sancto implevisti; qui non duxisti indignum, ut Filius tuus unigenitus ex muliere nasceretur; qui in tabernaculo testimonij, & in templo custodes fœminas januis tuis sanctis præfecisti: ipse etiam nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium; & da ei Spiritum sanctum, & mundam effice ab omni inquinatione carnis, & spiritus, ut opus sibi impositum dignè perficiat ad gloriam, & laudem Christi tui. Cum quo tibi gloria, & adoratio, & sancto Spiritui, Amen.

Præterea Concilium quartum Can. 15. de eadem sic tradit: διακόνισσαν μὴ χειροτονεῖσθαι γυναῖκα πρὸ ἐτῶν τεσσαράκοντα, καὶ ταύτην μετὰ ἀκριβοῦς δοκιμασίας. εἰ δέ γε δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν, καὶ χρόνον τινὰ παραμείνασα τῇ λειτουργίᾳ, ἑαυτὴν ἐπιδῷ γάμῳ, ὑβρίσασα τὴν τοῦ θεοῦ χάριν ἡ τοιαύτη ἀναθεματιζέσθω μετὰ τοῦ αὐτῇ συναφθέντος. Diaconissam non ordinandam esse mulierem ante annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine. Si verò suscipiens manus impositionem, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi, cum eo, qui eidem copulatur. Et Trullanus Canon 14. μήτε διακόνισσα πρὸ τῶν τεσσαράκοντα χρόνων χειροτονείσθω. Neque Diaconissa ante quadragesimum annum per impositionem manus ordinetur. Et alia Concilia passim hac cerimonia eam ordinari perhibent.

Ex his autem omnibus posset quispiam probabiliter ratiocinari, & concludere, Diaconissæ aliquem esse sacrum ordinem,

quando ipsi & manus imponitur, & similis forma enunciatur.

Sed enim dicendum est, errorem fuisse Cataphrygarum, ut refert Ambrosius 1. Timoth. cap. 3. qui ex eo quod immediatè post Diaconos agit Apostolus de mulieribus, putarunt posse mulieres Diaconas ordinari. Quem sanè refellit Epiphanius hæresi 79. cùm ita scribit: διακονισσῶν τάγμα ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλ' οὐχὶ εἰς τὸ ἱερατεύειν, οὐδέ τι ἐπιχειρεῖν ἐπιτρέπειν. Diaconissarum est quidem ordo in Ecclesia, cæterùm non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur. Quocirca nonnullis constitutio illa est suspecta, ut alia non pauca in Clemente ab hæreticis depravata.

Mihi hoc nomine constitutio non damnatur. Nam Concilium citatum Chalcedonense dicit, eas consecrari per manuum impositionem.

At Concilium Nicænum videtur contrarium asserere, eas non habere impositionem manuum cap. 19. ἐμνήσθημεν τῶν διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν. ὥστε ἐξ ἅπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι. Mentionem fecimus de Diaconissis, quæ in habitu probatæ sunt, quoniam manus impositionem non habent, ita ut omnino inter laïcos esse numerentur.

Uerùm mihi (salvo meliori judicio) non is videtur esse sensus Concilij. Non enim loquitur de Diaconissis jam consecratis, quibus re ipsa imponebantur manus, sed de iis, quæ in probatione erant, & fortassis ab hæreticis ad Ecclesiam accesserant; quæ, si minus idoneæ repertæ fuissent, à munere Diaconissæ abjiciebantur, neque eis imponebant manus, sed tanquam laïcæ, quod non essent consecratæ, habebantur. Is sensus disertè videtur colligi posse ex antecedentibus verbis Canonis: περὶ τῶν παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξ ἅπαντος. εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου. εἰ δὲ ἡ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει. ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένων, ὁ αὐτὸς τύπος παραφυλαχθήσεται. De iis, qui paulianizarunt, dein ad Ecclesiam Catholicam confugerunt, definitio edita est, ut omnino rebaptizentur. Si qui verò præterito tempore (apud eos) in clero annumerabantur, siquidem inculpati & irreprehensibiles apparuerint, rursus rebaptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ. Si verò examinati minus fuerint apti deprehensi, deponi eos oportet. Similiter autem & de Diaconissis, & omnino, περὶ τῶν ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένων, de his, qui in regula examinantur, seu probantur, eadem forma servabitur. Sic ille Canon. Ut propterea etiam Concilium Chalcedonense dixerit, μετ' ἀκριβοῦς δοκιμασίας, cum exquisito examine, seu accurata approbatione.

Turrianus hæc loca varia inter se concilians, alterius esse generis impositionem manuum Diaconissæ docet, quæ nimirum non eximat eam ex ordine laïcorum; & hanc non esse contra Canonem. Probat id auctoritate Hincmari Rhemensis, qui varias recenset impositiones manuum in lib. de variis Capitulis Ecclesiasticis cap. 16. quod testimonium protulimus in libro de Confirmatione. Accipitur enim impositio in Diaconissis pro benedictione.

Quòd alterius sit generis impositio, ab ea quæ est in ordinatione Clericorũ, assentior Turriano. At quòd ejusmodi, quæ non eximat eas ex ordine laïcorum, istud verò non approbo. Quippe quæ & votum castitatis ederent, & habitum diversum à laïcis susciperent, & nonnullis spiritualibus functionibus se manciparent. Quare Concilium Nicænum laïcas appellare videtur eas dumtaxat (ex his quæ diximus) quæ non essent consecratæ. Ut contrà moniales etiam non laïcas dixerim, seu sæculares, quòd Deo sint consecratæ, quamvis nihil ad eas eorum pertineat, quæ ad Clericos spectant.

Ut autem expositionem Turriani, in eo quod dixerit impositionem esse alterius generis, laudo, non quod non sit vera impositio: ita profectò quod refert Blastarius ex quibusdam antiquis, seu potiùs Apo-

cryphis Euchologiis de stola Diaconæ, & quod amplius de forma illa enuncianda, diuina gratia, quæ infirma sanat, &c. erroneum esse judico, immò hæreticum, per consequens improbandum, atque omnino rejiciendum. Non enim dignosceretur varia impositio, immò eadem planè existimaretur, quando & eadem forma consecrationis recitatur. Unde potiùs per commemoraras Apostolicarum constitutionum preces Diaconissa benedicebatur, & abusus Græcorum erat, si qui sola verborum forma, quæ sacris Ordinibus convenit, eam consecrabant, immò & ipsi permittere ingredi sanctuarium minùs licebat; quippe Canon 44. Laodicenus id vetat, & multo minùs tangere calicem, quando, & Subdiaconi tractare sacra vasa prohibentur, ex eodem Concilio can. 21.

Omnium verò minimè fas erat accedere ad sacram aram intra sanctuarium, & ibi sacris initiari. Nam hoc totum Diacono, Presbytero, & Episcopo permissum est, eo quòd ipsi soli circa altare se occupent in administranda re divina.

Postremò non minùs absurdum erat, imponere collo ejus stolam Diaconi, quam non sine ratione Græci vocant ὠράριον, ὅτι δείκνυσιν ὁ διάκονος τῇ τοιαύτῃ στολῇ τὰς ὥρας καὶ τὸν καιρὸν τοῦ ψάλλειν, τοῦ προσεύχεσθαι, τοῦ ἐνάρχεσθαι τῆς λειτουργίας. Quòd Diaconus accepta extremitate stolæ tribus digitis invitat populum ad orandum, cantores ad psallendum, Pontificem ad incipiendum sacrum: & in summa ostendit horas, atque indicat tempus, quo aliquid est faciendum. At Diaconissæ nihil tale aggredi poterant.

Nec moveat aliquem ipsum nomen διακόνισσα, seu διάκονος, Diaconissa, vel Diacona. Nam ut rectè observavit Angelicus Doctor in 4. d. 25. q. 2. a. 2. q. 1. appellatur hoc nomine, non quia habeat sacrum ordinem, sed propter aliquod ministerium Ecclesiæ, sicut in Græco dicitur Diaconus quilibet minister, ut propterea Græci addant ἱερὸς διάκονος, seu ἱεροδιάκονος, ad sacrum, & verum Diaconum significandum. Porrò ministeria Diaconissæ describuntur à Clemente lib. 3. Constit. Apostolic. cap. 15. & ab Epiphanio hæresi 79. & in fine tertij libri hæreseon.

De consuetudine Græcorum Presbyterorum, qui sæpenumero etiam extra ordinationem cum Episcopo concelebrant.

CAPUT XI.

Consuetudinem hanc Græcorum non esse improbandam probatur à simili consuetudine Latinorum, quando conferuntur sacri ordines. Et præterea Innocentius lib. 4. de sacrificio Missæ cap. 25. refert, usitatum fuisse aliquando in Ecclesia Romana, ut interdum Cardinales simul cum Pontifice consecrarent. Itaque si apud Latinos multi presbyteri simul eandem hostiam consecrant, indeque nullum sequitur absurdum, pari ratione apud Græcos nullum inconveniens sequetur. Quòd si adversus Græcos aliqua militat ratio, eandem contra Latinos in simili casu militare necesse est: atque sic breviter præsens caput absolui posset.

Verũ quia nõ desunt apud Latinos auctores graves, qui præsenti consuetudini minùs faveant, idcirco diligentiùs istud examinandum est. Quæritur itaque primum,

An plures sacerdotes possint eandem hostiam consecrare, ita ut quisque consecret totam hostiam.

Communis sententia Theologorum est in 4. d. 13. quod possint plures id conficere, si omnes simul proferant, & finiant verba consecrationis. Nam tunc singuli consecrant, quia non est major ratio cur unus consecret, & non alius. Item quilibet habet materiam legitimam, & profert legitimam formam cum legitima intentione consecrandi; ergo quisque consecrat. Contra hanc communem opinionem fiunt nonnulla argumenta.

Primum est. Quia si plures sacerdotes eandem hostiam simul conficere possunt, ergo idem effectus numero potest fieri à pluribus causis ejusdem ordinis, & generis.

Ad hoc respondetur. Natura nunquam instituit duas causas ejusdem ordinis, &

generis ad eundem numero effectum, quia una esset frustra. At verò Deus facere potest, ut duæ causæ concurrant, quia agit liberè, & quomodo vult.

Secundum argumentum. Vel illæ causæ sunt totales, & hoc non, quia totalis causa est, à qua sola effectus fit; vel sunt partiales, & hoc non, quia utraque totum effectum producit, & non partem ejus.

Respondeo, esse quæstionem de nomine. Nam totalis causa aliquando dicitur, quæ totum effectum producit, sive producat sola, sive cum alia: & sic uterque sacerdos consecrans est totalis causa. Aliquando totalis causa dicitur quæ sola sine alia producit totum effectum, & sic neuter Sacerdos potest dici causa totalis, præsertim quando Deus, qui liberè agit, ita vult, ut duæ causæ concurrant ad producendum unum effectum. Aliquando dicitur causa totalis, quæ totum effectum ex se sufficienter producit: & ita uterque Sacerdos potest dici causa totalis.

Tertium argumentum. Si plures consecrant, ergo plures consecrationes. At actio sumit unitatem à termino: sed est una hostia consecrata, ergo una actio, ergo non possunt plures consecrare.

Respondetur fallax esse argumentum. Quia si consecratio sumatur prout est passio, & prout est factum in re, cùm una sit hostia consecrata à pluribus, una est tantum consecratio. Si tamen sumatur prout dicit relationem in agente & prout dicit principium agendi, & prout denominat agens, ita sunt plures, quia plura agentia.

Cùm itaque certum sit, omnes consecrare, si omnes simul proferant formam, quæritur secundò. An omnes consecrent, si unus in proferenda forma alterum antecedat.

Prima opinio est, posse etiam tunc omnes eandem hostiam consecrare, si omnium intentio referatur ad unum certum instans, in quo unus illorum consecrat. Verbi gratia cùm ordinantur Presbyteri, simul plures consecrant cum Episcopo consecrante; quia omnium intentio dirigitur ad illud instans, quo Episcopus consecrat, hoc est, omnes habent intentionem consecrandi, quando Episcopus consecrat, & non antè, nec pòst. Sic Innocentius lib. 4. de mysterio Missæ cap. 23. cujus sententiam sequitur B. Thomas 3. p. q. 81. a. 2. Paludan. in 4. d. 13. q. 4. a. 2. Ledesma, Rosella, Silvester, & alij.

Secunda opinio asserit, tunc non consecrare omnes, sed eum, qui priùs dixit formam consecrationis, cæteros verò nihil efficere, etiam si sit Episcopus, qui Presbyteros ordinet. Sic Abbas in 4. d. 13. Durandus d. 13. q. 3. Angel. Euchar. 2. num. 3. Caietanus 3. p. q. 82. a. 2. Sotus in d. 13. q. 1. a. 2.

Hæc secunda opinio videtur probabilior: quia difficile creditu est, quod prolatis per primum Sacerdotem verbis consecrationis, sit in potestate ejus virtutem consecrandi suspendere ad tempus, quo Episcopus consecrat. Quod si non habet intentionem tunc consecrandi Sacerdos, quando prævenit Episcopum in proferenda forma consecrationis; Nec postea potest consecrare, quando Episcopus consecrat, quia tunc non profert ipse verba consecrationis.

Nec valet quod objicit Paludanus, virtutem verborum verbi Dei remanere suspensam, vel existentem in aëre, vel ubi Deus vult. Quia hoc sine fundamento dicitur, nec est ratio, quæ id probet.

Neque valet quod objicit Ledesma, non intercedere moram magnam inter verba prolata à Sacerdotibus, & ab Episcopo. Quia sufficit quantacunque mora. Cùm enim primum Sacerdos profert verba, dūmodo intentionem habeat consecrandi, consecrat. Item difficile est intelligere, quòd Sacerdotes proferant ea verba, vel ante, vel post Episcopum, & quòd simul unà cum Episcopo consecrent, solum quòd intentionem habuerint relatam ad instans, quo Episcopus consecrat. Nam sola intentio sine verbis consecrationis nihil efficit. Consequenter is, qui primus protulit, sive sit Episcopus, sive sit Sacerdos, consecrat, modò tunc habuerit intentionem consecrandi. Quòd si non habuit intentionem consecrandi præveniendo Episcopum, tunc non consecrat, sed consecrat Episcopus, &

ipse sacerdos, qui anticipavit, nihil facit, quia non potuit ipse verborum virtutem suspendere ad tempus, quo verba non sunt. Et uno primo consecrante, nihil efficiunt cæteri. Quia quando primus protulit, ipsi nondum totam formam dixerant. Postea verò quando finiunt formam, jam materia est consecrata.

Sed ex decisione hujus secundi quæsiti videtur improbanda esse præsens consuetudo. Quamvis enim plures simul consecrare valeant, si simul omnes verba consecrationis proferant: quia tamen multi ordinantur, & multi cum Episcopo Græco concelebrant, difficile est inter tam multos, ut unus non citius alio pronuntiet formam. Et per consequens fieri potest, ut unus eorum in proferendo præveniat Episcopum. Et tamen non ita decet, ut sacerdos priùs consecret, quàm Episcopus; præsertim quia apud Latinos non solet fieri adoratio donec Episcopus consecret.

Quamobrem Durandus, Caietanus, Sotus, Gabriel aiunt, satius esse vel hunc morem abrogare, vel statuere, ut sacerdotes, qui ordinantur, simul cum Episcopo legant Canonem Missæ, & consecrationis verba omittant. Vel dicant solùm recitative, διηγηματικῶς, sine intentione consecrandi. Vel dicant, ait Caietanus, cum intentione generali faciendi id quod dicunt. Immò quòd non debeant concelebrantes verba formæ proferre aliter, nisi tantùm materialiter in signum potestatis sibi concessæ, ex eo apparet, quia non communicant sub utraque specie: ergo non communicant, ut sacrificantes.

At verò Innocentius, Alexander Halensis, B. Thomas, Ricardus, Bonaventura, Sylvester, & alij hunc usum multarum Ecclesiarum non improbant. Et revera non est improbandus. Quoniam satis est, ut sacerdotes referant suam intentionem ad instans quo Episcopus consecrat. Quod est dicere: Si aliquis anticipat Episcopum, non habet intentionem consecrandi: Si post Episcopum profert, similiter non habet animum consecrandi, quia jam consecratum est. Si verò simul cùm Episcopo finiat verba, habet animum simul cum eo consecrandi. Et ita nullum est incommodum. Nec est quòd tam facilè morem multarum Ecclesiarum improbemus contra communem sententiam.

Et ad objectionem factam in favorem Caietani, & quorundam aliorum.

Respondeo, Græcos non urgeri hoc incommodo, qui sub utraque specie communicant: & unde scimus, An cessante usu ambarum specierum, cessaverit etiam mos Latinorum concelebrantium, communicandi sub utraque specie?

Deinde dicendum est, satis esse, si unus utramque sumat speciem & consummet sacrificium. Et tamen cæteri verè dicuntur sacrificare propter consecrationem, quæ est potissima pars sacrificij. Nam etsi ponamus casum, presbyterum peracta consecratione mortem obire, nondum consumpto sacrificio, nihilominus tamen iste verè sacrificasse dicendus est.

Sacerdotes itaque Græcorum, immò & Latinorum noverint hanc intelligentiam, & doctrinam: ut si aliquando actualem intentionem adhibuerint, ut nonnulli adhibere solent, non aliter eam applicent, quàm prædicto modo juxta sensum, & intentionem universalem Ecclesiæ.



DE MATRIMONIO.

LIBER SEPTIMUS.

DE NOMINE MATRIMONII, QUOTUPLEX SIT *Matrimonium, ac de ejus natura.*

CAPUT I.

MAtrimonium quod Latini nuptias, connubium, etiam conjugium nuncupant, Græcis γάμος dicitur, ἀδαμῶ, quod domare ſignificat, mutato δ. in γ. δάμος, γάμος. Eo maximè quòd fœminas, ſeu potiùs conjuges domet. Unde ab Homero παρθένος ἄδμης, virgo, appellatur indomita.

Alij rationem nominis ducunt παρὰ τὸ δύο ἅμα εἶναι. Eo quòd duo ſimul ſint, mutato ſimiliter δ. in γ. item nominatur συνοικέσιον à συνοικεῖν, quod eſt ſimul habitare. Matrimonium enim mutuam, ac individuam conjugum cohabitationem jure ſuo vendicat.

Poſtremò metaphoricè dici poteſt συζυγία, & ὁμοζυγία, quippe ζυγὸς, jugum ſignificat. Unde σύζυγες, & ὁμόζυγες, ſive ὁμόζυγοι, vocantur conjuges, quòd onera, & moleſtias Matrimonij unà ſuſtineant, & idem jugum ſimul trahant. Huic reſpondet nomen Latinum, conjugium.

Porro Matrimonium triplex eſt, legitimum, ſeu verum, ratum, & conſummatum. Legitimum dicitur, quod legitimo tantùm conſenſu contrahitur, quale eſt apud infideles, & fuit in lege naturæ, & lege Judaica. Quod cùm non ſit Sacramentum, & per converſionem alterius conjugis ad fidem poſſit diſſolui, dicitur non eſſe ratum: quia non habet illam tantam inſolubilitatem, quam habet illud, quod eſt Sacramentum. Ratum igitur dicitur, quando eſt Sacramentum, nondum tamen copula carnali conſummatum. Et inſolubilius eſt, quàm naturale. Conſummatum verò dicitur, quando eſt jam copula carnali perfectum.

Primum ſpectat ad officium naturæ, ac rationem contractus induit. In quo ſanè multa reperias, quæ neceſſariò requiruntur ad illud ſtatuendum, atque firmandum. Quæ partim ſunt cauſæ, partim effectus. Hoc eſt, quorum alia conſtituunt matrimonium, alia naturam ejus, & eſſentiam explicant, finem alia. Eſt nempe Matrimonium (moraliter loquendo) quoddam

compositum ex variis partibus constans. Igitur in Matrimonio hæc licet considerare. Consensum internum immanentem, actus externos, & sensibiles contractus, mutuam corporum traditionem. Tum vinculum quoddam, quod inde oritur. Et omnes passim fatentur, atque agnoscunt esse aliquod vinculum Matrimonij. Ad hæc mutuam obligationem ad reddendum debitum: insuper jus quod est in unoquoque ad alterum. Postremò usum, & consummationem Matrimonij.

Quæ omnia recenset, atque distinguit accuratissimus & exquisitissimus auctor, Thomas Sanches libro 2. de Matrimonio disp. 1. n. 2. Et ea Scholastici ad quatuor revocare solent, videlicet consensum, contractum, mutuam obligationem, seu vinculum, & copulam carnalem. Quidam etiam ad pauciora, confundentes contractum cum consensu.

Ex his autem consensus internus, & externus sunt causa efficiens Matrimonij, non autem ejus essentia: ita Concilium Florentinum in Decreto unionis Armeniorum: " causa efficiens, inquit, Matrimonij regu-" lariter est mutuus consensus per verba de " præsenti expressus. Si autem causa, certè evidenter colligitur, Matrimonium esse quippiam distinctum, & posterius mutuo consensu interno, & externo contractu, cùm nihil sit causa efficiens sui ipsius. Et præterea hujusmodi actus postquam transierint, non sunt, Matrimonio usque ad mortem perseverante. Nec item traditio corporum, quæ est immediatus effectus illius contractus, est essentia Matrimonij, quia illa similiter transit, Matrimonium durat. At neque obligatio ad reddendum debitum est quidditas Matrimonij: quia interveniente adulterio, vel ingressu religionis communi consensu, hæc cessat, durante Matrimonij consummati vinculo. Num igitur ipsa consummatio Matrimonij erit ejus essentia? Atqui multi communi consensu abstinuerunt à carnali copula, qui fuerunt veri conjuges. Et beatissima Virgo verum contraxit Matrimonium, virginitatis gloria permanente. Igitur à sufficienti enumeratione partium exclusis cæteris, superest, ut Matrimonium ipsum in illo vinculo, quo formaliter sunt conjuges summa necessitudine astricti, consistat. Ut autem magis clara sint, & quæ dicta sunt, & quæ dicentur, Notandum est hoc loco, duplex esse vinculum, alterum spirituale, quod ex solo consensu nascitur, alterum carnale, quod ex copula oritur. Hoc posterius ad illud prius refertur, illudque corroborat, atque confirmat, & unum cum eo efficitur. In hoc ergo vinculo posita est omnis vis Matrimonij.

Matrimonium enim est aliquid perpetuum, & tandiu durans, quandiu vivit uterque conjugum. Nihil autem præter vinculum est ejusmodi.

Deinde, quia Matrimonium est, id quod repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, estque hoc de fide ex Apostolo. Sed vinculum illud insolubile conjugatorum exprimit, & significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, non autem consensus, aut contractus. Minor est S. Thomæ in 4. d. 27. qu. 1. a. 2. q. 1. ad 2. Nec con-" sensus, inquit, propriè loquendo, con-" junctionem Christi ad Ecclesiam signifi-" cat, sed voluntatem ejus, qua factum est, " ut Ecclesiæ conjungeretur. Et probatur " etiam ex Augustino, qui libro de bono conjugali cap. 7. 18. & sæpè in eo libro ideo ait, tam insolubile vinculum esse Matrimonij inter fideles, cùm priùs non esset tam arctum, quia est Sacramentum insolubile conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Postremò, quia præcisis omnibus aliis, & retento solo vinculo conjugali, retinetur ratio Matrimonij: ergo in hoc solo consistit, quod aliis verbis alij dicunt: Matrimonium, & vinculum mutuò se ponunt, & interimunt, ergo. Patet antecedens, quia vinculum quædam præcedunt, quædam sequuntur: sed neque præcedentia, neque consequentia sunt simpliciter necessaria ad verum Matrimonium, & illis positis per impossibile, vel possibile sine vinculo non esset verum Matrimonium. Nam consequentia vinculum sunt jus exigendi, & obligatio reddendi debitum, & ipse usus Matrimonij. At non modò usus Matrimonij, sed etiam jus petendi, & obligatio

reddendi possunt tolli per solemnem professionem alterius consentiente altera parte, vel utriusque: vel per votum simplex aut utriusque, aut alterius de consensu conjugis: aut per divortium, & separationem thori legitimam, ad servandam castitatem ambobus conspirantibus. Aut per morbum perpetuum, vel fornicationem alterius. Ergo in his non consistit essentia Matrimonij.

Præcedentia verò vinculum, sunt mutuus consensus, contractus exterior, & traditio corporum. Sed consensus, & contractus possunt esse aliquando sine vinculo, & Matrimonio, cùm vel alter, vel uterque contrahentium est inhabilis ad contrahendum ex impedimento dirimente. Traditio verò corporum, & si non potest esse vera, & realis sine vero vinculo, eam partim antecedente, partim immediatè sequente; tamen traditio desinit, transacto actu tradendi, Matrimonium autem non desinit usque ad mortem alterius conjugis.

Deinde si Deus, ut fortè fecit cum Adamo & Eua, ipse immediatè daret jus viro in fœminam, & contrà, consocians eos mutuo vinculo, illi essent veri conjuges, & haberent vinculum Matrimonij sine ista celebratione contractus, & mutua traditione. Et rursus si vinculum hoc iis viventibus solueret auctoritate sua, ut fiebat apud Hebræos per libellum Repudij, quibuscunque aliis positis non esset Matrimonium: ergo essentia Matrimonij consistit præcisè in vinculo.

Ita S. Thomas in 4. d. 27. qu. 1. art. 2. „ quæstiuncula 1. ad 2. Dicendum, inquit, „ quòd Matrimonium non est ipse consen„ sus, sed quædam unio ordinatorum ad in„ vicem, ut dictum est, quam consensus facit. Idem docet Victoria summa de Matrimonio n. 248. Ledesma, & alij.

Quare cæteri quoque Scholastici, & legistæ communiter definiunt Matrimonium esse vinculum, obligationem, conjunctionem maritalem, & similia: & dicunt oriri ex contractu, traditione corporum, aut consensu. Manifestum autem est, illam esse rei essentiam, quæ de illa in recto prædicatur in definitione: Non autem illam, ex qua oriri, aut consequi, aut à qua fieri dicitur. Nam id ex quo aliquid oritur, aut à quo fit est prius, & est causa rei ortæ, aut factæ: nihil autem est efficiens sui, aut oriens ex se ipso.

Justinianus itaque Instit. de pat. potest. in principio sic definit, Matrimonium est maris & feminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens: & eodem modo definit Alexander tertius c. illud de præsumptione; quam definitionem Theologi, & Canonistæ passim recipiunt. Addunt nonnulli voces illas, maritalis, &, inter legitimas personas, ut conditiones Matrimonij meliùs explicent, hoc modo: Matrimonium est conjunctio maritalis viri, & feminæ inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. Ponitur in definitione conjunctio, quia in ea consistit esse matrimonij: dicitur maritalis, ad explicandum fundamentum, unde ortum habeat hæc conjunctio, scilicet ex mutua traditione corporum; quippe in sponsalibus est etiam vinculum, & conjunctio, sed quæ oritur ex promissione. Additur viri, & feminæ, ad differentiam conjunctionis militum sub uno duce. Inter legitimas personas, hoc est non habentes impedimentum dirimens, ad significandum subjectum. Non enim omnis vir cum qualibet femina potest contrahere Matrimonium, quod etiam observabant gentiles. Unde Sotades Poëta teste Athenæo in libro 14. & Plutarcho de puerorum institutione, in Ptolemæum Regem Ægypti, qui Arsinoem sororem germanam in uxorem duxerat, facetè dixerat: εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς. In illicitum „ foramen aculeum pellis: ob quod capite „ plexus est. Tandem dicitur, quòd retineat individuam vitæ consuetudinem: ad exprimendum finem Matrimonij, cujus proprium est, ut referatur ad genus propagandum, atque ad hoc præstandum, ut ejus vinculum minimè cæterorum more contractuum, dissoluatur.

Hæc de Matrimonio, quatenus est officium naturæ, leviter attigisse à præsenti argumento non alienum esse existimo.

Quippe iis, quæ in hoc libro deinceps tractanda sunt, poterunt egregiè inservire.

De Sacramento Matrimonij, ejusque materia & forma, ac discrimine rati, & consummati.

CAPUT II.

Matrimonium Christus Dominus ad Sacramenti dignitatem evexit, relicta prorsus intacta ejus natura. Unde causæ quæ constituunt Matrimonium quatenus est homini quid naturale, hoc est, ex naturali inclinatione proveniens, eædem constituunt Sacramentum.

Est autem notandum Sacramentum Matrimonij dupliciter considerari posse, ut vel in fieri sit, vel in facto. Sive ut loquitur supplementum Gabriëlis d. 26. qu. unica art. 1. transitivè, & intransitivè.

Si consideretur in fieri, tota ejus essentia, & natura sita est in ratione contractus. Natura verò contractus ejusmodi est, ut unus exhibeat aliquid, alter acceptet. Si quid horum desit, nihil valet contractus. Unde si quis largiatur aliquid alicui, illo non acceptante, nihil valet donatio. Si itaque mulier tradiderit viro suum corpus per verba de præsenti, & vicissim vir mulieri suum, & invicem acceptaverint, statim oritur Matrimonium. Igitur Christus Dominus hujusmodi actus dandi, & acceptandi ad excellentiam Sacramenti extulit; ita ut producant gratiam sacramentalem, sintque causa, & signum illius. Quippe Sacramentum est rei sacræ signum.

Et quoniam Sacramenta novæ legis constant ex materia & forma, in ipso contractu quærenda est materia, & forma Sacramenti Matrimonij. Actus itaque offerendi tenet se ex parte materiæ: actus acceptandi ex parte formæ. Hìc enim posterior actus priorem determinat, & omnino perficit, quod est proprium formæ. Quare in hoc sensu vera est sententia illorum, qui asserunt in verbis, seu signis conjugum materiam reperiri & formam: verba enim unius conjugis internum consensum exprimentia, quatenus determinant alterius verba, forma sunt. Quatenus determinantur à verbis alterius, materia dici possunt. Et in eodem sensu rectè etiam definiunt quidam, Sacramentum Matrimonij esse contractum viri, & feminæ legitimum, quo mutua corporum traditur potestas, gratiæ spiritualis collativum. Personæ verò contrahentes dicuntur materia, circa quam: ut in venditione, & emptione domus, non est pars contractus domus, est tamen materia circa quam solet fieri contractus.

Si autem Sacramentum matrimonij consideretur jam celebratum, & in facto esse, tota ejus essentia sita est in materia matrimonij, hoc est, in ipso vinculo. Quod sanè vinculum Christus Dominus ad eminentiam Sacramenti sublevavit. Unde à Theologis communiter dicitur res, & Sacramentum. Res quidem, quia est effectus Sacramenti in fieri. Sacramentum verò, quia causat eandem gratiam. Immò vinculum immediatè respicit, & producit gratiam: Sacramentum in fieri mediatè, hoc est, mediante vinculo. Posito enim vinculo, statim producitur gratia. Quemadmodum in Sacramentis relinquentibus characterem, character est res, & sacramentum: res, tanquam effectus sacramenti; sacramentum, tanquam qui immediatè efficit gratiam.

Neque tamen hìc duo sacramenta intelligimus, alterum in fieri, alterum in facto esse, sed unum, & idem sub diversa consideratione.

Hanc verò duplicem considerationem facilè colligimus ex Concilio Florentino in Decreto unionis Armeniorum. Dum enim Concilium decernit, Sacramenta debere constare ex materia, & forma, necesse est, matrimonium quoque Sacramentum existens eandem subire conditionem. At si consideretur in facto esse, materiam quidem possumus, sed formam nullam possumus ei assignare. Est enim materia, externa conjugum societas, & conjunctio; sive ipsi conjuges vinculo astricti, & consociati: & hac ratione per-

ſonæ contrahentes non ſolùm ſunt materia, circa quam, ſed etiam ex qua Sacramentum matrimonij conſtat.

At forma quænam erit? Et tamen in Sacramento Matrimonij conſiderato in fieri, non fuit difficile nobis eam inveſtigare, atque invenire. Igitur Concilium Florentinum illo modo ſuo loquendi, dat nobis occaſionem intelligendi, Sacramentum Matrimonij in fieri. Idem poſtea Concilium in eodem Decreto, dum ait, » Septimum eſt Sacramentum Matrimonij, » quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti, & » Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicen- » tem, Sacramentum hoc magnum eſt, ego » autem dico in Chriſto & Eccleſia, omni- » no Sacramentum in facto eſſe intelligit. Non enim actus contrahentium, conſentientium, in contractu conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſignificant: cùm ejuſmodi actus tantùm voluntatem Chriſti conjungendi ſe cum Eccleſia denotent, ut ex S. Thoma ſuprà docuimus, ſed ipſi conjuncti vinculo hoc permanente illam ſignificant.

Vinculum enim matrimonij ex inſtitutione Chriſti, eſt ſymbolum externum repræſentans conjunctionem ſpiritualem per charitatem Dei, ſeu Chriſti cum anima juſti, fitque hoc modo matrimonium ratum. Et ſi apponatur altera pars matrimonij, quæ illud perficit, videlicet conſummatio, id eſt vinculum, ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: quæ dupliciter fit, cùm per naturæ conformitatem, tum etiam per charitatem.

Unde diſcrimen inter matrimonium ratum & conſummatum hoc eſt, quòd aliud ſignificat ratum, aliud & alio modo conſummatum. Utrumque tamen eſt rei ſacræ ſignum, & idem Sacramentum. Quare differentia non eſt eſſentialis. Neque tamen eſt accidentalis. Non enim rectè dixerit aliquis, accidens deſiderari in homine, cui deeſt brachium, vel pes, aut aliqua alia pars integralis. Porrò conſummatio matrimonij, ut etiam eſt matrimonium officium naturæ, non eſt perfectio accidentalis, ſed integralis. Ut enim in venditione, per quam traditur poteſtas ad uſum rei, traditio poſſeſſionis non eſt accidentalis, ſed per eam integrè completur, quæ priùs eſſentialiter erat perfecta venditio; ita etiam in matrimonio, per quod datur poteſtas ad corpus, conſummatio, quæ tendit ad tradendam poſſeſſionem, perficit integrè matrimonium, & per conſequens complet illud in ſua perfecta ſignificatione conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Uunum ſupereſt quærendum, & explicandum. Cùm matrimonium in facto, quale deſcribit Concilium Florentinum per ſignificationem conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, ſit verè, & propriè Sacramentum, idque ſit de fide, de fide item ſit Sacramenta conſtare ex materia, & forma, utrum hujuſmodi matrimonium conſtet ex materia, & forma. Hæc enim duo ſimul ſervanda ſunt: eſſe Sacramentum, & ex materia, & forma conſtare. Quamvis enim ſuprà dum loqueremur de matrimonio in facto eſſe, materiam circa quam, & ex qua dixerimus eſſe ipſos conjuges vinculo maritali conjunctos: tamen cùm ejuſmodi materia nullam habeat formam ſibi reſpondentem, non de hac materia intelligendum eſſe videtur Concilium, dum ait, Sacramenta conſtare ex materia, & forma.

Negavimus itaque conſtare ex materia, & forma, ſi intelligatur, quod debeat Sacramentum materiam, & formam intrinſecè involuere. Si autem non intelligatur intrinſecè involuere, hoc modo conſtare concedimus. Non enim ſemper materia, & forma ſunt de eſſentia Sacramenti.

Nam etiam de fide eſt materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum vitis, non ſolùm circa quam, ſed etiam ex qua, ſunt enim terminus à quo. Formam verò verba Domini per Sacerdotem prolata, ut expreſsè declaratur in Concilio Florentino. Et tamen neutra pars ingreditur conſtitutionem ſacramenti Euchariſtiæ. Nam verba, quando incipit eſſe Euchariſtia, jam non ſunt, & Euchariſtia permanet longo tempore poſt verba. Panis autem, & vinum tranſubſtantiantur, & deſinunt eſſe per inceptionem Euchariſtiæ.

Ergo non est necesse materiam, & formam Sacramenti semper ingredi constitutionem Sacramenti. Quare quemadmodum essentia Eucharistiæ præsupponit consecrationem, & panem, sed non involuit intrinsecè: Eadem ratione vinculum, sive matrimonium in facto esse præsupponit actus contrahentium, ut materiam, & formam, nec tamen involuit in sua essentia.

Ut autem post multa, quæ de matrimonio disseruimus, ad res Græcorum propiùs accedamus, quandoquidem de materia, & forma hujus Sacramenti agimus, quod ad hanc rem pertinet, nulla prorsus est difficultas. Præbent enim personæ Græcorum sibi mutuum consensum, & matrimonium contrahunt. Eædemque personæ vicem ministri supplent, quandoquidem ipsæ pronunciant formam Sacramenti, ego te accipio in meam, ego te accipio in meum: vel similia verba, seu signa æquivalentia mutui consensus ostendunt. Parochus autem præsentibus testibus tantùm declarat, approbat, & solemni precatione, cerimoniaque matrimonium benedicit.

Duo tamen Canones Basilij Magni in Epistola ad Amphilochium, videlicet 40. & 42. sunt diligenter notandi: quippe vir sanctus earum nuptias, quæ in potestate sunt alterius, quales sunt ancillæ, & filiæ, si præter voluntatem dominorum, & parentum viris se dederint, irritas esse decernit: quod idem dicit, & de conjugiis filiorum.

Canon quadragesimus sic habet: ἡ παρὰ γνώμην τοῦ δεσπότου ἀνδρὶ ἑαυτὴν ἐκδοῦσα, ἐπόρνευσεν. εἰ δὲ μετὰ ταῦτα (Ζωναρᾶς, μετὰ τὸ πορνεῦσαι δηλαδὴ, ἢ ἐλευθερωθεῖσα, ἢ παραχωρήσαντος τοῦ δεσπότου) πεπαρρησιασμένῳ γάμῳ χρήσεται, ἐγήματο. ὥστε ἐκεῖνο μὲν πορνεία, τοῦτο δὲ γάμος. αἱ γὰρ συνθῆκαι τῶν ὑπεξουσίων, οὐδὲν ἔχουσι τὸ βέβαιον. Quæ contra voluntatem sui domini, viro se ipsam tradidit, fornicata est. Si verò postea (Zonaras, scilicet post fornicationem, vel libertate donata, vel permittente domino) liberis nuptiis usa fuerit, uxor censetur, ita ut illud fornicatio, hoc connubium sit. Pacta enim alieno juri subjectorum, nihil habent firmitatis.

Canon quadragesimus secundus, οἱ ἄνευ τῶν κρατούντων γάμοι, πορνεῖαί εἰσιν. οὔτε οὖν πατρὸς ζῶντος, οὔτε δεσπότου, οἱ συνιόντες ἀνεύθυνοι εἰσίν. ὡς ἐὰν ἐπινεύσωσιν οἱ κύριοι τὴν συνοίκησιν, τότε λαμβάνει τὸ τοῦ γάμου βέβαιον. Conjugia sine consensu superiorum contracta, fornicationes sunt. Igitur neque vivente patre, neque domino, qui matrimonium contrahunt, à culpa liberantur. Quod si domini cohabitationem concesserint, tum conjugium accipit firmitatem.

Hæc similiter reperiuntur in jure civili, à quo verisimile est, fuisse sumpta. Sed jus Canonicum meritò hæc castigat, atque declarat hujusmodi matrimonia esse valida: per consequens nullam intervenire fornicationem.

Quamvis autem Basilius idem faciat judicium de servis, & filiis, quorum conjugia irrita sint, quòd in aliorum sint potestate; quia tamen longè diversa est servorum conditio à conditione filiorum, distinctè hæc tractanda erunt.

Servorum conjugia irrita-ne sint, an valida.

CAPUT III.

Nota primò, Basilium per servam, vel servum non intelligere adscriptitios, quales sunt, qui prædio colendo sunt perpetuò addicti. Neque eorum filios, qui, quòd ex his oriuntur, originarij vocantur. Hi enim quamvis ad certas operas teneantur, & census annuos dominis solvant; tamen sunt liberi, & nulla cura est dominis de illorum matrimoniis; sed intelligere verè servos, & mancipia, qui ita sunt domini, ut eos ubicumque, & quandocumque voluerit, venundare possit.

Nota secundò, ad Canonem Basilianum posset aliquis hoc modo respondere. Matrimonia ancillarum nihil valere, si fiant cum liberis conditionem servilem ignorantibus. Sed hunc sensum non admittunt Basilij verba. Non enim Basilius prætendit ignorationem conditionis, sed propterea dicit non esse valida, quòd ea sint in alterius potestate, proinde nequeant

præstare liberum consensum.

Igitur opinio Basilij his rationibus astrui potest.

Primò, quia talis servitus est contra substantiam matrimonij, nempe corporis traditionem, quam servus liberè præstare nequit. Unde B. Thomas in 4. d. 36. q. unica a. 1. in corpore, comparat servitutem naturali impotentiæ. Sicut enim hæc impedit omnino matrimonij usum, ita illa liberum.

Confirmatur, quia si in contractu matrimonij ea conditio apponeretur, ut non teneretur conjux habitare cum conjuge, & illi debitum reddere, nisi quando dominus voluerit, matrimonium esset nullum, ob conditionem matrimonij substantiæ adversam. At ea conditio tacitè inest in servi matrimonio.

Secundò, quia hujusmodi servitus valde adversatur bonis matrimonij, bono Sacramenti, & individuæ cohabitationi: cùm servus debeat in domo domini habitare, ab eoque possit mitti in partes remotas vendendus. Bono fidei, quia non potest ad libitum reddere debitum, sed cùm ei vacaverit, satisfeceritque obsequiis, in quibus à domino occupatur. Bono prolis, quia nequibit eam alere, cùm omnia domino acquirat. Nec erit in parentis potestate, ut religiosè educetur, cùm & proles servituti subjiciatur. Et in summa, cùm quicquid agit, agat ut servus, non potest liberè tradere potestatem sui corporis, nec domicilium mutare, &c.

Tertiò, quia leges civiles hujusmodi contractum sine consensu dominorum irritum faciunt. At Sacramentum fundatur in contractu civili valido. Igitur in tali servorum contractu matrimonium consistere minimè potest.

Postremò, quia Ecclesia, ubi intercedit error conditionis servilis, ut si liber matrimonium ineat ignoranter cum serva, dirimit matrimonium: quod non faceret, si matrimonium in statu servitutis consistere posset.

Contrà verò valere servorum matrimonium ex eo probatur, quòd inter servos consentientes vera reperiatur essentia matrimonij, quæ in hoc consistit, ut liberè possit exigi & reddi debitum. Servitus autem absolutè, & simpliciter non impedit usum matrimonij liberum, sed tantùm certis temporibus, nimirum quando justè & rationabiliter occupat dominus servum. At hoc non adversatur substantiæ matrimonij, quæ contenta est absoluta potestatis corporis traditione, & obligatione ad reddendum debitum, quando legitimum impedimentum non obstat. Alioquin multa reperiuntur in vita humana, quæ certis temporibus impediunt usum matrimonij, nec tamen matrimonium dirimunt. Ut si maritus sive mercaturæ, sive justi negotij causa in longinqua regione multos annos peregrinetur.

Confirmatur, quia lepra, vel morbus diuturnus plus impediunt liberum usum matrimonij, quàm servitus; & tamen illa non dirimunt, igitur multò minùs servitus.

Ex his autem patet solutio ad primum argumentum.

Ad auctoritatem S. Thomæ respondeo, eum ex illa non omnimoda similitudine, congruentem rationem sumere ad probandum, Ecclesiam jure optimo irritasse matrimonia cum errore conditionis inita. Quemadmodum enim naturalis impotentia tollit simpliciter usum, ita servitus aliquo modo tollit liberum. Quod incommodum, si sciret liber, non præberet consensum. Unde videtur hac ex parte consensus non voluntarius, & per consequens minimè aptus ad iniendum matrimonium.

Ad confirmationem dicendum, longè disparem esse rationem, si ponatur ea conditio, & si non ponatur. Qui enim dicit, se non teneri habitare, aut debitum reddere, nisi cùm alter tertius voluerit, tollit sibi penitus libertatem: proinde irritum est matrimonium, cùm possit ex hac conditione tertius semper impedire. At servus cùm non expresè, nec tacitè ponat hanc conditionem, validè contrahit: quia dominus non potest semper impedire servo justum, & rationi consonum matrimonij usum. Idque sufficit ad servandam essentiam matrimonij, quæ non adstringit

ad semper, & ubique reddendum debitum, sed quoties legitimum impedimentum non obstiterit. Tunc enim non tenetur servus reddere debitum: quippe natura status servilis supponit non teneri servum reddere debitum, quando ex justa causa impeditur à domino.

Ad secundum argumentum respondeo, illos fines, & bona matrimonij, quando non ignorantur, non esse tanti, ut essentiam matrimonij destruere possint. Ut autem potest servus aliò mitti vendendus, ita potest liber uxoratus captivus fieri, & in longinquas regiones duci, & similiter vendi, & fere semper ab uxore sejunctus vivere. Quod incommodum minimè invalidum reddit matrimonium.

Tertio argumento sic posset aliquis satisfacere, contractum civilem in materia matrimonij validum, aut minus validum censeri, ubi etiam accesserit auctoritas Ecclesiæ, idque meritò, cùm matrimonium non solùm contractus civilis, sed etiam Sacramentum existat. Cùm igitur leges civiles quandoque minus justa decernant, ad Ecclesiam spectare videtur, in hujusmodi rebus quodammodo mixtis, quæ partim sunt sæculares, partim spirituales, considerata eorum natura declarare, quis contractus ut verus valeat, & sit recipiendus, quis item, ut minus syncerus, rejiciendus. Declarat autem Ecclesia contractum servorum valere. Jus enim gentium, quo servitus introducta est, non potest id auferre, quod jus naturæ concessit. Unde servi, postquam obsequiis dominorum fecerint satis, liberi sunt ad operam dandam matrimonio; neque à dominis possunt nisi περγνικῶς impediri.

Ad vltimum, quòd Ecclesia dirimat matrimonium servi cum libera conditionis ignara, vel contra servæ cum libero similiter conditionis ignaro, non est mirum, immo & necessarium propter has causas. Cùm enim duo includat matrimonij substantia, personas, & mutuam corporum traditionem, in hoc casu hæc videntur deficere. Quippe committitur error in persona, quæ putabatur libera, & non est. Per consequens conditio servilis aufert liberam corporis traditionem. Si quis autem equum vendat, cujus usus ex alterius voluntate pendeat, idque taceat, irrita est jure naturæ venditio. Cùm intrinsecè eo tendat venditio, ut dominium cum libera usus rei venditæ potestate transeat in emptorem. At usus corporis servi pendet magna ex parte ex domini voluntate: ergo matrimonium, per quod servus liberæ tradit dominium sui corporis, tacito impedimento illo liberi usus, est jure naturæ irritum.

Adde quòd conditionis error valde adversatur bonis matrimonij, quæ contrahens liber existens principaliter potest velle, & magna ex parte in tali matrimonio deficiunt. Unde sequitur, eum non ferri vero consensu in illud matrimonium. Secus est quando conditionis est conscius: tunc enim cedit juri suo, & adest plenè consensus.

Vtrum Matrimonia filiorum sine consensu parentum sint valida.

Caput IV.

NEgat Basilius, ad cujus canonem respondere possemus, eum intelligere matrimonia, quæ fiunt ante annos pubertatis. Tunc enim homines non habent plenum judicium rationis, & per consequens non sunt domini actuum suorum; quare filij sunt in potestate parentum, præter quorum voluntatem nec matrimonia inire, nec vota vovere possunt, & si fiant eo tempore, à parentibus irritari possunt. Sic, inquam, possemus respondere, nisi hanc intelligentiam respuerent Basilij verba, qui profectò censet irrita esse matrimonia filiorum, quandiu vivunt parentes, si eorum consensum sustuleris; sic enim concludit in eo Canone 42. οὔτε πατρὸς ζῶντος, οὔτε δεσπότου, οἱ συνιόντες ἀνεύθυνοι εἰσι. « Neque vivente patre, neque domino, qui « contrahunt à culpa liberantur. Per culpam autem ex antecedentibus, & consequentibus verbis Canonis, fornicationem intelligit. Hac verò ratione alteram etiam excludit expositionem, quam posset aliquis adhibere

hibere dicendo, filios quandoque peccare quidem contra voluntatem parentum matrimonium contrahentes; matrimonium tamen tenere. Atqui hoc etiam rejicit Doctor; non enim esset ὁ τοιοῦτος γάμος πορνεία, fornicatio, si matrimonium teneret. Itaque vult Basilius, liberos nondum matrimonio conjunctos in potestate esse parentum, non modò usque ad annos pubertatis, sed quandiù vivunt parentes.

Cur autem ita senserit Basilius? Probabile est propter leges civiles, quæ nondum erant castigatæ à Jure Canonico. Neque unus Basilius hoc præstare poterat; quod tamen postea præstiterunt varij Pontifices, & Concilia.

Sed non est difficile ex divina scriptura probare contrarium ejus, quod tenet Basilius.

Nam ut egregiè disserit Illustrissimus Bellarminus de Matrimonij Sacramento libro primo cap. 19. Esau Gen. 26. duxit uxores duas non ex sententia parentum, immò quæ animum illorum offenderant. Et rursus cap. 28. accepit tertiam contra eorumdem parentum voluntatem. Nec tamen Isaac ea conjugia irritavit. Et scriptura simpliciter eas uxores appellat. Non acquiesco exemplis Esau. Jacob Gen. 29. & 30. duxit quidem uxorem unam juxta consilium parentum, sed alias tres, & præsertim duas ancillas insciis parentibus. Quod non fecisset, si parentum necessariò requireretur consensus. Tobias, ut legimus cap. 7. libri Tobiæ, accepit uxorem in aliena regione, parentibus ignorantibus. Nec tamen Angelus Raphaël, qui eum comitabatur, eum admonuit, ut parentum consensum expectaret. Neque ipse religioni sibi duxit; insciis parentibus id facere.

Deinde si matrimonium servorum valet, ut jam ex communi sententia probavimus, multo magis valebit filiorum. Si quidem non est peior conditio istorum, quàm sit illorum; immò magis subjiciuntur servi dominis, quàm filij parentibus.

Ad hæc, datur casus, in quo non solùm filius non peccat inscio patre, sed etiam non peccat invito patre ducendo uxorem: ut si pater injustè prohibeat filium à conjugio, & causa majoris dotis non nisi indignam mulierem, aut etiam hæreticam ei dare velit. Certè hîc parum refert, quòd vivat pater, & non consentiat, si filius Catholicam duxerit. Quamobrem leges quoque civiles non ita universè, atque faciat Basilius, subjiciunt filios parentibus, sed excipiunt nonnullos casus.

Postremò in ejusmodi filiorum conjugio nihil deest, quod spectet ad essentiam: igitur validum erit. Adest enim materia Sacramenti, personæ ipsæ idoneæ ad contrahendum. Adest forma, hoc est verba de præsenti, seu signa mutui consensus, per consequens adest intentio ministri, quæ est eorumdem consensum præbentium; verum igitur, & ratum erit.

Negaret Basilius adesse plenum, ac sufficientem consensum. Quandoquidem consensus filiorum, subordinatur parentum consensui.

At hoc verum est ante annos pubertatis: ubi verò usus liberi arbitrij accesserit, quando & peccare possunt filij, & bene mereri, tam liberi sunt filij, & sui juris, quàm parentes in his, quæ ad statum vitæ pertinent.

Quod ex eo etiam probatur. Nam filij jam puberes invitis parentibus Monasteria religionis ingredi, ac statum Monasticum amplecti possunt. Haud verò scio an Basilius Monachorum τῶν κοινοβίων καθηγεμὼν, ac religiosorum facilè princeps, id inficiaretur.

Argumenta verò, quæ communi sententiæ Theologorum opponuntur, solùm probant, plerumque filios contra voluntatem parentum uxorem ducentes peccare. Quod nos etiam fatemur. Siquidem parentes passim amant filios, & meliùs sciunt illis consulere. Sed non omnia, quæ fiunt cum peccato irrita sunt. Ut si quis etiam non relicto animo peccandi, & ideò cum peccato ad baptismum accedat, non propterea Baptismus erit irritus, atque iterandus.

De indissolubili vinculo Matrimonij.

CAPUT V.

INsolubilitas matrimonij provenit vel ex jure divino naturali, & natura ipsius

matrimonij, vel tantùm ex jure divino positivo (Pontificium prætereo, quòd illud, vel idem sit cum divino, vel quando diversum, non tamen cõtrarium, numquam enim contrarium est, & possit mutari) vel ex ratione ipsa Sacramenti. Et quoniam Sacramentum continet in se gradus matrimonij, videlicet rati, & consummati, hæc illius tanta firmitas, vel oritur ex significatione rati, vel consummati.

Observandum enim est, matrimonium ratum, & consummatum quoad significationem hoc distare inter se, quòd ratum significat unionem Christi cum anima existente in gratia; & cùm Ecclesia per charitatem, quæ velut ex paribus justorum animis conflatur & constat. Consummatum verò repræsentat conjunctionem cum tota Ecclesia per incarnationis mysterium, non solùm per charitatem. Quippe consummatum non fit, nisi per carnalem copulam, qua efficiuntur conjuges una caro. Christus item per carnem assumptam factus est una caro cum Ecclesia, id quod ait Apostolus ad Ephesios c. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Græcè εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. In Christum, & in Ecclesiam. Hoc est, ego interpretor esse magnum, & esse Sacramentum, qua refertur in Christum & Ecclesiam. Egregié Chrysostomus in homilia, cujus titulus, περὶ τοῦ ποίας δεῖ ἄγεσθαι γυναῖκας, quales ducendæ sunt uxores. εἰδὼς τοίνυν ἡλίκον μυστήριόν ἐστιν ὁ γάμος, καὶ ἡλίκου πράγματος τύπος (τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ἐκκλησίας) μὴ ἁπλῶς, μὴ δὲ ὡς ἔτυχε περὶ τούτου βουλεύου. Sciens igitur, inquit, quantum sit mysterium matrimonium, & quantæ rei signum (id est Christi, & Ecclesiæ) neque simpliciter, neque nimis temere de eo statuendum puta. Similiter exponunt Nazianzenus in oratione 31. & alij. Quia videlicet matrimonium significat, & repræsentat Christi, & Ecclesiæ spirituale conjugium & conjunctionem quæ dupliciter facta est; cùm per naturæ conformitatem, ideo enim Apostolus priùs dixerat, erunt duo in carne una; tum per charitatem, quod est proprium sponsi & sponsæ.

Ut igitur à primo membro incipiamus; matrimonium videtur esse indissolubile jure naturali. Nam Christus Dominus interrogatus à Judæis, cur Moyses permiserit libellum repudij, respondit, propter duritiam cordis illorum, à principio autem non fuisse sic. Et re vera formasse Evam ex costa Adami, ita ut ipse spiritu prophetico evigilans dixerit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Deinde eam consociasse, atque adeo intimè conjunxisse, ut essent duo in carne una: hæc quid aliud sibi volunt, si matrimonij naturalem insolubilitatem non exprimunt?

Unde Chrysostomus homilia 65. in cap. 19. Matthæi ponderans verba Scripturæ, colligit hanc tantam conjunctionem, & per consequens indissolubilitatem: νῦν δὲ καὶ τῷ τρόπῳ τῆς δημιουργίας, καὶ τῷ τρόπῳ τῆς νομοθεσίας ἔδειξεν ὅτι ἕνα δεῖ μιᾷ συνοικεῖν διὰ παντὸς, καὶ μηδέποτε διαῤῥήγνυσθαι. καὶ ὅρα πῶς φησι, ὁ ποιήσας ἐξ ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησε. τουτέστι καὶ ἐκ μιᾶς ῥίζης ἐγένοντο, καὶ εἰς ἓν σῶμα συνῆλθον. ἔσονται γὰρ φησιν οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Nunc, inquit, & creationis, & sanctionis modo unam uni perpetuo conjungi, & nunquam rescindi oportere perdocuit. Et nota quomodo loquatur, qui fecit à principio masculum, & fœminam fecit. Hoc est, ex una radice germinarunt, & in unum corpus convenerunt, erunt enim, inquit, duo in carnem unam.

Idem ibidem, οὐδὲ ἁπλῶς προσήγαγε τὴν γυναῖκα τῷ ἀνδρὶ, ἀλλὰ καὶ μητέρα ἀφεῖναι ἐκέλευσε καὶ πατέρα. καὶ οὐδὲ ἐλθεῖν πρὸς τὴν γυναῖκα ἁπλῶς ἐνομοθέτησεν, ἀλλὰ καὶ προσκολληθῆναι, τῷ τρόπῳ τῆς λέξεως τὸ ἀδιάσπαστον ἐμφαίνων. καὶ οὐδὲ μέχρι τούτων ἠρκέσθη, ἀλλὰ καὶ ἑτέραν μείζονα συνάφειαν ἐζήτησαν. ἔσονται γάρ φησιν οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Neque adeo simpliciter uxorem viro in manum convenire, verum, & matrem, & patrem deserere jussit. Neque virum ad uxorem suam accedere debere simpliciter sanxit, sed etiam adglutinari. Ea loquendi ratione indissolubilitatem ostendens. Nec eo solùm contentus fuit, sed & aliam majorem conjunctionem significare voluit; cùm ait, erunt duo in carne una. Et pauló pòst: ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σάρξ μία. ὥσπερ γὰρ σάρ-

καὶ τέμνειν ἐναγές, οὕτω καὶ γυναῖκα διαστῆσαι παράνομον. καὶ οὐκ ἔστη μέχρι τούτου, ἀλλὰ καὶ τὸν Θεὸν ἐπήγαγε λέγων, ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. δεικνὺς ὅτι καὶ παρὰ φύσιν, καὶ παρὰ νόμον τὸ γινόμενον. παρὰ φύσιν μὲν, ὅτι μία διατέμνεται σάρξ. παρὰ νόμον δὲ, ὅτι τοῦ Θεοῦ συνάψαντος, καὶ κελεύσαντος μὴ διαιρεῖσθαι, αὐτοὶ συνέθεσθε τοῦτο δρᾶν. Quare non amplius ſunt duo, ſed caro una. Quemadmodum igitur ſcelus eſt in duo dividere carnem unam, ſic & mulierem à viro ſuo ſejungere iniquiſſimum eſt. Neque in hoc ſtetit, ſed Deum quoque attulit dicens, quod igitur Deus conjunxit homo non ſeparet: ita oſtendit & præter naturam, & contra legem eſſe repudium. Præter naturam quidem, quia una caro inciditur. Contra legem autem, quia cùm Deus conjunxerit, ac juſſerit non ſeparari, ipſi (ô Phariſæi) communi conſenſu ſtatuiſtis hoc facere. Hactenus Chryſoſtomus, quem ſequuntur alij quoque Doctores.

Deinde, ſi matrimonium non eſſet indiſſolubile jure naturæ, per mutuum conſenſum cæterorum contractuum more diſſolui poſſet, & tamen non poteſt.

Poſtremò, matrimonium ex ſua inſtitutione ordinatur ad educandam ſobolem, quod commodè fieri non poteſt, niſi ſuapte natura ſit indiſſolubile. Si enim femina modò uni, modò alteri nubat, ſoboles erit incerta, maleque educabitur. Quod ut melius intelligatur obſervandum eſt: Naturam duplicem appetitum animantibus ingeneraſſe, alterum ad cibum, alterum ad generationem; Inde oritur duplex intentio naturæ, primò quidem conſervandi ſe in ſe, nimirum per alimentum, quo vita conſervatur. Quod cum perpetuò fieri nequeat, ſecundò ſaltem conſervandi ſe in alio, nempe per generationem, per quam natura multiplicatur: quæ ut faciliùs fierent, addidit natura delectationem, quæ condimentum operationum eſt, teſte Ariſtotele 10. Ethic. cap. 4. eſtque hoc commune homini cum cæteris animantibus. Cæterum cùm natura ſit perfecta, non tantùm intendit ad generationem, ſed etiam ad perducendam prolem ipſam ad perfectionem. Et quidem reliquis animantibus à primo ortu naturam tam providè contuliſſe, ut ipſis per ſe ſuppeteret, quidquid ad vitam tuendam, & conſervandam erat neceſſarium, ut non magnopere aliorum ſubſidiis indigerent, facile eſt advertere. Homo autem tanta cum miſeria, & imbecillitate ex matris viſceribus effunditur, ut trunci inſtar immobilis jaceat, nec ſine alterius ope vel labra maternis uberibus poſſit admovere. Deinceps autem quo magis adoleſcit, eo magis aliorum operam requirit. Ne igitur in ſolo homine animantium principe natura fruſtraretur, efficit ut parentes ipſi prolem ad perfectum hominis ſtatum, qua homo eſt, perducerent. Hinc habent liberi à parentibus non ſolùm quæ ſunt neceſſaria ad curandum corpus, ſed etiam ad formandum animum, eſſe, nutrimentum, inſtitutionem. Porro neceſſarium erat ad hoc matrimonium, ut parentes illa conferrent puero. Et quia matrimonium conducit ad hunc naturæ finem, dicitur homini naturale. Si itaque ſolveretur matrimonium, & eſſet libera conjunctio & vagus concubitus, eſſet etiam incerta proles, & ex incertitudine tepeſceret amor, & educationis diſciplinæque cura negligeretur. Unde maximum detrimentum proli ſequeretur, & per conſequens natura ſuum finem non aſſequeretur. Hæc igitur probant naturalem indiſſolubilitatem matrimonij.

Verùm quia jus naturale idem eſt apud omnes gentes, ſemperque manet immutatum; matrimonium verò non æquè omnes coluerunt, ſed inter Ethnicos reperti ſunt ſapientiſſimi viri, ac juris naturalis præſtantiſſimi inveſtigatores, qui exiſtimarent, licitum eſſe repudium. Et profectò, cùm matrimonium propagandæ ſobolis cauſa, & evitandæ fornicationis ſit inſtitutum, poſſet dictante ratione ſterilis, & perpetuo morbo laborans dimitti. Adde quòd matrimonium conſummatum ante legem Evangelicam per repudium diſſolvebatur, & poſt legem Evangelicam poteſt diſſolvi, ſi contrahatur in infidelitate, & alter conjux convertatur ad fidem. Igitur propter has, & ſimiles

rationes conſtat matrimonium ſnapte natura non habere omni ex parte illam inſolubilitatem, habere nihilominus tantam, ut nulla ratione cæterorum contractuum more diſſolvi queat.

Secundò probatur ejus inſolubilitas meliùs ex jure divino poſitivo. Matthæi 19. Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ubi Chryſoſtomus loco proximè citato: εἶτα φοβερὸν ποιῶν τὸ ταύτης κατηγορεῖν τῆς νομοθεσίας, καὶ πηγνὺς τὸν νόμον, οὐκ εἶπε, μὴ διασπᾶτε τοίνυν, μηδὲ χωρίζετε. ἀλλὰ τί; ἃ ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.
„ Deinde, inquit, ſanctionem legis carpere
„ oſtendens horrendum eſſe, ac legem ſta-
„ biliens non dixit, ne igitur dirimite, neque
„ ſeparate. Sed quidnam? Quæ Deus con-
„ junxit, homo non ſeparet. Item probatur
„ ex priore ad Corinthios cap. 7. His qui
„ matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego,
„ ſed Dominus, uxorem à viro non diſcede-
„ re. & ad Romanos cap. 9. Mulier vivente
„ viro alligata eſt legi.

Poſtremò probatur propriiſſimè ejus firmitas ratione ſacramenti, propter quod etiam extat jus divinum poſitivum. Sacramenti, inquam, non quatenus ſignificatur per matrimonium ratum, ſed conſummatum. Ratum enim tam ſecundum Latinos, quàm ſecundum Græcos ex rationabili cauſa poteſt diſſolui, & ideo diximus, illud ſignificare conjunctionem cum anima juſti exiſtente in gratia, quæ per culpam letalem ſolubilis eſt. At de matrimonio conſummato Chriſtus dixit, Quod Deus conjunxit homo non ſeparet. Quód ex eo probatur, quia præceſſerunt illa alia verba, erunt duo in carne una, quod ſanè per carnalem copulam efficitur. Hoc igitur repræſentat conjunctionem Chriſti cum tota Eccleſia, quæ prorſus inſolubilis eſt. Siquidem Eccleſia, quæ per fidem, ſpem, & charitatem Chriſto conjungitur, non poteſt tota ſimul à Chriſto deficere. Neque Chriſtus eam totam aliquando deſerit, ut neque humanitatem, quam ſemel aſſumpſit, unquam dimiſit. Et ſi quoad membra Eccleſiæ, ratione culpæ, quam admittunt, deſerat, non ita tamen deſerit, atque abjicit, ut nolit reconciliari. Immò ſemper hortatur ad reconciliationem. Quamvis enim fidelis fornicetur ſpiritualiter, & divortium faciat, non tamen propterea licet ei mutare Deum.

Proponitur controverſia inter Græcos, & Latinos de indiſſolubilitate Matrimonij.

CAPUT II.

HÆc quæ deſſeruimus de inſolubili vinculo matrimonij facilè Græci admitterent; quia tamen Dominus Matthæi 19. permiſit in cauſa fornicationis ſeparationem fieri, dicerent Græci nihil obſtare loca citata divinæ ſcripturæ, quin fiat in aliquo caſu exceptio. Non enim hoc modo tollitur jus divinum, ſed per aliud jus divinum explicatur.

Inſolubilitas item ratione Sacramenti, dicerent, ſatis eſt, ſi perpetuo fere ſervetur, excepto illo caſu. Quemadmodum, & conſummatum matrimonium ex verbis Chriſti, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, indiſſolubile eſſe videtur: & tamen in infidelitate contractum, ſi alter conjux ad fidem convertatur, ſolubile fit per diſpenſationem Chriſti, quam explicat Paulus in 1. ad Corinthios cap. 7. quamvis revera illud non homo, ſed Deus ſeparet. Et ſi objicias illud non eſſe Sacramentum, neque ſignificare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia; ſaltem exceptionem poſſumus invenire in matrimonio contracto non conſummato, quod eſt Sacramentum, & per diſpenſationem ſeparationem patitur.

Itaque controverſia graviſſima inter Græcos, & Latinos, agitari ſolet de hac inſolubilitate matrimonij. Si quidem Græci putant in cauſa adulterij dirimi poſſe matrimonia, & nova contrahere licere. Latini verò contra, rectè docent, conjugia quidem quoad thorum, & cohabitationem ex tali cauſa dirimi, nullo verò pacto quoad vinculum diſſolvi poſſe, ita ut divortium, non autem repudium fiat.

Quam sane quæstionem, quamvis multi ante me Doctores cùm antiqui, tum novissimè Cardinalis Bellarminus in suis controversiis libro 1. de Matrimonio c. 15. 16. & 17. & Gregorius de Valentia libro unico de insolubilitate matrimonij cap. 3. & duplici sequenti, plenè, & luculenter tractarint, tamen ratio instituti nostri non patitur, ut eam silentio prætereamus.

Huc accedit, quòd nostri Græci solent afferre pro se quædam testimonia Græcorum patrum, quæ hactenus ab aliis citari, & explicari minimè vidi, ob ea potissimum id negotij suscipio.

Quoniam verò in re præsenti tam Græci, quàm Latini existimant se idem omnino sentire, atque tenere, quod olim sanctissimi, iidemque doctissimi patres sacra scriptura freti, atque innixi docuerunt, cum quibus idem velle, idemque nolle fas sit, ac omnino necessarium: idcirco, ut tota res via, & ratione tractetur, æquè rationes, atque testimonia patrum in medium adducemus.

Porro autem patres Græcos, & Latinos eodem scilicet Spiritu sancto plenos, & ab eodem agitatos in hac re ad concordiam me redacturum, Deo bene juvante, confido. Rationum verò alias diluere, alias confirmare pro mea parte virili conabor.

Græci igitur duo asserunt. Alterum, in dissidiis quibusdam levioribus, ut sunt rixæ, jurgia & id genus, & quas ipsi vocant μικροψυχίας pusillanimitates, posse quidem dirimi matrimonium quoad thorum, & cohabitationem, nullo pacto quoad vinculum; agnoscunt enim patres Græci hanc distinctionem. Sic exponit Chrysostomus homilia 19. locum Pauli prioris ad Corinthios cap. 7. iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: ἐπειδὴ γὰρ καὶ δι' ἐγκράτειαν, καὶ δι' ἄλλας προφάσεις, καὶ μικροψυχίας γίνεσθαι διαιρέσεις συνέβαινε, βέλτιον μὲν μηδὲ γίνεσθαι τὴν ἀρχήν, φησιν, εἰ δὲ ἄρα καὶ γένοιντο, μενέτω ἡ γυνὴ μετὰ τοῦ ἀνδρὸς εἰ καὶ τῇ μίξει, ἀλλὰ τῷ μηδένα ἕτερον παρεισαγαγεῖν ἄνδρα. Quandoquidem enim (inquit Chrysostomus) cùm propter continentiam, tum alios prætextus, & pusillanimitates separationes fieri contingebat; satius est, inquit Paulus, ut nequidem fiant à principio: si verò tandem fiant, maneat uxor cum viro, quamvis non simul misceatur, at quòd nullum alium virum introducat. Oecumenius ait: εἰ καὶ μὴ τῇ μίξει, τῇ γοῦν διαθέσει, καὶ τῷ μὴ παρεισαγαγεῖν ἄνδρα ἕτερον. Et si non conjunctione corporis, at conjunctione animi ac voluntate, & quod alium virum ad se non admittat.

Canonistæ quoque Græcorum, ut Zonaras, Matthæus Blastarius, & alij Canonem quadragesimum sextum Basilij magni in Epistolis Canonicis ad S. Amphilochium in eum sensum accipiunt, & interpretantur, ut clarè indicent aliquando fieri divortia ob parvas res, & μικροψυχίας. Canon sic habet: ἡ δὲ τῷ καταλειφθέντι (isti addunt, διά τινα λύπην ἴσως, ἢ μικροψυχίαν) πρὸς καιρὸν παρὰ τῆς ἰδίας γυναικὸς κατ' ἄγνοιαν γημαμένη, εἶτα ἀφεθεῖσα διὰ τὸ ἐπανελθεῖν πρὸς αὐτὸν τὴν προτέραν, ἐπόρνευσε μὲν, ἐν ἀγνοίᾳ δὲ, γάμων δὲ οὐκ εἰρχθήσεται. Quæ autem per ignorantiam nupserit viro à propria uxore ad tempus relicto (fortassis, inquiunt Zonaras, & Blastarius, ob aliquam mœstitiam seu pusillanimitatem) postea dimissa fuerit, quòd ad eum prior reversa sit, fornicata est quidem, sed per imprudentiam, à nuptiis autem non cohibebitur.

Alterum quod asserunt posteriores Græcorum est, in causa fornicationis dirimi matrimonia etiam quoad vinculum, & omni ex parte solutionem. Sic intelligunt dictum Evangelicum Matthæi cap. 19.

Proponuntur rationes Græcorum pro solubilitate Matrimonij.

CAPUT VII.

Unde sit prima ratio illorum. Dominus in Evangelio ait, Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Inferunt Græci à contrario sensu, ergo qui dimittit ob for-

nicationem, & aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim ſententia Domini, duarum orationum vim habere videtur: quarum altera eſt affirmativa continens hujuſmodi regulam: ſi quis uxorem ſuam abſque cauſa fornicationis, dimiſerit, & aliam duxerit, mœchatur. Altera eſt negativa, quæ continet exceptionem à regula propter particulam illam, niſi, & eſt: ſi quis uxorem ſuam ob fornicationem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur. Et per Matthæum ſic intellectum explicant alibi ipſummet Matthæum, cæteroſque Evangeliſtas, & B. Paulum, qui omnes universè prohibent nova conjugia, vivente altero conjugum.

Quòd autem ita ſit intelligendus Matthæus, præter quàm (aiunt nonnulli) quòd ipſa verba Domini plana ſunt, & hunc ſenſum clariſſimè exprimunt, niſi quis illis vim inferat, probatur etiam conſequentibus rationibus.

Secunda ratio, Dominus interrogatus à Phariſæis de libello repudij, quod perfectam dimiſſionem continebat, ut patet Deuter. 24. utrum liceret, fatetur quidem antiquis dictum fuiſſe, Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudij, idque propter duritiam cordis illorum, ſe tamen corrigere iſtud, & prohibere; ideo infert, Ego autem dico vobis, quòd omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Quibus verbis Dominus tollit, & abrogat libellum repudij, excipit tamen caſum fornicationis, in quo eum concedit. Alioqui non ad interrogata reſpondiſſet. Si enim nulla ratione in aliquo caſu conceſſiſſet libellum repudij, non adjeciſſet illa verba, niſi ob fornicationem; ſed abſolutè, & ſimpliciter dixiſſet, omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit, mœchatur. Quippe in utroque caſu, id eſt ſive ex cauſa fornicationis, ſive non, mœchatur, qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit.

Tertia ratio, De illa quæ dimiſſa eſt abſque cauſa fornicationis duo pronuntiat Dominus: alterum, quod qui eam dimiſerit, facit eam mœchari: alterum, quod qui eam duxerit mœchatur. Ex quo ſequitur, quòd ſi ex cauſa fornicationis dimiſerit, non faciet eam mœchari. Alioquin vir ſemper culpandus eſſet, etiam ſi in cauſa fornicationis dimitteret. Igitur ſi dimittens in cauſa adulterij, non facit eam mœchari, ſi cum alio copuletur; Nec ille erit mœchus, qui cum ea conjungitur. Nam citra cauſam fornicationis hæc duo dicuntur: qua poſita, & exiſtente, utrumque tollitur.

Quarta ratio, Chriſtus Dominus oſtendit inſolubilitatem matrimonij, cùm ex modo creationis, quippe ait: qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecit eos. Tum ex mandato, & lege divina: Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carnem unam; ita ut non ſint duo, ſed una caro. Et tandem infert, Quos Deus conjunxit homo non ſeparet. Ex his apparet inſeparabilitatem eſſe, ac provenire ex eo quod conjuges ibi invicem adhæreant, nec ſint duo, ſed una caro. Sed Chriſtus Dominus, qui non eſt merus homo, ſed verus Deus, & verus homo, & per conſequens legiſlator, concedit ſeparationem propter adulterium, id eſt concedit ne adhæreant amplius, neque ſint duo una caro. Idque meritò, cùm per adulterium illa una caro diſciſſa fuerit. Ergo concedit veram ſolutionem matrimonij. Quippe à contrario adhærere, & eſſe unam carnem, eſt ſignum inſolubilitatis matrimonij.

Quinta ratio, Cauſa propter quam vir, ſtante matrimonio, non poteſt ducere aliam, eſt quia non habet poteſtatem ſui corporis, ſed corpus ſuum, jam non eſt ſuum, ſed uxoris ad matrimonij uſum eſt. Similiter corpus uxoris mariti eſt. At per adulterium liberatur par innocens hac obligatione, idque permittente Domino, ita ut corpus viri, vel feminæ non ſit amplius alterius, ſed in propria ſit poteſtate. Cur igitur dicitur non eſſe ſolutio vinculi?

Sexta ratio. Si matrimonium ſit inter infideles, & alter eorum efficiatur fidelis, poteſt ſolvi etiam quoad vinculum. cur igitur non in cauſa fornicationis?

Præterea, ſpiritualis fornicatio ſeparat ſponſum à ſponſa, ita ut ſponſus valeat aliam ſibi deligere; cur hoc non admittatur

in carnali conjugio, cùm in carnali sit spiritualis significatio ut dicit Paulus?

Præterea, cur Christus Dominus fornicationem exceperit, ægrè admodum ratio reddi potest, nisi quia adulterium directè, & è diametro matrimonio se opponit, ac prorsus frangit vinculum matrimonij. Tria enim bona, quæ in matrimonio reperiuntur, fides, proles, & Sacramentum, ab adulterio penitus destruuntur: quippe adulterium adversatur fidei præstitæ, ut propterea nulla fiat injuria, si frangenti frangatur etiam fides. Est adversus prolem, quam incertam efficit. Est etiam contrarium Sacramento, quia unam carnem in duas dividit, & per consequens vinculum solvit, quod vinculum efficiebat, ut neuter conjugum haberet potestatem sui corporis, posito autem adulterio jam habet.

Postremò, illa quoque versatur in ore multorum ratio, cur liceat nova inire conjugia. Aiunt enim ne id fiat, virum innocentem jure suo privari, & valde perplexum remanere. Si enim retineat uxorem adulteram, infamis ab aliis reputatur. Si dimittat, & non possit aliam ducere, periculum est, ne peccatis succumbat, & in adulteria præceps ruat; præsertim si eum dono continentiæ carere contingat.

Testimonia Patrum Orientalium, quibus videtur asseri opinio Græcorum.

CAPUT VIII.

IN confirmationem ejusdem sententiæ Matthæus quoque Blastarius in suo Nomocanone (quo libro veluti rectissima, & exploratissima regula in controversiis dirimendis utuntur recentiores Græcorum, qui tamen refertus est multis erroribus) adducit auctoritatem Basilij, (quam etiam usurpant cæteri Græcorum Canonistæ) qui in Epistola prima ad Amphilochium canone 9. sic scribit: ὁ δὲ καταλειφθεὶς συγγνωστός, καὶ ἡ συνοικοῦσα τῷ τοιούτῳ οὐ κατακρίνεται. Qui verò relictus est (scilicet à propria uxore propter fornicationem; sic enim exponendum est ex antecedentibus verbis Canonis) dignus est venia (nimirum si alteram duxerit) & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur. (Id est, non censetur adultera, conjuncta cum tali viro, quamvis vivat altera illius uxor, quæ ipsum dereliquit.)

Verùm canonem Basilianum infrà suo loco commodiùs, ac exactiùs expendemus; interea mihi videtur hæc sententia Basilij non facere pro Græcis, immò destruere illud eorum secundum dictum. Quippe in eo asserebant, in causa fornicationis posse fieri solutionem quoad vinculum, quod est dicere: si maritus repererit uxorem in adulterio, poterit se ab ea sejungere, & aliam ducere: & idem intelligas de uxore, nimirum si uxor invenerit maritum per fornicationem jura matrimonij violantem, poterit se ab eo sejungere, & alij nubere. Quandoquidem ita placet illis dictum Evangelicum exponere.

At hîc Basilius totum oppositum tradit. Siquidem nulla ratione vult posse uxorem dimittere virum adulterum, & si dimiserit, illa quidem non poterit efficere, si alij nupserit, quin adulteretur. Maritus verò propter fornicationem relictus, si alteram duxerit, erit dignus venia. Hoc autem non est in causa fornicationis jus tale acquiri, quo quis possit liberè ad nova transire conjugia. Id certè si foret, longè justiùs transire posset innocens uxor, quàm nocens maritus.

Si dixerint, quæ dicuntur in Evangelio de dimittenda uxore in causa fornicationis, viris favere, non autem uxoribus.

Contra, nam justissima lex Christi, iniquissima esse videretur. Deinde ex eodem Basilio aliisque patribus infrà id improbabimus.

Sed reliqua testimonia, quæ possunt afferri pro Græcis, in medium producamus. Hujus sententiæ videtur etiam esse S. Gregorius Nazianzenus, qui in oratione 31. differens de Matrimonio, ita loquitur: ὁ μὲν νόμος κατὰ πᾶσαν αἰτίαν τὸ ἀποστάσιον δίδωσι. Χριστὸς δὲ οὐ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, ἀλλὰ συγχωρεῖ μὲν μόνον χωρίζεσθαι τῆς πόρνης, τὰ δ᾽ ἄλλα πάντα φιλοσοφεῖν κελεύει. καὶ τῆς πόρνης, ὅτι νοθεύει τὸ γένος. τὰ δ᾽ ἄλλα καρτερῶ-

μεν καὶ φιλοσοφῶμεν. μᾶλλον δὲ καρτερεῖτε καὶ φιλοσοφεῖτε ὅσοι τὸν τοῦ γάμου ζυγὸν ἐδέξασθε. Lex quidem omnes ob causas libellum dat repudij. At Christus non ob omnes, sed separari tantùm ab adultera uxore permittit. Idque propterea: quia impudica genus corrumpit, & adulterat. Reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate, ac patientia uti jubet. Igitur cætera omnia patienter, moderatè ac sapienter feramus, vel ut rectiùs loquar, sapienter & moderatè ferte quicumque matrimonij jugum subjistis. Sic ille. Sed per libellum repudij antiquæ legis licebat alteram ducere. Igitur Christus in causa fornicationis idem permittit. Et confirmatur argumento Ambrosij Catharini; quia si de dimissione quoad torum sermo esset, profectò non sola causa fornicationis fuisset excepta, cùm ex aliis etiam licita sit tori separatio; ut optimè sciunt, qui jura Ecclesiastica norunt.

At Christus Dominus eam tantùm excipit. Et Nazianzenus: τὰ δ᾽ ἄλλα πάντα φιλοσοφεῖν κελεύει, reliqua, inquit, omnia, ut moderatè, ac sapienter feramus Christus mandat, & subjungit: ἐὰν ἀπογραφὰς ἴδῃς, ἢ ἐπιγραφὰς, ἀποκόσμησον. κἂν γλῶσσαν προπετῆ, σωφρόνισον. ἂν γέλωτα πορνικὸν, κατηφῆ ποίησον. ἐὰν δαπάνην, ἢ ποτὸν ἄμετρον, σύστειλον· ἐὰν δὲ προόδοις ἀκαίροις, πέδησον. ἐὰν ὀφθαλμὸν μετέωρον, κόλασον. μὴ τέμῃς δὲ προπετῶς, μὴ χωρίσῃς. ἄδηλόν τι κινδυνεύει, τὸ τέμνον, ἢ τὸ τεμνόμενον. Si genarum pigmenta, & oculorum fucos perspexeris, eam hoc ornatu spolia. Si procacem, & petulantem linguam, coerce. Si meretricium risum, tristem effice. Si sumptum, aut potum immodicum, contrahe: si intempestivos progressus, constringe. Si oculum elatum, atque suspensum, reprime. At eam ne temere à te divellas, & abstrahas. Incertum est utra pars in discrimine versetur, ea-ne quæ secat, an ea quæ secatur. Hactenus Theologus.

S. etiam Joannes Chrysostomus loco proximè citato c. 7. prioris ad Corinthios, cùm planè, ac dilucidè verba Pauli exponere potuisset de muliere discedente à viro ob ejus fornicationem, quæ nimirum cogatur à Paulo, immo verò ab ipso Domino, vel marito reconciliari, vel manere innupta, ipse ad res paruas applicuit, in quibus ait manere vinculum, & debere manere uxorem cum viro, & si non copulatione, at quòd alium virum non ducat. Quasi verò in rebus gravioribus, & fornicatione uxor non remaneat cum marito, neque vir cum uxore: μήτε τῇ μίξει, μήτε μέντοι τῇ διαθέσει. Alioquin si non ita intellexisset, saltem generatim exposuisset de quacumque muliere discedente à viro, sive ob fornicationem, sive ob alias leviores causas.

Et in eodem capite proponit quæstionem, cur liceat manere cum infideli, non autem cum fornicatore: τί λέγεις, ἂν μὲν ἄπιστος μενέτω μετὰ τῆς γυναικὸς, ἂν δὲ πόρνος μηκέτι; καί τοι γε ἔλαττον ἡ πορνεία τῆς ἀπιστίας. Quid ais, inquit, si sit infidelis, maneat cum uxore, si autem fornicator, minimè? Atqui minus malum est fornicatio infidelitate? Deinde auget difficultatem: καί τοι ὁ τῇ πόρνῃ κολλώμενος ἓν σῶμά ἐστιν, εὔδηλον ὅτι καὶ ἡ τῷ εἰδωλολάτρῃ κολλωμένη ἓν σῶμά ἐστιν. Et sanè quidem, inquit, qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: manifestum est, eam quoque unum corpus effici, quæ idololatræ adhæret.

Respondens verò difficultati: ἓν μὲν σῶμά ἐστι, ἀλλ᾽ οὐ γίνεται ἀκάθαρτος, ἀλλὰ νικᾷ ἡ καθαρότης τῆς γυναικὸς τὴν ἀκαθαρσίαν τοῦ ἀνδρός. καὶ νικᾷ ἡ καθαρότης τοῦ πιστοῦ ἀνδρὸς πάλιν τὸ ἀκάθαρτον τῆς ἀπίστου γυναικός. πῶς οὖν ἐνταῦθα μὲν νενίκηται τὸ ἀκάθαρτον, διὸ καὶ ἐπιτέτραπται ἡ συνουσία, ἐπὶ δὲ τῆς πορνευομένης γυναικὸς, οὐ κατηγορεῖται ἐκβάλλων αὐτὴν ὁ ἀνήρ; ὅτι ἐνταῦθα μὲν ἐλπὶς σώζεσθαι τὸ ἀπολωλὸς μέρος διὰ τοῦ γάμου, ἐκεῖ δὲ ὁ γάμος ἤδη διαλέλυται. κἀκεῖ μὲν ἀμφότεροι διαφθείρονται, ἐνταῦθα δὲ θατέρου τὸ ἔγκλημα. οἷόν τι λέγω, ἔστιν ἡ πορνευθεῖσα καθάπαξ μιαρά, εἰ τοίνυν ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστι, καὶ αὐτὸς γίνεται μιαρὸς πορνευούσῃ μιγνύμενος. διὰ τοῦτο ἀφίπταται ἡ καθαρότης ἅπασα. ἐνταῦθα δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλὰ πῶς; ἔστιν ἀκάθαρτος ὁ εἰδωλολάτρης, ἀλλ᾽ ἡ γυνὴ οὐκ ἔστιν ἀκάθαρτος. εἰ μὲν γὰρ ἐκοινώνει αὐτῷ κατὰ τοῦτο, καθὸ ἀκάθαρτος ἦν, λέγω δὲ κατὰ τὴν ἀσέβειαν, ἔμελλε καὶ αὕτη ἀκάθαρτος γίνεσθαι. νυνὶ δὲ ἑτέρως μέν ἐστιν ἀκάθαρτος ὁ εἰδωλολάτρης, ἐν ἑτέρῳ δὲ πράγματι κοινωνεῖ αὐτῷ ἡ γυνὴ, ἐν ᾧ οὐκ ἔστιν ἀκάθαρτος.

γάμος

γάμος γάρ ἐστι, καὶ μίξις σωμάτων καθ' ὃ ἡ κοινωνία πάλιν τοῦτον ἔστιν ἐλπὶς ἐπιστραφῆναι διὰ τῆς γυναικός, ᾠκείωται γὰρ αὐτῇ. ἐκεῖνον δὲ οὐ σφόδρα εὔκολον, πῶς γὰρ ἡ τὸν ἔμπροσθεν ἀτιμάσασα χρόνον, καὶ γενομένη ἑτέρου, καὶ τὰ τοῦ γάμου τὰ δίκαια ἀφανίσασα, ἀνακαλέσασθαι δυνήσεται τὸν ἠδικημένον, πρὸς τούτοις καὶ τὸν μένοντα ὡς ξένον. πάλιν ἐκεῖ μὲν μετὰ τὴν πορνείαν ὁ ἀνήρ, οὐκ ἔστιν ἀνήρ. ἐνταῦθα δὲ κἂν εἰδωλολάτρης ἡ γυνή, τοῦ ἀνδρὸς τὸ δίκαιον οὐκ ἀπόλλυται. Unum quidem efficitur corpus, ſed non propterea evadit immunda, ſed vincit uxoris puritas viri immunditiam. Et contra fidelis viri puritas infidelis uxoris immunditiam ſuperat. Quanam igitur ratione in infideli immunditia vincitur, ideoque commiſceri cum uxore permittitur, at verò in uxore, ſi fornicetur, non accuſatur vir eam ejiciens? Quoniam hîc quidem ſpes oſtenditur fore ut pars, quæ perierat per nuptias ſervetur; ibi autem nuptiæ jam diſſolutæ ſunt. Et ibi quidem ambo corrumpuntur, hîc vero alterius dumtaxat crimen eſt. Ut exempli gratia eſt quæ fornicatur ſemel inquinata: ſi igitur qui cum meretrice copulatur unum corpus efficitur, ipſe quoque ſeſe inquinat, qui cum ea, quæ fornicatur, commiſcetur. Idcirco omnis avolavit munditia. At vero in idololatra non ita ſe res habet. Sed quonam modo? ipſe tantum immundus eſt, uxor vero munda. Si enim cum eo conjungeretur quatenus immundus eſt, dico autem quod ad impietatem pertinet, deberet ipſa quoque immunda fieri. Nunc autem aliter quidem immundus eſt idololatra, in alia vero re fit uxor particeps, eſtque cum eo conſociata, in qua videlicet non eſt immundus. Etenim nuptiæ ſunt, & copulatio corporum, qua in re communicant. Et rurſus hunc quidem fore ut uxor ad fidem convertat ſpes habenda eſt, ſi quidem familiaritate quadam cum ea conjunctus eſt. Ille autem non nimium facilis eſt revocatu. Quo enim pacto quæ alterius facta ſit, & nuptiarum jura deleverit, maritum læſum, quem ſuperiore tempore dedecore affecerit, præterea tanquam peregrinum habuerit, poterit ad ſe revocare? Rurſus ibi quidem vir poſt fornicationem non eſt vir. Hic vero quamvis idololatra ſit uxor, mariti jus non amittitur.

His igitur verbis, ἤδη διαλέλυται ὁ γάμος, καὶ πᾶσα ἡ καθαρότης τοῦ γάμου ἀφίπταται, καὶ ὁ ἀνὴρ μετὰ τὴν πορνείαν οὐκ ἔστιν ἀνήρ. Connubium diſſolutum eſt, univerſa munditia nuptiarum avolavit, atque diſceſſit. Maritus poſt fornicationem non eſt amplius maritus. His, inquam, & ſimilibus Chryſoſtomus huic Græcorum ſententiæ, & præſenti conſuetudini favere videtur. Ubi tamen notandum contra Græcos Chryſoſtomum in his ipſiſmet ſuis verbis æquale jus conjugum agnoſcere.

Ex aliis Patribus Græcis, qui eandem videntur ſequi ſententiam, eſt S. Epiphanius in libro 2. agens de ſecundis nuptiis adverſus puros, qui eas damnabant, cujus ſunt hæc verba: ὁ μὲν μίαν (γαμετὴν) ἐσχηκὼς ἐν ἐπαίνῳ μείζονι καὶ τιμῇ παρὰ πᾶσι ἐκκλησιαζομένοις ἐνυπάρχει. ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ ἕνεκεν τινὸς προφάσεως πορνείας ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικί, ἡ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρί, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει. Qui unam habuit uxorem, in majore laude, honoreque in univerſa habetur Eccleſia. Qui vero non potuit una, quæ deinde ſit mortua, contentus eſſe ob aliquam ſcortationem, aut adulterium, aut ob aliquam malam cauſam ſeparatione facta, eum divina ſcriptura non reprehendit, neque Eccleſia, vitaque abdicat, ſi aut vir cum ſecunda conjungatur uxore, aut uxor cum ſecundo viro.

Itaque illa verba, ἕνεκεν τινὸς προφάσεως πορνείας, ἢ μοιχείας, vel pertinent ad illud membrum orationis χωρισμοῦ γενομένου, & ſic videtur vir ſanctus indicare fieri ſeparationem, & etiam Dominus docuit ob cauſam fornicationis, aut adulterij, & nihilominus affirmat, concedi ſecundas nuptias. Atque ita confirmat opinionem Græcorum. Vel ſi non eo ſpectent illa verba, ſaltem illis aliis, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, aut ob aliquam malam cauſam ſeparatione facta, oſtendit Epiphanius poſſe fieri ſolutionem in mala cauſa quoad vinculum, quandoquidem ob id concedit novas nuptias: cauſa autem propter quam fiat ſeparatio, nulla alia poteſt intelligi (dicerent Græci) quam quæ aſſignata eſt à

Christo Domino; nimirum adulterium. Quovis itaque modo dixeris, Epiphanius cum Græcis facere videtur.

Ex Occidentalibus, qui videantur favere Græcis.

CAPUT IX.

EX Occidentalibus, Latinisque Patribus fautor hujus sententiæ ex parte videtur esse S. Ambrosius in expositione prioris ad Corinthios super illa verba, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam. Hoc, inquit, » Apostoli consilium est, ut si discesserit pro» pter malam conversationem viri, jam in» nupta maneat, aut viro suo reconciliari. » Quod si continere se, inquit, non potest, » quia repugnare non vult contra carnem, » viro reconcilietur. Non enim permittitur » mulieri, ut nubat, si virum suum causa for» nicationis dimiserit, aut apostasiæ, aut si » illicitè impellente lascivia usum quærat » uxoris. Quare inferior non omnino hac » lege utitur, qua potior. Si tamen apostatet » vir, aut usum quærat uxoris invertere, nec » alij potest nubere mulier, nec reverti ad » illum. Et virum uxorem non dimittere. » Subauditur excepta fornicationis causa, » & ideo non subjecit dicens, sicut de mu» liere, quod si discesserit, manere sic, quia » viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxo» rem peccantem, quia non ita lege con» stringitur, sicut mulier. Caput enim mu» lieris vir est.

Continenter quæ sequuntur infrà eodem sensu explicat. Quare docet non esse jus æquale conjugum, & ex parte viri assentitur Græcis.

Ex Scholasticis fauerent Græcis Cajetanus in Commentario ad cap. 19. Matthæi, & Ambrosius Catharinus l. 5. annotationum contra Cajetanum in fine, & in opusculo de Matrimonio quæstione ultima. Hi enim partim auctoritate Ambrosij decepti, partim rationibus victi, ut ipsis videbatur, putant ex Evangelio colligi, licere viro in causa fornicationis aliud inire matrimonium, & hunc esse planum literæ sensum, mulieri autem minimè.

Sententiam S. Ambrosij commemorati auctores his rationibus fulciunt. Primo quia exceptio fornicationis à Domino, non nisi in viro exprimitur, in muliere autem minimè, id quod etiam notat S. Ambrosius loco citato, & ideo (inquit) non subjecit (Apostolus) de viro, sicut de muliere, quod si discesserit maneat sic. Deinde quia in veteri lege maritus poterat repudiare uxorem, non autem uxor maritum, ejus autem loco successit divortium in lege nova. Tum quia si maritus cum soluta fornicetur non punitur, ut adulter, sed solum, si alienæ uxori se commiscuerit; contra vero mulier cum quovis rem habeat, præter virum proprium, semper adultera est.

Præterea, quoniam adulterium uxoris longè graviorem injuriam viro infert propter sobolis incertitudinem, & viri infamiam.

Ad hæc, quia duas habere uxores aliquando viris licitum fuit, mulieri autem viros duos habere numquam licuit.

Insuper, quia non ita licet mulieri accusare maritum de adulterio juxta leges civiles, cap. de adulterio, & stupro, sicut è contrario licet viro accusare uxorem.

Postremo, quia etiam consuetudo invaluit, ut divortium non concedatur uxoribus ob virorum adulteria, sed solis viris, ut testatur Basilius can. 9. & 21. in Epistolis ad Amphilochium.

Ex his autem constat magis esse uxorem obnoxiam viro, quam virum uxori. Unde non est mirum, si etiam nonnulla concedantur viro, ut pote capiti mulieris, quæ uxori merito denegantur.

Sed quoniam Cajetanus, & Catharinus videbant variis decretis summorum Pontificum nova virorum conjugia ob adulterium uxoris prohiberi, idcirco ajunt, Decretales Pontificias in hac materia non esse definitivas fidei, sed judiciales facti. Profiteri autem ipsosmet Pontifices, Romanos Pontifices aliquando in his judiciis matrimoniorum errasse, ut patet in cap. quanto, de divort. & in cap. licet, de sponſ. duorum.

Et quia præterea non solum constitutiones Pontificum, sed etiam universe judicium Ecclesiasticorum, & communem Doctorum sententiam, immo & praxim Romanæ Ecclesiæ animadvertebant huic suæ opinioni esse contraria, idcirco prudenter uterque Ecclesiæ definitioni, & judicio se submittit. Quamvis existiment nihil hactenus definitum fuisse.

Ambrosius autem Catharinus seclusis, & circumscriptis, ut ipse ait, decretis summorum Pontificum, & inspecta solummodo Evangelica lege, ut aliquo modo doctrinam suam mitigaret, in hanc tandem venit sententiam, ut diceret, maritum ex causa fornicationis suam dimittentem, & alteram ducentem proprie loquendo non mœchari; quoniam injuriam nullam facit uxori, cum in copula non sit illi amplius debitor. Non tamen inde sequi, eum licite aliam ducere, propter sanctitatem, inquit, matrimonij, & indecorum.

Quod si urgeas, quomodo hæc possunt simul stare, secundum conjugium non esse adulterium, & tamen non fieri sine peccato?

Respondet illustrando rem exemplo. Non enim, inquit, dubium est, non licere cuiquam nunc habere concubinam, etiam solutam, & tamen nullus diceret, concubitum cum illa esse adulterium.

Postremo asserit, posse Episcopum, vel saltem summum Pontificem dispensare cum ejusmodi viro, ne contrahat cum peccato, consideratis omnibus, si nimirum non possit se continere, & nolit adulteræ reconciliari. Hoc totum judicio prudentiorum, & censuræ Ecclesiæ Catharinus prudenter subdit.

Sed est merum commentum; si enim non mœchatur vir, ut fert illius opinio, alteram ducens, hoc erit ex eo, quod amplius non sit vinculum prioris matrimonij. Si autem non est vinculum, quamobrem peccat alteram ducens? Quæ enim ibi est sanctitas matrimonij, quæ prohibeat, vel violetur si nullum remanet vinculum matrimonij?

Neque exemplum Catharini est ad rem. Siquidem habere concubinam solutam non est adulterium, est tamen semper malum, & peccatum; At vero alteram ducere uxorem, si vere, ac perfecte solveretur prius matrimonium, nullum foret peccatum; quomodo enim peccatum, ubi nullum vinculum?

Rursus, si peccat vir alteram ducens, ut re vera peccat, & sanciunt decreta Pontificum: igitur durat vinculum matrimonij. Si autem durat, qua ratione potest Episcopus, vel summus Pontifex dispensare? Ergo neque unquam antea de facto Pontifices dispensarunt, neque possunt dispensare. Certe nullam aliam ob causam, nisi quia sacræ paginæ id omnino vetant. Decreta vero Pontificum divinis literis innituntur, ac totam suam vim inde habent, ut propterea etiam nihil Pontifices statuant, quod illis sit dissonum.

Sed in explicando quoque vinculo, singularis est opinio Catharini. Putat enim durare matrimonium ipsi adulteræ, ut propterea non possit alij nubere, non autem durare marito, in cujus potestate situm est, illam dimittere. Quod ego fateor ingenue me non intelligere, quomodo possit esse vinculum ex parte unius, non item ex parte alterius, cum in materia matrimonij vinculum jure suo duos colligare debeat, alioqui non erit vinculum.

Verum in hæc absurda devenit Catharinus, quod suis principiis fixus hæreat, & in causa fornicationis omni ex parte dimissionem semper intelligat. Hæ tamen fere sunt rationes, & auctoritates Patrum, quas Græci pro se afferre possunt. De quibus hactenus.

Asseritur sententia Ecclesiæ Latinæ ex Matthæi 19. qui locus accurate perpenditur.

Caput X.

Latini contra in rebus levibus nullo pacto debere dissolui matrimonium asserunt, ne quoad torum quidem, & cohabitationem. In causa vero fornicationis nullo pacto quoad vinculum; quandoquidem ea est natura matrimonij, præsertim quatenus est Sacramentum, ut vivente

altero conjugum, alter nulla ratione sit liber in omnibus. Rationes vero pro astruenda hac sententia sunt longe validiores, & firmiores, quam sunt Græcorum. Quæ quidem innituntur in testimoniis sacræ scripturæ.

Primus itaque locus est ille Matthæi 19. quem Græci veluti fundamentum jaciunt, & perperam in alienum sensum accipiunt. Quem quidem locum interpretatur Magnus ille Doctor gentium in priore ad Corinthios cap. 7. His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, & vir uxorem non dimittat. At ubi id præcipit Dominus? Tum Matthæi 5. & 19. tum Marci 28. & Lucæ 16. tale nimirum est matrimonium Christianorum, ut non nisi vita ipsa terminetur, & tum demum, quæ Deus conjunxit separentur, cum idem auctor, & parens omnium, quæ adhuc arctiori vinculo videlicet corpus, & animam inter se constrinxerat, separaverit. Grave itaque, inquit Hieronymus, pondus uxorum est. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si nugatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus nolumus, sustinenda est. Sic ille. Ut merito etiam uno ore, parique consensu exclamarint Apostoli: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

Sed pergamus ad reliqua verba Apostoli (quod si discesserit) Quid ais Paule? an potest aliquis conjugum discedere, & separari? Et ubi id præcipit, seu permittit Dominus? Nam ex præcepto, & sententia Domini loqueris. Potest scilicet in causa fornicationis. Hoc enim magister bonus docuit in Evangelio. Quid igitur tunc ex præcepto Domini faciendum? nondum enim verba tua protulisti. Maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Quid si citra causam discesserit, dabis-ne optionem hoc vel illud indifferenter præstandi? an simpliciter, & necessario imperabis, ut viro suo reconcilietur? At cum Dominus conjuges ab invicem separari prohibuerit, ne alter alteri causa sit adulterij, qui enim sine causa dimittit, facit eam mœchari: Quomodo Apostolus contra Domini præceptum sine causa separatos manere permitteret; qui etiam ad tempus abstinere à carnali commercio, & orationi vacare, non nisi ex consensu permittit? Interpres est in re præsenti, non legislator. Citra causam itaque adulterij, procul dubio diceret Apostolus, nullo modo discedat: si discesserit, omnino, & necessario reconcilietur. Si verò ex causa fornicationis, sive uxor discedat, dixit jam, & iterum millies diceret, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur.

Quid si noluerit manere innupta, sed vel sponte separata, vel à viro dimissa alij nupserit? Audiat quid dicat Dominus: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Adulterium nimirum est, non matrimonium, manet adhuc vinculum, non est solutum; adulterium enim non est, nisi cum conjuge alterius.

At optime scio, inquies, manere si sine causa discedat, vel dimittatur: minime vero, si ob adulterium.

Perperam interpretaris. Nam si non manet in causa fornicationis, poterit adultera, cum jam sit soluta, alteri nubere, cujus sit sane longe melior conditio, quam sit castæ. Illa nempe poterit, hæc minime. Immo vero adultera caste, casta non sine adulterio cum altero viro copulabitur. Sic enim argumentatur S. Augustinus in secundo libro de adulterinis conjugiis.

An fas est, virum probum adulteræ, vel matronam castam improbo reconciliari? Quidni? si erratorum pœniteat, & veniam poscat? cum & ipse Dominus, totius castitatis, & puritatis fons & origo, animæ, quæ cum amatoribus suis adulterata est, ad eum redeunti reconciliari non dedignetur?

Porro hanc esse mentem atque sententiam Apostoli, quam hactenus recensuimus, illustri etiam argumento deducta re ad inconveniens, ex antecedentibus ipsiusmet Pauli verbis promptum est evincere. Quippe in eodem septimo capite prioris ad Corinthios, cum à principio virginitatem laudasset, atque dixisset, Bonum est homini mulierem non tangere; statim

ista veluti quædam axiomata præmittit. Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite defraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi, & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas. His positis, atque iterum laudata castimonia & virginitate ab exemplo sui, Volo, inquiens, omnes homines esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet à Deo; mox commemoratam subjicit sententiam: His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

At si hoc demus, Paulum extra causam fornicationis permittere uxori virum dimittere, modo non nubat, viro uxorem dimittere, modò alteram non ducat; omnia illa profectò antecedentia ejus enunciata funditus evertimus. Non enim amplius ad evitandam fornicationem unusquisque uxorem suam habebit, neque unaquæque suum virum. Similiter uxori vir debitum non reddet, neque viro uxor. Item mulieri potestas sui corporis utique dabitur; non dissimili ratione viro. Adhæc, fraudabunt se invicem, idque non ex consensu; neque ut vacent orationi. Postremò non iterum revertentur in idem, & consequens illud erit, ut eos tentet satanas. Vides igitur quam multa sequantur absurda uno illo concesso?

Hic ergo est clarus, germanus, & verissimus sensus Apostoli: præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, nimirum sine justa causa fornicationis, hoc enim præcepit Dominus: quod si discesserit, causa nimirum justa inventa, id etiam permisit Dominus, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Refert enim Paulus esse præceptum Domini, & universe loquitur sine ulla exceptione; ergo ita est intelligendus, alioquin insufficienter explicavisset præceptum Domini.

Quin & ipse Chrysostomus, qui alioquin fauere Græcis videtur, non negat, præceptum esse Domini extra causam fornicationis, non discedere. Si autem præceptum, certe Paulus contra præceptum nedum facere, sed ne cogitare quidem ausus fuisset. Quomodo enim (ut verbis ipsiusmet Chrysostomi in hac eadem causa utar, libro de Virginitate non valde longe à principio) ὁ τὸν Χριστὸν ἔχων ἐν ἑαυτῷ λαλοῦντα, ὁ μηδὲ ζῆν σπουδάζων, ὥστε τὸν Χριστὸν ἐν ἑαυτῷ ζῆν. ὁ καὶ βασιλείαν, καὶ ζωὴν, καὶ ἀγγέλους, καὶ δυνάμεις, καὶ κτίσιν ἑτέραν, καὶ πάντα ἁπλῶς δεύτερα τῆς ἀγάπης αὐτοῦ τιθέμενος, πῶς ἂν ἢ φθέγξασθαι, ἢ καὶ ἐννοῆσαί τι τῶν οὐ δοκούντων ἐκείνῳ τῷ Χριστῷ, καὶ ταῦτα νομοθετῶν; Is, qui Christum in se loquentem haberet, qui vivere non curaret, ut Christus in ipso viveret, qui Regnum, qui vitam, qui Angelos, qui potestates, qui reliquas res creatas, qui omnino omnia charitate in Christum inferiora duceret, præsertim de his legem ferens, ea non dicam dicere, sed cogitare esset ausus, quæ ex Christi sententia non essent?

Ex eo vero, quod non alia fuerit mens Pauli à sententia Christi, merito conatur Chrysostomus adhibita egregia, ut semper solet, expositione, concordare illa verba, quæ videntur quodammodo sibi contraria, Præcipio non ego, sed Dominus, reliquis autem ego dico, non Dominus, τί ποτε οὖν ἐστιν ὃ λέγει, ἐγὼ καὶ οὐκ ἐγώ. Quid igitur, inquit, illud est quod ait Paulus, ego & non ego? Deinde solvit dubitationem: τῶν νόμων καὶ τῶν δογμάτων τοὺς μὲν δι' αὐτοῦ, τοὺς δὲ διὰ τῶν ἀποστόλων ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Χριστός. ὅτι γὰρ οὐ πάντας αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ τέθεικεν, ἄκουσον τί φησι. πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι. περὶ μὲν οὖν τοῦ γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρίζεσθαι, παραλαβὼν αὐτὸς ἐνομοθέτησεν, ἡνίκα ἐν σαρκὶ ἐπὶ τῆς γῆς ἦν. καὶ διὰ τοῦτό φησι, τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ κύριος. Leges, inquit, nobis tulit, & dogmata condidit partim per se Christus, partim per Apostolos. Quod autem ipse per se leges omnes non tulerit, audi ejusdem testimonium: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quo-

circa de uxore, quæ à viro discedere non debeat, anticipans ipse Christus legem nobis imposuit, tum cum homo versaretur in terris. Propterea his, inquit, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus.

Idem Chrysostomus homil. 19. in cap. 7. prioris ad Corinthios citata verba Apostoli explicans, his qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus: ἐπειδὴ νόμον ῥητῶς ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ τεθέντα μέλλει ἀναγινώσκειν, περὶ τοῦ χωρὶς πορνείας μὴ ἀφιέναι γυναῖκα, διὰ τοῦτό φησιν, οὐκ ἐγώ. τὰ μὲν γὰρ εἰρημένα ἔμπροσθεν, εἰ καὶ μὴ ῥητῶς εἴρητο, ἀλλὰ καὶ αὐτῷ δοκεῖ ταῦτα. τοῦτο μέντοι καὶ ῥητῶς παρέδωκεν. ὥστε τὸ ἐγὼ, καὶ οὐκ ἐγὼ, ταύτην ἔχει τὴν διαφοράν. Quoniam, inquit, legem disertis verbis à Christo latam est lecturus de uxore dimittenda absque fornicatione, propterea dicit, non ego. Nam quæ priùs quidem dicta sunt, etiam si non disertis verbis dicta sint, tamen ipsi quoque ea ita videntur. At hoc quidem certe etiam disertis verbis Christus tradidit. Quamobrem illud ego, & non ego, hanc habet differentiam. Idem Doctor homil. 86. in Matthæum: προσέταξεν ὁ Χριστὸς διὰ Παύλου, γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι, καὶ μὴ ἀποστερεῖν ἀλλήλους, εἰ μὴ ἐκ συμφώνου. Præcepit Christus per Paulum, uxorem à viro non discedere, & ne se invicem privent, nisi ex consensu. Hæcille.

Si ergo Christus Dominus legem tulit de non discedendo ab uxore citra causam fornicationis, ut vult Chrysostomus, qua ratione Paulus optionem ei daret eligendi utrum maluerit?

At enim rursus instabis. Apostolum non tam ad verba Domini, quam ad sensum sententiæ Salvatoris respexisse. Cur enim vetat Dominus extra causam fornicationis uxorem à viro discedere? ne nimirum fiat adultera. At hoc idem prohibet Apostolus, dum eam innuptam manere jubet. Proinde non debet quidem extra causam fornicationis discedere, sed si extra causam discesserit, ne adultera fiat, maneat innupta, aut viro reconcilietur.

Respondeo, præceptum Domini duo continet, alterum ne discedat, vel dimittat ullus conjugum extra causam fornicationis: alterum, si in causa fornicationis vel uxor discesserit, vel maritus dimiserit, ne ad aliud transeat conjugium. Id enim esset adulterium, cum prioris maneat vinculum. Inde vero fit, ut non præcise illa sit causa, cur extra fornicationem prohibuerit Dominus uxorem à viro discedere, ne videlicet fiat adultera, quod est commune cum illa, quæ etiam ex causa discedit. (Nam illa quoque si non innupta manserit vivente viro, perpetuo erit adultera) sed etiam ne sit marito auctor, & causa adulterij. Ideo Christus Dominus de viro ait, facit eam mœchari, si nimirum extra causam dimiserit, quod idem diceret ex parte uxoris. Quæ omnia indicant indissolubilitatem matrimonij extra causam fornicationis, non modò quoad vinculum, sed etiam quoad torum. Quid enim si illa innupta manserit, an propterea non erit rea? si maritus innocens ad aliam accesserit? Si autem rea, quomodo Apostolus permitteret illi discedere? At enim permittit, ergo non extra causam, sed in causa fornicationis permittit. Quemadmodum, & Christus Dominus concessit. Tunc enim si uxor discesserit, & fuerit innocens, debet quidem ipsa manere innupta, sed non erit causa adulterij, si maritus alteram duxerit. Quod idem dico ex parte viri. Ergo & ad verba, & ad mentem Domini, quæ ex verbis colligitur, nimirum ad illa duo, quæ continentur præcepto Domini, quæ non debent confundi, respexit Apostolus, qui extra causam fornicationis uxorem discedere non permittit, ne altera conjugum ruinarum præbeat ansam.

Probatur indissolubilitas Matrimonij testimoniis Patrum Latinorum.

CAPUT XI.

Libet igitur, quæ hactenus disseruimus doctissima expositione Sanctorum Patrum fulcire.

Hieronymus in Commentariis super illis verbis Matthæi, Quicumque dimise-

rit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur; sic habet. Sola fornicatio est causa, quæ uxoris vincat affectum, immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura, qui adulteram tenet, stultus, & impius est. Ubicumque est igitur fornicatio, & fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Quod enim dicit tale est: si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo? Nec non quia poterat evenire, ut juxta eandem legem uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ semel fuerat adultera opprobrium non timebat, secundo præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterij sit crimine.

Idem Doctor interrogatus, utrum mulier relicto viro adultero, & alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ vivente adhuc eo, quem prius reliquerat, in Epistola ad Amandum quæ est 147. ita rescribens sententiam suam aperit.

Respondeo sorori, quæ à nobis super suo statu quærit, non nostras, sed Apostoli sententias. An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quoniam lex dominatur homini quanto tempore vivit? Mulier enim, quæ sub viro est, vivente viro adstricta est legi. Ergo vivente viro adultera erit, si duxerit alterum virum. Et in alio loco, Mulier ligata est, quanto tempore vivit vir ejus. Si autem dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Omnes igitur cautiones Apostolus amputans apertissime definit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, Patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, atque contemptum parentum, damna rei familiaris, quandiu vivit vir, licet adulter, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur; cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate decernit, sed Christi in se loquentis verba sequutus est, qui ait in Evangelio, Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam acceperit adulter est. Animadverte quod dicat, qui dimissam acceperit adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive à viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. Et paulo post. Ergo & ista soror, quæ, ut dicit, vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult corpus Christi accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiam, ita dumtaxat, ut cum secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, à tempore pœnitentiæ non copuletur. Sic Hieronymus, qui etiam in Epistola ad Oceanum narrat publicam pœnitentiam Fabiolæ, quæ nupserat alteri viro, priore vivente. Et deinde facti eam pœnituerat, licet partim ex fragilitate, partim ex ignorantia illud fecisset.

Sed Augustino nemo est plenior, & uberior ad hanc rem tractandam, qui quidem duobus libris integris de adulterinis conjugiis totum hoc argumentum nimis accurate, & egregie, persequitur.

Et lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 16. Consulamus, inquit, Apostolum, ne quid temere dicamus. His, qui sunt in conjugio præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Potest enim fieri, ut discedat ea causa, qua Dominus permisit. Aut si fœminæ licet virum dimittere, etiam præter causam fornicationis, & non licet viro, quî respondebimus de hoc, quod dixit posterius? Et vir uxorem ne dimittat. Quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit? nisi quia similem formam vult intelligi, ut si

» dimiserit (quod causa fornicationis per- » mittitur) maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori?

» Idem libro primo de sermone Domini » in monte, cap.25. Fieri potest, ut vir dimit- » tat uxorem causa fornicationis, quam Do- » minus exceptam esse voluit. Jam verò si » nec illi nubere conceditur, vivo viro, à » quo recessit, neque huic alteram ducere » viva uxore, quam dimisit; multo minus » fas est, illicita cum quibuslibet stupra com- » mittere. In eodem cap. Dominus ad illud » confirmandum, ut non facilè dimittatur » uxor, solam causam fornicationis excepit, » cæteras vero universas molestias, si quæ » fortè extiterint, jubet pro fide conjugali, » pro castitate fortiter sustineri. Et mœ- » chum dixit etiam virum, qui eam duxerit, » quæ soluta est à viro.

Et libro primo de nuptiis, & concupiscentia, cap. 10. Quoniam, inquit, non » tantum fœcunditas, cujus fructus in prole » est, nec tantum pudicitia, cujus vinculum » est fides, verum etiam quoddam Sacra- » mentum nuptiarum commendatur fideli- » bus conjugatis. Unde dicit Apostolus, Viri » diligite uxores vestras, sicut & Christus » dilexit Ecclesiam. Hujus procul dubio » Sacramenti res est, ut mas, & femina con- » nubio copulati quandiu vivunt, insepara- » biliter perseverent. Nec liceat, excepta » causa fornicationis, à conjuge conjugem » dirimi. Hoc enim custoditur in Christo, » & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æter- » num nullo divortio separetur. Cujus Sa- » cramenti tanta observatio est in Civitate » Dei nostri in monte sancto ejus, hoc est, » in Ecclesia Christi, ut cum filiorum pro- » creandorum causa vel nubant feminæ, vel » ducantur uxores, nec sterilem conjugem » fas sit relinquere, ut alia fœcunda duca- » tur. Quod si quisquam fecerit, non lege » hujus sæculi, ubi interveniente repudio, « sine crimine conceditur cum aliis alia co- » pulare connubia, quod etiam sanctum » Moysem Dominus propter duritiam cor- » dis illorum Israëlitis permisisse testatur; » sed lege Evangelij reus est adulterij, sicut » etiam illa, si alteri nupserit. Et usque adeo » manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, « qui ab alterutro separati sunt, quam cum « his, quibus alias adhæserunt. Cum aliis « quippe adulteri non essent, nisi ad alteru- « trum conjuges permanerent. Denique « mortuo viro, cum quo verum connubium « fuit, fieri verum connubium non potest, « cum quo prius adulterium fuit. Ita inter « viventes manet quoddam vinculum con- « jugale, quod nec separatio, nec cum « altero copulatio possit auferre. Manet « autem ad noxam criminis, non ad vincu- « lum fœderis: sicut Apostata anima velut « de conjugio Christi recedens etiam fide « perdita, Sacramentum fidei non amittit, « quod lavacro regenerationis accepit. « Redderetur enim procul dubio redeunti, « si amisisset abscedens. Habet autem hoc « qui recesserit, ad cumulum supplicij, non « ad meritum præmij. Et cap. 17. In nu- « ptiis bona nuptialia diliguntur, proles, « fides, & Sacramentum. Sacramentum « dico, quo nec separati, nec adulterati, « nec spes prolis amissa, amittunt conjuges. «

Et libro de bono conjugali cap. 7. Sed « quia, inquit, continentia illa meriti am- « plioris est, reddere vero debitum conju- « gale, nullius est criminis, exigere autem « ultra generandi necessitatem culpa venia- « lis. Fornicari vero, vel mœchari, punien- « di criminis, cavere debet charitas conju- « galis: ne dum sibi quærit unde amplius « honoretur, conjugi faciat unde damne- « tur. Qui enim dimittit uxorem suam, ex- « cepta causa fornicationis, facit eam mœ- « chari: usque adeo fœdus illud initum nu- « ptiale cujusdam sacramenti res est, ut nec « ipsa separatione irritum fiat. Quandoqui- « dem vivente viro, à quo relicta est, mœ- « chatur, si alteri nupserit. Et ille hujus mali « caussa est, qui reliquit. Miror autē, si quem- « admodum licet dimittere adulteram uxo- « rem, ita liceat, ea dimissa alteram ducere. « Facit enim de hac re sancta Scriptura dif- « ficilem nodum, dicente Apostolo ex præ- « cepto Domini, mulierem à viro non de- « bere discedere, quod si discesserit, manere « innuptam, aut viro suo reconciliari: cum « recedere utique, & manere innupta, nisi « ab adultero viro debeat, ne recedendo ab « eo,

eo, qui adulter non est, faciat eum mœchari. Reconciliari autem viro, vel tolerando, si seipsam continere non potest, vel correcto forsitan juste potest. Quomodo autem viro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum conjugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & ducere de qua filios habeat. Et tamen non licet. Et nostris quidem jam temporibus, ac more Romano nec superducere, ut amplius habeat, quam unam vivam. Et utique relicta adultera, vel relicto adultero possunt plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut divina regula præscribere videtur, quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam tamen puto valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque id dissolvere cupientibus inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interveniente divortio, non aboletur illa confederatio nuptialis; ita ut sibi conjuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus talis est causa cum uxore.

Et cap. 18. In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.

Et cap. 24. Augustinus Sacramentum conjugij comparat cum Sacramento baptismi, & ordinis, quod non amittunt etiam qui per excommunicationem segregati sunt ab Ecclesia. In eodem capite. Bonum igitur, inquit, nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet etiam in Sacramenti sanctitate, per quam nefas est, etiam repudio intercedente alteri nubere dum vir ejus vivit. Nec saltem ipsa causa pariendi, quæ cum sola sit, qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, tamen manet in illis ordinatis, Sacramentum ordinationis. Et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. Hactenus Augustinus, cujus exempla, & rationes quam veræ sint, quam acutæ, quam solidæ, quam graves, supervacaneum est commemorare.

Ne miretur autem quispiam, si testimonia sanctorum patrum integra transcribimus: id enim propterea fit, ut si nostrates in hæc scripta inciderint, sententias Patrum in hac materia quærere non opus habeant? Utque clarissime agnoscant, quid lumina Occidentis, duoque principes Ecclesiæ Doctores Hieronymus, & Augustinus de hac re senserint.

Addamus antiquiorem his Ambrosium, quem etiam nobis objecimus. Is enim lib. 8. in 16. caput Lucæ, cur conjugia minime dissolui debeant, hanc videtur afferre rationem, ne videlicet filij pro patre vitricum, pro matre novercam habere cogantur. Quin propter filios debere patrem matris culpæ veniam dare censet; quæ est inter cæteras aliorum quoque Doctorum ratio ad astruendam insolubilitatem matrimonij: quippe si daretur locus alteri conjugio, filiis jam natis male à parentibus prospiceretur, & proles afficeretur ignominia.

Quamvis autem Ambrosius non explicet, quænam sit culpa uxoris, quam maritus illi ignoscere debeat; tamen ex verbis Christi verisimile est, eum intelligere adulterium, quippe alia errata non sunt tanti, ut propter ea maritus eam expellere debeat. Quamobrem idem Ambrosius in libro primo de Abraham cap. 4. monet viros, ne occasionem divortij mulieribus præbeant, meretricibus se commiscendo, innuens illam tantum esse causam divortij. Si vero urseris, adultera debet omnino expelli. At in eo loco Ambrosius

uxorem à marito retineri cupit: non igitur adulterium, sed alias minores culpas intelligit.

Respondeo, Adulteram non se corrigentem prorsus ejiciendam, at quam facinoris pœnitet, esse retinendam; hancque intelligere Ambrosium.

Probatur idem auctoritate Conciliorum.

CAPUT XII.

SUbjungam testimonia Conciliorum. Elibertinum can. 9. sic statuit. Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de seculo exierit. Nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.

Concilium Milevitanum can. 17. qui 69. inter Canones diversorum Conciliorum Africanæ provinciæ numeratur: Placuit, ut secundum Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Eundem Græci inter Canones Conciliorum Carthaginensium numerant ordine centesimum quintum, sic eum Græcé reddentes: ἤρεσεν, ὥστε κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐπιστήμην, μήτε ὁ ἀπὸ γυναικὸς ἐκβληθεὶς, μήτε ἡ ἀπὸ ἀνδρὸς καταλειφθεῖσα, ἑτέρῳ συζευχθῇ. ἀλλ' ἢ οὕτως μενέτωσαν, ἢ ἑαυτοῖς καταλλαγῶσιν. ὅπερ ἐὰν καταφρονήσωσι, πρὸς μετάνοιαν καταναγκασθῶσιν. Florentinum in decreto Eugenij, quo instruuntur Armenij: Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est. Cum matrimonij vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Neque obstat, quod Græci in eo concilio nihil penitus de matrimoniis tractare voluerint, ut per hoc aliquis dicere possit, decretum illud non esse definitionem Concilij; hoc, inquam, non officit. Siquidem Græci à Pontifice humanissime ea de re admoniti, cum illud dogma discutere, ac determinare neglexerint, inexcusabiles remanserunt, ut propterea peccatum haberent, ut Eugenius ipse illis objicit. Pontifex vero cum reliquis Latinis Patribus nondum soluto Concilio œcumenico, pastorali suo munere jure optimo functus est, & quid ea de re sentiendum esset, synodice sancivit.

Novissime in Tridentino sess. 24. cap. 7. hæc veritas definita est in hæc verba. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum, matrimonij vinculum non posse dissolvi. Et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alij nupserit; anathema sit.

Ex his autem apparet non satis considerate dictum esse à Cajetano, & Catharino locis supra citatis, nullam esse hac super re definitionem Ecclesiæ. Quamvis enim eos aliqua ex parte excusare possimus, Cajetanum, quod tempora Concilij Tridentini non attigerit, Catharinum, quod Concilio quidem interfuerit, sed usque ad definitionem Concilij de Matrimonio non supervixerit (sine dubio enim uterque illorum, si superstes fuisset, sua scripta correxisset.) Non tamen possumus eos absolute excusare, cum Florentinum Concilium longe eos antecesserit.

Probatur idem testimoniis Patrum Græcorum.

CAPUT XIII.

VErum opportunum erit, si etiam Orientalium Patrum testimonia proferamus. Non enim idem Spiritus sanctus, quo pleni erant sanctissimi Patres, diversa dogmata, variasque sententias de iisdem rebus per illos atque per istos dictavit.

Prodeat itaque inter alios Primus Ba-

silius Magnus, quem primo loco nobis objecimus, qui homilia 7. in Exhaëmeron nullam causam approbat, vel admittit, ob quam matrimonij vinculum dissolvatur: οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας, κἂν ὑπερόριοι ἀλλήλοις πρὸς κοινωνίαν γάμου συνέλθητε, ὁ τῆς φύσεως δεσμὸς, ὁ διὰ τῆς εὐλογίας ζυγὸς ἕνωσις ἔστω τῶν διεστώτων. ἔχιδνα τὸ χαλεπώτατον τῶν ἑρπετῶν πρὸς γάμον ἀπαντᾷ τῆς θαλασσίας μυραίνης, καὶ συριγμῷ τὴν παρουσίαν σημάνασα, ἐκκαλεῖται αὐτὴν ἐκ τῶν βυθῶν πρὸς γαμικὴν συμπλοκήν. ἡ δὲ ὑπακούει, καὶ ἑνοῦται τῷ ἰοβόλῳ. τί βούλεταί μοι ὁ λόγος; ὅτι κἂν τραχὺς ᾖ κἂν ἄγριος τὸ ἦθος ὁ σύνοικος, ἀνάγκη φέρειν τὴν ὁμόζυγα, καὶ ἐκ μηδεμιᾶς προφάσεως καταδέξασθαι τὴν ἕνωσιν διασπᾶν. πλήκτης, ἀλλ᾽ ἀνήρ. πάροινος, ἀλλ᾽ ἡνωμένος κατὰ τὴν φύσιν. τραχὺς καὶ δυσάρεστος, ἀλλὰ μέλος ἤδη σὸν, καὶ μελῶν τὸ τιμιώτατον. Vos, ô viri, conjuges vestras diligite. Et si ex diversis regionibus in conjugij societatem conveneritis, naturæ vinculum, ac jugum per benedictionem impositum sit conjunctio disiunctorum. Vipera genus sepentum omnium exitiosissimum murenæ marinæ nuptias expetit, & sibilo suam significans præsentiam, eam è gurgite vasto invitat ad nuptiales complexus. Illa autem obtemperat, & coit cum venenato. Quid sibi vult hæc mea oratio? Sive asper est cujuspiam conjunx, sive ferus moribus, perferat illum uxor necesse est: Nec ullam prorsus ob causam societatem vinculumque dissolvere patiatur. Percussor, at maritus est. Temulentus, at tibi est natura conjunctus. Durus & morosus, at membrum jam tuum est, & membrorum præstantissimum.

Idem Doctor in libro de Virginitate circa medium, sententiam Catholicorum disertissimis verbis docet, cum ita scribit: οὐκ ἀπέθανε δέ φημι ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, μοιχεύεται οὖν ἡ τοιαύτη ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς διὰ βίου μοιχευομένη. μᾶλλον δὲ δι᾽ ἡδονῆς μὲν ἀπόλαυσιν ἀκολάστως πορνεύουσα. διὰ δὲ τὸ ζῆν τὸν ἄνδρα παρανόμως μοιχεύουσα. Non esse autem mortuum, aio, maritum ejus. Igitur talis uxor vivente viro mœchatur, cum per omne vitæ tempus adulteretur. Immo, vero quia fruitur voluptate intemperanter, scortatur; quia vero vixit vir ejus, illicite mœchatur. Ponderanda sunt Basilij verba. Nam si in causa fornicationis matrimonium dissolveretur, uxor, quæ scortata esset, & ob id à marito derelicta, vel expulsa, si alium postea virum agnosceret, quamvis non maritum, utique meretricaretur, sed non mœcharetur. At Basilius eam & scortari simul & adulterari pronunciat, propterea quod vir ejus vivat.

In eodem libro infra clarius hoc idem affirmat: οὐκ ἀκούεις δὲ ὅτι καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμῶν μοιχᾶται; εἰ καὶ ἀπολέλυται γάρ φησι δι᾽ αἰτίαν, ἀλλὰ ζῇ αὐτῆς ὁ ἀνήρ. τί οὖν ἐνοχλεῖς τῇ ἀπολελυμένῃ, καὶ οὐκ ἐνδίδως καιρὸν κἀκείνῃ ἑαυτὴν διορθώσασθαι ἐφ᾽ οἷς ἀπελύθη, καὶ τὸν ἀπολύσαντα σπλαγχνισθέντα ἐπὶ τῇ διορθώσει εἰς ἑαυτὸν αὖθις τὸ ἑαυτοῦ ἀνακτήσασθαι μέλος; ἀλλὰ προαρπάζεις τὸν καιρὸν τῆς διορθώσεως, ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς τὴν ἀπολελυμένην γαμῶν. ἔασον φησὶν ἢ πρὸς τὸν ζῶντα ἐπανελθεῖν. ἅμα καὶ ἐπαναχθῆναι καλλίονα γενομένην γυναῖκα, ἢ μήτε χήραν, μήτε γυναῖκα ὑπάρχουσαν, τῆς ἐπὶ τῇ ἀφέσει αἰτίας, ἣν παρέσχε τῷ ἀνδρὶ, δίκην διδόναι. σὺ δὲ πρὶν καὶ συνιέναι τὸ οἰκεῖον ἐν τῇ ἀπολύσει ἁμάρτημα, ἁρπάζων τὴν πρὸς αὐτὴν συζυγίαν, τολμηροτέραν πρὸς τὰ ἁμαρτήματα ἀτόπως ἐργάζῃ, ζῶντος μὲν τοῦ ἀνδρὸς ἀεὶ τὴν ἀλλοτρίαν μοιχεύων. εὔκολον δὲ, ὅπερ ἔφην, πρὸς τὰ ἐν συμβιώσει πλάσματα ἀτόπως ἀσκῶν. εἰ δὲ ὁ τὴν παρόντος τοῦ ἀνδρὸς ἀπολελυμένην λαμβάνων, μοιχεύων ἀσεβεῖ, πολλῷ ἀσεβέστερον διὰ βίου μοιχεύει, ὁ τὴν τοῦ ἀθανάτου ἀνδρὸς νύμφην μηδέποτε ἀπολελυμένην παραφθεῖραι τολμῶν. Non audis vero quod etiam qui dimissam ducit, adulterium committit? & si enim, inquit, dimissa est propter causam, attamen vivit vir ipsius. Quid igitur vexas dimissam? neque concedis tempus & illi corrigendi seipsam in iis, propter quæ dimissa est, & ei, qui dimisit, ut ob correctionem ejus misertus, membrum suum rursus ad seipsum recipiat? sed præripis emendandi tempus, vivente viro dimissam in matrimonium ducens. Sine, inquit, aut ad viventem reverti, simulque factam meliorem uxorem redire; aut neque viduam, neque uxorem existentem, culpæ, ob quam eam maritus dimisit, pœnam dare. Tu vero priusquam intelligat proprium, propter quod dimissa est, peccatum, illam ad conjugium rapiens,

audaciorem ad peccata absurde efficis, vivente quidem viro semper alienam adulterans, facilem vero illam, ut dixi, ad peccata, quæ in convictu accidere solent, absurde exercens. Quod si is, qui eam ducit, quæ à mortali viro dimissa est, adulterium committens impie facit; multo magis impie per omne vitæ tempus adulterium committit is, qui immortalis viri sponsam nunquam dimissam corrumpere audet. Sic Basilius.

Et hîc quidem asserit etiam si ob causam dimittatur uxor, non posse eam alteri nubere; in Canone vero 48. epistolæ ad S. Amphilochium, etiam si injuste, & sine causa dimittatur, idem affirmat: ἡ δὲ ἐγκαταλειφθεῖσα παρὰ τοῦ ἀνδρὸς, κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην μένειν ὀφείλει. εἰ γὰρ ὁ κύριος εἶπεν, ὅτι ἐάν τις καταλείπῃ γυναῖκα ἐκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι, ἐκ τοῦ μοιχαλίδα αὐτὴν ὀνομάσαι, ἀπέκλεισεν αὐτὴν τῆς πρὸς ἕτερον κοινωνίας. πῶς γὰρ δύναται ὁ μὲν ἀνὴρ ὑπεύθυνος εἶναι, ὡς μοιχείας αἴτιος, ἡ δὲ γυνὴ ἀνέγκλητος, ἡ μοιχαλὶς παρὰ τοῦ κυρίου διὰ τὴν πρὸς ἕτερον ἄνδρα κοινωνίαν προσαγορευθεῖσα; Quæ à marito dimissa est (intelligitur injuste, nam si justa de causa dimitteret vir, non esset ipse causa adulterij, neque ipse faceret eam mœchari, sed totum crimen in mulierem redundaret, at Basilius hìc loquitur de ea, quæ est causa adulterij) itaque ait. Quæ à marito dimissa est, mea quidem sententia manere debet innupta. Si enim Dominus dixit, si quis reliquit uxorem, præter quam ratione fornicationis, facit eam adulterari, ex eo quod eam adulteram nominet, exclusit eam à societate cum alio. Quomodo enim potest vir quidem esse reus, & auctor adulterij, uxor autem nulli esse culpæ affinis, quæ propter consuetudinem cum alio viro, adultera à Domino appellata est?

Quod si de ea quæ injuste dimittitur, sic censet S. Basilius, profecto idem judicium faceret, & multo magis de ea, quæ justa de causa sit repudiata. Non enim melioris conditionis est adultera, quam sit casta. Et ideo supra dixit, quamvis dimittatur propter causam, attamen vir ejus vivit. Quapropter quomodocumque dimittatur uxor, non potest alteri nubere quin fornicetur. Sequitur igitur, ut etiam is, qui eam quomodocumque dimissam ducit, adulteretur. Et ob eam causam, cum divinæ literæ, sacrique Doctores virum repudiantem nonnunquam culpa liberent, aliquando alieni criminis faciant reum, prout nimirum vel contra fas, vel justa de causa uxorem dimiserit: in dimissa tamen, & eo, qui ducit, nullam prorsus ejusmodi agnoscunt differentiam, sed simpliciter, & absolute, ac semper eos appellant adulteros. In dimittente ponitur exceptio, nulla prorsus in ducente. Quamobrem frequentius etiam sancti Patres objurgant ducentem, quam dimittentem, quod ille quandoque careat culpa, iste semper crimini sit obnoxius. Et etiam spem conjugibus præcidat se invicem reconciliandi. Sive enim ille juste dimiserit, sive injuste, si tamen is non duceret, optima spes habenda esset de illorum reconciliatione. Ideo Basilius loco citato ait, ἔασον πρὸς τὸν ζῶντα ἐπανελθεῖν, sine ad viventem virum reverti. Et Clemens Alexandrinus in fine secundi libri Stromatum, εἰ γὰρ μὴ δέχοιτο, ἀνακάμψει πρὸς τὸν ἄνδρα. Si enim, inquit, non acceptaret, ad virum reverteretur. Quia nimirum uxores etiam solebant recedere à maritis adulteris.

Jungamus ordine Basilio æqualem per omnia Doctorem Nazianzenum, qui in secundo carmine, ubi recenset laudes virginitatis, & incommoda connubij, agnoscit illius insolubilitatem, dum illud vocat, κτητὸν κακὸν οὐδ' ἀπόπεμπτον, malum quod aliquis sibi parat, sine ulla prorsus spe repudij. Quippe ἀποπέμψασθαι τὴν γυναῖκα, uxorem repudiare significat. Sic igitur elegantissime cecinit:

Ἄθρει καὶ τὰ γάμοιο προσαύτεα λάτρεισι σαρκός.
Ὠνιός ἐστι δάμαρτι πόσις, καὶ τοῦδε χέρειον
Πολλάκις οὐδ' ἀγαθός. καὶ ὤνιος εὔνις ἀκοίτη
Πολλάκι καὶ συζυγὴ κτητὸν κακὸν, οὐδ' ἀπόπεμπτον.

Quos versus servata gravitate carminum, & proprietate linguæ Latinæ Jacobus Billius egregie in hunc modum vertit:

Perspice quanta premant servos incommoda carnis.
Fœmina non parva mereatur dote maritum;
Quodque etiam gravius, vitiosum sæpe & inertem.

Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Prædita sæpe bonis, quæsita, attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.

Joannes Chrysostomus non minus clare firmitatem matrimonij tuetur explicans cap. 5. Matthæi homilia 17. sic enim habet: ὅρα δὲ αὐτὸν πανταχοῦ τῷ ἀνδρὶ διαλεγόμενον. ὁ γὰρ ἀπολύων, φησὶ, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, καὶ ὁ γαμῶν ἀπολελυμένην μοιχᾶται. ὁ μὲν γὰρ κἂν ἑτέραν μὴ λάβῃ, τούτῳ αὐτῷ κατέστησεν ἑαυτὸν ἐγκλήματος ὑπεύθυνον, μοιχαλίδα ποιήσας ἐκείνην. ὁ δὲ τῷ τὴν ἀλλοτρίαν λαβεῖν, μοιχὸς γέγονε πάλιν. μὴ γάρ μοι τοῦτο εἴπῃς, ὅτι ἐξέβαλεν ἐκεῖνος, καὶ γὰρ ἐκβληθεῖσα μένει τοῦ ἐκβάλλοντος οὖσα γυνή. εἶτα ἵνα μὴ τὸ ὅλον ἐπὶ τὸν ἐκβάλλοντα ῥίψας, αὐθαδεστέραν ἐργάσηται τὴν γυναῖκα, καὶ τὰς τοῦ δεχομένου μετὰ ταῦτα ἀπέκλεισε θύρας, τῷ μὲν εἰπεῖν, ὃς ἂν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται, τὴν γυναῖκα καὶ ἄκουσαν σωφρονίζων, καὶ τὴν πρὸς ἕτερον ἄνδρα πάντως ἀποτειχίζων εἴσοδον αὐτῇ, καὶ οὐκ ἐπιτρέπων ἀφορμὰς παρέχειν μικροψυχίας. ἡ γὰρ μαθοῦσα ὅτι πᾶσα ἀνάγκη ἢ τὸν ἐξ ἀρχῆς κληρωθέντα ἔχειν, ἢ τῆς οἰκείας ἐκπεσοῦσα ἐκείνης, μηδεμίαν ἑτέραν ἔχειν καταφυγὴν, καὶ ἄκουσα ἠναγκάζετο στέργειν τὸν σύνοικον. εἰ δὲ μηδὲν αὐτῇ περὶ τούτων διαλέγεται, μὴ θαυμάσῃς, ἀσθενέστερον γὰρ ἡ γυνή. διὰ τοῦτο αὐτὴν ἀφεὶς, ἐν τῇ κατὰ τῶν ἀνδρῶν ἀπειλῇ τὴν αὐτῆς διορθοῦται ῥαθυμίαν.

» Considera vero ipsum (Christum) semper
» cum viro loquentem. Qui enim dimiserit,
» inquit, uxorem suam, facit eam mœchari,
» & qui dimissam duxerit, mœchatur. Ille
» quidem etiam si alteram non duxerit, eo
» ipso se constituit criminis reum, quod illam
» adulteram fecerit: hic vero accipiendo
» alienam adulter effectus est. Nequaquam
» enim mihi proferas, quia eam ille ejecit:
» nam expulsa quoque uxor esse ejus, qui
» eam expulit, perseverat. Deinde ne totum
» in ejicientem referens magis superbam faceret
» uxorem, post hæc etiam suscipienti
» januam claudit dicendo, qui autem dimissam
» duxerit, adulteratur. Per quod certe
» uxorem facit etiam nolentem pudicam, ad
» alium virum omnino ei aditum claudens.
» Neque permittens ei, ut præbeat occasiones
» pusillanimitatis. Cum enim didicerit
» uxor, quod omni modo necesse sit, aut eum
habere, quem à principio sortita est, aut illius «
semel ejectam domo, nullum se jam «
aliud inventuram esse perfugium, etiam nolens «
conjugem suum amare cogetur. Si vero «
nihil cum ea de his rebus disserit, minime «
mireris, est enim muliebris sexus infirmior. «
Propterea illam relinquens, dum deterret «
viros (dimittentem, & ducentem) «
vitium quoque uxoris emendat. «

Et Homilia 62. in eundem Matthæum «
exponens illa verba, Si sic est causa hominis «
cum uxore, non expedit uxorem ducere, «
sic habet: σφόδρα ἐπαχθὲς εἶναι δοκεῖ, τὸ γυναῖκα πάσης κακίας γέμουσαν ἔχειν, καὶ ἀνέχεσθαι ἀνημέρου θηρίου διὰ παντὸς ἔνδον συγκεκλεισμένου. Onerosum valdè videtur, omni nequi- «
tia plenam mulierem retinere, ac atrocem «
beluam una secum intus inclusam perpe- «
tuo sustinere. Quæ verba Chrysostomus «
certe non ob aliud dicit, & ejusmodi similitudinem ponit, quam ob vinculum insolubile matrimonij. Quod & magis clarum facit consequentibus verbis: καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι σφόδρα τοῦτο αὐτοὺς (τοὺς ἀποστόλους) ἐθορύβει, ὁ Μάρκος αὐτὸ δηλῶν ἔλεγεν, ὅτι κατ' ἰδίαν εἶπον αὐτῷ. τί δέ ἐστιν, εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικός; τουτέστιν, εἰ διὰ τοῦτο συνήφθη ἵνα ἓν ὦσιν. ἢ ἐκεῖνο, εἰ αἰτίαν ἐπὶ τούτοις ἀναλήψεται ὁ ἀνὴρ, καὶ πανταχοῦ παρανομεῖ ἐκβάλλων, κουφότερον πρὸς ἐπιθυμίαν μάχεσθαι φύσεως, καὶ πρὸς ἑαυτὸν, ἢ πρὸς γυναῖκα πονηράν. Et ut «
discas, quod istud Apostolos valde turba- «
bat, hoc indicans Marcus aiebat, eos seor- «
sum dixisse Christo: Quid porro illud sibi «
vult, si sic est causa hominis cum uxore? idest, «
si hac de causa juncti sunt, ut unum sint; vel «
illud, si in his culpandus erit vir, & usque- «
quaque legem violat (uxorem) ejiciens, «
facilius est cupiditati naturæ, ac sibimet re- «
sistere, quam uxori improbæ repugnare. «

Idem in libro de Virginitate circa medium, explicans locum Apostoli toties supra citatum 1. ad Corinthios cap. 7. his, qui matrimonio juncti sunt: τί οὖν ἂν ὁ μὲν ἀνὴρ ἐπιεικὴς, ἡ δὲ γυνὴ μοχθηρὰ, λοίδορος, λάλος, πολυτελὴς, τὸ κοινὸν τοῦτο πασῶν αὐτῶν νόσημα, ἑτέρων πλειόνων γέμουσα κακῶν. πῶς οἴσει τὴν καθημερινὴν ταύτην ἀηδίαν ἐκεῖνος ὁ δείλαιος, τὸν τῦφον, τὴν ἀναισχυντίαν. τί δαὶ ἂν τοὐναντίον, αὕτη μὲν ᾖ κοσμία, καὶ ἥσυχος, ἐκεῖνος δὲ θρασὺς

ἢ ὑπερόπτικος, ὀργίλος, πολλὴν μὲν ἀπὸ τῶν χρημάτων, πολλὴν δὲ ἀπὸ τῆς δυναστείας ὄγκον περιβεβλημένος, καὶ τὴν ἐλευθέραν ὡς δούλην ἔχῃ, καὶ τῶν θεραπαινίδων οὐδὲν ἄμεινον πρὸς αὐτὴν διάκειται, πῶς οἴσει τὴν τοιαύτην ἀνάγκην καὶ βίαν; τί δαὶ ἐὰν συνεχῶς αὐτὴν ἀποστρέφηται, καὶ διὰ παντὸς μένῃ τοῦτο ποιῶν. καρτέρει φησὶ, πᾶσαν ταύτην τὴν δουλείαν. ὅταν γὰρ ἀποθάνῃ, τότε ἐλευθέρα ἔσῃ μόνον. ζῶντος δὲ δυοῖν ἀνάγκη θάτερον, ἢ παιδαγωγεῖν αὐτὸν μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς, καὶ βελτίω ποιεῖν, ἢ φέρειν γενναίως τὸν ἀκήρυκτον πόλεμον, καὶ τὴν ἄσπονδον μάχην. καὶ ἀνωτέρω μὲν ἔλεγε, μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλοις, εἰ μή τι ἂν ἐκ συμφώνου, ἐνταῦθα δὲ χωρισθεῖσαν αὐτὴν, ἀκούειν λοιπὸν, μενέτω ἄγαμος. μενέτω, γὰρ φησιν, ἄγαμος, ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω. ὁρᾷς αὐτὴν ἐν μέσῳ δυοῖν ἀπειλημμένην πολέμων; ἢ γὰρ τὴν ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας βίαν χρὴ καρτερεῖν, ἢ τοῦτο μὴ βουλομένην, κολακεύειν τὸν ὑβριστὴν, καὶ παρέχειν αὐτὴν ἐκείνῳ πρὸς ὅπερ ἂν βούλοιτο, εἴτε πληγὰς ἐκτείνειν, εἴτε λοιδορίαις πλύνειν, εἴτε οἰκετῶν ὑπεροψίᾳ παραδοῦναι, εἴτε καὶ ἕτερόν τι τοιοῦτον. πολλαὶ γὰρ ὁδοὶ τοῖς ἀνδράσιν ἐπινενόηνται, ὅταν κολάζειν τὰς ἑαυτῶν βούλοιντο γυναῖκας. εἰ δὲ μὴ ταῦτα φέροι, τὴν ἐγκράτειαν ἀσκεῖν χρὴ τὴν ἄκαρπον. ἄκαρπον δὲ λέγω, ἐπειδὴ μὴ τὴν προσήκουσαν ὑπόθεσιν ἔχει. οὐ γὰρ δι' ἁγιωσύνης ἐπιθυμίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν πρὸς τὸν ἄνδρα ὀργὴν γίνεται. μενέτω γὰρ φησιν ἄγαμος, ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω. τί οὖν ἂν μηδέποτε καταλλαγῆναι βούληται φησιν; ἔχεις δευτέραν λύσιν καὶ ἀπαλλαγήν. τίνα ταύτην; ἀνάμενε τὸν ἐκείνου θάνατον. ὥσπερ γὰρ τῇ παρθένῳ γαμεῖν οὐδέποτε ἔξεστιν, οὕτως οὐδὲ ταύταις, εἰ μὴ ὅταν ὁ ἀνὴρ ἀποθάνῃ. εἰ γὰρ ἐξῆν καὶ ζῶντος ἀπὸ τούτου πρὸς ἕτερον, καὶ πάλιν ἀπ' ἐκείνου πρὸς ἄλλον μεταπηδᾷν, τί γάμων ἔδει λοιπὸν, ταῖς ἀλλήλων γυναιξὶν ἀδιακρίτως τῶν ἀνδρῶν κεχρημένων, καὶ πάσαις ἁπλῶς ἀναμεμιγμένων ἁπάντων; πῶς δὲ οὐκ ἂν καὶ ἡ πρὸς τοὺς συνοικοῦντας διεφθάρη διάθεσις; τήμερον τούτου, αὔριον δὲ ἐκείνου, καὶ πάλιν ἄλλων τῇ αὐτῇ συζώντων γυναικί; δικαίως οὖν αὐτὸ ὁ κύριος μοιχείαν ἐκάλεσε. πῶς οὖν Ἰουδαίοις τοῦτο συνεχώρησε; δηλονότι διὰ τὴν σκληροκαρδίαν, ἵνα μὴ πολεμῶσιν ἀλλήλοις. ἵνα μὴ συγγενικῶν αἱμάτων πληρώσωσι τὰς ἑαυτῶν οἰκίας. τί γὰρ ἦν ἄμεινον εἰπέ μοι. τὴν μισηθεῖσαν ἐκβληθῆναι ἔξω, ἢ σφαγῆναι ἔνδον; τοῦτο γὰρ ἂν ἐποίησαν, εἴγε μὴ ἐξῆν αὐτοῖς ἐκβάλλειν. διὰ τοῦτό φησιν, εἰ μισεῖς ἐξαπόστειλον.

ὅταν δὲ τοῖς ἐπιεικέσι διαλέγηται, καὶ οἷς μηδὲ ὀργίζεσθαι συγχωρεῖ, τί λέγει; ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος. ὁρᾷς τὴν ἀνάγκην καὶ τὴν ἀπαραίτητον δουλείαν, καὶ τὸν ἑκατέροις περιβάλλοντα δεσμόν; δεσμὸς γὰρ οὕτως ὁ γάμος, οὐ διὰ τὸν τῶν φροντίδων ὄχλον μόνον, οὐδὲ διὰ λύπας τὰς καθημερινὰς, ἀλλ' ὅτι παντὸς οἰκέτου χαλεπώτερον, ἀλλήλοις ὑποκεῖσθαι τοὺς γεγαμηκότας καταναγκάζει. κρατείτω φησὶ τῆς γυναικὸς ὁ ἀνήρ. καὶ τί τῆς δεσποτείας ταύτης τὸ κέρδος; πάλιν γὰρ αὐτὸν τῆς κεκρατημένης ποιεῖ, καινήν τινα καὶ παράδοξον δουλείας ἐπινοήσας ἀντίδοσιν. καὶ καθάπερ οἱ πόδες τῶν φυγάδων, οἱ καὶ καθ' ἑαυτοὺς δεδεμένοι, καὶ πάλιν ἀλλήλοις συνδεδεμένοι διά τινος ἁλύσεως μικρᾶς, ἐξ ἑκατέρας ἀρχῆς ταῖς πέδαις προσηλωμένοι, οὐκ ἂν δύναιντο μετ' ἐξουσίας βαδίζειν, τῷ τὸν ἕτερον ἀναγκάζεσθαι ἕπεσθαι θατέρῳ, οὕτω καὶ αἱ τῶν γεγαμηκότων ψυχαὶ, ἔχουσι μὲν καὶ ἰδίας φροντίδας, ἔχουσι δὲ ἑτέραν ἀνάγκην, τὴν ἐκ τοῦ πρὸς ἀλλήλους συνδέσμου, πάσης ἁλύσεως χαλεπώτερον ἄγχουσαν, καὶ τὴν ἀμφοτέρων ἐλευθερίαν ἀφαιρουμένην. τῷ μὴ καθάπαξ ἑνὶ παραδοῦναι τὴν ἀρχὴν, ἀλλ' εἰς ἑκατέροις αὐτοῖς διανεῖμαι τὴν ἐξουσίαν. Quid autem, inquit, si vir moderatus est, uxor vero, nequam, maledica, loquax, & quod commune est mulieribus vitium sumptuosa, multisque aliis imbuta vitiis fuerit? quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam, & impudentiam perferret? Quid si contra acciderit, probam illam, & mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum, pecunia etiam potentiaque admodum elatum, & inflatum, qui liberam habeat pro ancilla, nihiloque melius in eam, quàm in famulas sit animatus, quonam pacto ejusmodi necessitatem, vimque tollerabit? Quid denique si vir ab uxore continenter aversus perpetuo abhorreat? (Quod nimirum ut plurimum accidere solet, quando alterius ardet amore.) Perferas, inquit, omnem istam servitutem. Tantum enim tui juris futura es, cum is à vita migrarit (en terminus solvendi matrimonium, & nota voculam *μόνον*.) Nam quamdiu vixerit, alterutrum necesse est, velut eum magno studio regas, ac modereris, melioremque facias, vel bellum minime denunciatum, perpetuumque prælium fortiter sustineas.

At supra quidem dixerat, nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu; hic vero disjunctam ipsam à viro, vel invitam se continere jubet, maneat, inquit, innupta, aut viro reconcilietur. Videsne ipsam mediam inter duo prælia, ut vel libidinis vim ferre, vel si id noluerit, &c, à quo afficitur injuriis, assentari, & omnino ejus arbitrio se ipsam præbere necesse habeat? Sive is verberibus, sive conviciis vexare, sive ludibrio, & despectui servorum subjicere, sive hujusmodi quippiam (quale nimirum est adulterium) committere voluerit, multas enim viri vias reperiunt, cum volunt, inferendæ uxoribus injuriæ. (Certe nullam, quæ magis exasperet castam matronam, atque mariti adulterium) quod si ista, injuriosa, non tulerit, (& se videlicet à marito disjunxerit) continentiam colat oportet (ecce vinculum) inutilem: inutilem, inquam, quod eo non utitur fundamento, quo deberet, non enim id sanctitatis studio facit, sed ira in conjugem incitata. Maneat, inquit, innupta, aut viro reconcilietur. Sed quid inquit, si nunquam cum viro in gratiam redire voluerit? habes illud alterum, quo te inde expedire possis. Quidnam id est? Expecta dum is tibi decedat. (Ecce ad mortem indissolubilitas matrimonij.) Nam quemadmodum virgini (quæ videlicet virginitatem Deo voverit, de hac enim tractat in hoc argumento Chrysostomus) vivo ejus viro (immortalis autem is est) nunquam licet nubere, sic nuptæ, tantum conjuge mortuo. (Nota similitudinem nihil valere, si fiat quoad vinculum separatio. Nam talis virgo etiam si adulteretur, nunquam fit libera à Christi conjugio, ita ut possit carnaliter alij nubere.) Nam si fas esset illo vivo conjungi cum altero, (At si solveretur matrimonium quoad vinculum ex causa fornicationis, fas esset.) tum ab illo transire ad alium, aliis aliorum uxoribus promiscue, & communiter inter se ad libidinem abutentibus, virisque omnibus cum illis omnibus omnino concumbentibus, quid tandem conjugio opus fuit? aut quomodo hodie hoc, illo cras, ac deinceps aliis cum eorum uxore consuetudinem habentibus; conjugum amor ac studium non labefactetur? Quamobrem Dominus merito id adulterium appellavit. (Sane quidem efficax, & egregia ratio. Nam re vera si propter adulterium uxores solutæ manerent, modo cum hoc, modo cum illo consuetudinem haberent, & conjugum amor penitus evanesceret. Neque amplius matrimonio esset opus. Jam vero etiam si maritus eis minus placeret, de industria committerent adulteria, ut liberæ fierent, & ex delicto proprio commodum & emolumentum reportarent. Quod idem dicendum de viris, si eorum uxores minus eis placerent.) Sed pergit Chrysostomus. Quî fit igitur, ut Judæis istud permiserit? nempe propter illius gentis pervicaciam, ne inter se dimicarent, ne proprias domos implerent sanguine propinquorum. Utrum quæso præstat, invisam uxorem domo expellere, an intra parietes domesticos occidere? Quod sane fecissent Judæi, si non ipsis illam ex ædibus ejicere licuisset. Itaque ait, si ipsam odisti, amandato. Cum vero ad moderatos, & ad eos loquitur, quibus ne quidem irasci permittit, quid ait? si discesserit, maneat innupta. Videsne rei necessitatem, & inexorabilem servitutem, & utrumque vinculis undique constrictum? Est enim connubij necessitudo instar vinculorum, neque solum propter curarum turbam, quotidianasque molestias, sed quousque adeo conjuges devincit modo servitutis, ut nulla magis servitia in cujusquam dominatu, quam ipsi alter in alterius potestate esse cogantur. Dominetur, inquit, vir uxori; sed quodnam illi facit dominatus emolumentum? Rursus enim novam quandam, & admirabilem excogitans compensationem servitutis, in ejus servitutem tradit, quæ ipsius potestati subjecta est. Et quemadmodum pedes fugitivorum, & suis vinculis, & rursus communi vinculo per catenulam quandam constricti, per quam utrinque compedibus affixi sunt, liberam abeundi facultatem non habent, eo quod alter alterum sequi cogatur; sic conjugum animi cum propriam sui curam sustinent, tum altera etiam pre-

„ muntur necessitate à communibus conju- „ gij vinculis imposita, quæ & gravius urget „ omnibus vinculis. (At non urgeret, si matrimonium omnimodo solveretur ex causa fornicationis, & nota verbum ἄγχουσαι) & „ hoc ipso libertatem aufert, quod alteri ne „ semel quidem principatum defert, sed utrique distribuit. Sic Chrysostomus, qui tandem aptissima similitudine indissolubilitatem exprimit matrimonij, & æquale jus esse docet conjugum.

Sed illud nobis objicere posset aliquis. Quandoquidem agnoscunt Græci duplices causas separationis, adulterium, & quas vocant μικροψυχίας, unde scimus nos, cum dicit Basilius, quamvis propter causam dimissa sit, sed ejus vir vivit, non eum loqui de postremo genere causarum? Quod secundum Græcos non dirimit matrimonium quoad vinculum, & possunt fieri reconciliationes. Præsertim cum idem vir sanctus de viro, qui dimissam ducit, ibidem dicat, eum exercere illam facilem ad peccata, quæ in convictu accidere solent. Ubi sanctus non commemorat adulterium, rem nimirum gravissimam, sed tantum errata faciliora. Certe Chrysostomus clarissime hunc sensum ibidem videtur exprimere, de eo enim qui dimittit, ait: etiam si alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod illam adulteram fecerit. Atqui certe si propter adulterium dimisisset, non esset reus criminis, sed sola mulier increpanda esset. Igitur non de ista causa Chrysostomus loquitur. Quid? quod infra manifeste ait, καὶ οὐκ ἐπιτρέπων ἀφορμὰς παρέχειν μικρο- „ ψυχίας. Neque permittens ei (Christus Do- „ minus) ut præbeat occasiones pusillanimi- „ tatis. Alioquin in causa fornicationis Chrysostomus alibi dicit, solutum est matrimonium, vir non est vir.

Adde quod Chrysostomus non vult posse maritum habitare cum fornicaria, ne se cum ipsa commiscendo, fiat & ipse fornicator. Igitur quæ dicit in libris de virginitate, ubi ex verbis Apostoli censet conjuges se invicem sustinere debere, vel manere cœlibes, & innuptos, extra causam fornicationis intelliguntur.

Respondeo, Basilium tota illa sententia utrasque causas complecti, sed præcipue illis primis verbis, qui dimissam duxerit, mœchatur, legitimam intelligere causam, propter quam merito fiunt divortia. Profert enim Basilius sacram scripturam, vel Dominum, qui dicat, etiam si propter causam dimisit, tamen vir ejus vivit. Ideo addit illud verbum φησὶ, perinde quasi scriptura vel Salvator dicat: sed scriptura nullam aliam agnoscit, & approbat causam divortij præter fornicationem, igitur eandem quoque intelligere Basilium, necesse est. Non audis, inquit Basilius, “ quod qui dimissam duxerit, adulteratur? “ Et quia potuisset aliquis dicere, si sine causa sit dimissa, verum esse, quia tunc manet vinculum matrimonij, cum nulla causa illud dissolverit; longe secus videri, si adulterium intercesserit. Ideo ait Basilius, huic tacitæ occurrens objectioni, scripturam non agnoscere ἀπολελυμένην, & quæ possit, ac debeat dimitti, nisi propter causam, proinde asseverare etiam eum, qui dimissam ducit, quamvis propter causam dimissam, adulterium committere. Et ita est re vera. Nam ex præcepto Domini habemus in Evangelio posse dimitti uxorem propter causam fornicationis, item habemus non posse quempiam dimissam ducere, quin adulteretur. Posteriora vero verba illius sententiæ, attamen vir ejus vivit, extant apud B. Paulum ad Romanos cap. 7. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Basilius autem varia loca scripturæ contexuit, ut integra constaret sententia. Cur enim adulteratur is, qui dimissam ducit? Quia videlicet vir ejus vivit, ac proinde alligata est viro lege matrimoniali, neque est opus quærere solutionem.

Ad Chrysostomum similiter atque uno modo respondeo. Utrasque causas tota illa sententia Doctor comprehendit. Non autem facit mentionem adulterij, propterea quod voluerit omnes personas arguere, quæ in matrimonio errant, & quoniam qui dimittit ex causa fornicationis non est jure reprehendendus, ideo tacitum præteriit adulterium.

Cæterum ex ea parte, qua tangit reliquas

quas perſonas, non ita exiſtimandum eſt, ſed univerſe loquitur. Ratio enim quam infert, æque omnes cauſas propter quas dimittitur uxor ſive juſte, ſive injuſte, atque adeo ipſum adulterium complectitur. Quomodo enim Chriſtus Dominus ſuſcipienti fores clauderet? quomodo mulieri ad alium virum omnino intercluderet aditum? quomodo faceret nolentem pudicam? quomodo ſciret mulier neceſſario eum debere habere, quem à principio ſortita ſit, & eum amare cogeretur (quæ omnes ſunt rationes Chryſoſtomi) ſi ob fornicationem, ita ſoluta maneret uxor, ut nova poſſet inire conjugia?

Pari ratione in teſtimoniis allatis ex libro de Virginitate, quamvis expreſſe non faciat mentionem adulterij, propter quod ſeparatio quoad vinculum non fit, & neceſſario debet uxor, ſi ſeparata fuerit, manere innupta; rationes tamen infert Chryſoſtomus, quæ optime comprehendunt etiam adulterium, ut eo loco per parentheſes notavimus.

Illorum autem verborum, ſolutum eſt matrimonium, & vir non eſt vir, qualis ſit ſenſus, patefaciemus in ſolutione argumentorum, quandoquidem antea illa loca nobis objecimus.

Poſtremo quod dicitur, Chryſoſtomum non permittere viro habitare cum adultera; ſano modo accipiendum eſt, ſi nimirum illa ſit incorrigibilis. Quæ eſt ſententia omnium Doctorum Eccleſiæ. De qua re dicemus etiam infra in ſolutione argumentorum, quando ſententiam Chryſoſtomi illuſtrabimus. Idcirco Chryſoſtomus loco citato cautè loquitur, οὐ κατηγορεῖται ἐκβάλλων αὐτὴν ὁ ἀνὴρ, non accuſatur vir eam ejiciens. Quo etiam ſenſu dicit Baſilius in canone 21. epiſtolæ primæ ad Amphilochium, ἄκων ταύτην προσλαβέσθαι, οὐκ ἀναγκασθήσεται, invitus eam aſſumere non cogetur.

Itaque ut ad inſtitutum noſtrum redeamus, cum locus Euangelicus à principio adductus non aliam expoſitionem, præter eam, quam ex ſanctis Patribus ipſoque Apoſtolo adhibuimus, patiatur, ſequitur cæteros Evangeliſtas, & reliquos Patres, qui abſolute, & ſine ulla exceptione loquuntur, eodem modo debere intelligi.

S. Marcus cap. 10. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur. Lucas c. 16. Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Ex Patribus.

Clemens Romanus in Canonibus Apoſtolorum can. 48. excommunicari jubet eum, qui uxore dimiſſa, aliam ducit: εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβάλλων, ἑτέραν λάβοι, ἢ παρ' ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω. Si quis laïcus ſuam uxorem ejiciens, alteram acceperit, vel ab alio dimiſſam, excommunicetur. Ubi notandum eſt, non dicere Apoſtolos, εἴ τις ἐκβάλλοι ἀφοριζέσθω, ſi quis ejecerit, excommunicetur. Sed εἴ τις ἐκβάλλων λάβοι, ſi quis ejiciens acceperit. Fieri enim poteſt, ut quis juſte ejiciat, ſi in adulterio deprehendat, & ob id, non ſit dignus excommunicatione. At nunquam juſte aliam accipere poteſt.

Juſtinus Martyr in ſecunda Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum, καὶ ὃς γαμεῖ ἀπολελυμένην ἀφ' ἑτέρου ἀνδρὸς, μοιχᾶται. Et qui, inquit, dimiſſam ab altero viro ducit, adulteratur. At ἀπολελυμένη non eſt, niſi in cauſa fornicationis.

Poſſent tamen Græci hoc eludere. Nam ex eo quod Chriſtus dicit, omnis qui dimiſerit, facit eam mœchari; poteſt ea vocari dimiſſa, quamvis citra cauſam fornicationis dimittatur. Saltem illud inculcandum eſt. Cum Chriſtus Dominus, & eum ſequuti ſacri Doctores, ſine ulla exceptione univerſe loquantur de dimiſſa, quam citra adulterium nemo accipere poteſt; debemus nos quoque quomodocumque dimiſſam intelligere, alioquin adhibuiſſent illi diſtinctionem. Tandem ſi nihil aliud, ad expoſitionem Doctoris gentium omnino recurrendum eſt.

Athenagoras in eo libello, quem ſcripſit pro Chriſtianis ad eundem Antoninum, ἢ οἷός τις ἐτέχθη μένειν, ἢ ἐφ' ἑνὶ γάμῳ. ὁ γὰρ δεύτερος εὐπρεπής ἐστι μοιχεία. ὃς γὰρ ἂν ἀπολύσῃ, φησὶ, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται.

Vel, inquit, qualis quisque natus est manere debet, vel in unis nuptiis. quippe secundum conjugium, illustre est adulterium. Quicumque enim, inquit, uxorem suam dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur.

Clemens Alexandrinus in fine secundi libri Stromatum, ὅτι δὲ γαμεῖν ἡ γραφὴ συμβουλεύει, οὐδὲ ἀφίστασθαί ποτε τῆς συζυγίας ἐπιτρέπει, ἄντικρυς νομοθετεῖ, οὐκ ἀπολύσεις γυναῖκα, πλὴν εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας. Quod autem, inquit, inire matrimonium scriptura moneat, neque unquam à conjugio separari permittat, perspicue sancit, non dimittes uxorem, præterquam in causa fornicationis. Et licet separatio non fiat ex sententia Clementis, nisi in causa fornicationis, infert tamen, μοιχείαν δὲ ἡγεῖται τὸ ἐπιγῆμαι ζῶντος θατέρου τῶν κεχωρισμένων. Adulterium autem existimat scriptura insuper conjungi matrimonio, vivente altero ex separatis. Ubi perpendenda est ratio Clementis, quam assignat, cur sit adulterium, quod superstes sit uterque conjux. Atque de illo loco Evangelij satis.

Pro insolubilitate Matrimonij affertur testimonium ex cap. 7. ad Romanos, & Patrum testimoniis germana ejus loci interpretatio confirmatur.

CAPUT XIV.

SEcundus locus pro astruenda insolubilitate matrimonij habetur in epistola ad Romanos cap. 7. An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Similia docet Paulus in epistola priore ad Corinthios cap. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vivit vir ejus; si autem mortuus fuerit, libera est, cui vult nubat, tantum in Domino.

Ex quo loco recte colligunt Hieronymus loco citato ad Amandum, & Augustinus libro 2. de adulterinis conjungiis cap. 4. vinculum conjugale manere etiam post divortium quacumque de causa factum. Si enim quamdiu vivit vir, mulier alligata est; ergo casus adulterij à viro patrati non liberat eam à viro, seu à lege viri. Igitur neque vir liberatur à jure mulieris, si illa fuerit adultera.

Cæterum hac in re non omittam referre aureas ac iteratas voces Augustini: Hæc verba, inquit, Apostoli totiens repetita, totiens inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt; Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur.

Basilius quoque magnus in sententia citata non semel repetit, ζῇ αὐτῆς ὁ ἀνήρ, & ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς τὴν ἀπολελυμένην γαμῶν, & ἔασον πρὸς τὸν ζῶντα ἐπανελθεῖν, & ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς ἀεὶ τὴν ἀλλοτρίαν μοιχεύων. Quæ verba Basilij magnam vim habent ad ostendendum matrimonium nonnisi post mortem alterius dissolui posse.

Verum adhuc clarius Chrysostomus super citato dicto Apostoli, mulier alligata est legi, quandiu vivit vir ejus, cujus initium, περὶ γάμου πρώην ἡμῖν ὁ μακάριος Παῦλος ἐνομοθέτει. De nuptiis paulo ante B. Paulus nobis legem ferebat. Sic itaque more suo aurea verba fundens disserit: οἶδα μὲν οὖν ὅτι πολλοῖς εἶναι δοκεῖ καινὸν καὶ παράδοξον τὸ λεγόμενον. πλὴν οὐ διὰ τοῦτο σιγήσομαι. ἀλλὰ πρῶτον τὸν νόμον ὑμῖν ἀναγνοὺς, καὶ τὴν δοκοῦσαν ἀντινομίαν λῦσαι πειράσομαι. τίς οὖν ἐστιν ὁ νόμος, ὃν ὁ Παῦλος ἡμῖν ἔθηκε; γυνή, φησι, μὴ ἀποχωριζέσθω ζῶντος τοῦ ἀνδρός. μηδὲ ἕτερον ἐπεισαγαγέτω νυμφίον· μηδὲ ὁμιλείτω δευτέροις γάμοις. καὶ ὅρα πῶς μετὰ ἀκριβείας καὶ αὐτῇ τῶν λέξεων τῇ φύσει κέχρηται. οὐ γὰρ εἶπε συνοικείτω τῷ ἀνδρὶ ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. ἀλλὰ τί; γυνὴ δέδεται νόμῳ ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. ὥστε κἂν βιβλίον ἀποστασίου δῷ, κἂν τὴν οἰκίαν ἀφῇ, κἂν πρὸς ἄλλον ἀπέλθῃ, τῷ νόμῳ δέδεται, καὶ μοιχαλίς ἐστιν ἡ τοιαύτη. ἐὰν τοίνυν ὁ ἀνὴρ ἐκβάλλειν βούληται τὴν γυναῖκα, ἢ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα ἀφεῖναι, ταύτης ἀναμιμνησκέσθω τῆς ῥήσεως. καὶ τὸν Παῦλον νομιζέτω παρεῖναι, καὶ καταδιώκειν αὐτὴν βοῶντα καὶ λέγοντα, γυνὴ δέδεται νόμῳ.

καθάπερ γὰρ οἱ δραπετεύοντες οἰκέται κἂν τὴν οἰκίαν ἀφῶσι τὴν δεσποτικὴν, τὴν ἅλυσιν ἔχουσιν ἐπισυρομένην; οὕτω καὶ γυναῖκες κἂν τοὺς ἄνδρας ἀφῶσι, τὸν νόμον ἔχουσι καταδικάζοντα ἀντὶ ἁλύσεως, κατηγοροῦντα μοιχείαν τῶν λαμβανόντων, καὶ λέγοντα, περίεστιν ὁ ἀνὴρ ἔτι, καὶ μοιχεία τὸ γινόμενόν ἐστι. γυνὴ γὰρ δέδεται νόμῳ ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. καὶ πᾶς ὁ ἀπολελυμένην γαμῶν μοιχᾶται. πότε οὖν ἔξεστιν αὐτῇ δευτέροις ὁμιλῆσαι γάμοις; πότε; ὅταν τῆς ἁλύσεως ἀπαλλαγῇ. ὅταν ὁ ἀνὴρ τελευτήσῃ. Scio equidem novum, & paradoxum videri multis, quod affero, non tamen propterea silebo; sed prius recitata vobis lege, etiam contrarietatem legis soluere conabor. Quæ igitur lex est, quam nobis imposuit Paulus? Mulier, inquit, ne divellatur vivente viro, neque alterum introducat sponsum; neque secundas contrahat nuptias. Et observa quomodo cum exacta discussione, ipsa etiam natura vocabulorum utitur. Non enim dixit, cohabitet viro, quandiu vivit ejus vir. Sed quidnam? mulier alligata est legi, quamdiu vivit ejus vir. Quare quamvis libellum repudij det, ac domum relinquat; quamvis ad alium proficiscatur; legi alligata est, & adultera est ejusmodi mulier. Si igitur vir uxorem expellere voluerit, vel uxor maritum relinquere, hoc dictum memoria teneat, & Paulum adesse putet, qui eam insectetur, clamet ac dicat: mulier adstricta est lege. Quemadmodum enim servi fugitivi etiamsi domum relinquant herilem, catenam nihilominus secum trahunt; sic & uxores tametsi viros relinquunt, habent secum legem vinculorum instar condemnantem eos, qui eas ducunt, adulterij accusantem, ac dicentem: adhuc superstes est vir, & adulterium est quod committitur. Quippe mulier alligata est legi, quandiu vivit ejus vir. Et omnis qui dimissam duxerit, mœchatur. Quando igitur ei licet secundum inire conjugium? quando? Cum soluta fuerit vinculo; cum vir ejus vita functus fuerit. Et infra in eadem homilia hæc habet: ἐλευθέραν δὲ αὐτὴν μετὰ τὴν τοῦ ἀνδρὸς τελευτὴν γεγενῆσθαι λέγων, ἔδειξεν ὅτι πρὸ τούτου δούλη ἦν ζῶντος ἐκείνου. δούλη δὲ οὖσα, καὶ ὑποκειμένη τῷ νόμῳ, κἂν μυριάκις βιβλίον ἀποστασίου λάβῃ, τῷ τῆς μοιχείας ἁλίσκεται νόμῳ. οἰκέταις μὲν γὰρ ἔξεστι δεσπότας ἀμείβειν ζῶντας. γυναικὶ δὲ οὐκ ἔξεστιν ἄνδρας ἀμείβειν ζῶντος τοῦ ἀνδρός. ἐπεὶ μοιχεία τὸ πρᾶγμά ἐστι. μὴ γάρ μοι τοὺς παρὰ τοῖς ἔξωθεν κειμένους νόμους ἀναγνῷς, τοὺς κελεύοντας διδόναι βιβλίον ἀποστασίου καὶ ἀφίστασθαι. οὐ γὰρ δὴ κατὰ τούτους σοι μέλλει κρίνειν τοὺς νόμους ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ἀλλὰ καθ' οὓς αὐτὸς ἔθηκεν. Liberam autem eam post obitum viri factam asserens, ostendit antea servam fuisse vivente illo; serva vero existens, & legi subjecta, etiam si millies libellum repudij accipiat, lege adulterij convincitur. Equidem servis licet dominos mutare viventes; mulieri vero non licet maritos mutare vivente viro, quoniam hoc adulterium est. Utique ne mihi recites leges externas, atque profanas, quæ libellum repudij dare, ac divortium facere præcipiunt. Non enim profecto secundum has leges in illa die judicaturus est Deus; sed juxta eas, quas ipse imposuit.

Idem in eadem homilia, μετὰ ποίων ὀφθαλμῶν ὄψεται τὴν ἐκείνου γυναῖκα τὴν αὐτοῦ; μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἐκείνου, οὔτε αὐτοῦ δικαίως ἄν τις τὴν τοιαύτην προσείποι. ἡ γὰρ μοιχαλὶς οὐδενός ἐστι γυνή. καὶ γὰρ τὰς πρὸς ἐκεῖνον συνθήκας ἐπάτησε. καὶ πρὸς σὲ μετὰ τῶν προσηκόντων νόμων οὐκ ἦλθε. Quibusnam oculis aspiciet illius uxorem, suam modo existentem? immo vero neque illius neque hujus merito quispiam hanc esse dixerit. Adultera enim, nullius est uxor. Siquidem pacta cum illo inita violavit, & conculcavit; ad te vero non legitime accessit.

Ubi notandum est, ex sententia Chrysostomi, ad tollendum omne refugium Græcorum, adulteram, & per consequens dimissam ob adulterium, non posse ab alio sine adulterio duci, & uxorem alterius legitimam fieri: potest igitur dimitti, sed non potest ab alio in matrimonium duci.

Tandem Chrysostomus in eadem homilia sic concludit: τί ἐροῦμεν τότε τῷ μέλλοντι κρίνειν ἡμᾶς; ὅταν τὸν νόμον παρενεγκὼν εἰς μέσον, ἀναγνοὺς εἴπῃ, ἐκέλευσα ἀπολελυμένην γυναῖκα μὴ λαμβάνειν εἰπὼν, ὅτι μοιχεία τὸ πρᾶγμά ἐστι. πῶς οὖν ἐτόλμησας ἐπὶ κεκωλυμένοις

γάμον ἐλθεῖν; τί ἐροῦμεν, καὶ τί ἀποκρινούμεθα; οὐ γὰρ δεῖ τοὺς παρὰ τῶν ἔξωθεν κειμένοις νόμοις ἐκεῖ προβαλέσθαι. ἀλλ' ἀνάγκη σιγῶντας καὶ δεδεμένους εἰς τὸ τῆς γεέννης ἀπάγεσθαι πῦρ μετὰ τῶν μοιχῶν, καὶ τῶν τοὺς ἀλλοτρίοις ἀδικησάντων γάμοις. ὅ τε γὰρ ἀπολύσας χωρὶς αἰτίας τῆς ἐπὶ πορνείᾳ, ὅ τε ἐκβεβλημένην γαμῶν τοῦ ἀνδρὸς ζῶντος ὁμοίως μετὰ τῆς ἐκβληθείσης κολάζονται.
» Quid tum dicemus ei, qui judicaturus est
» nos? quando lege prolata in medium,
» eam recitans dixerit: mandavi dimissam
» uxorem, non esse in matrimonium ducen-
» dam, adulterium id esse professus; quo-
» modo igitur ausus es vetitas nuptias con-
» trahere? Quid dicemus? & quid responde-
» bimus? Non enim oportet ibi leges pro-
» ponere ab externis, & profanis hominibus
» conditas. Sed necesse erit silentes, ac vin-
» ctos in gehennæ ignem abduci una cum
» adulteris, & iis, qui aliena conjugia inju-
» riis affecerunt. Tam enim is, qui dimisit
» extra causam fornicationis, quam is, qui
» ejectam in matrimonium ducit vivente
» viro, similiter unà cum ejecta poniuntur.
Idem Doctor homilia 63. in Joannem: εἰ τὸν ἀπολύσαντα τὴν ἑαυτοῦ, καὶ ἐκβαλόντα, ἑτέρᾳ μίγνυσθαι οὐκ ἔνι (μοιχεία γάρ τοῦτό ἐστιν) ὁ ἔνδον αὐτῆς οὔσης, ἑτέραν ἐπεισάγων πόσον ἐργά-
» ζεται κακόν; Si qui dimisit suam, atque eje-
» cit, cum altera se conjungere non potest,
» (hoc enim adulterium est) qui alteram in-
» troducit, priore non ejecta, sed intus exi-
» stente, quàm grave malum committit?
Nota Chrysostomum non facere virum adulterum, ex eo quod dimittit. Potest enim dimittere in causa fornicationis: sed ex eo quod alteri se conjungit. Quamvis si sine causa dimitteret, dupliciter esset reus. Huc-usque Chrysostomus.

His antiquior Origenes hom. 7. in Matthæum explicans cap. 19. ait, quosdam sui temporis Episcopos post divortium ob virorum adulteria factum, permisisse contra scripturam secundas nuptias uxoribus ad evitandum majus malum. Sic igitur habet ad verbum:
» Scio quosdam qui præsunt Ec-
» clesiis, extra scripturam permisisse aliquam
» nubere, viro priori vivente. Et contra scri-
» pturam quidem fecerunt dicentem: mu-
» lier ligata est quanto tempore vivit vir
ejus. Item vivente viro adultera vocabitur, «
si facta fuerit alteri viro. Non tamen om- «
nino sine causa hoc permiserunt. Forsitan «
enim propter hujusmodi infirmitatem in- «
continentium hominum, pejorum compa- «
ratione, quæ mala sunt, permiserunt ad- «
versus ea, quæ ab initio fuerunt scripta. «
Sic Origines, cujus testimonium fortassis clarius retulissem, si habuissem codicem Græcum.

Nec dici potest, ut Cajetanus & Ambrosius Catharinus aiunt, Apostolicam hanc doctrinam pertinere solum ad mulieres, non autem ad viros; quasi mulier discedens à viro ob causam fornicationis non possit alij viro nubere, vir autem possit ob eandem causam aliam uxorem ducere. Si enim viro, dimissâ uxore, aliquando liceret aliam ducere uxorem, priore vivente, hoc ideo liceret, quia prius matrimonium esset dissolutum; nam si validum esset, nequaquam liceret. Si autem jam nullum esset matrimonium, ergo mulier non esset amplius secundum legem matrimonialem alligata viro; quare posset denuo aliud matrimonium inire, sicut & vir. Par quippe est uxoris in virum, & viri in uxorem jus. Et sicut ait Apostolus, quemadmodum uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir ejus; ita vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor ejus. Et quemadmodum uxor matrimonialem fidem viro præstare debet, ita & vir uxori. Ergo si ob violationem fidei matrimonialis factam à muliere, posset vir ob ea discedere, & aliam ducere uxorem; ob eandem quoque causam idem facere liceret uxori. Sed de hoc infra commodius plura.

Nec item valet, si quis cum iisdem auctoribus dicat, verba Pauli regulariter esse intelligenda, non autem in casu, nisi scilicet aliunde matrimonium solvatur, veluti ex causa fornicationis. Nam præterquam quod hoc responsum patitur difficultates allatas in expositione illius loci Matthæi cap. 19. ex quo videtur posse sumi hoc refugium, est etiam contra communem expositionem Patrum; qui vel nullam mentionem faciunt exceptionis, sed universè loquuntur, vel illa nonobstante

affirmant semper manere vinculum.

Ratio autem similitudinis (ut acute observat Bellarminus) quam eo loco Paulus adducit, eam expositionem omnino respuit. Siquidem propositum est Apostolo in eo loco docere legem veterem obligasse usque ad Christum, sed jam non amplius obligare. Nam lex non habet jus, & potestatem in hominem, nisi dum is vivit; sed Christiani mortui sunt illi legi veteri, quæ erat servorum, & degunt sub gratia translati in statum filiorum Dei. Igitur lex vetus nullum habet jus, & dominatum in eos. Dicuntur autem esse mortui illi legi, quia per baptismum participes fiunt mortis Christi, qua delentur peccata. Cum enim lex Mosaïca tantum demonstraret, & vetaret peccatum, non autem sanaret ejus concupiscentiam, quin vehementius hominis animum inflammaret ad peccandi libidinem, dein etiam tanquam reum hominem accusaret, & condemnaret; Christus Dominus morte sua destruxit peccatum: quocirca, & legem illam, quæ non poterat delere peccatum, & sanare infirmitates hominum, abrogavit. Igitur Christiani quoque per communicationem quam habent cum Christo, dum lustrantur fonte baptismatis, & participant mortem Christi, moriuntur peccato; immo & spiritum charitatis adipiscuntur, quo quæcunque lex jubet, aut vetat, prompto & libenti animo exequi, & vitare possunt, quo fit ut lex vetus nullam in eos amplius habeat potestatem.

Ad hoc igitur illustrandum affert Apostolus exemplum rei propositæ satis accommodatum, ducta nimirum similitudine ex matrimonio. Quemadmodum enim, vir & uxor tandiu sibi invicem obligantur, donec alter eorum moriatur; sic etiam tandiu homines legi subjiciuntur, donec vel ipsa lex abrogetur, & ita quodam modo moriatur, vel homines translati in alium statum à lege eximantur, & illi moriantur. Per Christi autem mortem utrumque factum est, modo proxime explicato. Porro hæc similitudo, qua utitur Paulus, omnino requirit, ut vir, & uxor nullo repudio, sed sola morte à vinculo conjugij liberari queant. Alioqui non ad rem adduxisset exemplum. Quamvis enim similitudo non sit necesse ut in omnibus conveniat, semper tamen debet convenire, & vera esse in eo, in quo posita est vis argumenti. Quare inepta foret, si matrimonium ante mortem alterius conjugis undique dissolvi posset. Nam quandiu lex vetus vigebat, nunquam poterant Judæi jugum ejus à se excutere, etiam si illi repudium dare, & ab ea divortium facere conarentur, fornicando cum variis legibus falsorum deorum. Ergo eodem modo quanto tempore maritus vivit, nunquam potest uxor à vinculo conjugij liberari, quamvis vel ipsa cum multis aliis viris, vel vir cum feminis fornicetur.

Illud non sine aliqua probabilitate objicit nobis Cajetanus. Quippe Paulus ait, scientibus legem loquor; per legem autem intelligit Apostolus antiquam legem, ut etiam exponit Chrysostomus. At secundum legem antiquam, quæ permittebat libellum repudij, mulier in eo casu soluta erat à lege viri, etiam vivente viro. Non ergo semper mors expectabatur ad dissolvendum conjugium; per consequens non recte colligimus indissolubilitatem matrimonij usque ad mortem ex loco Pauli.

Respondeo, si Paulus intelligat legem veterem, ut volunt nonnulli, opus est dicere de communiori Doctorum sententia, matrimonia veteris legis instar nostrorum fuisse ad mortem usque indissolubilia; permissum vero fuisse Judæis impune repudium, ut minus malum ad majus evitandum, ne videlicet mariti uxores occiderent. Et propterea mulier, quæ alteri nubebat, abominabilis erat, ut est Deuteron. cap. 24. & polluta Hierem. cap. 3. manebat nimirum prioris vinculum matrimonij, ideo secundum non tam matrimonium erat, quam adulterium, quod matrimonij nomine tegebatur: ideo ait Paulus, vivente viro vocabitur adultera; & addit, scientibus legem loquor. quasi dicat: sciunt periti legis matrimonium illud post repudium non esse matrimonium, sed adulterium. Atque ita nihil obtinet Cajetanns.

Si autem vera est sententia (cur autem non sit vera, & magis probabilis, non

video) eorum qui aiunt, licet naturaliter essent matrimonia indissolubilia; Deum tamen dispensasse cum Judæis ob duritiam animi, ut licitum esset repudium cum facultate ducendi alteram. Tunc dicendum cum Ambrosio, & aliis, Paulum loqui non de lege antiqua (neque enim vocabatur adultera, ut vult hîc Paulus, quæ vivente viro erat cum altero viro, si repudium licitum erat, & vinculum conjugij dissolvebatur) sed de lege naturæ, vel Evangelica. Sciebat (inquit Theodoretus explicans eum locum) divinus Apostolus, quod lex viventibus quoque separandi matrimonij facultatem dederit, quando id non gratum esset, sed dominicum præceptum exaudiit, quod dicit Moïsem hanc legem dedisse ad cordis Judæorum duritiam, sed lege naturæ hæc non ita habuisse. Unum, inquit, virum, & unam feminam creavit Deus, in ipsa creatione matrimonij legem statuens. Sensus itaque Apostoli est: qui optime norunt naturam legis & conjugij, sciunt illud indissolubile esse usque ad mortem; quare vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro.

Sed dices, si licitum erat in veteri lege repudium, quare mulier quæ alteri nubebat, abominabilis erat coram Domino? Deuteronomij 24.

Respondeo, in codicibus Hebraïcis, & Græcis haberi, ὅτι βδέλυγμα ἐστὶν ἐναντίον κυρίου, quoniam abominatio est coram Do-
» mino. Et est sensus; repudiata non debet
» redire ad primum virum quando alteri juncta est, quia abominabile est coram Domino, ut toties mutet maritum. Juxta vero editionem Latinam, quæ habet de muliere, abominabilis facta est coram Domino, sensus est; quia maritus ejus publice, ac proinde coram Domino eam pollutam, & abominabilem judicavit, & illam diffamavit, & ejecit; ideo non est æquum, ut illam amplius habeat. Et in hunc sensum Hieremias quoque vocat eam pollutam, & contaminatam: vulgo, inquit, dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus. Quasi dicat, à minori argumentando, ut egregie explicat Bellarminus: si vir non recipit repudiatam, si nupserit alteri, quam pollutam, & abominatam judicavit; quanto magis deberem ego non te recipere, quæ non nupsisti alteri, sed fornicata es cum amatoribus multis? Sive itaque hanc posteriorem sententiam, sive priorem sequamur, ratio Cajetani enervatur, & languet.

Probatur insolubilitas matrimonij ex eo quod est Sacramentum, atque ad eam rem accurate expenditur locus Apostoli ex cap. 5. ad Ephesios.

CAPUT XV.

Sacramentum hoc magnum est, inquit, Apostolus ad Ephesios cap. 5. Ego au- «
tem dico in Christo, & Ecclesia. Quasi di- «
cat Apostolus: propterea magnum est sacramentum, ut ego interpretor, quia est signum spiritualis conjunctionis inter Christum, & Ecclesiam, quæ est omnino indissolubilis. Sic enim explicat etiam Concilium Florentinum in Decreto unionis Armeniorum. Non itaque magnum est quod uxori vir quomodocumque jungatur, cum id etiam in meretricibus, & in ipsis etiam bestiis cernamus, sed ut exponit eum locum Chrysostomus hom. 20. ad Ephesios: re vera magnum mysterium est relicto eo, qui genuit, eo qui aluit, etiam ea quæ peperit, quæ misere, & cum labore parturivit, adhærere virum illi, quæ antea neque visa sit, atque hanc omnibus præferre, vere mysterium est, & parentes etiam cum ista fiunt, non offenduntur.

At neque hoc est adeo magnum mysterium, cum inter Ethnicos idem fiat, & dissolvi possit. At quod referatur ad rem aliquam significandam, quæ insolubilis sit, & ad homines, qui ita junguntur, sanctificandos, & unus uni indissolubili vinculo ita jungatur, ut quovis occurrente incommodo etiam amissa spe prolis sejungi nequeat; id profecto sine magno mysterio esse non potest.

Verum hoc enucleatius explicandum est. Omisso itaque matrimonio, ut est officium naturæ, sic enim solubile est, ut patet in conjugio infidelium, si alter convertatur ad fidem: Matrimonium considerandum est, ut est Sacramentum Ecclesiæ. Quoniam vero in tali matrimonio multa reperiuntur, & considerantur, nempe Sacramentum ipsum tantum, res tantum significata, & contenta, res, & Sacramentum, res significata, & non contenta, videndum est unde potissimum proveniat illius insolubilitas. Sacramentum tantum sunt actus contrahentium: hi transeunt, & postquam transierint, non sunt; non igitur illis attribui potest insolubilitas, quæ ad mortem usque manet. Res tantum significata & contenta est effectus hujus Sacramenti, hoc est invisibilis gratia, quam producit Sacramentum, & ad hunc finem datur, ut concupiscentiam reprimat, & efficiat ut conjuges fideliter sibi assistant, operas suas communicent, ac prolem religiose educent. Sed hæc gratia potest amitti, immo quandoque fit Sacramentum sine gratia, cum scilicet in peccato mortali celebratur. Neque aliquid aliud causat hoc Sacramentum quod sit indelebile Non enim imprimit characterem, propterea, & iterabile existit, etiam viventibus conjugibus. Ut patet, si alter ante consummationem religionem profiteatur. Res, & Sacramentum est vinculum: dicitur autem res, quia est effectus Sacramenti in fieri, ut alibi diximus. Dicitur Sacramentum, quia immediate producit gratiam. At unde provenit, ut vinculum duret, & non possit destrui? certe non ex eo quod sit effectus Sacramenti. Quippe gratia quoque producitur, & tamen sæpe destruitur, & amittitur. Neque ex eo quod sit Sacramentum in fieri, vel Sacramentum in facto esse: nam etiam Sacramentum in fieri transit, ac deinde non est. Matrimonium quoque ratum est Sacramentum in facto esse, & tamen quandoque dissolvitur. Si igitur vinculum insolubile est, erit ratione significationis. At cum significatio multiplex sit, videndum est, quæ nam sit primaria, & an ea sit inseparabilis. Hoc est an Sacramentum matrimonij significet primo aliquid indissolubile: illud enim erit, & indispensabile, quippe contra prima præcepta Sacramenti, & universe cujuscumque gradus, vel officij non admittitur dispensatio, nisi forte à Deo. Id modo investigemus. Res significata, & non contenta triplex est. Conjunctio spiritualis per charitatem inter Deum, & animam justi. At hæc per letale peccatum dissolvitur. Conjunctio inter verbum, & humanam naturam per unionem hypostaticam. Et hæc quidem quamvis omnino indissolubilis sit, quia tamen per hanc conformitatem naturæ Christus Dominus toti humano generi, & infidelibus etiam conjungitur, non videtur ea tantum spectare ad matrimonium fidelium. Tertia, & postrema est conjunctio inter Christum, & Ecclesiam, quæ præsupponit secundam conjunctionem Verbi cum natura humana hypostatice. Et hæc prorsus insolubilis est. Igitur conjunctio fidelium viri & feminæ, quoniam hanc spiritualem Christi, & Ecclesiæ conjunctionem primario significat, ipsa quoque inseparabilis, & indispensabilis est: alioquin si solveretur sacrum signum, & per consequens daretur intelligi, quod significatum esset solubile, quod est falsum. Nam Christus Dominus nunquam separatur ab Ecclesia. Matthæi ultimo. Ecce ego vobiscum sum usque ad ‹‹
consummationem sæculi. Vide Chrysostomum etiam homilia 12. quæ est postrema in Epistolam ad Colossenses in morali sermone, ubi pulchre differit & explicat qua ratione Christus Dominus se conjunxit Ecclesiæ, & quomodo sint typus nuptiæ.

Proponuntur, & solvuntur objectiones Catharini contra ea quæ cap. superiori disputata sunt.

CAPUT XVI.

HUic argumento à significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia ducto, varia opponit Catharinus.

Primo, quia matrimonium solvitur morte, id quod non est in conjunctione Christi, & Ecclesiæ. Neque potest dici per accidens,

quia per accidens etiam ſolveretur in cauſa fornicationis.

Secundo, quia per mortem alterius conjugis violatur illa ſignificatio in eo qui eſt ſuperſtes, dum alij conjungitur. Non eſt igitur cur in hac ſignificatione inniti debeamus.

Tertio, quia Chriſtus nunquam ſeparatur ab Eccleſia quoad torum, quod tamen nos concedimus in matrimonio. Si itaque non licet viro alteram ducere, ne ſignificatio Sacramenti violetur; Nec licebit ei dimittere adulteram, & ſegregare ſe perpetuo à toro. Quia & in ejuſmodi ſejunctione violatur vinculum conjugale, quod eſt unam carnem eſſe, & hærere conjugi ſuæ; & ideo violatur ſignificatio, quia Chriſtus nunquam ab Eccleſia ſua ſegregatur.

Quarto, ſi hæc ſignificatio tantas vires habet, ut faciat inſolubile hoc vinculum, quid dicemus in conjugibus ante carnalem copulam, quando alteri licet, ſe cauſa religionis ſeparare?

Si dixeris, conjugium ante copulam non ſignificare conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ſed Chriſti cum anima, & propterea poſſe ſeparari. Contra, Nam ſi hoc verum eſt, ponatur caſus, ante copulam mulierem committere adulterium; tunc vir poterit licite illam dimittere, & aliam ducere, quia ſignificatio non obſtat. Et tamen fortaſſis hoc non concedemus.

Quinto, quia matrimonium habet inſolubilitatem tum ex natura ſua, tum ex lege conditoris, & ab ipſo facto, id eſt ab ipſa carnali copula. Nam ipſe Dominus Deus, qui fidelium matrimoniis aſſiſtit, indiſſolubili vinculo conjungit eos dicens: „ Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam. & Chriſtus Dominus ait, Quod Deus conjunxit homo non ſeparet. Non ergo quia ſignificat, ideo inſolubile eſt; ſed quia natura ſua inſolubile eſt, ideo ſignificat illud, quod ſimili quodam modo decretum à Deo inſolubilitatem habet. Sed adultera poteſt violare, immo violat verbum Domini, & naturam matrimonij, ſe ipſam videlicet ſeparando à marito, & illicite alij ſe copulando, ac inique exhibendo alij carnem viro ſuo vero debitam. Non igitur mirum ſi etiam ſignificatio matrimonij deſtruatur, præſertim cum ipſum, quod ſignificatur, non deſtruatur.

Sexto, quia violatur ipſum Sacramentum, ut ſi quis ficte accedat ad Baptiſmum. Non ergo mirum videri debet, ſi etiam ſignificationes Sacramentorũ violari poſſint.

Septimo, quia etiam ſi non ficte accedat, poſt Baptiſmum tamen iterum cadat, violatur ſignificatio Sacramenti. Significatur enim in Baptiſmo Chriſti mors, ut qui baptizatur mori cenſeatur cum Chriſto quantum ad peccatum. Et quia Chriſtus à mortuis reſurrexit ad vitam novam non ulterius moriturus, ſignificatur etiam in Baptiſmo hæc obligatio, ne ipſe ulterius moriatur, & è vita gratiæ decidat.

Poſtremo, quia ſicut anima, quæ violat Baptiſmum peccando mortaliter, hæretque adultero Diabolo, ita liberat Dominum Jeſum à vinculo ſpiritualis conjugij, ut poſſit eam relinquere, & meritis pœnis plectere, ac ejus loco accipere aliam, ſi placuerit, non enim ulterius illi obligatus eſt; ita videtur non prohiberi, quin vir ſuam conjugem matrimonium violantem dimittere, & alicui alteri adhærere valeat; cum jam per uxorem ſignificatio ſit violata. Unde vir ipſe quod jam ſemel violatum invenit, non recte dicitur violare.

Et ad hoc melius probandum adducit Catharinus exemplum ſynagogæ, quam Dominus repudiavit, & converſus eſt ad gentes, non aliam ob cauſam, niſi quia prius ab ea eſt derelictus.

Sed hæ rationes ſunt indignæ tanto Theologo, & eas facile quilibet ſolvet, modo naturam matrimonij noverit.

Ad primam reſpondeo. Matrimonium ideo ſolvitur morte, quia non remanent duo extrema; vinculum autem conſiſtere nequit, ubi horum alterum deficit, quippe ad minus inter duos ſit neceſſe eſt. Unde merito Paulus ad Romanos 7. aperte, diſerteque docet, legem matrimonij per mortem ſolvi. Ex quo etiam ſequitur, ut ſi maritus alicujus mulieris mortuus ad vitam rediret, ſimiliter ut Lazarus, non futuram ejus uxorem, quæ antea fuerat, niſi de novo

cum

cum ipsa contraheret matrimonium. At inter Christum, & Ecclesiam durat spirituale matrimonium durantibus perpetuo terminis. Per accidens itaque fit, ut matrimonium solvatur per mortem. At in causa fornicationis non potest per accidens id contingere, quia remanent duo extrema, & per consequens vinculum.

Neque Apostolus quando dixit, Sacramentum matrimonij esse magnum inter Christum, & Ecclesiam, hoc est significare Christi, & Ecclesiæ conjunctionem, aliter intellexit, quam patiatur natura rei: patitur autem ut usque ad mortem alterius conjugis perseveret. Alioquin explicet nobis Catharinus verba Pauli. Si enim negabit hanc significationem, negabit textum Apostolicum.

Hinc vero patet etiam solutio ad secundum argumentum. Nulla enim ibi significatio violatur, & qui superstes est, per mortem alterius conjugis liber effectus, matrimonium contrahere potest tantum in Domino.

Ad tertium respondeo. Catharinus dupliciter peccat, primo, quod existimet esse conjunctionem quoad torum inter Christum, & Ecclesiam. Separari enim à toro, est non misceri carnaliter: & non separari est misceri. Christus autem nunquam miscetur carnaliter cum Ecclesia, ut etiam in aliquo casu separari dici possit. At fortassis hoc sibi vult Catharinus, Christum non admittere copulam carnalem, proinde in eo non reperiri separationem quoad torum. Ergo non ad rem adducit exemplum, & nos insolubilitatem colligimus non ex separatione tori, quæ in Christo nulla est, & hoc quod ipso separationem torus quandoque patitur, nulla ratione perpetuam vinculi firmitatem efficere potest. Non ergo, dicet Catharinus, debemus comparare matrimonium cum conjunctioneChristi ac Ecclesiæ. Contra. Nam Apostolus comparat, & conjugium fidelium, Christi & Ecclesiæ conjunctionem significare, diserte pronuntiat. Porro figura non in omnibus convenire debet cum figurato; sed satis est, si quidpiam sit, unde convenientia oritur, & vis argumenti sumitur. Deinde peccat, quia vinculum conjugale interpretatur esse unam carnem, & adhærere conjugi, quod fit per copulam carnalem. Itaque transacto illo actu carnali secundum Catharinum transiret, ac periret vinculum. Quod si non perit, non igitur in carnali copula consistit, ac veri conjuges sunt, etiam si non intercedat carnalis copula, quæ est vinculo posterior, & illud confirmat. Inde vero Catharinus ex falsis principiis falsa concludit.

Ad quartum dico, matrimonium ratum, non consummatum, significare quidem conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed inchoative, ac minus perfecte, & ideo posse in aliquo casu solvi. Significare etiam conjunctionem Christi cum anima justi, quæ per letalem culpam solubilis est. Itaque ad casum propositum de muliere ante copulam adulterante respondeo: cum illud matrimonium sit ratum, hoc est, habeat quandam indissolubilitatem ex natura sua, & adhuc majorem quatenus est Sacramentum, non ita temere cæterorum more contractuum à quolibet esse solvendum. Quia tamen non est consummatum, & non habet illam perfectam significationem Christi cum Ecclesia, quam intellexit eo loco Apostolus, ait, posse à summo Pontifice solvi; & de facto in aliquibus casibus solutum fuisse.

Et quidem quod matrimonium ratum per ingressum religionis frequentissime diremptum fuerit, nulla est difficultas apud Catholicos. Hujus enim rei extant in vitis Sanctorum permulta & præclara exempla. Quod etiam extra hunc casum aliis justis de causis matrimonium ratum per dispensationem summorum Pontificum dissolutum fuerit, eorundem Pontificum facta literis consignata luculenter testantur. De Martino quinto, & Eugenio quarto quod in eo dispensaverint, refert sanctus Antoninus tertia par. tit. 1. c. 21. §. 3. quorum bullas se vidisse affirmat. De multis aliis idem prodit Cajetanus, in opusculis tomo 1. tract. 28. de Matrimonio quæst. unica. Quos ait suo tempore sæpe dispensasse. Navarrus in summa cap. 22. numero 21. & de pœnitentia dist. 1. cap. divortium, ter vel quater ad petitionem suam Paulum tertium, &

Pium quartum dispensasse ore pleno clamat, atque testatur. Gregorius XIII. teste Henriquez lib. 11. de Matrimonio cap. 8. num. 11. in commento litera F. uno die cum undecim dispensavit. Vide prædictos auctores, quos etiam citat Sanches lib. 2. de Matrimonio disput. 14. num. 2.

Ad quintum, duplicem refert Catharinus insolubilitatem matrimonij: alteram ex ipsamet natura matrimonij: alteram ex verbis conditoris, ipsaque carnali copula. Et quidem naturalem firmitatem matrimonij libenter admittimus, sed eam tamen minorem, ac non tantam esse cum Augustino in libro de bono conjugali cap. 7. & sæpe alibi asserimus, quanta est Sacramenti. Quamobrem non recte infert Catharinus, matrimonium non esse insolubile, quia significat, sed significare, quia insolubile est. Id enim falsum est. Quandoquidem magis insolubile est, quia significat, quam quod natura sua sit insolubile. Immo penitus insolubile est, quia significat, propterea & indispensabile est: at quatenus est officium naturæ quandoque dispensatum à Deo fuit, ut liquet ex libello repudij antiquæ legis, & matrimoniis infidelium, si alter conjugum convertatur ad fidem. Insolubilitatem vero matrimonij provenientem ex verbis conditoris similiter agnoscimus, sed eam nihilominus distinguimus. Nam verba Dei de matrimonio in veteri lege significant jus divinum positivum, quod in hac re non differt à jure naturali. Unde quamvis Deus dixerit, relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam: tamen ipse cum Judæis dispensando matrimonium solvit, & hoc modo copula carnalis non efficit matrimonium omnino indissolubile. Verba autem Christi de matrimonio in nova lege non solum exprimunt jus divinum positivum antiquum, sed etiam constituunt Sacramentum in tota sua latitudine, ac perfectione, unde oritur perfecta insolubilitas. Hanc non videtur velle agnoscere Catharinus, ad quam si referret carnalem copulam, recte concluderet.

Ad argumentum itaque respondeo. Adultera violat verbum Dei, naturam matrimonij, & per consequens significationem, concedo eo modo, quo dicuntur violatores legum, qui eas non observant, & in gravissimas pœnas incurrunt: ergo solutum est matrimonium, negatur consequentia. Non enim potest adultera naturam matrimonij destruere, quæ non in copula carnali, ut opinatur falso Catharinus, consistit, sed in ipso vinculo, quod ad mortem usque remanet indissolubile. Et multo minus potest destruere verbum Dei, unde vires accipit matrimonium. Si enim destrueret verbum Dei, remaneret adultera libera, & posset alij nubere sine peccato. At non potest nubere sine peccato, etiam secundum Ambrosium Catharinum, certe non aliam ob causam, nisi quia verbum Domini manet in suo robore. Non igitur destruit verbum Dei, sed contra verbum Dei facit. Quare videtur quidem de facto velle solvere matrimonium alteri se copulando, sed de jure non solvit, cum perpetuo lex divina vigeat, & semper prohibeat solutionem matrimonij. Et si aliter Catharinus intelligit, æquivocatione laborat.

Quod postremo addit in hoc argumento, non esse mirum destrui significationem matrimonij, modo quod significatur non destruatur, ut re vera non destruitur; Nescio an alicui alteri, præter quam Catharino id mirum, & ἀδύνατον non videbitur. Hoc ipso enim significatio non perit, quia quod significatur non destruitur, alioquin significatio significato minus responderet.

Ad sextum, nego violari Sacramentum eo modo quo intelligit Catharinus. Qui enim ficte ad Baptismum accedit, ad nullum Sacramentum accedit: nullum quippe Sacramentum fit, ubi deest intentio, nisi materialiter. Et hoc modo siquis ad matrimonium sine consensu interno accesserit, nullum Sacramentum consequetur. Si quidem sine consensu matrimonium nedum sacramentum, sed ne quidem matrimonium est. Quapropter aliud est posse impediri Sacramentum ne fiat obice posito, & obstaculo: aliud est, postquam debito modo factum fuerit, irritum Sacramentum effici, & destrui. Primum enim quandoque fit vitio, & fictione interveniente:

secundum nunquam. Prodat igitur Catharinus aliquem, qui hoc secundo modo Baptismum irritum fecerit, ut propterea eum de novo baptizari necesse fuerit, & idem ratiocinetur de matrimonio, sed nullum omnino reperiet.

Ad septimum patet ex dictis. Violat enim significationem qui peccat, sed eam non tollit, neque abrogare potest. Semper enim manet significatio, & Christianum Baptismus obligat ad eam servandam.

Ad ultimum similiter patet ex dictis. Conjunctio enim animæ justi cum Deo, non est idem quod conjunctio Christi cum Ecclesia. Illa enim per peccatum solubilis est, ista minime, quia neque tota Ecclesia simul peccare potest. Et si uxor peccat violando, peccabit & maritus si violaverit.

Exemplum autem synagogæ non est ad rem. Neque enim Christus fuit sponsus synagogæ, ut est Ecclesiæ, cui conformis factus est per naturam hypostatice, & per consequens per charitatem eam amando, regendo, moderando, & ad cœlestem patriam perducendo.

Quod si de matrimonio Dei cum Ecclesia Catharinus intelligat, tunc dicendum, esse unam Ecclesiam à principio mundi usque ad finem, sed eam non significatam fuisse per matrimonium, nisi post Christum, quando & matrimonium ex institutione Christi Sacramentum esse cœpit.

Ratio ergo pro astruenda firmitate matrimonij deducta ex significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, solidissima est.

Nonnullæ aliæ rationes pro Latinis.

CAPUT XVII.

ADdamus modo & reliquas rationes Latinorum, quarum illa non est contemnenda. Quia si ob adulterium solveretur vinculum matrimonij, esset longe prior conditio iniquæ uxoris ob adulterium dimissæ, quam justæ dimissæ ob morbum diuturnum.

Præterea, si liceret vivente altero conjugum aliud inire conjugium, facilius quam quilibet contractus solveretur matrimonium. Etenim viri sponte, ac dedita opera committerent adulteria, si eis uxores minus placerent. Et similiter mulieres fornicarentur, ut liberæ postea evaderent, & ex peccato suo commodum reportarent. Et in summa infinitis etiam injustis aperiretur via repudiis. Nunc enim cum norint fideles, si divortium faciant, aut continere, aut reconciliari debere, ab illo abstinent; At si ipsis permissum esset ad aliud transire matrimonium, facillimo negotio divortia fierent, effingerenturque occasiones separandi se, ac adulteria committerentur, ac sic matrimonium cessaret. Qua ratione usi sunt Hieronymus, & Chrysostomus locis supra citatis.

Sed forte dixerit aliquis: merito quidem parti nocenti ob commissum adulterium, secundum non debet permitti matrimonium; At vero innocentibus quanam ratione novæ prohibentur nuptiæ?

Ergo quærendum est ab eo, Mulier alioquin prohibita nubere ob commissum adulterium, si re ipsa alteri nupserit, verum-ne sit matrimonium illud, nec-ne? Si non sit verum, sed adulterium vivente adhuc priore viro, ergo manet adhuc & perseverat vinculum, & non est libera, propterea que committit adulterium alij nubendo. Si igitur manet, qua ratione vir erit liber, ut sine adulterio cum secunda copulari queat? Si vero responderit, non remanere vinculum, sed nocenti parti in pœnam datum esse, ne possit cum altero conjungi, quia priorem fidem irritam fecerit.

Contra; nam primo cur talis pœna infligitur mulieri, vel viro, si sint proclives ad vitia, quando nulla restat inter se spes reconciliandi? Et ubi extat lex, quæ id præcipiat?

Deinde, si hoc esset verum, peccaret quidem mulier alteri nubendo, quippe quæ non subit pœnam commissi erroris: sed tamen matrimonium de novo contractum, ubi nullum prioris remaneret vinculum, teneret, & esset validum. Vel saltem non esset adulterium, quandoquidem nonnisi cum conjuge alterius accidit adul-

terium. At hoc vocat Christus adulterium, & illam adulteram; igitur nullo modo erat solutum.

Has, aliasque similes rationes ad stabiliendum satis firmum matrimonium Latini afferre solent. Quare non immerito Catholica Romana Ecclesia hoc cæterorum instar fidei dogmatum, in multis Conciliis sanxit. Nimirum conjugium fidelium quoad vinculum indissolubile usque ad mortem permanere.

Solvitur argumentum primum c. 7. allatum pro opinione Græcorum.

CAPUT XVIII.

VErum deinceps argumenta pro confirmatione oppositæ partis supra posita diluenda sunt.

Ad primum respondeo. Ex illis verbis Matthæi cap. 19. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Non debet inferri, ergo quicunque dimiserit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Nam hic quoque mœchatur, non ex eo quod dimiserit, sed ex eo quod duxerit. Illud enim, nisi ob fornicationem, non respicit nisi permissionem, & primam partem sententiæ. Et tunc duo asserit Dominus: alterum, non licere dimittere uxorem quoad torum nisi ob fornicationem: alterum, non esse licitum quacunque ex causa dimittere quoad vinculum, quod quidem esset, si alteram duceret, tunc enim mœcharetur. Tum vero à contrario sensu illud potest inferri: ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non peccat dimittendo, sed solum mœchatur aliam ducendo.

Secunda expositio est, ut illud verbum mœchatur, bis accipiatur, hoc sensu, qui dimittit uxorem sine causa mœchatur, hoc est facit eam mœchari. Sic enim interpretatur Clemens Alexandrinus illud verbum mœchatur in fine secundi libri Stromatum: ὁ δὲ ἀπολελυμένην λαμβάνων μοιχᾶται αὐτήν, τουτέστιν, ἀναγκάζει μοιχευθῆναι. Qui autem, inquit, dimissam ducit, mœchatur eam, hoc est, cogit eam mœchari. Neque refert quod Clemens de eo, qui ducit, ita dicat, nam continenter infert: οὐ μόνον δὲ ὁ ἀπολύσας αἴτιος γίνεται τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ παραδεξάμενος αὐτήν. Non tantum vero qui dimisit, verum & qui eam accepit, hujus est causa.

Quare uterque mœchatur, hoc est facit eam mœchari. Quamvis qui ducit, dupliciter peccet, & quia facit eam mœchari, & quia ipse mœchatur. Quo eodem modo interpretatur etiam Theophylactus παραίτιος αὐτῇ γίνεται μοιχείας, auctor est ipsi adulterij. Et optime quidem exponit. Nam idem Matthæus cap. 5. habet, quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, facit eam mœchari: idque patitur natura rei. Alioquin quomodo vir mœchatur dimittendo, si nullum ipse adulterium re ipsa committit? At vero ut uxor dimissa evadat adultera, si alij nupserit, profecto vir dimittens sine causa, in causa est. Qui ergo dimittit mœchatur hoc sensu, & qui aliam ducit mœchatur. Quare bis mœchatur: Et tunc à contrario sensu illud inferendum est. Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non mœchatur bis, sed tantum semel. Id est non mœchatur dimittendo, sed solum aliam ducendo. Quod est verissimum.

Quæ duæ expositiones in idem concurrere videntur. Atque hæc posterior est etiam sancti Augustini in libro contra Adimantum c. 3.

Tertia expositio est similiter ejusdem Augustini libro primo de adulterinis conjugiis cap. 9. ubi docet verba illa, nisi ob fornicationem, accipienda esse negative, non exceptive, ut sensus sit: qui dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Ex quo affirmatur quidem adulterium illius, qui extra causam fornicationis uxore dimissa, alteram ducit: nihil autem dicitur de eo, qui ducit aliam priore dimissa ob fornicationem. Nam & illum esse adulterum constat ex cap. 16. Lucæ, Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur. Quare sive juste, sive injuste dimiserit, si

tamen aliam duxerit, mœchatur. Illustrat hanc sententiam exemplo S. Augustinus loco citato ex Epistola Jacobi capite 4. scienti bonum, & non facienti peccatum est illi. Neque tamen inferre possumus: ergo ignoranti bonum, & non facienti, peccatum non est illi. Nam sunt etiam peccata ignorantiæ. Quemadmodum, inquit Augustinus, non rectè dici potest, si ergo nescit homo, non peccat: (Sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium) ita non rectè dici potest; ergo si causa fornicationis dimiserit vir uxorem, & aliam duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alias ducunt.

Huic sententiæ possemus accommodare dictum Basilij Magni ex Epistola ad Diodorum Episcopum Tarsensem, de eo, qui duas sorores in matrimonium ducit: ἠρωτήθημεν εἰ γέγραπται λαμβάνειν γυναῖκα ἐπ' ἀδελφῇ. εἴπωμεν ὅπερ ἀσφαλὲς ἡμῖν καὶ ἀληθὲς, ὅτι οὐ γέγραπται. τὸ δὲ ἐκ τῆς τοῦ ἀκολούθου ἐπιφορᾶς τὸ σιωπηθὲν συλλογίσασθαι, νομοθετοῦντός ἐστιν, οὐ τὰ τοῦ νόμου λέγοντος. Interrogati sumus, inquit Basilius magnus, utrum scriptum sit, licitum esse accipere uxorem super sorore (scilicet demortua.) Respondimus id quod tutum, & verum est, non esse scriptum. Cæterum velle ex illatione consequentis quod silentio præteritum est, syllogizare, legem ferentis est, non legem recitantis. Quando itaque Philadelphiæ antistes infert nobis illationem ex verbis Evangelici textus, & facile videtur sibi concludere, non solum solutionem matrimonij quoad torum, sed etiam quoad vinculum; opponamus illi regulam Basilij Magni, atque dicamus, non semper apparentem illationem valere in sacris literis ob aliquem defectum, quem in superioribus solutionibus indicavimus.

Verum non est negandum, quin præsens locus Evangelij, ut sunt non pauca scripturæ loca difficillima, obscurissimus sit, sive potius fuerit, ut etiam recte advertit S. Augustinus in libro de fide, & operibus cap. 19. his verbis. Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta causa adulterij dimittunt, & ducunt. Et in ipsis divinis sententiis, ita est obscurum, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo venialiter quisque fallatur. Sic Augustinus.

Itaque ait, venialiter falli eos, qui ob scripturæ obscuritatem existimant, non esse adulterum eum, qui dimissa uxore causa fornicationis aliam ducit. Non enim tempore Augustini erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum. Et multi viri docti ea tempestate ob difficultatem consulebant Patres, & Doctores, ut Pollentius Augustinum, Amandus Hieronymum, Amphilochius Basilium. Unde pro captu ingenij citra pertinaciam liberum erat cuilibet hoc vel illo modo disserere, ac explanare, idque ante definitionem Ecclesiæ, quæ ubi accesserit, solis instar fugantis tenebras omnem controversiam cessare necesse est, & placitis Patrum acquiescendum.

Inter Græcos vero quantum valeo assequi conjectura, existimo contrariam sententiam, & malam consuetudinem tandem invaluisse per leges civiles Imperatorum, quæ repudium permittebant. Nam in primis apud Romanos extat lex 23. in duodecim tabulis. Ut, si è conjugibus alter alteri nuncium mitteret, eumque suas res sibi habere juberet, divortium esset. Meminit hujus legis Cicero in secunda Philippica. Noli, inquit, credere, frugi factus est Antonius, Mimam illam suam suas res sibi habere jussit ex 12. tabulis, claves ademit, exegit.

Item antiqui Romani inter causas repudiorum enumerabant: si uxor trinoctium à viro abfuisset; si Circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis in illis locis, in quibus hæc assolent celebrari, marito prohibente uxor interfuisset. Ita Sempronius Sophus uxorem repudiavit, nil aliud causatus, quam se ignorante eam ausam ludos spectare, teste Valerio Ma-

ximo lib. 6. cap. 5. Nec deerant aliæ causæ repudiorum inter Gentiles.

Deinde Theodosius, & Valentinianus Imperatores anno Domini 449. multis de causis repudium concesserunt in leg. consensu c. de repudiis. Si qua igitur, inquiunt, » maritum suum adulterum, aut homicidam, » aut veneficum, vel certe contra nostrum » imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si » sepulchrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid substrahentem, si latronem, » vel latronum susceptorem, vel abactorem, » vel plagiarium; vel ad contemptum sui, » domi suæ ipsa inspiciente cum impudicis » mulieribus, quod maximé etiam castas » exasperat, cætum ineuntem; si suæ vitæ » veneno, aut gladio, aut alio simili modo » insidiantem; si se verberibus, quæ ingenuis aliena sunt, afficientem probaverit, » tunc repudij ei permittimus libertatem.

Post commemoratos Imperatores Anastasius anno Domini 497. quamvis nulla talis intercessisset causa, bona gratia, hoc est nudo consensu, sine querela, & sine libello repudij, & quod Plutarchus ait, μετ' εὐφημίας, posse dirimi matrimonia statuit. Leg. si constante. c. de repudiis. Si » constante matrimonio, communi consensu tam viri, quam mulieris repudium » sit missum, quo nulla causa continetur, » quæ consultissimæ constitutioni divæ memoriæ Theodosij, & Valentiniani inserta » est, licebit mulieri non quinquennium expectare, sed post annum ad secundas nuptias convolare.

Itaque secundum hanc Anastasij Imperatoris legem, nuptiæ quemadmodum solo consensu contrahebantur, ita nudo consensu distrahebantur.

Observandum autem est hanc, quam vocant bonam gratiam, Iustinianum reduxisse ad quatuor causas.

Debilitatem. Nouvell. 117. anno Domini 536. & tunc quarta oscitatio requirebatur.

Monachismum, quem comparat morti. Atque ideo quod pacti sunt conjuges in causa mortis, trahit etiam ad casum monachismi.

Captivitatem, & patientiam quinquennij. Hac tamen lege quandiu certum est superesse captivum, conjux in civitate connubium non habet, id est jus secundi matrimonij: sed si in certum hoc sit, satis est expectari eum quinquennio. Post quinquennium secundæ nuptiæ impunitæ sunt, quasi bona gratia solutis prioribus.

Huic Novellæ derogavit Leo Imperator: Sancimus ut nequaquam amplius quæ « pars intacta à servitute mansit, ad ulterius conjugium procedat, sed quotcumque « annis altera in servitutis miseria detinebitur, tametsi nullam neque de scripto, « neque citra scriptum significationem accipiat, illam expectet. «

Addidit præterea Leo solui nuptias reverso captivo, vel lege Julia posse eam accusari, quæ interim nupsit alteri. Cujus tamen saluberrima institutio, ut Græci interpretes observarunt, nullius fuit auctoritatis apud Græcos usu non approbante. Quemadmodum cæteræ quoque ejusdem Imperatoris constitutiones Novellarum correctoriæ nullam vim obtinuerant, exceptis iis, de quibus antea nihil constitutum fuerat.

Quartam causam assignat Justinianus bonæ gratiæ servitutem, qua matrimonium solvebatur: ut si libertus, vel filius liberti ingratus in servitutem redigatur, mariti nomen amittit. Hæc omnia ex Novella 22.

Ex his quatuor causis solvebatur matrimonium bona gratia sine repudio. Ex aliis autem causis matrimonium non solvebatur sine repudio.

Jus Canonicum frigiditatem naturalem, & Monachismum ante consummationem matrimonij approbat. Sed quia Justinianus non ita intelligebat, idcirco eum, sicut & cæteras ejus causas merito improbat.

Idem Justinianus postea prudentior factus tam Anastasij constitutionem de bona gratia, quam suas annullavit, & revocavit ferme causas Theodosij, & Valentiniani abscissis aliquot, Novella 117. cap. 8. de justis divortiorum causis merito permissis. Ubis sex causas marito, totidem uxori attribuit.

Sed eum in ordine sequutus Justinus, iterum confirmavit contra leges sanctas

parentis, legem Anastasij, qua bona gratia solvuntur matrimonia. Quæ Justini constitutio inter Novellas Justiniani centesima quadragesima adnumeratur.

Ex his omnibus recensitis illud satis constat, hos omnes Christianos Imperatores in materia matrimonij errasse quidem, sed alium alio turpius.

Matthæus quoque Blastarius in suo Nomocanone post commemoratas repudij causas à Justiniano assignatas infert: διὰ τοῦτο ὁ γαμήσας τὴν μὴ οὕτως ἀπολυθεῖσαν, μοι-
» χᾶται. Propterea qui non sic dimissam
» duxerit, mœchatur. Quasi vero nullum sit adulterium, si sic dimissam duxerit.

Non igitur mirum si Græci auctoritate Cæsarum decepti magno sane Reipublicæ Christianæ detrimento hujusmodi repudia admiserunt, permiserunt, & continuarunt, præsertim cum & textus Evangelicus sua sponte, nulloque negotio in eam sententiam currere videretur.

At neque Imperatores adeo accusandi sunt: tum quia in primitiva Ecclesia non defuerunt Episcopi teste Origene, qui dictum Evangelicum perperam exponentes libellum repudij concederent, quorum auctoritate poterant Imperatores decipi, & errare. Tum etiam quia Imperatores minime approbarunt tanquam licita repudia, sed tanquam minus mala permiserunt, quo graviora damna præcaverentur. Quod quidem Justinus in commemorata sua Novella his verbis clare testatur: ἐνίοις τούτων συμβέβηκε καὶ πρὸς ἐπιβουλὰς χωρῆσαι κατ' ἀλλήλων, δηλητηρίοις τε καὶ τοῖσιν ἄλλοις εἰς θάνατον ἄγουσι χρήσασθαι. ὥστε μηδὲ παῖδας αὐτοῖς γεγενημένοις πολλάκις ἰσχύειν εἰς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν
» τούτοις γνώμην συνάπτειν. Contigit ut ex his
» nonnulli ad mutuas insidias procederent:
» Venenisque, & aliis quibusdam, quæ læ-
» talia essent, uterentur. In tantum ut sæpe neque liberi, qui ipsis communiter nati essent, illos in unam eandemque voluntatem conjungere potuerint.

Ita non pauci Doctores aiunt Moysem ea Hebræis permisisse: quamvis enim princeps teneatur pravas consuetudines abolere, & reus sit culpæ id omittens dum commode efficere potest; secus tamen est ubi absque majori damno communis boni id fieri nequit. Unde recte Chrysostomus, sive quicunque fuerit auctor, Homilia 32. in c. 19. Matthæi in opere imperfecto: quod præcipimus, inquit, semper placet; quod autem permittimus, nolentes præcipimus, quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus.

Solvuntur reliqua rationes Græcorum contra Latinos.

Caput XIX.

AD secundum quod Pharisæi interrogaverint Dominum de dimissione quoad vinculum, siquidem talis erat natura repudij, respondeo: Dominum ἐκ περιουσίας majorem tradidisse doctrinam, quam ipsi postulassent. Si enim respondisset præcise nullo modo licere uxorem dimittere, & aliam ducere; potuissent iterum quærere, saltem licet in aliquo casu dimittere, & non aliam ducere? Quare Christus Dominus ad utrumque statim à principio summa brevitate respondet: quod nimirum liceat ob fornicationem, & tamen non liceat sine adulterio aliam ducere. Uno itaque concesso alterum sustulit.

Neque debemus hæc duo confundere. Si enim grave est quibusdam dimissa uxore adultera, non posse aliam ducere; longe gravius iisdem fuisset, si cogerentur retinere adulteram. Quare si Christus Dominus non adhibuisset exceptionem, multo magis homines anxio, sollicito, & implicato fuissent animo.

Vel secundum quosdam dicendum est, quæ illorum expositio mihi valde probatur: Duplicem fuisse Judæorum in dimittendo uxores consuetudinem, & utramque malam; alteram quidem ob quascunque causas dimittendi uxores; alteram vero, dimissis prioribus, alias ducendi uxores. Utramque vero damnavit Dominus, & corrigere
voluit: & contra priorem quidem ait. Dico «
vobis quod quicumque dimiserit uxorem «
suam nisi ob fornicationem, mœchatur. «
Quia fidem videlicet conjugalem violat,

sibique, & uxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem vero Judæorum consuetudinem adjunxit illud: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Non aliam certe ob causam, nisi quia, quæ dimissa fuerat ob fornicationem, non erat prioris matrimonij vinculo soluta.

Unde verbum mœchatur Matthæus c. 5. distincte conjunxit cum eo, quod est dimittere uxorem, & cum eo quod est aliam ducere, dicens: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Male itaque Cajetanus, & Erasmus verbum mœchatur, conjuncte ad utramque partem sententiæ referunt, quo significatur, si adsit causa fornicationis utrumque licere, & uxorem dimittere, & aliam ducere; cum distincte ad priorem & posteriorem partem referri debeat. Alioquin si vera esset horum sententia, colligi posset, non esse prohibitum à Christo quavis alia de causa præter fornicationem dimittere uxorem, dummodo nec vir dimittens, nec uxor dimissa ad alias transeat nuptias: quod falsum profecto esse constat.

Atque hæc dicimus, si sententia sumatur exceptive: sin autem negative, ut requirit tertia expositio, tunc dicendum est, Dominum noluisse generatim dicere, omnis qui dimittit uxorem, & aliam ducit, mœchatur: sed consideratis loco, & tempore respondisse Pharisæis, qui venerant parati, ut eum tentarent, & in sermone caperent. Cum ergo interrogassent, an liceret dimittere uxorem quoad vinculum quacunque ex causa? Dominus divina prudentia præcise ad interrogata respondit, non licere quacunque ex causa, quia non licet dimittere non fornicariam, & aliam ducere. Quamvis enim per veterem legem liceret etiam non fornicariam dimittere, scilicet si propter aliquam fœditatem non placuisset viro, eique odio fuisset: tamen illud permissum fuisse ait Dominus propter duritiam cordis illorum. Quæ enim justa causa foret dimittendi uxorem castam, & quæ fidem servasset marito ergo? male non fornicariam dimittebant. Utrum autem liceret dimittere fornicariam quoad vinculum, & per consequens fas esset aliam ducere, Dominus tunc aperte dicere noluit, quia non erant auditores capaces. Quod si illi intulissent, ergo licet dimittere, quoad vinculum fornicariam: tunc Dominus istud utique negasset. Quemadmodum domi ab Apostolis interrogatus aperte suam mentem aperuit, & universe pronunciavit, omnem qui uxorem dimittit, & aliam ducit, mœchari.

Ad tertium patet ex dictis. Illud enim, nisi ob fornicationem, non debet referri ad utrumque membrum orationis, sed tantum ad primum. Perfecta enim dimissio duo continet, dimissionem unius, & potestatem ducendi aliam: primum Dominus approbavit, idque in causa fornicationis: posterius improbavit, & propterea illam exceptionem, nisi ob fornicationem, Dominus non adjecit in fine sententiæ, sed in medio post primum membrum. Non enim dixit, quicunque dimiserit, & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur.

Vel cum Augustino dicendum est, sententiam Salvatoris negative accipiendam esse, & sensum esse: quicunque dimiserit uxorem non fornicariam, & aliam duxerit, mœchatur: ex quo non infertur, ergo qui dimitttit uxorem fornicariam, & aliam ducit, non mœchatur; non enim valet secundum ea, quæ diximus supra.

Quartum argumentum innititur falso fundamento: quippe ponit vinculum matrimonij esse copulam, in eaque consistere essentiam matrimonij, inde vero falsa concludit.

Ad quintum respondeo, causam, cur aliquis non posset ducere aliam, non esse, quia non habet potestatem sui corporis, sed quia præcise reperitur inter conjuges vinculum, idque indissolubile, ex quo sequitur tanquam effectus, ut qui sit vinculo conjugali constrictus non habeat potestatem sui corporis: qui quidem effectus in causa fornicationis cessat, sed cum quadam coarctatione; non enim vir ob uxoris adulterium adeo liber evadit, ut suum corpus possit alteri tradere, sed tantum illud uxori in pœnam peccati denegare potest. Cessat itaque hoc modo ejusmodi effectus, durante causa

causa nimirum vinculo, quod est de essentia matrimonii. Ambrosius autem Catharinus modo huc, modo illuc se vertit, & multa miscet, atque confundit invicem. Quippe in superiori argumento essentiam matrimonii aiebat consistere in copula. Nunc vero ponit in eo esse, ut quis non habeat potestatem sui corporis. Quod si ista non constituunt essentiam matrimonij, ut re vera non constituunt; Non igitur aliquid inde necessario concludit.

Ad sextum, maximum esse aio discrimen inter matrimonium legitimum, & ratum: hoc est inter matrimonium, qua est officium naturæ, & qua est sacramentum, cui etiam addimus esse consummatum. Nam matrimonium verum, & legitimum habet quidem insolubilitatem quandam naturalem, ea tamen non tanta est, ut in aliquo casu non possit dispensari, atque solui. At matrimonium ratum in sua tota perfectione, id est ratum & consummatum, ut nullam admittit dispensationem, ita etiam nullam perfectam solutionem. Non autem admittit propterea quod significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est, qua conditione caret matrimonium legitimum.

Ad septimum, quod spiritalis fornicatio separet sponsum à sponsa, concedendum est, sed negandum posse totam Ecclesiam spiritualiter fornicari, & consequenter separari à sponso. Si autem per sponsam non Ecclesiam intelligat, sed animam justi, tunc nihil concludit: non enim matrimonium consummatum conjunctionem justi cum Deo, sed Christi cum Ecclesia significat, de quo Paulus ait, ego autem dico in Christum & Ecclesiam. Sed & animam peccantem non ita abjicit Deus, ut non possit reconciliari, immo semper eam hortatur ad reconciliationem.

Ad octavum, concedo illam esse causam, cur Christus Dominus ob fornicationem, dimissionem quoad torum concesserit, ut hactenus disseruimus. quia fornicatio directe adversatur bonis matrimonij, nimirum fidei, proli, cohabitationi; Non tamen soluit vinculum, quod est quid distinctum ab aliis hisce circumstantiis, ut à principio libri notatum est.

Ad ultimum, quod si retineat vir uxorem adulteram incurrit in infamiam, si dimittat timet de incontinentia.

Respondeo, si sit vir Christianus non debet curare, sed parui pendere perversas leges, & corruptos mores hujus mundi, & amplecti piissimas leges Christi Si enim Dominus ex reconciliatione benignus, misericors, & humani generis amator à sacra Scriptura merito prædicatur; quomodo vir infamis, ac non potius humanus erit, si idem præstiterit? an magis offenderat serva conservum, quàm Regem, & Dominum gloriæ? At sanctificata est apud Deum sacramento Pœnitentiæ, ideoque reconciliata. Caveat igitur vir ne sanctior esse velit ipso Deo vere sancto, & totius fonte sanctitatis, ne dicat, noli me tangere. Quid si forte ipse etiam adulter extiterit? & si non opere, saltem voluntate, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. An libenti animo relinqui ab uxore casta & despici pateretur? quid si congeriem flagitiorum commiserit, & spiritualiter anima ejus sit adulterata, an non aptat Deum propitium sibi fieri? an tam severum, & inexorabilem judicem in sua causa videre illum non reformidat? Quin potius ille ad honestam & castam reconciliationem animam invitare non cessat, quam post tot adulteria sibi jam reconciliatam ubertime lactat, & ducit in solitudinem, ubi nemo adest, ut sine ullo impedimento liberius loquatur ei ad cor verba blanda, & consolatoria, & percutit cum ea fœdus, ac desponsat sibi eam in sempiternum in justitia, & judicio, & misericordia, & miserationibus, Osee 2. Hæc illi præstitit castissimus, idemque liberalissimus sponsus, si unquam eum offendit, offendit autem sæpenumero in multis. Caveat igitur ne sibi dicatur: Nonne oportuit te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?

Sed esto, nolo retineat adulteram, ne tamen fiant alia conjugia, quæ convincuntur esse adulteria.

At non possum, ait, continens esse. Audiat parumper quæso aureum illud os Chrysostomum homilia 16 in epist. ad Hebræos

circa finem moralis: οὐκ ἔστι γὰρ εἰπεῖν, οὐ δύναμαι, οὐδὲ κατηγορῆσαι τοῦ δημιουργοῦ. εἰ γὰρ ἀδυνάτους ἡμᾶς ἐποίησεν, εἶτα ἐπιτάττει, κατηγορία αὐτοῦ ἐστι. πῶς οὖν, φησι, πολλοὶ οὐ δύνανται; πῶς οὖν πολλοὶ οὐ θέλουσιν; εἰ γὰρ θέλοιεν, πάντες δυνήσονται. διὰ τοῦτο καὶ Παῦλός φησι, θέλω πάντας ἀνθρώπους εἶναι, ὡς καὶ ἐμαυτόν. ἐπειδὴ ᾔδει ὅτι πάντες ἠδύναντο εἶναι ὡς καὶ αὐτός. οὐδὲ γὰρ ἂν εἴγε ἀδύνατον ἦν, τοῦτο εἶπε. Non enim, inquit, licet dicere non possum, neque accusare opificem. Nam si nos tales fecit, qui non possemus, deinde jubet, ipse accusandus est. Quomodo, ergo dicit aliquis, multi non possunt? Quomodo ergo multi nolunt? Nam si volunt, poterunt omnes. Propterea, & Paulus ait, volo omnes homines esse, ut me ipsum. quia sciebat omnes posse esse, sicut erat ipse. Neque enim hoc dixisset, si fieri non posset. Sic ille. Quare accingat se ad servandam continentiam: desperat de suis viribus, recte istud, sed imploret divinum auxilium. Petite, & accipietis. Quid si uxor esset, ut ait S. Augustinus libro 2. de adulterinis conjugiis cap. 11. in languore insanabili, atque diuturno? aut etiam si alicubi esset corpore separata, quo maritus non posset accedere. Puta si duceretur captiva, aut detineretur in carcere, aut si volens servare castitatem, casta castum dimitteret; non quidem laudabiliter, quia non ex consensu, dimitteret tamen. An propterea licebit viro nova inire conjugia? At quæ causa dissoluit priora? non enim intercessit adulterium. Itaque non unus tantum casus incidit, nempe quando quis dimittit adulteram, ut sine sua culpa perpetuo servare castitatem cogatur. Ut si etiam vir ab uxore disjunctus sive mercaturæ, sive justi negotij causa multos annos in longinqua regione peregrinetur, volens nolens vivere continenter cogitur.

Similiter non in dissimili causa, sine culpa, quamvis non sine causa, sæpe filius ob peccatum patris privatur hæreditate, innoxius ob aliqua indicia jure torquetur à judice. Sed jam satis.

Notantur quædam utilia ad solvenda argumenta ducta ab auctoritate Patrum contra Latinos.

Caput XX.

TRanseo ad auctoritates Patrum, quæ à principio pro contraria sententia sunt allatæ. Ex quarum solutionibus præsens dogma, Deo bene juvante, magis confirmabimus. Quod ut commode fieri possit, illud universè advertendum est.

Eandem scilicet esse omnino conditionem viri, & uxoris, quod attinet ad separationem matrimonij, & reliqua, quæ ad hoc spectare videntur; ut si vir possit ducere aliam ex causa fornicationis, possit, & uxor ob eandem causam: si non possit uxor, neque vir possit. Et si vir ob adulterium possit separari quoad torum, similiter ob eandem causam possit & uxor sejungi à viro: & ut summatim dicam in omnibus esse pares, & æquales conjuges, quoad præsentem materiam pertinet, opus est existimare. Id, quod docuit B. Paulus loco citato, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam; potest enim discedere in causa fornicationis, & communiter uxores manent in domo mariti, ideo Apostolus ait, si discesserit. Et postea in eundem sensum addit, & vir uxorem non dimittat. Possumus dicere; ac recte inferre, quod si dimiserit, videlicet propter fornicationem, contineat se à novo conjugio, & maneat ἄγαμος, servetque se castum, aut uxori suæ reconcilietur. Quod etiam optime deducit magnus Basilius ex sacris Evangelij paginis in epistola prima Canonica canone 9 ad sanctum Amphilochium, cum ita scribit: ἡ δὲ τοῦ κυρίου ἀπόφασις κατὰ μὲν τὴν τῆς ἐννοίας ἀκολουθίαν ἐξίσου καὶ ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ἁρμόζει, περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι γάμου ἐξίστασθαι παρ᾽ ἐκτὸς λόγου πορνείας. Domini autem sententia æque viris, ac mulieribus convenit, quod non liceat à matrimonio discedere præterquam propter fornicationem.

Gregorius item Nazianzenus hoc idem jus æqualitatis conjugum gravissimis, & elegantissimis verbis tractat in oratione trigesima prima super illo dicto Evangelico, cum consummasset Jesus hos sermones, cujus initium, ὁ τοὺς ἁλιεῖς προσελόμενος Ἰησοῦς. Jesus qui piscatores elegerat. Sic itaque disserit : τὸ ἐρώτημα ὃ ἐρωτήκας τοῦτο, σωφροσύνην τιμᾶν μοι δοκεῖ, καὶ ἀπόκρισιν ἀπαιτεῖ φιλάνθρωπον. σωφροσύνην, περὶ ἣν ὁρῶ τοὺς πολλοὺς κακῶς διακειμένους, καὶ τὸν νόμον αὐτῶν ἄνισον καὶ ἀνώμαλον. τί δή ποτε γὰρ τὸ μὲν θῆλυ ἐκόλασε, τὸ δὲ ἄρρεν ἐπέτρεψε; καὶ γυνὴ μὲν κακῶς βουλευσαμένη περὶ κοίτην ἀνδρὸς, μοιχᾶται. καὶ πικρὰ ἐντεῦθεν τὰ τῶν νόμων ἐπιτίμια. ἀνὴρ δὲ καταπορνεύων γυναικὸς, ἀνεύθυνος. οὐ δέχομαι ταύτην τὴν νομοθεσίαν, οὐκ ἐπαινῶ τὴν συνήθειαν. ἄνδρες ἦσαν οἱ νομοθετοῦντες. διὰ τοῦτο κατὰ γυναικῶν ἡ νομοθεσία. ἐπεὶ καὶ τοῖς πατράσιν ὑπ' ἐξουσίαν δεδώκασι τὰ τέκνα: τὸ δὲ ἀσθενέστερον, ἀθεράπευτον εἰάσαν. Θεὸς δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλὰ τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου, ἥτις ἐστὶν ἐντολὴ πρώτη, ἵνα εὖ σοι γένηται, ἐν ἐπαγγελίαις κειμένη. καὶ ὁ κακολογῶν πατέρα, ἢ μητέρα θανάτῳ τελευτάτω. ὁμοίως καὶ τὸ ἀγαθὸν ἐτίμησε, καὶ τὸ κακὸν ἐκόλασε. καὶ εὐλογία πατρὸς στηρίζει οἴκους τέκνων. κατάρα δὲ μητρὸς ἐκριζοῖ θεμέλια. ὁρᾶτε τὸ ἴσον τῆς νομοθεσίας; εἷς ποιητὴς ἀνδρός τε καὶ γυναικός. εἷς χοῦς ἀμφότεροι. εἰκὼν μία, νόμος εἷς, θάνατος εἷς, ἀνάστασις μία. ὁμοίως ἐξ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς γεγόναμεν. ἓν χρέος παρὰ τῶν τέκνων τοῖς γονεῦσιν ὀφείλεται. πῶς οὖν σὺ σωφροσύνην μὲν ἀπαιτεῖς, οὐκ ἀντεισφέρεις δέ; πῶς ὃ μὴ δίδως, αἰτεῖς; πῶς ὁμότιμον σῶμα ὤν, ἀνίσως νομοθετεῖς; εἰ δὲ τὰ χείρω σκοπεῖς, ἥμαρτεν ἡ γυνὴ, τοῦτο καὶ ὁ Ἀδάμ. ἀμφοτέρους ὁ ὄφις ἠπάτησεν. οὐ τὸ μὲν ἀσθενέστερον εὑρέθη, τὸ δὲ ἰσχυρότερον. ἀλλὰ τὰ βελτίω λογίζῃ, ἀμφοτέρους σώζει Χριστὸς τοῖς πάθεσιν. ὑπὲρ ἀνδρὸς σὰρξ ἐγένετο, τοῦτο καὶ ὑπὲρ γυναικός. ὑπὲρ ἀνδρὸς ἀπέθανε. καὶ ἡ γυνὴ τῷ θανάτῳ σώζεται. ἐκ σπέρματος Δαβὶδ ὀνομάζεται. τιμᾶσθαι ἴσως οἴει τὸν ἄνδρα. ἀλλὰ καὶ ἐκ παρθένου γεννᾶται. τοῦτο καὶ ὑπὲρ γυναικῶν. ἔσονται μὲν οὖν οἱ δύο, φησὶν, εἰς σάρκα μίαν. καὶ ἡ μία σὰρξ, ἐχέτω τὸ ὁμότιμον. Παῦλος δὲ καὶ τῷ ὑποδείγματι τὴν σωφροσύνην νομοθετεῖ. πῶς καὶ τίνα τρόπον; τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, ἐγὼ δὲ λέγω, εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. καλὸν τῇ γυναικὶ Χριστὸν αἰδεῖσθαι διὰ τοῦ ἀνδρός. καλὸν καὶ τῷ ἀνδρὶ τὴν ἐκκλησίαν μὴ ἀτιμάζειν διὰ τῆς γυναικός. ἡ γυνὴ, φησὶν, ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα, καὶ Χριστὸν γάρ. ἀλλὰ καὶ μὲν ἀνὴρ ἵνα θάλπῃ τὴν γυναῖκα, καὶ γὰρ Χριστὸς τὴν ἐκκλησίαν. Quæstionem hanc qui proposuit, ad colendum pudicitiam spectare mihi videtur, responsionemque benignam postulare, pudicitiam, inquam, circa quam plerosque male affectos cerno, & legem ipsam inæqualem ac disparem. Quid enim causæ fuit, cur mulierem pœnis afficeret, marito contra indulgeret? & mulier quidem, quæ improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterij piaculo constringitur, indeque acerbissimis legum pœnis excruciatur; vir autem qui fidem uxori datam per adulterium violat, nulli supplicio est obnoxius. Hanc legem nequaquam probo, hanc consuetudinem minime laudo: viri erant, qui hanc legem sanxerunt, ea propter adversus mulieres lata est. Quandoquidem, & filios paternæ potestati subiecerunt, infirmiorem vero sexum neglectum reliquerunt. At Deus non sic, verum, honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est primum mandatum (ut bene tibi sit) in pollicitationibus situm. Et qui male dixerit patri, vel matri morte moriatur, æque & virtuti honorem ac præmia, & sceleri pœnam constituit. Et benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Legis æqualitatem videtis? Unus viri, & mulieris creator. Pulvis unus uterque, imago una, lex una, mors una, resurrectio una. Æque ex viro & muliere procreati sumus. Unum idemque parentibus debitum filij persoluendum habent. Qua igitur fronte pudicitiam exigis, quam ipse non præstas? quomodo quod non das, petis? quomodo corpus eodem honore præditum cum sis, imparem legem statuis? Quod si deteriora expendis, peccavit mulier, eodem quoque modo Adam peccavit, utrumque serpens decepit. Non altera pars infirmior inventa est, altera fortior. At meliora consideras, utrumque Christus passione sua salute donavit. Pro viro caro factus est, pro muliere item. Pro viro mortem subiit, ipsius item morte mulieris salus parta est. Ex

femine David nominatur, atque hinc fortaſſis virum honore præferri exiſtimas. Sed ex virgine quoque naſcitur, quod ad mulierum laudem valet. Erunt igitur, inquit, duo in carnem unam. Et ſi caro una eſt, æqualem honorem habeat. Jam vero Paulus exemplo quoque caſtitatem velut lege præſcribit. Quo tandem modo? ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & Eccleſiam. Pulchrum eſt mulieri Chriſtum per virum revereri, pulchrum quoque viro Eccleſiam per uxorem non aſpernari, mulier, inquit, ut virum timeat, quippe & Chriſtum. At vir etiam ut uxorem foveat, atque complectatur; nam & Chriſtus Eccleſiam. Hactenus Nazianzenus.

Ad hanc æqualitatem conjugum oſtendendam, hæc etiam Chryſoſtomus ſcripta reliquit in priorem ad Corinthios can. 7. ſuper illis verbis, uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro: ἀλλαχοῦ μὲν οὖν πολλὴν δίδωσι τῷ ἀνδρὶ τὴν προεδρείαν καὶ ἐν τῇ καινῇ καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ, λέγων, πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, καὶ αὐτός σου κυριεύσει. ὁ δὲ Παῦλος διαιρῶν οὕτω καὶ γράφων, οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας, ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα. ἐνταῦθα δὲ οὐκέτι τὸ μεῖζον καὶ τὸ ἔλαττον, ἀλλὰ μία ἐξουσία. τί δήποτε; ἐπειδὴ περὶ σωφροσύνης ὁ λόγος ἦν αὐτῷ. ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἄλλοις πλεονεκτείτω φησὶν ὁ ἀνήρ. ἔνθα δὲ σωφροσύνης λόγος, οὐκέτι. ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, οὐδὲ ἡ γυνή. πολλὴ ἰσοτιμία, καὶ οὐδεμία πλεονεξία. Multis igitur in locis magnam tribuit viro eminentiam, tam in novo quam in veteri teſtamento, dicens, ad virum tuum converſio tua, & ipſe tibi dominabitur. Paulus vero ita dividit, & ſcribit, viri diligite uxores, uxor autem virum timeat: hic autem neque majus, neque minus habet locum; ſed una poteſtas eſt. Qua de cauſa? nimirum quia de pudicitia ſermonem habebat. In aliis quidem plus habeat, inquit, vir. Ubi vero ratio habenda eſt pudicitiæ, minime ſuperior ſit. Vir ſui corporis poteſtatem non habet, neque uxor. Magna hîc paritas, & prærogativa nulla. Sic Chryſoſtomus, qui optime cenſet pudicitiæ habere rationem, & caſte vivere eos, qui conjugalem vitam eligunt, & non aliunde, ſed ab invicem debitum quærunt.

Nec diſſimilia tradit Ambroſius in libro primo de Abraham cap. 4. Nemo, inquit, blandiatur ſibi de legibus hominum, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia. Ubi notandum obiter Ambroſium par eſſe jus conjugum docere.

S. Hieronymus de eadem re ita diſſerit in Epiſtola 30. quam ſcripſit ad Oceanum de Epitaphio Fabiolæ. Præcipit Dominus uxorem non debere dimitti excepta fornicationis cauſa, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus. Si quis meretrici jungitur unum corpus facit. Ergo, & qui ſcortatori, impuroque ſociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, & aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos, viris impudicitiæ fræna laxantur; & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur; quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis non licet viris. Et eadem ſervitus pari conditione cenſetur. Hæc ibi S. Hieronymus.

In eundem ſenſum Auguſtinus in libro primo de ſermone Domini in monte c. 28. hæc literis mandavit. Nihil iniquius, quam fornicationis cauſa dimittere uxorem, ſi & ipſe convincitur fornicari. Occurrit enim illud, in quo enim alterum judicas, te ipſum condemnas. Eadem enim agis, quæ judicas. Quapropter quiſquis fornicationis cauſa vult abjicere uxorem, prior debet eſſe à fornicatione purgatus. Quod ſimiliter etiam de femina dixerim. Idem de verbis Domini ſermone 46. Si ducturi eſtis uxores; ſervate vos uxoribus veſtris, quales vultis eas invenire, tales & ipſæ inveniant vos. Quis juvenis eſt, qui non caſtam velit ducere uxorem? Et ſi accepturus eſt virginem, quis non intactam deſideret? Intactam quæris? intactus eſto. Puram quæris? noli eſſe impurus. Non enim illa poteſt, ſi tu non potes. Sic Auguſtinus.

Verum hoc idem patet etiam ratione. Nam alioquin justissima lex Christi, injustissima esse videretur, si plus uni quam alteri tribueret. Præsertim viro, qui quidem quo animosior est, atque fortior, & magis pollet ingenio, eò virilius se gerere debet, nimirum ut & minus peccet, & legibus magis sit astrictus. Et sic à justissima lege Christi, vel æqualia jura, vel certè minora, quàm sexus fragilis obtinere debeat.

Respondetur ad auctoritatem Basilii.

CAPUT XXI.

HIs propositis, & auctoritate Patrum hac ratione firmatis, prima nobis explicanda occurrit auctoritas Basilii, cujus sanè mens, ut magis fiat clara, & dilucida, satius est totum canonem describere: ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον. ἡ δὲ τοῦ κυρίου ἀπόφασις κατὰ τὴν τῆς ἐννοίας ἀκολουθίαν ἐξίσου καὶ ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ἁρμόζει τοῦ μὴ ἐξεῖναι γάμου ἐξίσασθαι παρ' ἐκτὸς λόγου πορνείας. ἡ δὲ συνήθεια οὐχ οὕτως ἔχει. ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῶν γυναικῶν πολλὴν εὑρίσκομεν τὴν ἀκριβολογίαν, τοῦ μὲν ἀποστόλου λέγοντος, ὅτι ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστι, τοῦ δὲ Ἱερεμίου, ὅτι ἐὰν γένηται γυνὴ ἀνδρὶ ἑτέρῳ, οὐκ ἐπιστρέψει πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, ἀλλὰ μιαινομένη μιανθήσεται. καὶ πάλιν, ὁ ἔχων μοιχαλίδα, ἄφρων καὶ ἀσεβής. ἡ δὲ συνήθεια καὶ μοιχεύοντας ἄνδρας, καὶ ἐν πορνείαις ὄντας κατέχεσθαι ὑπὸ τῶν γυναικῶν προστάσσει. ὥστε ἡ τῷ ἀφεθέντι ἀνδρὶ συνοικοῦσα οὐκ οἶδα εἰ δύναται μοιχαλὶς χρηματίζειν. τὸ γὰρ ἔγκλημα ἐνταῦθα τῆς ἀπολυσάσης τὸν ἄνδρα ἅπτεται. κατὰ ποίαν αἰτίαν ἀπέστη τοῦ γάμου. εἴτε γὰρ τυπτομένη μὴ φέρουσα τὰς πληγάς, ὑπομένειν ἐχρῆν μᾶλλον, ἢ διαζυγῆναι τοῦ συνοικοῦντος. εἴτε τὴν εἰς χρήματα ζημίαν μὴ φέρουσα, οὐδὲ αὕτη ἡ πρόφασις ἀξιόλογος. εἰ δὲ διὰ τὸ ἐν πορνείᾳ αὐτὸν ζῆν, οὐκ ἔχομεν τοῦτο ἐν τῇ συνηθείᾳ τῇ ἐκκλησιαστικῇ τὸ παρατήρημα. ἀλλὰ καὶ ἀπίστου ἀνδρὸς χωρίζεσθαι οὐ προσετάχθη γυνή, ἀλλὰ παραμένειν διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ἐκβάσεως. τί γὰρ οἶδας γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις; ὥστε ἡ καταλιποῦσα, μοιχαλὶς, εἰ ἐπ' ἄλλον ἦλθεν ἄνδρα. ὁ δὲ καταλειφθεὶς συγγνωστός. καὶ ἡ συνοικοῦσα τῷ τοιούτῳ οὐ κατακρίνεται. εἰ μέντοι ὁ ἀνὴρ ἀποστὰς τῆς γυναικὸς ἐπ' ἄλλην ἦλθε, καὶ αὐτὸς μοιχὸς, διότι ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, καὶ ἡ συνοικοῦσα αὐτῷ μοιχαλὶς, διότι ἀλλότριον ἄνδρα πρὸς ἑαυτὴν μετέστησεν. Hæc quidem hactenus (inquit Basilius) Domini autem sententia juxta sensus consequentiam æquè viris, ac mulieribus convenit, quod non liceat à matrimonio discedere excepta causa fornicationis. At verò consuetudo non ita se habet, sed in mulieribus quidem nimiam adhiberi severitatem reperimus, dicente sane tum Apostolo, qui adhæret meretrici fit unum corpus, tum Hieremia, si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur. Et rursus, qui habet adulteram stultus est, & impius. Consuetudo vero etiam adulterantes viros, & qui in fornicationibus versantur, mandat à mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso habitat, nescio an possit adultera appellari. Crimen enim hîc attingit mulierem, quæ dimisit, quam ob causam à conjugio recessit? Sive enim pulsata, & verbera non ferens, pati satius erat, quàm à conjugio separari: sive jacturam in pecuniis non ferens, nec ipsa est digna excusatio. Sin autem quod ipse vivat in fornicatione, non est ejusmodi observatio in more Ecclesiastico posita; sed etiam ab infideli viro non est jussa mulier separari, sed ad extremum manere propter incertitudinem eventus. Quid enim scis mulier an virum sis servatura? Quare quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accessit; relictus vero est dignus venia, & quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur. Si tamen vir ab uxore discedens accesserit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari, & quæ cum eo habitat, est adultera eo quod alienum virum ad se traduxerit. Sic Basilius.

In Canone autem 35. ejusdem epistolæ explicat idem Doctor, quomodo sit venia dignus, & quænam est ei venia danda, videlicet potest admitti ad participanda Ecclesiæ Sacramenta: ἐπὶ τοῦ καταλειφθέντος ἀνδρὸς ὑπὸ τῆς γυναικὸς τὴν αἰτίαν χρὴ σκοπεῖν τῆς ἐγκαταλείψεως, κἂν φανῇ μὴ εὐλόγως ἀναχωρήσασα, ὁ μὲν συγγνώμης ἐστὶν ἄξιος, ἡ δὲ ἐπιτιμίου. ἡ δὲ συγγνώμη τούτῳ, πρὸς τὸ κοινωνεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ δοθήσεται. In marito, inquit, qui

ab uxore relictus est, considerare oportet causam derelictionis, & si præter rationem eam secessisse apparuerit, est maritus quidem dignus venia, illa vero pœna. Ei autem venia, ut Ecclesiæ communicet, dabitur. Quo in loco recte monet Zonaras interpres Canonum, quod sanctus Basilius in 9. Canone: οὔτε τὸ τύπτεσθαι παρὰ τοῦ ἀνδρὸς οὔτε τὸ χρήματα ζημιοῦσθαι, ἀλλ' οὐδὲ τὸ πορνεύειν ἴσως τὸν ἄνδρα εὐλόγους αἰτίας ἔκρινεν εἰς τὸ ἀποστῆναι τὴν γυναῖκα τοῦ γάμου, οὐδὲ μὴν τὸ ἄπιστον αὐτὸν εἶναι. Neque verberari à marito, neque jacturam facere rei familiaris, sed neque forsitan fornicarium esse virum, neque vero infidelem rationabiles causas existimat, ut uxor à conjugio recedat.

Quæ Basilii verba, qua respiciunt uxorem, quoniam de separatione non solùm quoad vinculum, sed etiam quoad torum intelliguntur, infra examinabimus: videtur enim utramque separationem uxori negare, contra vero eandem viro concedere. Interea contradictio quædam apparens tollenda est in scriptis Basilii, ut ea sublata, vel indicata, facilius de tota re disserere valeamus. Nam in eadem epistola alium edidit Canonem, qui est in ordine 46. & plane contrarius huic nono canoni esse videtur, in hæc verba: ἡ τῷ καταλειφθέντι πρὸς καιρὸν παρὰ τῆς γυναικὸς ἐν ἀγνοίᾳ γημαμένη, εἶτα ἀφεθεῖσα διὰ τὸ ἐπανελθεῖν πρὸς αὐτὸν τὴν προτέραν, ἐπόρνευσε μὲν, ἐν ἀγνοίᾳ δέ. Quæ per ignorantiam nupserit viro à propria uxore ad tempus relicto, & postea dimissa fuerit, quod ad eum prior reversa sit, fornicata est quidem, sed per imprudentiam. Cur autem fornicata sit optime exponit Zonaras, ὡς μὴ λυθέντος τοῦ προτέρου γάμου, quod prius conjugium solutum minime fuerit. Ergo & vir ab uxore derelictus, alteram ducendo fornicatur. Qua nam igitur ratione hi duo Canones inter se conveniunt, ut derelictus sit συγγνωστὸς, dignus venia ducendo alteram, & secunda uxor minime damnetur, quod asseritur in 9. Canone, & idem derelictus, si ducat alteram fornicetur, & secunda uxor sit fornicata per ignorantiam (puta si nesciverit eum habuisse uxorem, & fuisse derelictum) quod statuitur in hoc recitato quadragesimo sexto Canone?

Soluit hoc Zonaras hunc in modum, οἶμαι τοίνυν ὅτι ἐν τῷ θ. κανόνι περὶ διόλου καταλειφθέντος παρὰ γυναικὸς λέγει ὁ μέγας Βασίλειος, καὶ μὴ πεισθείσης ἐπανελθεῖν πρὸς αὐτὸν, καὶ διὰ τοῦτο κἀκείνῳ συγγινώσκει, καὶ τὴν κατὰ δεύτερον γάμον αὐτῷ συνοικήσασαν οὐ κατακρίνει. ἐν δὲ τῷ παρόντι κανόνι περὶ καταλιπούσης τὸν ἄνδρα διὰ λύπην τινὰ λέγει, διὸ καὶ τὸ, πρὸς καιρὸν, προσέθετο. Utique arbitror quod Basilius magnus in nono Canone de eo loquitur, qui omnino ab uxore sit derelictus, quæ ad eum ampliùs reverti recusat. Quapropter & illi viro veniam tribuit, & eam, quæ secundas nuptias cum ipso contraxit, non condemnat: in præsenti vero Canone de ea sermonem habet, quæ ob quandam mœstitiam virum reliquerit; proinde illud etiam, ad tempus addidit. Sic Zonaras, utique in hoc non ineptus interpres. Neque enim video posse melius reconciliari hos Canones. Verùm hæc non ita jejune, & exiliter disputanda sunt, sed diligenter examinanda. Verissime enim scripsit Aristoteles, dato uno inconvenienti plura sequi. ut igitur πρωθύστερον incipiamus.

Primo huic doctrinæ illud objicio. Videtur enim ponere matrimonii essentiam in eo consistere, nimirum si uxor non separet se, idque perpetuo. Itaque separatio ad tempus non soluit matrimonium, separatio perpetua soluit. Quod est falsum. Possunt enim conjuges ex mutuo consensu separare se perpetuo vovendo castitatem, remanente matrimonii essentia, hoc est, vinculo.

Secundo, hanc perpetuam separationem indicat Basilius esse causam solutionis matrimonii ex parte tantum viri, non ex parte uxoris. De illa nempe pronunciat, ὥστε ἡ καταλιποῦσα μοιχαλὶς, εἰ ἐπ' ἄλλον ἦλθεν ἄνδρα. Quare quæ reliquit (virum) est adultera, si ad alium accessit virum. Manet ergo vinculum, & non est solutum matrimonium, qua respicit uxorem. At quomodo maneat vinculum, & vir sit solutus, est ἀκατανόητον.

Tertio si uxor relicto viro, propter adulterium, non nubat alteri, nolit tamen amplius ad eum reverti, utique intelligetur separata esse quoad torum. At in hoc

casu concedit Basilius viro secundum conjugium, & videtur hæc duo inter se confundere, & pro eodem accipere, cum longe diversa sint. Quando enim fit solutio quoad vinculum, fit etiam quoad torum, non contra. Hic autem quando fit solutio quoad torum continuo fit etiam quoad vinculum, & hoc modo quod universalius est, contrahitur. Deinde ne uxor sit causa hujus mali, & maritus transeat ad secundum conjugium, nullo casu poterit se separare quoad torum: quod etiam est falsum, & etiam contra doctrinam aliorum Græcorum, qui ex verbis Pauli, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur, colligunt, ab Apostolo permitti separationem quandoque posse fieri quoad torum, non quoad vinculum, ad evitandum majus malum. Quamvis autem perperam colligant istud Græci ex eo loco Apostoli, tamen separatio quoad torum aliquando, immo in multis casibus conceditur. Igitur non solum ob quandam mœstitiam, & pusillanimitatem ex permissione Pauli, ut exponunt Græci (quod tamen Latini non concedunt) sed etiam multo magis propter verbera, si severa sint poterit se uxor separare quoad torum, & ad tempus, donec vir se ipsum emendet; si vero sit incorrigibilis, etiam perpetuo separando se uxor non peccat.

Quarto, quid si uxor ob adulterium viri, dicat se nolle amplius per totam vitam habitare cum marito? Maritus hoc accepto responso ducat alteram, deinde prima uxor post aliquod tempus mutata sententia accedat ad suum virum. Quid tunc fiet de secunda uxore?

Dices fortassis cum Basilio ex 46. ejus canone, fornicatam esse per imprudentiam, & esse separandam. Quid si non ignoraverit? Id enim fieri potest, quandoquidem Basilius hujusmodi matrimonium permittit. Deinde si fornicata est, ergo & vir fornicatus est, & si ambo fornicati sunt, quomodo ille dignus venia, & secunda uxor non condemnatur?

Quinto, unde sciet vir primam uxorem ad se non amplius reversuram quandiu vivit, ut propterea securus de hoc possit alteram ducere? Igitur quia hoc incertum est, debebit per totam vitam uxoris expectare, si forte ipsa reverteretur. Quod si non expectaverit, quomodo erit dignus venia ducendo alteram, & secunda uxor non condemnabitur?

Fortassis dicet aliquis, Basilium hæc duo simul conjungere, si uxor relinquat virum, & ad alium accedat, tunc derelictum esse dignum venia, si ducat alteram. Quippe si ad alterum virum accessit uxor, magnum habebit vir indicium, non amplius ad eum uxorem reversuram.

Sed hoc nihil juvat. Quid enim si uxor ad nullum accederet, & tamen revera viro suo adultero nunquam reconciliaretur? Quid ille tum facturus esset?

Deinde ex antecedentibus Canonis verbis constat, Basilium non in hoc ponere vim, quod uxor alteri nubat, sed in eo, quod uxor casta nolit recipere maritum adulterum, & scortationibus deditum, quod potest contingere, etiam si uxor non copuletur cum altero viro.

His adde, quod quemadmodum maritus ejecta uxore, si aliam adierit, mœchatur, ita etiam uxor relicto marito, si ad alium accesserit, mœchatur. Quod in hoc canone ex verbis Salvatoris fatetur Basilius. Igitur illud quoque dandum est. Quod enim ait Dominus de marito dimittente uxorem, quod si dimiserit facit eam mœchari; possumus nos dicere de uxore deserente maritum, quod si reliquerit, facit eum mœchari. At hoc videtur negare Basilius. Si enim relictus ducendo alteram, mœchatur, quomodo est dignus venia, & quæ cum eo habitat, non condemnatur?

Præterea cum dicit Basilius, sententiam Domini de matrimonio æque viris, ac mulieribus convenire, consuetudinem vero non ita se habere, de consuetudine sui temporis, & in oriente potissimum intelligit.

Et universe loquendo, verissimum est quadam ex parte quod ait; communiter enim hac nostra etiam tempestate non ita facile relinquit uxor maritum adulterum, ut vir uxorem dimittit adulteram. At vero quod infert Basilius, ejus esse roboris consuetudinem, ut nullo modo uxor possit adulterum relinquere, & relinquendo

crimini sit obnoxia, relictus vero, si uxorem duxerit, sit venia dignus, quis unquam laudabit talem consuetudinem, quæ videlicet contraria sit tum juri naturæ, tum præceptis Dominicis? Equidem fateor esse aliquam, & alicubi consuetudinem, sed quæ necessitatem ullam minime afferat. Qua propter si mulier casta animo suo destinavit, omnino velle semet ab adultero separare, profecto sine ullo prorsus crimine uti suo jure poterit, immo & religionem ingredi manente vinculo matrimonij. Poterit autem, quia non tenetur amplius reddere debitum matrimonij. Et idem poterit præstare vir ob uxoris adulterium. Jus enim naturale, ac divinum est, ut ei non servetur fides, qui eam aliis fregerit. Quippe fractio fidei est ratio divortij, quæ cum reperiatur in adulterio tam viri, quam feminæ, ob utrumque concessum est divortium. Contra jus autem naturale, ac divinum nulla consuetudo prævalere potest.

Præterea si sententia Domini est consuetudini contraria, quid opus est afferre testimonia scripturæ in confirmationem consuetudinis? Quasi vero sacra scriptura contraria sit ei, qui venit legem adimplere, & non solvere. Locus itaque Hieremiæ, & Deuteronomij 24. & si quæ alia sint ejusmodi, ut supra observavimus, de legis Mosaïcæ matrimoniis intelliguntur, in quibus probabilissimum est, concessum fuisse repudium cum facultate novas nuptias contrahendi, ob idque semel solutum jam vinculum, non erat opus denuo restaurari. Si autem vera est communior sententia, novum matrimonium illicitum quidem, permissum tamen fuisse, ut impune fieret majoris mali evitandi gratia, vinculum vero prioris semper mansisse, etiam sic non est mirum prohibitam fuisse conjugum reconciliationem. Nam ut egregie hac de re S. Augustinus philosophatur libro 2. de adulterinis conjugiis cap. 6. Hæc crimina in veteri Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, & ideo tunc omni modo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem. Quamvis David Saülis filiam, quam pater ejusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam novi testamenti præfigurator, sine cunctatione receperit. Nunc autem postquam Christus ait adulteræ. Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare, quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum? Nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum. Sic Augustinus.

Ad testimonium autem B. Pauli, qui adhæret meretrici fit unum corpus, proptereaque teneatur vir uxorem adulteram dimittere, ne se contaminet. Respondeo, si quid valet sic explicatum, valet etiam pro uxoribus contra viros. Nam cum maritus adulter adhærendo meretrici fiat unum corpus cum illa, uxor quoque propria, si adhærebit ei, fiet unum corpus, & sic erit contaminata. Quare neque illa debet manere cum adultero marito. Et si stultus est, qui adulteram detinet, & fovet, nimirum impœnitentem: Quare non stulta quæ maritum adulterum impœnitentem sustinet? Et si vir secundum Basilium, ἄκων λαβέσθαι ταύτην οὐκ ἀναγκασθήσεται, invitus eam reassumere non cogetur, etiam uxor invita eum reassumere non cogetur. Tandem si vir voluerit eam pœnitentem, & castam effectam reassumere, utique laudabiliter poterit; etiam uxor erga maritum eodem modo affecta esse poterit.

Ad alterum testimonium Apostoli ex capite septimo prioris ad Corinthios. Quod nimirum præcipiat Paulus uxori ab infideli viro non separari, sed remanere, ubi videtur Basilius à majori argumentari, perinde quasi si non liceat ab infideli recedere, quod est quid majus, cum infidelitas sit majus peccatum adulterio, multo minus liceat ab adultero.

Respondeo, argumentum hoc militare contra Basilium. Nam ex doctrina ejusdem Patris, si uxor secundum textum Evangelicum potest in causa adulterij separare se à marito (consuetudinem tantum ait Basilius obstare) multo magis poterit se separare ab infideli, cum infidelitas sit majus peccatum.

At enim Paulus prohibet separationem

ab infideli? Audio, & Christus concedit separationem ab adultero.

Itaque Chrysostomus oppositum sentire, ac docere videtur, atque docet Basilius in quæstione supra allata, ubi reddit causam quare liceat ab adultero, non autem ab infideli sejungi. Neque tamen agnoscit Chrysostomus præceptum in matrimonio infidelis, sed consilium, ut mox dicam.

Verum antequam explicemus locum Apostoli, illud tanquam certum ponendum est. Posse uxorem nedum ab infideli, sed etiam à marito fideli discedere, & non cohabitare, si intercedat contumelia creatoris, & de hoc existimo non aliter sentire Basilium.

Porro Doctores varie locum Apostoli exposuere. Quidam enim aiunt Paulum consulere, non præcipere. Hoc indicat modus loquendi Chrysostomi, ἐπιτέτραπται ἡ συνήθεια, permissa est cum uxore consuetudo, & clare hoc docet Augustinus in libro de adulterinis conjugiis cap. 2. & 3.

Et secundum hanc sententiam tantum abest, ut propter verbera, non liceat uxori discedere ab infideli, ut etiam si ista non sint, & infidelis velit habitare cum illa, addo etiam sine injuria creatoris, liberum tamen sit mulieri discedere à viro, & non cohabitare.

Rationem hujus rei duplicem reddit B. Thom. in 4. d. 39. q. unica ar. 3. & 4. Prior est quod adulterium, & infidelitas pari passu currant, cum utrumque contra bonum prolis sit. Sicut ergo vir innocens potest cum adultera habitare, quando in adulterio obstinata non est, sed spes correctionis, & emendationis superest, ad id tamen non tenetur; ita ad fidem conversus potest habitare cum infideli, cujus conversio speratur, ad id vero non obligatur.

Posterior est, quia per Baptismum qui est regeneratio quædam spiritualis, moritur quispiam priori vitæ, ac proinde liber manet à servitute in illa contracta. Quamvis in aliquo casu possit ea uti. Sicut professus, quod vitæ priori mortuus sit, non tenetur ad vota simplicia in sæculo emissa, quamvis possit, si velit, ea implere.

Nec obstat servum infidelem non eximi à servitute per conversionem ad fidem; quia hæc servitus fidei Christianæ non repugnat, immo ejus humilitati convenit. At esse alligatum conjugem fidelem infideli, dedecet quodam modo Christianam religionem.

Addamus tertiam rationem à priori, quia illud matrimonium ante Baptismum in infidelitate contractum, non est Sacramentum, neque habet insolubile vinculum, de quo agimus in præsentia. Proinde potest mulier eligere sibi tale matrimonium, quod etiam simul sit Sacramentum, per quod nimirum confertur gratia, qua molestiæ matrimonij facilius tolerantur, & multa bona oriuntur.

Itaque si est consilium, potest manere si vult, nisi aliud obstiterit, & potest non manere. Si autem præceptum, non debet manere, si non sit spes conversionis, id enim significant Apostoli verba. Quid scis mulier, an virum sis servatura? Sicut enim tenetur maritus ab adultera nolente corrigi recedere; ne patronus ejus turpitudinis videatur. Ita tenetur fidelis recedere ab infideli pertinaci, cujus conversio desperatur, ne videatur ejus infidelitati favere. Debet manere, ubi est spes conversionis, & non est injuria creatoris; non debet manere ubi est injuria. Si autem infligantur verbera matronæ nobili (quoniam de cohabitatione loquimur) si vult, potest recedere nedum ab infideli, sed etiam à fideli, & Apostolus extra hos casus præcipit.

Præceptum in verbis Apostoli agnoscunt Basilius canone citato, Ambrosius in eum locum, Theodoretus, Oecumenius, & alij. Verum cum præceptum Apostolicum duplex esse possit, alterum divinum, quod per traditionem acceperunt, & quandoque literis consignarunt, & promulgarunt, humanum alterum quod ipsi pro tempore sanxerunt; commemorati auctores quale sit non indicant.

Sed ut præceptum sit, profecto divinum esse non potest. Quippe foret immutabile, & indispensabile. At Ecclesia hoc mutavit, immo prohibuit fidelibus habitare cum infidelibus. Nec tantum Romanam

Ecclesiam intelligo, sed etiam Græcam. Siquidem communiter Græci adeo sunt superstitiosi, & à Judæis abhorrent, ut nullam rem comestibilem audeant gustare, quam Judæi manu tetigerint: inde fit ut in Græcia Judæi aliquid ejusmodi à christianis empturi, ostendant rem indire, non tactu. Et si forte fortuna retigerint, omnino emere cogantur, tanquam rem non amplius à Christianis emendam. Quomodo igitur uxoribus Judæorum ad fidem conversis, permitterent Græci cum Judæis habitare?

Permiserant autem Apostoli, & eos sequuti patres primis sexcentis annis, quod initio nascentis Ecclesiæ tam efficax gratia, & affectus ad fidem in tyronibus fidei erat, ut formidanda minime esset eorum perversio, quin potius probabilissime speraretur infidelis conjugis conversio, ex fidelis consortio. Quæ postea refrigescente charitate ac fervore mutata sunt.

Et præterea, in principio magna fuisset tranquilli status Reipublicæ perturbatio, quando tanta erat infidelium copia, si non licuisset conjugi ad fidem reducto habitare cum infideli. Valdeque à suscipienda fide infideles deterriti fuissent, præcepto imposito dimittendi conjugem infidelem.

Atque hæc dicimus de cohabitatione, & solutione quoad torum. De omnimoda vero solutione si loquamur, solvitur vinculum matrimonij, si infidelis recusat habitare cum fideli: hoc enim indicant verba Pauli, si vult discedere discedat. Item si vult habitare cum contumelia creatoris, & inducere uxorem in peccatum letale. Si autem vult habitare sine injuria creatoris, probabile est non solvi. Probabilius est solvi, præsertim cum Ecclesia prohibeat habitationem in eodem casu, hoc est, etiam si velit sine offensa Dei domicilium habere. Neque enim decet, ut conjux fidelis, astricta sit conjugi infideli tam arcta vitæ consuetudine, atque est conjugalis.

Ex his autem apparet, singularem esse in hoc opinionem Basilij, qui non solum quoad vinculum, sed ne quoad torum quidem posse dissolvi matrimonium cum infidelibus existimare videtur. Alioqui non ad rem adduxisset exemplum, cum ibi potissimum de cohabitatione loquatur.

Item à principio timide, & cum dubitatione loquitur Basilius: οὐκ οἶδα εἰ δύναται μοιχαλὶς εἶναι, nescio an adultera esse possit. Postea loquitur absolute, καὶ ἡ συνοικοῦσα τῷ τοιούτῳ οὐ κατακρίνεται. & quæ cum tali habitat non condemnatur.

Neque est quod dicamus non condemnari in foro exteriori, & jure civili. Nam Basilius ait, οὐκ ἔχομεν τοῦτο ἐν τῇ συνηθείᾳ τῇ ἐκκλησιαστικῇ τὸ παρατήρημα. Non habemus in more Ecclesiastico hanc observationem. Et quamvis illud intelligat non esse in more Orientalis Ecclesiæ positum, ut uxor dimittat virum adulterum. Ex hoc tamen Basilius infert, quod objecimus, videlicet eam, quæ cum dimisso marito habitat, non esse adulteram. Quod tota culpa in uxorem, quæ dimisit, quamvis adulterum, conferatur.

Quæ sane deductio dato quod uxor non posset dimittere maritum adulterum, non est solida. Non enim quia non est moris Ecclesiæ, ut permittat uxori dimittere virum adulterum, propterea licebit relicto marito transire ad nova conjugia; sed punienda esset uxor ab Ecclesia, vel cogenda, ut reassumeret virum, vel aliquid simile.

Ob has, & similes rationes, quidam ut non esset Basiliana optarent Epistola, quod ego etiam solum quoad hanc partem, vehementer vellem. Sed an ea etiam sit, ambigunt. At immerito, quæ omnino cum à multis aliis, tum à doctissimo Bessarione in tractatu de sacrificio Missæ Basilio Magno verissime attribuitur. De qua nunquam alias, quin Basilij esset, dubium fuit. Quodque amplius est in secunda Nicæna Synodo, quæ est in ordine septima generalis, actione prima fragmentum hujus epistolæ tanquam Basilianæ recitatur.

Illud vero quod ait Basilius (quæ reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit) juxta sensum antecedentem intelligitur de ea, quæ reliquit virum ob adulterium, quod est relinquere justam ob causam. Si autem juste reliquit, & tamen non potest alteri nubere, quin adulteretur; Ergo

similiter vir relicta uxore etiam ob adulterium, si alteram duxerit, mœchus erit. Sententia enim Domini æque convenit viris, ac mulieribus. Quod si iste non mœchatur; Ergo neque uxor mœchabitur. Par enim ratio est utrobique.

Præterea si justa de causa, meritoque uxor relinquat virum, cur si alteri nupserit, est adultera? qui vero adulteratus est, ob idque relictus, cur venia dignus? Quod si hoc demus periculum est, ne sic injustus fornicator plus obtineat justa, & casta uxore. Quod quidem quam sit absurdum, nemo non videt.

Ad hæc, si mulier justa de causa relicto viro, & alteri nubendo adulteratur, quomodo vir est à lege solutus? ubi enim adulterium, ibi vinculum matrimonij perseverare necesse est. Contra si vir est solutus, certe uxor non adulteratur.

Præterea dicis, venia dignus, si ob fornicationem relictus, alteram duxerit. Ego vero juxta præscripta Salvatoris, tantum abest, ut id affirmem, ut potius illud verissime asseverare non dubitem, nimirum ut si etiam nulla de causa ab uxore relinquatur, nullo tamen modo possit alteram ducere. Fac enim mulierem jam fastidientem nolle amplius viri amplexus. Ob idque, non quidem laudabiliter, sua tamen sponte discedat, nemine prorsus impellente, nemine ejiciente, non viro, non causa adulterij, non denique alia causa, nisi voluntate propria. Quid igitur faciet tunc vir? dices-ne, alteram ducat? at quæ justa causa prius dissolvit vinculum? nulla nimirum. Neque enim ulla est ex his, quæ assignantur à Christo. An putas, quod quemadmodum de viris profert veritas, qui dimittit uxorem suam, scilicet injuste, ac extra causam fornicationis, facit eam mœchari, non etiam idem de uxoribus diceret, quæ relinquit maritum suum injuste, facit eum mœchari? Si autem uxor in culpa, quia relinquit, quomodo vir liber à culpa, & dignus venia, quem Dominus merito mœchum appellat? & quomodo non adultera quæ cum eo habitat?

Quod si injuste relictus vir talibus vinculis indissolubilis matrimonij astringitur, ut velit nolit servare castitatem cogatur; quid si culpa non careat, & ab uxore dimittatur, vel relinquatur? assequetur-ne ob injustam causam & adulterium, quod ei merito in causa, cæteroquin justa, quando nimirum injuste relictus, juste conqueri poterat, denegatum fuerat? O quam fœlix esses culpa, si tantum commodi adulter per te adipisceretur.

Neque hoc quod diximus alienum est à mente Basilij. Nam Canone 48. ejusdem epistolæ, ait, dimissam à viro, scilicet injuste, debere manere innuptam. Ex eo enim, quod eam adulteram nominet Dominus, exclusit eam à societate cum alio viro. Quemadmodum igitur optime deducit Basilius mœchari eam, si injuste dimissa alteri nupserit; Eodem modo maritus etiam non dicam juste, tunc enim major erit difficultas, sed injuste relictus, si alteram duxerit, mœchabitur.

Et si propterea est adultera, quia secundum Basilium, ita eam nominat Christus, profecto etiam virum jure optimo ab uxore derelictum, si ad aliam accederet, appellaret adulterum. Quare idem judicium sit, & de illo necesse est.

Postremo Basilius in citato trigesimo quinto Canone ait, considerandam esse causam derelictionis, & si præter rationem eam secessisse apparuerit, esse maritum venia dignum, si nimirum alteram duxerit. Illam vero pœna. At quæ major, & honestior causa relinquendi virum esse poterit, quam adulterium? Si enim ista non est, quam aliam justiorem, & magis propriam, atque directe matrimonio adversam assignabit Basilius?

At Basilius, inquies, non ex præceptis Evangelicis, sed ex consuetudine, id ait evenire, quod non semel repetit, ut cuilibet patet inspicienti præsentem Canonem.

Recte istud, quis ergo consuetudinem sacris paginis contrariam laudabit? vel sequendam esse omnino dixerit?

Nam ut recte monet Chrysostomus homilia in dictum Apostolicum, propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, ὅπου ἁμαρτία τολμᾶται, ἔθοις μὴ μνηθῆς.

ἀλλ' εἰ μὲν πονηρὰ τὰ γινόμενα, κἂν παλαιὸν ἔθος ᾖ, κατάλυσον, ἂν δὲ μὴ πονηρὰ ᾖ, εἰσάγαγε καὶ καταφύτευσον. Ubi ſcelus admittitur, ne conſuetudinem commemores; ſed ſi perverſa ſunt quæ fiunt, quamvis mos antiquus ſit, deſtruito: ſi vero non ſint prava, atque maligna, inducito, & plantato.

Vides ergo erudite Lector, quot abſurda ſequantnr ex illis tam paucis verbis hujus Canonis, ὁ δὲ καταλειφθεὶς συγγνωστός, καὶ ἡ συνοικοῦσα τῷ τοιούτῳ οὐ κατακρίνεται. Relictus vero eſt dignus venia, & quæ cum eo habitat, non condemnatur. Dicerem enim, ſi ſententia Domini æque viris atque uxoribus congruit, ἡ δὲ καταλειφθεῖσα, ſeu ἀφεθεῖσα, ſeu ἀπολελυμένη συγγνωστή. καὶ ὁ τῇ τοιαύτῃ συνοικῶν οὐ κατακρίνεται. Relicta, ſeu dimiſſa eſt digna venia, & qui cum ea habitat, non condemnatur. Negat hoc Baſilius, & quidem merito: nego item ego illud, quod profecto non minus abſurdum dici, & exiſtimari debet.

Sed & Zonaras, & Balſamon in expoſitione hujus Canonis dicunt, eum penitus mutatum fuiſſe ab Imperatore Juſtiniano, in eo videlicet, quod æquale noluerit eſſe jus viris, & uxoribus: alioquin ipſe quoque ut vidimus, permiſit repudia, & nova conceſſit conjugia. Cognovit tamen aliqua ex parte abſurditatem præſentis Canonis.

Ex alio loco Baſilij, oſtenditur quæ ſit ſententia Baſilij.

Caput XXII.

VErum quid opus eſt alieno cenſore in rebus Baſilij, cum ipſemet Baſilius quid de hac re ſenſerit clare omnibus patefecerit? ſenſit profecto has difficultates Baſilius, ob idque ait in Canone 21. ejuſdem epiſtolæ ad Amphilochium tractans ſimilem quæſtionem, ex qua videlicet juxta mentem Baſilij pendet iſta, cauſſam hujus facti reddere non eſſe facile, conſuetudine autem ſic invaluiſſe.

Itaque eſt conſuetudo rationis expers, vitioſa, & corrupta, planeque contraria legibus divinis. Quæ tamen conſuetudo etiam apud alios Eccleſiaſticos in Oriente, tempore Baſilij recepta erat in uſu, fortaſſis in gratiam Principum; cum non haberent contrariam hujus rei conſtitutionem. Non enim erant ea tempeſtate de hac re conditi Canones. Bene tamen intellexit, quam ſit à ratione alienum Baſilius, & idcirco aſſerit, reddi cauſam hujus rei non eſſe facile. Sed audiamus Baſilium, ἐὰν ἀνὴρ γυναικὶ συνοικῶν, μὴ ἀρκεσθεὶς τῷ γάμῳ εἰς πορνείαν ἐμπέσῃ, πόρνον κρίνομεν τὸν τοιοῦτον, καὶ πλεῖον αὐτὸν παρατείνομεν ἐν τοῖς ἐπιτιμίοις. οὐ μέντοι ἔχομεν κανόνα τῷ τῆς μοιχείας αὐτὸν ὑπάγειν ἐγκλήματι, ἐὰν εἰς ἐλευθέραν γάμου ἡ ἁμαρτία γένηται. διότι ἡ μοιχαλίς, φησι, μιαινομένη μιανθήσεται. καὶ οὐκ ἐπιστρέψει πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς. καὶ ὁ κατέχων μοιχαλίδα ἄφρων καὶ ἀσεβής. ὁ μέντοι πορνεύσας οὐκ ἀποκλεισθήσεται τῆς πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ συνοικήσεως. ὥστε ἡ μὲν γυνὴ ἀπὸ πορνείας ἐπανιόντα τὸν ἄνδρα αὐτῆς παραδέξεται. ὁ δὲ ἀνὴρ τὴν μοιχευθεῖσαν τῶν οἴκων ἀποπέμψει, καὶ ἄκων ταύτην προσλαβέσθαι οὐκ ἀναγκασθήσεται. τούτων δὲ ὁ λόγος οὐ ῥᾴδιος, ἡ δὲ συνήθεια οὕτω κεκράτηκε. Si vir, inquit, cum uxore habitans matrimonio non contentus in fornicationem inciderit, ejuſmodi fornicatorem judicamus, & eum pœnis amplius gravamus. Canonem tamen non habemus, qui etiam adulterij crimini eum ſubjiciat, ſi in ſolutam, & liberam à matrimonio peccatum commiſſum ſit. Nam adultera, inquit, polluta, polluetur, & ad virum ſuum non revertetur. Et qui adulteram detinet, ſtultus eſt, & impius, qui autem fornicatus eſt, non excludetur à cohabitatione cum uxore. Quocirca uxor quidem maritum ſuum à fornicatione revertentem excipiet. Vir autem eam, quæ adultera effecta eſt, à ſuis ædibus amandabit, & eam invitus aſſumere non cogetur: Ac eorum quidem ratio, minime eſt facilis, conſuetudo vero ſic invaluit.

Cur itaque ipſe vir ligatus, ſi cum ſoluta rem habuerit, non ut adulter punitur. At uxor ſi ſolutum agnoverit, ut adultera condemnatur? Cur ſi adulter extiterit, non eum relinquit uxor abeundo: At uxor inventa in adulterio, ſtatim ab ædibus amandatur, & dimittitur? Cur per conſequens, (nam unum quæſitum juxta doctrinam Baſilij pendet ex altero) ſi juſta de cauſa relictus,

seu quod idem est, si ad eam ab adulterio reversus non fuerit receptus, & alteram propterea duxerit, est venia dignus, & sic ob adulterium ab adulterii crimine liberatur: At vero uxor etiam si injuste dimissa fuerit, & alteri nupserit; ab adulterij labe non excusatur? & quidem merito. Semper enim manet vinculum non nisi morte alterius dissolvendum. Horum omnium, inquit Basilius, ratio minimè est facilis, (neque enim ullam potuit assignare) consuetudo autem sic invaluit. At consuetudo mala non valet pro ratione, quando præsertim jussis divinis adversatur. οὐκ ἐπαινῶ τὴν συνήθειαν, ait Nazianzenus, ἄνδρες ἦσαν οἱ νομοθετοῦντες. κατὰ γυναικῶν ἡ νομοθεσία.

Itaque sententia Basilii Magni de matrimonio in sequentibus sita est.

Primo asserit posse à viro dimitti uxorem in causa fornicationis, & de facto debere dimitti. Stultus enim est, atque impius, qui fovet adulteram. Ubi notandum est. Cum facilius vir possit corrigere uxorem, quam uxor virum, inde fit, ut si habitet cum uxore publice adultera, credatur, uxorem hoc facere, non sine tacito consensu viri, & idcirco scriptura de viro ait, Patronus est turpitudinis, qui crimen cælat uxoris; & stultus est, & impius, qui adulteram fovet.

Rursus obiter, advertendum est, Non negare Basilium posse virum postea si velit reconciliari. Immo in libris de Virginitate, Cur, inquit, non concedis tempus, & » illi emendandi se ipsam in iis, propter quæ » dimissa est, & ei, qui dimisit, ut ob corre- » ctionem ejus misertus, membrum suum » rursus ad seipsum recipiat? Et in hoc eodem postremo Canone proxime citato, ubi agit de adultera, Eam, inquit, invitus assumere non cogetur, quasi dicat, si velit, potest eam assumere. Licet enim ibidem dicat, polluta non revertetur ad suum virum, & impius, atque stultus qui detinet eam; tamen illa loca tam in hoc quam in præcedenti Canone potius adducit, ut ostendat, quibus testimoniis solebant, vel potuissent facere probabilem consuetudinem in dimittenda uxore adultera, non autem viro adultero.

Quæ sententia Basilii de dimittenda uxore adultera, est etiam Joannis Chrysostomi, & omnino in omnibus est consona scriptis Hieronymi. Nec est aliena à doctrina S. Augustini. Nam pœnitenti affirmat Augustinus debere virum reconciliari, cum & Deus ipse pœnitentibus reconcilietur. Si autem uxor sit incorrigibilis, dimittenda est: ut etiam vir, si incorrigibilis sit, dimittendus est.

Secundo ait Basilius, posse etiam uxorem sejungi à marito: intelligo autem quoad torum, & cohabitationem ob eandem causam juxta sententiam Domini.

Tertio dicit, consuetudinem esse contrariam huic secundo dicto. Non enim receptum est in usu, ut uxor relinquat virum, etiam ob adulterium. Hæc omnia patent ex illo Canone.

Quarto dicit, si vir dimittat uxorem sive injuste, sive justa de causa, non potest uxor transire ad novas nuptias. Hoc posterius, si juste, & ob causam dimiserit, patet ex his, quæ scripsit de Virginitate circa medium. Primum, si injuste, constat ex Canone 48. prioris epistolæ ad Amphilochium, quæ loca supra citavimus.

Quinto dicit, si uxor relinquat virum juste, & ob adulterium, vir erit venia dignus, si ad nova transierit conjugia. hoc etiam patet ex illo 9. Canone. An autem vir dimittens uxorem adulteram possit legitime uxorem alteram ducere, hoc nusquam Basilius clare affirmat, quod obiter notandum est.

Verum unde provenit hæc discrepantia, & inæqualitas, ut inter Christianos justissima Christi lex injusta esse videatur, & non eadem pro viris, & mulieribus censeatur? Idcirco.

Sexto dicit, hoc totum accidere non ex aliqua justa causa, quippe nulla talis sit, sed ex consuetudine nimirum vitiosa, & corrupta atque divinis legibus omnino contraria. hoc etiam clarum est ex Canone illo 9. & 21.

Cæterum quæ Basilius Magnus verissime, optimeque deducit pro uxoribus, quibus omnino nulla de causa liceat alteri nubere: sive quia vivit earum vir, hanc enim rationem tradit in iis, quæ scripsit de Vir-

gnitate, quæ potissima est: Sive quia à Domino adultera nuncupatur, quam rationem ponit in Canone 48. Eadem profecto etiam pro viris deduceret, easdemque causas illis assignaret, cum præsertim dictum Domini æque asserat congruere viris, & uxoribus. Consuetudinem vero eam esse, ac invaluisse, quæ nullam habeat εὔλογον causam, sed contraria sit paginis sacris. Hæc Basilius, quæ certè nullo modo favent Græcis.

At inquies, si ista consuetudo est ejusmodi, minimeque laudanda, quomodo ergo vir sanctus non exclamavit, & indigne tulit ejusmodi corruptelam consuetudinis?

Respondeo, eum satis plene, & aperte indicasse, ac explicasse suam mentem, non in quibuscunque epistolis, sed in libris de Virginitate loco supra citato. Quod opus est majoris momenti, & ponderis (quamvis Basilius semper sit sui similis) ubi invehitur in eos, qui uxores dimissas propter causam audebant sibi in matrimonium ducere. Quanquam & ex epistolis satis constat, eum dicere, aliam esse consuetudinem, & aliud colligi ex evangelici sermonis contextu.

Et præterea, cum Basilius de viro ait, esse venia dignum propter consuetudinem, vult dicere, homines sic existimare, illud esse verum matrimonium, & propterea eum quoque, qui sic ducit uxorem, ob ejusmodi existimationem esse venia dignum, & excusari quodammodo à peccato, re autem vera aliter rem se habere secundum sententiam Salvatoris. Vbi tamen Basilius agnoscit aliquod crimen, dum dicit esse venia dignum, nimirum non ita grave propter traditam ab aliis consuetudinem, & falsam existimationem.

Postremo, breviter quæret aliquis, concedit-ne Basilius posse fieri solutionem matrimonij quoad vinculum in causa fornicationis, an non?

Respondeo, nequaquam concedere. In iis enim, quæ tradit de Virginitate, Quamvis, inquit, propter causam dimissa sit, verum vivit ejus vir. Neque aliam intelligit causam præter fornicationem, cum introducat scripturam loquentem, quæ proprie in hoc genere nullam aliam directe agnoscit causam, præter adulterium. Idem affirmare non dubitaret idem vir sanctus etiam de viro, quamvis propter causam relictus sit, attamen vixit ejus uxor. Sententia enim Evangelica æque ambobus convenit. Non ergo perfecte solvitur matrimonium.

Atque de sententia Basilii mihi jam satis superque dixisse videor. Ne miretur autem aliquis, si in ea exponenda & interpretanda tam longus fui. Nam Gabriel Metropolita Philadelphiæ Græcorum sententiam defendens mihi olim Venetiis commoranti Canonem Basilianum in primis objecerat, & eum locum diutius urserat. Unde advertere potui Græcos in eo Canone veluti firmissimo præsidio suam sententiam collocare. Propterea quantum maxime potui, ut eum enervarem, seu potius explicarem, contendi.

Explicatur Nazianzeni hac de re sententia.

CAPUT XXIII.

NAzianzenus re vera à Latinis potius contra Græcos stare mihi videtur. Cum enim libellus repudii duo contineret, posse alteram dimittere, ducere alteram, Nazianzenus hæc dividens ait, Christum permisisse libellum repudii ideo tantum, ut vir separet se ab adultera, non autem addit, ut aliam ducat, ideo valde caute loquutus est: συγχωρεῖ μόνον χωρίζεσθαι τῆς πόρνης. Permittit, inquit, tantum separari ab adultera. Illud enim μόνον respicit quidem cæteras causas, ob quas negat sanctus separationem posse fieri: sed etiam idque potissimum refertur ad verbum χωρίζεσθαι, adeo ut non possit quispiam ducere alteram, sed tantum separari ab adultera.

Et certe mirum est, Nazianzenum, Chrysostomum, cæterosque Patres nunquam illud in suis scriptis injecisse, cum tamen occasio millies invitasset. Quare si ducere alteram relicta priore adultera, licitum esse opinati fuissent, illud profecto non tacuissent. Quin potius à contrario de dimissa

absolute loquentes, si alteri nubat, eam semper vocant adulteram, & ducentem, adulterum. Unde cum par sit juxta eosdem Patres conditio conjugum, de marito quoque dimittente, & alteram ducente, idem intelligendum est.

Porro solutio matrimonii quoad torum multis de causis, ut argumentum indicat, fieri solet. Et quidem ex mutuo conjugum consensu ratione altioris status fieri contingit, ut si conjuges perpetuam voveant castitatem, & propter Evangelicam perfectionem ad religionem transeant. Unde est illud Salvatoris Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, vel agrum, vel uxorem, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et iste casus non erat commemorandus à Christo Domino, dum interrogaretur de libello repudij. Nam Pharisæi intelligebant dimissionem uxoris ob aliquod crimen, seu aliquem defectum. Crimen autem propter quod dimittitur uxor, vel est adulterij, de quo Christus, Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem &c. Vel est crimen hæreseos, de quo intelligitur illud Apostolicum ad Titum c.3. Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita. Et illud Christi Domini Lucæ 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, &c. Vel absolute est crimen aliquod letale, ut si alter conjugum impellat alterum ad peccatum. Quo sensu accipitur illud Matthæi 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum. Hoc est, exponente S. Hieronymo. Si ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis, atque solicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, quam, dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causas habeas ruinarum.

Cur itaque Dominus, & eum imitati nonnulli sancti Patres solam causam fornicationis expresserint, aliis criminibus prætermissis, hujus rei duplicem rationem assignat Bellarminus libro 1. de Matrimonii sacramento c. 14. §. dicendum. Alteram quod hujusmodi crimina sint communia matrimonio cum aliis confederationibus. Siquidem propter hæresim, & inductionem ad peccatum non solum conjux à conjuge, sed etiam filius à patre, & frater à fratre, & servus à domino separari debet. Dominus autem peculiarem, ac propriam causam, quæ directe, & per se opponatur matrimonio eo loco indicare voluit: cætera enim crimina per accidens se habent ad matrimonium. Sola fornicatio opponitur per se fidei conjugali ob quam cæteræ confederationes non solvuntur, sed solum matrimonium.

Alteram, quia Dominus loquebatur de dimissione perpetua, de qua etiam interrogaverant Pharisæi. Hanc autem efficit sola fornicatio. Quippe in aliis criminibus resipiscente conjuge, ac serio se convertente, tenetur eum alter conjux recipere; At si semel fornicationem commiserit, & hoc modo fidem conjugi datam fregerit, non stando promissis, statim cadit suo jure, & alterum conjugem à debito reddendo per omnem vitam liberat. Neque cogitur alter eum recipere, etiam si resipiscat, & serio convertatur.

Explicatur sententia Chrysostomi.

Caput XXIV.

De germana sententia Chrysostomi hæc mihi dicenda occurrunt.

Primum quidem videtur mihi Chrysostomus fuisse aliquando in ea mente, ut existimaverit, matrimonia quandoque dirimi non solum in causa fornicationis, sed etiam ob leves causas, & μικροψυχίας.

Quod quidem nulla ratione deberet fieri, quando tamen accidit, vel debet uxor reconciliari marito, vel manere innupta, & ita est solutio, ut ille ait, τῇ μίξει, quoad conjunctionem corporum. Sic exponit sententiam Apostoli in c. 7. prioris ad Corinthios. Nempe putavit Paulum hoc ut minus malum fidelibus concessisse.

Quæ sane expositio non est ad mentem Apostoli, ut jam advertimus: non enim daret optionem Apostolus conjugibus faciendi, quod volunt; neque permitteret

injustum divortium contra expressum Domini præceptum : ut enim qui dimittit uxorem suam facit eam mœchari , sic profecto quæ relinquit maritum suum , facit eum mœchari. Cum præsertim idem Paulus in eodem capite non permittat conjugibus abstinere à carnali commercio , & orationi vacare , nisi ex mutuo consensu.

Quamobrem & Chrisostomus postea mutavit sententiam , ut patet ex locis à principio allatis. Et homilia 17. in Matthæum disertissimis verbis unam tantum refert causam dimissionis & separationis: οὐ ταύτῃ δὲ μόνον , ἀλλὰ καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ κοῦφον ἐποίησε τὸν νόμον. καὶ γὰρ καὶ τούτῳ καταλιμπάνει τρόπον ἕνα ἀφέσεως , εἰπὼν , παρ' ἐκτὸς λόγου πορνείας . Neque vero , inquit , hoc solum , sed
» alio etiam modo levem hanc legem , ac fa-
» cilem fecit , siquidem relinquit viro unum
» expulsionis modum dicendo , excepta cau-
» sa fornicationis. Ergo in hoc uno modo ex-
» pulsionis , quem Christus permittit secundum sententiam Apostoli , debet uxor manere innupta , aut viro suo reconciliari , & sic fit solutio tori , non vinculi.

Secundo constans , perpetuaque Chrysostomi est sententia , quæ etiam est Basilii , Hieronymi , & aliorum , matrimonia in causa fornicationis posse , ac debere omnino dirimi. quod idem accidere solebat in veteri testamento , etiam extra causam fornicationis. quippe in causa fornicationis adultera lapidabatur , & ibi quidem sine ulla spe reconciliationis , polluta enim non revertebatur ad priorem virum ; apud Christianos autem non vetantur reconciliationes. An vero idem sentiat Chrysostomus de reconciliatione , dicam paulò post. Patet hoc cum ex iis , quæ dicit in expositione prioris ad Corinthios c. 7. ubi habet , solutæ sunt nuptiæ , tum homilia 17. in Matthæum supra citata : ἐπεὶ πάλιν εἰς τὸ αὐτὸ περιΐσατο . εἰ γὰρ ἐκέλευε καὶ πολλοῖς συγγινομένην κατέχειν ἔνδον , πάλιν εἰς μοιχείαν τὸ πρᾶγμα κατέστρεφεν. A-
» lioquin , inquit , in idem res deveniret.
» Si enim juberet etiam pluribus mixtam ,
» retineri tamen à viro conjugem , rursus
» in adulterii licentiam , negotium omne
» converteretur.

Ratio autem Chrysostomi utrobique est , quia qui adhæret meretrici , unum corpus efficitur. Quam eandem rationem ad confirmandam consuetudinem ante Chrysostomum loco supra citato Basilius adduxerat. Cum itaque uxor facta sit adultera , si vir cum ea manserit , & adhærebit ei , ipse quoque adulter efficietur. Proinde ait : in idem absurdum , & eandem turpitudinem res deveniret. Propterea si uxor sit inemendabilis , tenetur maritus eam dimittere. quare debet dirimi matrimonium. Intelligo autem dirimi prædicto modo quoad torum , & cohabitationem : ut enim quoad vinculum intelligamus , obstant alia loca Chrysostomi , quæ pro Latinis à principio attulimus.

Neque illa verba Chrysostomi , vir non est vir , solutum est matrimonium , & quæ supra recitata sunt , ullo modo moveant lectorem , ut de mente Chrysostomi , vel patrum ambigat , quasi hisce verbis usquequaque fieri solutionem sanctissimus Doctor significare voluerit.

Non enim est ignorandum matrimonium tripliciter considerari : inchoatum , quod est desponsatio per verba de futuro : perfectum quoad substantiam , quando contrahitur per verba de præsenti. Consummatum , quod dicitur perfectum quoad actum secundum , & hoc habet jam conjunctam copulationem carnalem.

Quoad hunc tertium modum negat Chrysostomus debere amplius esse matrimonium inter conjuges adulteros. Fieret enim innocens per commixtionem nocens , quippe qui adhæret meretrici , fit unum corpus. Atque ita esse ait virum non virum.

Similiter Basilius loco supra citato de Virginitate , uxorem dimissam vocat non uxorem. Et nihilominus ne quis putaret solutum undique fuisse matrimonium , eam neque viduam esse affirmat , superstite videlicet viro : ἐᾶσον , φησὶν , ἢ πρὸς τὸν ζῶντα ἐπανελθεῖν , ἅμα καὶ ἐπανορθῶσαι καλλίονα γενομένην γυναῖκα , ἢ ἀεὶ μήτε χήραν , μήτε γυναῖκα ὑπάρχουσαν τὸ ἐπὶ τῇ ἀφέσει αἰτίας , ἣν παρέσχε τῷ ἀνδρὶ , δίκην διδόναι . Sine , inquit (Scriptura) «
aut ad viventem reverti , simulque melio- «
rem factam uxorem redire , aut semper neq; «
viduam , neque uxorem existentem , culpæ , «
ob dimissionem , quam viro præstitit , pœnam «
dare.

dare. Et in eodem libro parum ultra medium de ea quæ virginitatem Deo vovit, & postea fœdera cœlestis sponsi fregit, ita scribit: οὔτε τούτου ἐστὶ νύμφη, ὃν παρανόμως κατέλιπεν, οὔτ' ἐκείνου, ᾧ διὰ πάθος ἔζευξεν ἑαυτήν, κατὰ νόμους γυνὴ δύναται εὑρεθῆναι. Eam nec illius ultra esse sponsam, quem inique dereliquit, neque ejus uxorem per ullas leges dici posse, cui se libidine incitata conjunxit.

Quin & ipse Chrysostomus homilia sæpe citata in dictum Apostoli, Mulier alligata est legi, eodem modo loquitur: μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἐκείνου, οὔτε αὐτοῦ δικαίως ἄν τις τὴν τοιαύτην προσείποι. ἡ γὰρ μοιχαλὶς οὐδενός ἐστι γυνή. καὶ γὰρ τὰς πρὸς ἐκεῖνον συνθήκας ἐπάτησε. καὶ πρὸς σὲ μετὰ τῶν προσηκόντων νόμων οὐκ ἦλθεν. Immo vero, inquit, nec illius, nec hujus uxorem merito quispiam eam dixerit, quippe adultera nullius est uxor: pacta enim cum illo inita conculcavit, & ad te non cum debitis legibus accessit.

Quæ quidem solutio patet etiam ex ratione Chrysostomi, quam ibi vehementer inculcat, ne scilicet vir se contaminet uxori adhærendo. Quæ verba exprimunt secundum actum matrimonii. Idem ait, γάμος γάρ ἐστι καὶ μίξις σωμάτων. Nuptiæ enim sunt, & conjunctio, seu copulatio corporum.

Ex qua responsione alia quædam enodari solet difficultas: si quidem quærunt Patres, an inter Beatissimam Virginem & Josephum fuerit verum matrimonium. Multi negarunt dicentes fuisse tantum desponsationem quandam. Sic Hilarius c. 1. in Matthæum, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 12. Epiphanius contra 78. Hæresim, Hieronymus in primum caput Matthæi, & contra Eluidium, & Theophylactus in primum caput Matthæi. Atque hac ratione Deipara dicitur in sacris carminibus, quæ canuntur in Ecclesia Græcorum, νύμφη ἀνύμφευτος, sponsa sine sponso, seu innupta.

Contra vero affirmat Augustinus libro 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. ubi vult hoc matrimonium exemplum esse fidelibus, posse esse verum matrimonium servata continentia, & servato affectu mentis, non conjunctione corporis. Idem affirmat in libro de nuptiis, & concupiscentia. Augustino subscripsit universa Theologorum schola. Magister in 4. d. 30. & ibidem alii & sanctus Thomas 3. par. 9. 28.

Et certe hæc opinio ex sacra scriptura, potest firmissime comprobari. Nam illud est verum matrimonium, per quod efficiuntur veri conjuges. Tale fuit hoc, ergo. Patet minor. Nam Joseph dicitur vir Mariæ, & Maria conjux Josephi.

Confirmatur. Illud est verum matrimonium, quo qui sunt juncti, dicuntur parentes filij; sed sic appellati sunt & Joseph, & Maria, ait enim Virgo: pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

Addit Augustinus præter substantiam matrimonij fuisse accidens consequens matrimonium, ut est perpetua conversatio, & communicatio laborum. Fuerunt omnia bona matrimonij, quæ sunt proles, fides, & Sacramentum, quod est in omnibus aliis. Fuit proles, fuit fides, quia nullum adulterium: fuit Sacramentum, quia nullum divortium.

Sed quid, damnabimus patres? Minime vero, sed eodem modo respondendum est. Nempe priores illos negare esse matrimonium tertio modo sumptum, posteriores affirmare secundo.

Cæterum id quod diximus in primo dicto de mente Chrysostomi adhuc non caret difficultate. Quandoquidem enim utrobique fit solutio tori, non vinculi; Cur igitur non universe explicuit locum Pauli prioris ad Corinthios 7. sed restricte ad res parvi momenti, & pusillanimitates applicuit? Et quod discrimen ponendum erit ex sententia Chrysostomi inter istos nimirum adulteros, & eos, qui ob leves causas separantur?

Respondent quidam, & recte meo judicio, universe loquutum fuisse Chrysostomum. Cum enim dicat, δι' ἄλλας προφάσεις συμβαίνειν γίνεσθαι διαιρέσεις, hoc est, ob alias causas contingere fieri separationes: quid prohibet inter alias causas intelligere veram causam separationis, nimirum fornicationem?

Contra, quia in causa fornicationis Chrysostomus ait: solutæ sunt nuptiæ, vir non est vir, sanctitas matrimonij avolavit, stultus, & impius qui habet adulteram. Quibus verbis innuit non posse amplius instaurari ma-

trimonium quoad secundum actum, ne vir adhærendo meretrici se polluat. Hic autem cum Paulo vult uxorem manere innuptam, aut viro suo reconciliari.

Ad hoc respondeo, Chrysostomum nullibi expresse vetare seu negare posse fieri reconciliationes, modo conjuges pœnitentia se perpurgerent. Neque quidquam obstat argumentum illius, immo vero B. Pauli de meretrice. Siquidem ejusmodi uxorem debet à se vir procul expellere, dum talis perseverat, ne se contaminet cum ea se copulando, & fiat patronus turpitudinis illius, & stultus esset, atque impius, si retineret. Estque tunc temporis vir non vir. Quomodo diximus matrimonium non matrimonium tertio modo sumptum juxta doctrinam proxime ante traditam. Si tamen postea uxor virtutibus se ornaverit, & probra evaserit, cur non poterit se merito reconciliare? Et ubi hcc Chrysostomus negat? Quamvis enim in ea quæstione inter cætera hoc etiam dicat, uxorem in bona spe esse Jesu Christo lucrandi maritum infidelem, quippe familiaris est illi, & omnibus rebus conjunctus; at maritum offensum non esse cilem revocatu; Non tamen dicit, nullo modo fieri posse, ut revocetur, sed ὀ σφόδρα εὔκολον, non valde facile.

Hac itaque admissa responsione, nihil erit negotii sententiam Chrysostomi de matrimonio exponere, atque defendere. Siquidem universe negat posse conjuges transire ad nova conjugia; tantum ex ea parte non placet sententia Chrysostomi, quod existimet Paulum tolerasse quandoque separationes quoad torum extra causam fornicationis propter pusillanimitates. Id enim minime sentire Apostolum supra probavimus; quod & ipse Chrysostomus alibi improbavit.

Sin minus, aiunt nonnulli, ideo Chrysostomum non exposuisse generatim locum Pauli, quod inter istos magnum ipse discrimen agnosceret. Qui enim propter leves causas soluebant matrimonia, poterant ex sententia illius, iterum si vellent cohabitare, & reconciliari, secus qui in causa fornicationis soluissent, idcirco ait, solutæ sunt nuptiæ, vir non est vir, & quæ supra citata sunt. Videlicet quod non possint amplius conjungi, & consociari, sed in pœnam sic manere debeant. Tantum igitur abest ut Chrysostomus faveat Græcis; ut potius eos magis servare continentiam cogat, cum tamen Latini permittant adulteris conjugibus pœnitentibus, ut, si velint, inter se reconcilientur.

Atque hæc expositio in doctrina hujus celeberrimi sancti Patris hujusmodi viris probabilis videtur. Hac enim ratione nullam contradictionem aiunt in dictis Chrysostomi reperiri, si unum tantum expulsionis modum juxta eloquia Salvatoris in causa fornicationis sanctissimus Doctor agnoscat, videlicet præcisa omni spe reconciliationis: alterum vero modum ex Paulo extra causam fornicationis, quo suppeditatur facultas conjugibus se invicem reconciliandi.

Quæ sententia sic explicata aliis viris doctis, & piis, præsertim Augustino non placeret, & ex duplici capite molestissima esse videtur. Tum quod asserat, non posse conjuges inter se reconciliari (si enim Deus pœnitentibus reconciliatur; cur non uxori maritus veniam poscenti, & sacramento Pœnitentiæ sanctificatæ? Quæ est potissima ratio Augustini, cur reconciliatio fieri debeat) tum quod etiam vir innocens cogatur sic permanere. Nam Judæis quidem sive ut licitum, sive ut minus malum, permittebatur tamen novum conjugium. Christianis vero nullo modo impune permittitur. Quapropter cogitur vir servare castitatem, si non potest reconciliari.

Ratio vero, quam adducit Chrysostomus de meretrice (ut verum sit eum non permittere reconciliationem) non est solida. Nunquam enim posset meretrix, vel semel adulterata, verum vel saltem castum inire matrimonium, etiam si postea sancta evaderet, & maritus etiam mortuus esset; immo & qui eam duceret, semper se pollueret. Qui enim adhæret meretrici fit unum corpus cum ea.

Quod si non intelligat, nisi de ea, quæ semper impure vivit, tunc nihil concludit. Nam multæ uxores redeunt ad pœnitentiam, & fiunt bonæ, & castæ.

Mihi horum hæc expositio in dictis

Chryſoſtomi non probatur, cum propter allata jam abſurda, tum etiam quia quæ de uxore dicuntur, intelligenda eſſe de marito, nemo negabit: æque enim Chryſoſtomus in locis ſupra citatis de ambobus diſſerit. Itaque ſecundum hanc expoſitionem, ſi maritus fieret mœchus, cogeretur uxor eum dimittere, & nunquam amplius eum habere, quamvis deinde probus evaderet. Quod mihi durum videtur, & contrarium conſuetudini, quam refert Baſilius. Quare prior omnino ſequenda eſt ſolutio.

Poſſet tamen aliquo modo prædicta ſententia defendi, ſi dicamus propterea Chryſoſtomum ſic loquutum, quod in cauſa fornicationis pars offenſa lege reconciliandi ſe non adſtringatur, in aliis caſibus ceſſante nimirum cauſa, teneatur.

Explicatur ſententia Epiphanii.

Caput XXV.

Reſtat ex Orientalibus Patribus Epiphanius explicandus, cujus locum in objectionibus integrum deſcripſimus.

Omiſſis autem verbis, in quibus nonnihil grammatica conſtructio claudicat. Ad difficultatem reſpondeo, illa verba, ἕνεκεν τινὸς προφάσεως πορνείας, ἢ μοιχείας, non debere, neque poſſe referri ad illa alia, χωρισμοῦ γενομένου, quaſi fiat ſeparatio quoad vinculum propter fornicationem, ſeu adulterium, ſed ad illa antecedentia, μὴ δυνηθεὶς ἀρκεσθῆναι. ita ut integer ſenſus ſit; Qui non ſat habuit unam duxiſſe uxorem, quæ jam ſit mortua, ob aliquam ſcortationem, aut adulterium, id eſt, quod timeat ne fiat adulter, vel fornicator, ſi à novo conjugio abſtinuerit, iſte poterit cum ſecunda conjungi, neque divina Scriptura eum in hac re accuſat, vel reprehendit. Agit enim ibi ſanctus Epiphanius de ſecundis nuptiis adverſus Catharos, qui eas damnabant.

Et profecto nil aliud ſibi vult illud, μὴ ἀρκεσθεὶς τῇ τελευτησάσῃ ἕνεκεν τινὸς προφάσεως, &c. Cur enim adjunctum eſt, τῇ τελευτησάσῃ, illud, ἕνεκεν τινὸς προφάσεως πορνείας, ἢ μοιχείας? Quid enim commune eſt mortuæ uxori cum ſcortatione, aut adulterio, ſi aliter intelligatur? Neque enim ſeparatur vir ab uxore mortua ob fornicationem.

Dices, adulterium non poſſe virum committere, cui uxor ſit mortua, & per conſequens vinculum diſſolutum. Reſpondeo, Epiphanium adulterium intelligere etiam ſoluti viri, modo fiat copula cum fœmina nupta, & virum habente.

Conſequentium vero verborum, κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου. ſenſus eſt: qui non eſt contentus una uxore, à qua ſe ob malam cauſam disjunxerit, poterit ſe referre ad aliam, ſubintelliguntur enim antecedentia verba, οὐκ ἀρκεσθεὶς τῇ μιᾷ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου. Et tunc ad objectionem reſpondeo, cum non explicet Epiphanius, quæ ſit illa mala cauſa, ob quam ſit ſeparatio, & conjuges alia poſſunt inire matrimonia, quid prohibet intelligere cauſas, quas aſſignant ſacri Doctores, & quæ faciunt irrita matrimonia? Ergo recte poſſumus interpretari impedimenta, quæ nullum faciunt connubium ſi contrahatur, non autem adulterium, vel fornicationem.

Itaque ſi matrimonium fuit invalidum, veluti in aliquo gradu prohibito, & ideo vir ſeparatus eſt ab ea, quæ vera uxor non erat, iſte talis potuit cum ſecunda conjungi.

Et vero ſi difficulter in primitiva Eccleſia Patres concedebant ſecundas nuptias, quas licitas quidem; ſed tamen ob ſignum incontinentiæ, aliqua pœnitentia notabant, ut clare perſpicitur ex Concilio Laodiceno cap. 7. & ex epiſtola Baſiliana ad Amphilochium: Quomodo eſt veriſimile, patres illos ſponte permiſiſſe, vivente adhuc altero conjugum, ſecundas nuptias? Niſi forte dixeris, toleraſſe corruptam conſuetudinem, cum nihil, vel parum admonitionibus proficerent.

Adde quod S. Epiphanius hæreſi 30. nulla adhibita reſtrictione, ſeu exceptione inter errores Ebionitarum enumerat, prioribus nuptiis disjunctis, alteris copulari, ſic enim ſcribit: οὐ μόνον ἑνί τινι γάμῳ τὰς συναφείας ποιεῖσθαι, ἀλλ' εἰ καὶ θελήσειέ τις τοῦ πρώτου γάμου διαζεύγνυσθαι, ἑτέρῳ δὲ συνάπτεσθαι, ἐπιτρέπουσιν ἄχρι καὶ δευτέρου, καὶ τρίτου (in Codice Vaticano manuſcripto, καὶ ἑβδόμου)

γάμου. πάντα γὰρ αὐτοῖς ἀδεῶς πράττεται. Non ſolum unis nuptiis conjunctionem facere permittunt, ſed ſi quis velit etiam prioribus nuptiis disjunctis, alteris copulari uſque ad ſecundas, ac tertias nuptias (& ſeptimas) Omnia enim apud ipſos licenter peraguntur.

Reſpondetur ad teſtimonium allatum ex Ambroſio.

Caput XXVI.

AD auctoritatem Ambroſii, Magiſter ſententiarum in 4. d. 75. & B. Thomas in Commentariis in eum locum Pauli. & Gratianus 32. q. 7. reſpondent, Verba illa non eſſe Ambroſii, ſed fuiſſe à falſariis depravata, & Ambroſii Commentariis inſerta.

Deridet hoc reſponſum tacito nomine auctorum Caietanus, & Catharinus. Quippe ad difficultatem ſubterfugiendam videtur illis excogitatum, & ſine fundamento dici.

Quidam alii opinantur, Ambroſii quidem eſſe verba, ſed unum Ambroſium non præponderare tot aliis Patribus, decretis Pontificum, & Conciliis, nec eſſe anteponendum.

Ego eorum libenter amplector ſententiam, qui minime dubiis ducti conjecturis, & rationibus putant, commentarios illos in epiſtolas Pauli falſo tribui Ambroſio: argumento eſt, quod nec Auguſtinus, nec Hieronymus horum commentariorum uſquam meminerunt. Et certe Auguſtinus, qui ſcriptorum Ambroſii ſtudioſiſſimus fuit, hanc opinionem, ſi ea fuiſſet Ambroſii, ſilentio nequaquam præteriiſſet in duobus illis libris, quos de adulterinis conjugiis ſcripſit ad Pollentium, in quibus ſuper hac re diligenter, & copioſe diſputat, eamque pro ſe citaſſet Pollentius, ſi eo tempore in ſcriptis Ambroſii fuiſſet.

Adde quod in omnibus vetuſtiſſimis Italiæ bibliothecis non alius reperitur Ambroſii Commentarius in epiſtolas Pauli, quam in ſolam epiſtolam ad Romanos. Qui tamen Commentarius videtur Pelagianus. Sed Caſſiodorus in libro de divinis inſtitutionibus affirmat, eum ſuo tempore evulgatum fuiſſe ſub nomine Gelaſii Papæ, & erroribus ſcatentem Pelagianorum à ſe perpurgatum eſſe. Alios vero Commentarios Ambroſii in reliquas Pauli Epiſtolas diu multumque à ſe conquiſitos negat inveniri potuiſſe.

Ad hæc, auctor illorum commentariorum multa exponit contra ipſum Ambroſium in veris operibus ejus, exempli gratia referam ex multis pauca.

S. Ambroſius in Epiſtola octava libri primi ſuarum Epiſtolarum, & in libro 2. de fide cap. 4. illud ad Philip. 2. cum in forma Dei eſſet, ſic interpretatur. Quid eſt in Dei forma, niſi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis divinæ expreſſione? Ergo cum eſſet in plenitudine divinitatis exinanivit ſe, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. At iſte auctor in Commentariis in eum locum, Chriſtum eſſe in forma Dei interpretatur, facere opera divinitatis in carne. Hæc ſunt ejus verba. Dei filius homo natus ſic in forma Dei erat, qua cum homo videretur, opera Dei faciebat, ut in geſtis rebus appareret Deus eſſe, qui tantum homo putabatur. Et accepiſſe formam ſerui, non exponit, factum eſſe hominem, ſed permiſiſſe Judæis, ut eum caperent, & ei manus inferrent. Non, inquit, mihi, ſicut quibuſdem videtur, ſic formam ſerui accepiſſe, dum homo natus eſt, &c.

Idem auctor illa verba primæ Timothei cap. 1. Regi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, ſic explicat. Hæc ad Dei Patris perſonam pertinent, quem immortalem ideo ſolum, & inviſibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipſo eſt, ut ipſi ſoli magis competat in veritate, quia quiſquis immortalis eſt, non à ſe hanc habet, ſed ab illo. Simili modo & in Evangelio legitur, Domino dicente. Quia nemo eſt, inquit, bonus, niſi unus Deus. Vult itaque ſolum Patrem appellari bonum, & certe non in malo ſenſu. Nam & Filius, ut bonus ſit, & immortalis, utique iſtud à Patre habet, à quo habet eſſentiam. Quamvis illud, magis competere Patri in veritate, non verum ſit. Non enim datur magis, & minus in

divinis personis. At Ambrosius in libro 2. de fide cap. 1. & 3. contra Arrianos etiam quoad modum loquendi probat Christum appellari bonum sicut & Patrem. Circumspectione, inquit, cœlesti, non dixit nemo bonus nisi unus Pater, sed nemo bonus, nisi unus Deus. Inde vero probat Ambrosius filium quoque esse bonum, cum unus Deus nequaquam Deitatem Trinitatis excludat. & idem habet in lib. 3. de fide cap. 2.

Adjice, quod iste auctor in priori ad Corinthios cap. 5. exponens illud, Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; dicit Pascha non dici à transitu. Pascha itaque, inquit, immolatio est, non transitus, sicut quibusdam videtur. Cum tamen Ambrosius in lib. 1. de Cain, & Abel cap. 8. oppositum doceat, Patres nostri, inquit Ambrosius, festinantes manducabant Pascha succincti lumbos, tanquam corporeum onus deponentes, & pedes suos calceamentorum induti vinculis, & baculos in manibus tenentes, ut essent parati ad transitum. Pascha enim Domini transitus est, à passionibus ad exercitia virtutis.

Item Ambrosius in Commentariis in Lucam super illis verbis Domini cap. 16. ubi loquitur de dimissione uxoris, probare multis verbis contendit, matrimonium respectu utriusque conjugis nullam ob causam aliam dissolvi posse, nisi religionis, & fidei gratia, altero conjugum ad fidem converso, cum alter in sua impietate obfirmatus, permaneat.

Demum Ambrosius in lib. 1. de Abraham cap. 4. candem esse rationem, idemque jus viri, & feminæ circa dissolutionem matrimonij tradit. Nemo, inquit, blandiatur sibi de legibus hominum. Nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia.

Postremo sunt qui dicant, auctorem illorum commentariorum ingenue fateri se ignorare linguam Græcam. Quod de sancto Ambrosio dici, ac verum esse non potest, qui multis sententiis doctrinam Basilianam redolet. Ego tamen locum ubi id fateatur reperire non potui. Si tamen verum est, quod aiunt, eo magis hæc veritas comprobatur.

Itaque non immerito viri gravissimi existimant illud opus esse alicujus hæretici. Cujus sit etiam liber quæstionum novi, & veteris testamenti, qui etiam falso tribuitur Augustino. Doctrina enim ad verbum multis in locis sibi cohæret, & multa continet valde aliena à mente Augustini, & Ambrosij, & eorum doctrinæ omnino contraria. Præter quam quod etiam phrasis, & sensus reconditus non adeo redolent eloquentiam, & eruditionem horum Doctorum.

Verum non est hic locus singula inter se conferendi, & diligenter examinandi. Satis est ex his, quæ attulimus indicasse, falso sub specioso nomine Ambrosij Commentarios illos vulgo circumferri ad decipiendos incautos.

Jam vero quale est illud, quod affert explicans caput 7. & 8. prioris ad Corinthios? Ait enim non ita virum adstringi lege matrimonij quemadmodum uxorem, nimirum quod sit caput mulieris, & propterea vivente uxore posse inire nova conjugia.

At quanti hæc, quæso, momenti ratio est? Nullius profecto. Augustinus enim in libro secundo de adulterinis conjugiis rationibus & argumentis contrarium ex eadem re concludit. Quasi, inquit, non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frenare, quia viri sunt. Quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt. Quasi non propterea minus debeant libidine superari, quia viri sunt. Quasi non propterea minus debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt. Et tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas. Cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, caput mulieris vir. Ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere.

Idem Doctor in libro de decem chordis cap. 3. Non mœchaberis, hoc est, non ibis ad aliquam aliam præter uxorem tuam. Tu autem exigis hoc ab uxore, & non vis

reddere hoc uxori? Et cum debeas in virtute præcedere uxorem (quoniam castitas virtus est,) tu sub uno impetu libidinis cadis? Et vis uxorem tuam victricem esse, tu victus jaces? Et tu cum caput sis uxoris tuæ, præcedet te ad Deum, cujus caput es? Vis domum tuam capite deorsum pendere? Caput enim mulieris est vir. Ubi autem melius vivit mulier, quam vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, melius debet vivere vir, & præcedere in omnibus bonis factis uxorem suam; ut illa imitetur virum, & sequatur caput suum. Sic Augustinus.

Sed enim aiunt, ideo virum non eadem lege adstrictum esse, neque posse relinqui ab uxore, si adulteretur, quod non faciat injuriam proprio toro. Mulier vero semper faciat maximam injuriam conjugio, supponit enim alienos liberos marito, qui heredes in aliena bona succedunt.

Quasi vero intersit apud Deum si vir non faciat injuriam proprio conjugio, sed alieno. A quo enim provenit malum in aliena domo, nisi à viro adultero, qui scelus committit? Nam hic inter se comparamus conjuges æque adulteros. Cur igitur solas accusamus mulieres; cum sine viris adulteria minime fiant? Præterquam quod etiam maximam injuriam conjugio facit vir uxori propriæ non servans fidem.

Unde sic debet fieri comparatio; peccat vir cum soluta committens crimen, quia potestatem sui corporis non habet: peccat & uxor si cum soluto, & experte conjugij se commisceat ob eandem causam: & hoc modo uterque conjugum æque adulter est. Si autem vir cum muliere nupta rem habuerit, tunc duplicatur scelus, & injustus est, cum in propriam uxorem alteri tradito corpore, cujus potestatem non habet ipse, sed ejus uxor: tum in alienum maritum. Quippe qui aliena re, & alterius uxore ad libidinem abutatur. Et idem judicium fit de uxore, quæ alienum maritum ad se allicit, atque trahit. Est enim triplex adulterium conjugati cum soluta, conjugatæ cum soluto, conjugatæ cum conjugato. Hoc autem postremum sine dubio est omnium gravissimum.

Si quis vero urgere insistat dicens, æquale malum provenire si vir fornicetur cum ea, quæ matrimonio copulata sit, secus autem si matrimonij expers fuerit. Quod tamen ex parte uxoris minime accidere solet. Semper enim uxor injuriosa est sive alligatum, sive liberum, & solutum agnoscat.

Ad hoc sic respondendum putarem, videlicet hoc esse per accidens. Deinde quamvis non adeo grave malum ex marito proveniat, quemadmodum ab uxore, provenit tamen adeo satis, ut illa possit se merito alienare à marito quoad torum, & jure Evangelico uti, ille vero tanquam adulter debeat puniri. Cum ergo fidei fractio, quæ est ratio divortij, reperiatur in adulterio tam viri quam uxoris, ob utrumque concessum est divortium. Licet adulterium uxoris majorem matrimonio injuriam irroget.

Pœnæ autem legales, ut S. Thomas in 4. dist. 35. quæst. unica art. 4. docet, non ita strictim ponderant quantitatem culparum, ob quas imponuntur, sed satis est, si in utroque delicto reperiatur causa sufficiens pœnæ infligendæ.

Tandem quidquid sit de legibus humanis, etiam si ipsis consonum esse videatur, certe contrarium est divinis, & apud Deum tam hoc, quam illud adulterium reputatur. Audiat ergo Lector quid de hac re scribat aureum illud eloquentiæ flumen Chrysostomus in sermone quinto exponens caput 4. prioris epistolæ ad Thessalonicenses: διὸ παρακαλῶ φυλάττεσθαι τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. καθάπερ γὰρ ἡμεῖς τὰς γυναῖκας κολάζομεν, ὅταν ἡμῖν συνοικοῦσαι ἑτέροις ἑαυτὰς δῶσιν. οὕτω καὶ ἡμεῖς κολαζόμεθα, κἂν μὴ ὑπὸ τῶν νόμων Ῥωμαίων, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ θεοῦ. καὶ γὰρ τοῦτο μοιχεία ἐστί. μοιχεία γὰρ οὐ μόνον τὸ ἑτέρῳ συνεζευγμένην μοιχᾶσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ δεδεμένον αὐτὸν γυναικί. πρόσεχε ἀκριβῶς ὧ λέγω. εἰ γὰρ καὶ φορτικὸν πολλοῖς τὸ λεγόμενον, ἀλλ' ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ὥστε διορθώσασθαι τοῦ λοιποῦ. οὐ τοῦτο δὲ μόνον ἐστὶ μοιχεία, ὅταν αὐτοὶ συνεζευγμένην διαφθείρωμεν γυναῖκα, ἀλλὰ κἂν ἀφετὴν, καὶ λελυμένην αὐτοὶ δεδεμένοι γυναικί, μοιχεία τὸ πρᾶγμά ἐστι. τί γὰρ εἰ ἡ μοιχευομένη οὐ δέδεται; ἀλλὰ σὺ δέδεσαι. τὸν νόμον παρέβης. ἠδίκησας τὴν σάρκα τὴν σήν. διατί γὰρ, εἰπέ μοι, τὴν γυναῖκα κολάζεις, κἂν πορνευθῇ λελυμένῳ ἀνδρί,

καὶ μὴ ἔχοντι γυναῖκα; ὅτι μοιχεία ἐστί. διατί; καίτοι ὁ πορνεύσας αὐτὴν οὐκ ἔχει γυναῖκα, ἀλλ' αὐτὴ δέδεται ἀνδρί, ἐκοινοῦ καὶ σὺ δέδεσαι γυναικί. ὥστε ὁμοίως καὶ τὸ σὸν μοιχεία ἐστίν. ὁ ἀπολύσας γάρ, φησι, παρ' ἐκτὸς λόγου πορνείας τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμῶν μοιχᾶται. εἰ ὁ γαμῶν ἀπολελυμένην μοιχᾶται, ὁ μετὰ τῆς αὐτοῦ γυναικὸς καὶ ταύτῃ προσφθειρόμενος, παντί που δῆλον. ἀλλὰ πρὸς μὲν ὑμᾶς ἱκανῶς τοὺς ἄνδρας εἴρηται ταῦτα. Quapropter, inquit, obſecro caveamus hoc peccatum. Quemadmodum enim mulieres nos punimus, quando nobis nuptæ cum aliis ſe ipſas conjungunt; ita punimur & nos, & ſi non à Romanis legibus, certe à Deo. Etenim & iſtud adulterium eſt. Adulterium quippe eſt non ſolum quando quis mulierem alteri copulatam mœchatur; ſed etiam quando ipſe uxori eſt alligatus. Attende diligenter quid dicam: & ſi namque grave ſit multis quod dico, neceſſarium tamen eſt ut dicam, ut in poſterum corrigatur hoc malum. Non hoc ergo tantum adulterium eſt, quando mulierem viro junctam corrumpimus, ſed & ſi dimiſſam, ac ſolutam ipſi uxoribus alligati corruperimus, adulterium eſt. Quid enim ſi fornicaria nemini alligata eſt? atqui certe tu alligatus es uxori, legem tranſgreſſus es, carnem tuam injuria affeciſti. Etenim dic mihi, cur punis uxorem, etiam ſi cum ſoluto viro, & uxorem non habente fornicetur? Quod adulterium committat. Quamobrem? Atqui uxorem non habet, qui cum ea fornicatur. At ipſa alligata eſt viro. Jam & tu alligatus es uxori: ergo tuum quoque facinus adulterium eſt. Qui enim dimiſerit, inquit, uxorem ſuam præter fornicationis cauſam, facit eam adulterium committere, qui & dimiſſam duxerit, adulterium committit. Si qui dimiſſam ducit adulterium committit, qui cum ſua eſt, & alteram deperit, perſpicuum eſt, conſtatque inter omnes eum adulterium committere. Sed vobis quidem viris iſta ſatis dicta ſint. Sic Chryſoſtomus.

Nec diſſimilia tradit Ambroſius in lib. 1. de Abraham cap. 4. proxime citato. Nemo, inquit, blandiatur ſibi de legibus hominum. Omne ſtuprum adulterium eſt. Nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia. Quidquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterij crimine damnatur. Et in eodem libro cap. 7. Nec hoc ſolum eſt adulterium, cum aliena peccare conjuge, ſed omne quod non habet poteſtatem conjugij.

Auguſtinus quoque loco citato de decem chordis c. 3. Non mœchaberis, id eſt, non ibis ad aliquam aliam, præter uxorem tuam: ergo ſecundum Auguſtinum etiam ad ſolutam accedere, ſi ligatus es, adulterium eſt committere, quamvis minus malum ſit, quam ſi ad nuptam acceſſeris.

Baſilius Magnus contrarium docere videtur in Epiſtola prima Canonica ad S. Amphilochium can. 21. quem locum ſupra citavimus. Non habemus, inquit, canonem, qui eum (virum) adulterij crimini ſubjiciat, ſi in ſolutam à matrimonio peccatum commiſſum ſit. Quod eſt dicere, non eum punimus adeo ſevere, ut ſi in uxorem alicujus commiſerit crimen. Utique neque ceteri ſancti Patres æque puniturі, ſed tamen puniturі, ut adulterium. Quamvis varij ſint gradus adulterij. Quanquam primo poſſemus reſpondere, Baſilium negare adulterium eſſe tertio modo ſumptum. Deinde tam iſtud, quam quædam alia non minus abſurda ex conſuetudine proveniſſe in 9. & 21. Canone affirmat, præſertim cum non haberent eo tempore Canones, neque ullas leges civiles in contrarium, immo contrarium leges Imperiales ſtatuentes. Et ob eam cauſam ait etiam hoc loco Ambroſius, nemo ſibi blandiatur de legibus hominum. Item Chryſoſtomus eos puniri tanquam adulteros, & ſi non à Romanis legibus, certe à Deo affirmat: & ſanctus Hieronymus, Aliæ ſunt, inquit, leges Cæſarum, & aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit.

Etenim leges Romanorum non permittebant feminis accuſare maritos de adulterio. Sic Severus, & Antoninus Imperatores Auguſti anno Chriſti Domini 198. reſcripſerant Caſſiæ, publico judicio non habere mulieres adulterij accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato quæri velint, lex Julia declarat. Quæ cum maſculis jure

mariti accusandi facultatem detulisset, non idem feminis privilegium detulit. Et Papinianus in libro primo de adulteris, ut invenitur in libro primo digestorum, de adulteriis lege sexta, quæ incipit inter liberas. Lex, inquit, stuprum, & adulterium promiscue, καταχρηστικώτερον appellat, sed proprie adulterium cum nupta committitur, propter partum ex altero conceptum. Composito nomine, hoc est, ut Cujacius interpretatur, nomine tracto, ex eo quod ex altero, quam ex legitimo marito partus concipiatur. Quam originem, seu etymologiam tradit solus Papinianus, quasi adulterium sit conceptio partus ex altero. Stuprum vero cum virgine committitur. Quod Græci φθορὰν, id est, corruptionem, appellant. Quare secundum leges profanas antiquas Cæsarum, qui cum soluta rem habebat, quamvis ipse ligatus matrimonio esset, minime adulter censebatur. Aliter nimirum atque sanciunt Ecclesiasticæ leges & jura Canonica.

Ut autem nihil eorum intactum relinquamus, quæ nobis opposuerunt Cajetanus, & Catharinus. (Quorum doctrina cum sancti Ambrosii auctoritati falsæ innitatur, facile ruit.) Ad illud, quod non exprimatur uxor in exceptione. Primo dicendum cum Chrysostomo Homilia 17. in Matthæum. Id propterea fieri, quod muliebris sexus infirmior sit, idcirco eam relinquens Christus Dominus, dum deterret viros dimittentem & ducentem, vitium quoque uxoris emendat. Ne etiam, dicerem, audaciorem faceret. Deinde patet ex aliis divinæ scripturæ locis jus matrimoniale æque respicere conjuges.

In veteri lege licitum fuisse viro repudiare uxorem, non autem uxori repudiare virum, id quidem ita est. Sed in lege gratiæ aliquid amplius, justius, & sanctius esse debet. In qua nimirum innumeræ aliæ causæ repudij sublatæ sunt. Quæ in antiqua permittebantur.

Deinde in antiqua lege, facto repudio, quia vulgo putabatur diremptum esse matrimonium, solebat mulier nubere alij viro, sicut vir aliam uxorem ducere. Quod tamen in Evangelica lege Cajetanus & Catharinus uxori non concedunt, idcirco exemplum non valet.

Quod etiam duas uxores quandoque vir simul habuerit, non ita uxor duos viros, utique fatendum est, sed non in lege Evangelica: unde facta alterius legis non semper in exemplum adducenda sunt Evangelicæ. Quippe permittente Deo tunc temporis non adeo absurdum, immo nullum peccatum erat, si vir cum duabus matrimonio junctus fuisset; præsertim cum non impediretur proles, & absurdissimum, immo contra naturam ob hanc eandem causam fuisset, si femina duorum simul conjugum uxor extitisset. Ad reliqua patet ex dictis solutio, neque iteranda sunt.

Verum de præsenti quæstione, quæ hactenus disputata sunt, sufficiant. Neque negandum alios eandem quæstionem luculentius, & enucleatius tractare, sed nos potius Græcorum objecta inspeximus.

De Digamia successive.

Caput XXVII.

Digamiam successive, hoc est, ducere alteram prima demortua, ita Græci admittunt, ut non admittentes, hæreticos esse censeant. Idque merito. Nam Apostolus ad Romanos 6. affirmat, mulierem viro suo mortuo, non fore adulteram, si alteri viro nupserit. Et in priore ad Corinthios cap. 6. dicit, Si dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantum in Domino. Et in cap. 7.
" τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις, Innuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quam uri. Item in priore ad Timotheum cap. 5. hortatur juniores viduas, ut potius nubant, filios procreent, & matres familias sint, quam ut periculum amittendæ castitatis subeant, & scandalum præbeant.

Quamvis autem hæc loca nonnulli Græcorum, teste Matthæo Blastario, de mulieribus ut pote infirmioribus intellexerint, quasi his tantum Apostolus potestatem faciat nubendi, non autem viris. Tamen cum

Apostolus in Epistola citata ad Timotheum clare enuntiet, λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις, dico autem innuptis, ubi per ἀγάμοις æque puellas virgines, & viros, sive habuerint uxores, & mortuæ sint, sive non habuerint, intelligere possumus; & præterea par sit conditio conjugum, merito sancti Patres ea loca de ambobus acceperunt.

Quocirca, quia Novatiani (qui se ipsos καθαρούς, puros nominabant) digamos (teste Theodoreto in libro 3. de fabulis hæreticorum) τῶν ἱερῶν ἐξήλαυνον μυστηρίων, è sacris mysteriis expellebant, contra eos extat Canon 8. Concilii Nicæni, ubi habetur, πρὸ πάντων τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται, καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς δόγμασιν ἐκκλησίας. Ante omnia hoc in scriptis ipsos profiteri convenit, quod nobiscum convenient, & sequentur Ecclesiæ Catholicæ dogmata. Et statim subjungitur in Canone, esse dogma Ecclesiæ, καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, communicare cum digamis.

Quod sane Concilium minime dixisset, si secundæ nuptiæ non solum legitimæ, & validæ, sed etiam ratæ, & consummatæ, & per consequens Sacramentum non essent.

Quapropter sanctus etiam Epiphanius hæresi κατὰ καθαρῶν, ita scribit: τὸν συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικὶ, ἢ γυναῖκα δευτέρῳ ἀνδρὶ, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει. Eum, qui cum secunda uxore conjunctus fuerit, vel uxorem cum secundo viro divina Scriptura non reprehendit, neque Ecclesia, vitaque abdicat. Et circa finem recensitis jam omnibus hæresibus, fidem, & ritus Ecclesiæ Catholicæ referens, de secundis nuptiis ita scribit: πάσαις δὲ ταῖς τάξεσιν ἀκόλουθος ὁ σεμνὸς γάμος. ἐν μεγάλῃ τιμῇ ὁ ἐν μονογαμίᾳ μάλιστα, καὶ παραφυλακῇ ἐνταλμάτων. εἰ δέ τις τελευτησάσης τῆς αὐτοῦ γυναικὸς, ἢ ἀνδρὸς τελευτήσαντος τῆς τινὸς γυναικὸς, ἐφίεται δευτέρᾳ συναφθῆναι, ἢ δευτέρῳ, (ἔξεστι) μετὰ θάνατον τοῦ προτέρου, ἢ τῆς προτέρας. Post hos vero Ordines sequitur matrimonium venerandum, estque in honore magno, qui unis nuptiis contentus est, & in observatione mandatorum permanet. Si vero quis mortua sua uxore, aut mortuo viro alicujus uxoris cupit secundæ, aut secundo copulari, post mortem prioris licitum est.

Basilius item magnus ex verbis Apostoli 41. canonem hujusmodi edidit, ἡ ἐν τῇ χηρείᾳ ἐξουσίαν ἔχουσα ἑαυτῆς, ἀνδρὶ συνοικεῖν, ἀνέγκλητος, τοῦ ἀποστόλου εἰπόντος, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ἐλευθέρα ἐστὶν, ᾧ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν κυρίῳ. Quæ in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera est, cum Apostolus dixerit, si mortuus fuerit vir ejus, libera est, ut nubat, cui vult, tantum in Domino.

Huic doctrinæ illa duo minime obstant. Quod secunda conjugia æque apud Græcos & Latinos non benedicuntur, & quod aliqua pœnitentia digamis olim imponebatur. Nam in primis benedictio non est de essentia Sacramenti; deinde non benedicuntur, quia prior benedictio non perit.

Quamvis & hoc Græci non adeo exacte servent, ut patet ex Euchologio, & jure Orientali. Ubi Nicetas quidam Metropolita Heracleensis de hac re quæsitus, ita respondet: ἡ μὲν ἀκρίβεια τοὺς διγάμους οὐκ οἶδε στεφανοῦν. ἡ δὲ ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ συνήθεια τὰ τοιαῦτα οὐ παρατηρεῖται. ἀλλὰ καὶ τοῖς διγάμοις τοὺς νυμφικοὺς στεφάνους ἐπιτίθησι, καὶ οὐδεὶς οὐδέποτε διὰ τοῦτο ἐνεκλήθη. Exacta quidem disciplina bigamos coronare non novit, magnæ autem Ecclesiæ (hoc est Constantinopolitanæ) consuetudo hæc non observat, sed digamis etiam sponsalitias coronas imponit. Nec ullus unquam hac de re accusatus est. Per hanc ceremoniam coronandi intelligitur etiam benedictio. Nicephorus tamen Patriarcha Constantinopolitanus, qui nonnullos canones edidit, ut videre est in tertio libro Juris orientalis, de digamis sic habet. ὁ δίγαμος οὐ στεφανοῦται, ἀλλ᾽ ἔξει ἐπιτίμιον τὸ μὴ μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων μυστηρίων ἔτη δύο. Digamus non coronatur, sed pæna mulctabitur, ne per biennium immaculata mysteria participet.

Aliqua vero pœnitentia digami notabantur in signum incontinentiæ. Unde Laodicenum Concilium hæc duo simul conjungit, & esse digamiam legitimum matrimonium, & aliquam pœnam nihilominus digamis esse irrogandam. Sic itaque decernit in primo Canone: περὶ τοῦ

δεῖ κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τοὺς ἐλευθερίως, καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, μὴ λαθρογαμήσαντας, ὀλίγου χρόνου παρελθόντος, καὶ σχολάσαντας ταῖς εὐχαῖς, καὶ νηστείαις κατὰ συγγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν. Quod oporteat secundum Ecclesiasticum canonem, iis, qui libere ac legitime secundo matrimonio conjuncti sunt, & non clam uxores duxerunt, cum exiguum tempus præterierit, & orationibus, ac jejuniis vacaverint, ex venia dari communionem.

Huc etiam spectat Canon septimus Neocæsariensis Concilii: πρεσβύτερον εἰς γάμον διγαμοῦντος μὴ ἑστιᾶσθαι. ἐπεὶ μετάνοιαν αἰτοῦντος τοῦ διγάμου, τίς ἔσται ὁ πρεσβύτερος ὁ διὰ ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις; Presbyter in nuptiis digami conviviis non intersit. Quippe digamo pœnitentiam petente, quis erit Presbyter, qui per epulationem nuptiis assentitur? Hoc est, quomodo Presbyter poterit imponere digamo pœnitentiam, si ipse dum excipitur convivio, videtur sua præsentia secundas nuptias non aliter atque primas comprobare, quasi pari laude dignas?

Cæterum duobus testimoniis sanctorum Patrum, quæ secundis nuptiis adversari videntur, satisfaciendum est.

Etenim Nazianzenus in oratione 31. ita scribit: δοκεῖ μοι παραιτεῖσθαι τὴν διγαμίαν ἐνταῦθα ὁ λόγος. εἰ μὲν γὰρ δύο Χριστοὶ, δύο καὶ ἄνδρες, δύο καὶ γυναῖκες. εἰ δὲ εἷς Χριστὸς, μία κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας, καὶ μία σάρξ. ἡ δευτέρα δὲ ἀπωθείσθω. τὸ δεύτερον δὲ ἂν κωλύσῃ, τοῦ τρίτου τίς λόγος; τὸ πρῶτο (συνοικέσιον) νόμος. τὸ δεύτερον συγχώρησις. τὸ τρίτον παρανομία. ὁ δὲ (γάμος) ὑπὲρ τοῦτο χοιρώδης βίος, οἷος οὐδὲ πολλὰ ἔχων τῆς κακίας τὰ παραδείγματα.

Hoc loco videtur mihi Apostolicus sermo (mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia) secundas nuptias aversari. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, & duæ uxores. Si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput. Una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundum conjugium prohibeat, de tertio quid dicendum est? Primum lex est. Secundum indulgentia. Tertium iniquitas. Quod vero hunc numerum excedit, porcina vita est, ac tale, ut ne multa quidem vitii exempla habeat.

Ad hoc respondeo, Nazianzenum velle dicere digamiam non adeo conservare significationem unius Christi cum una Ecclesia. Ita enim Christus est unus unius, ut non fuerit, neque futurus sit alterius. Ob quem defectum Apostoli in suis Canonibus sanxerunt, ne bigamus ad sacros ordines promoveatur.

Non tamen ullus Apostolorum, vel Patrum secundum matrimonium esse sacramentum inficiatus est. Quippe & bigamus cum non simul habeat duas uxores, significat Christum esse unum unius, quod ad rationem sacramenti constituendam satis est.

Neque obstat, quod illud Gregorius vocet, συγχώρησιν, indulgentiam. Siquidem Apostolus etiam in priore ad Corinthios c. 7. loquens absolute de conjunctis matrimonio sive primo, sive secundo, ubi dixerat, iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram, subjungit, hoc autem dico, κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν, secundum indulgentiam, seu veniam, non secundum imperium. Quippe vellet Apostolus omnes esse sicut seipsum: sed ubi non possunt se continere, indulget illis, ut in idipsum redeant.

Matrimonium enim Deus instituit ad procreationem sobolis, illis verbis, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Hocque modo matrimonium lex est. Præterea ad evitandam fornicationem hominibus istud remedium Deus tribuit, ut cum cæteris Theologis, & Doctoribus egregie disserit Chrysostomus homilia in illud dictum Apostoli, mulier alligata est legi, his verbis: τίς οὖν ἡ τοῦ γάμου πρόφασις, καὶ τίνος ἕνεκεν ἔδωκεν αὐτὸν ὁ θεός; ἄκουσον τοῦ Παύλου λέγοντος, διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, οὐκ εἶπε, διὰ δὲ τὴν τῆς πενίας ἀπαλλαγὴν, ἢ διὰ τὴν τῆς εὐπορίας κτῆσιν. ἀλλὰ τί; ἵνα πορνείας φύγωμεν. ἵνα τὴν ἐπιθυμίαν καταστέλλωμεν. ἵνα σωφροσύνῃ συζήσωμεν. ἵνα εὐαρεστήσωμεν θεῷ τῇ οἰκείᾳ ἀρκούμενοι γαμετῇ. τοῦτο τοῦ γάμου τὸ δῶρον, οὗτος ὁ καρπὸς, τοῦτο τὸ κέρδος. Quæ igitur est nuptiarum causa, & cujus rei gratia concessit eas Deus hominibus? Audi Apostolum dicentem, propter fornicationes autem unusquisque uxorem suam habeat.

> Non dixit, ut quis liberet se paupertate, vel ut possideat copiam bonorum, & facultatum. Sed quidnam? ut scortationes fugiamus, ut libidinem refrenemus, ut una cum pudicitia vivamus, ut propria uxore contenti Deo placeamus, & accepti simus. Hoc nuptiarum donum est, is fructus, hoc emolumentum. Sic ille.

Itaque matrimonium in remedium concupiscentiæ datum est. Quippe homo præditus ratione hanc animi affectionem erga res venereas omnino superare deberet; quia tamen plerumque ignavus est, & facile se vinci patitur, indulsit ei Dominus, utque matrimonio uteretur, concessit. Et hac ratione matrimonium indulgentia, seu venia à nonnullis Patribus appellatur. Quod si primo matrimonio nomen συγχωρήσεως, seu συγγνώμης, quodammodo convenit, multo magis istud nominis conveniet secundis, ac tertiis nuptiis. Sic etiam loquitur Concilium Laodicenum loco citato, ubi decernit digamis, κατὰ συγγνώμην ἀποδίδοσθαι τὴν κοινωνίαν.

Alterum testimonium est Chrysostomi, qui in hom. 32. in c. 19. Matthæi operis imperfecti, secundum conjugium vocat, honestam quidem, veram tamen fornicationem. Honestam autem, quod ex permissione divina foret.

At certe si vera fornicatio est, sacramentum esse non potest: neque hæretici habiti fuissent, qui secundas nuptias damnabant.

Verba auctoris illius operis hæc sunt:

> Sic permissum est dari repudium, malum quidem, tamen licitum. Hac ratione & Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est. Secundum veritatis autem rationem vere fornicatio est. Sed dum permittente Deo, publice, & licenter committitur, fit honesta fornicatio, propterea bene dixit, quia Moses hoc permisit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud permittere. Quod enim præcipimus, semper placet. Quod autem permittimus, nolentes præcipimus, quia malam hominum voluntatem ad plenum prohibere non possumus. Sic ille.

Ubi nota pro intelligentia verborum hujus auctoris per præceptum Apostoli, eum intelligere non absolutum præceptum, quod est de re bona, sed conditionatum ad evitandum majus malum: & tunc præceptum idem est, quod permissio, ut probat exemplum ab auctore ibidem allatum de servo, qui inebriatur, & furatur, cui dominus mandat, hoc est, permittit, ut bibat publice, sed non furetur. Et sic permittit minus malum, cum non possit utrumque prohibere. Unde quando auctor dicit nolentes præcipimus, accipit verbum præcipere quoad modum loquendi, cum tamen re vera permittere significet.

Ad difficultatem respondeo, auctorem non esse Chrysostomum, quod homines doctos non effugit. Esse nihilominus virum doctum, & juniorem Chrysostomo, sed vel hæreticum, vel cujus opus sit corruptum ab hæreticis, quod mihi verisimilius fit.

Objicies, verum Chrysostomum similia tradere in homilia 20. ad Ephesios: τί ἂν εἴποιεν οἱ δευτέροις συναπτόμενοι γάμοις; οὐχὶ κατακρίνων λέγω, μὴ γένοιτο. καὶ γὰρ ὁ ἀπόστολος συνεχώρησε. Quid ad hæc, inquit, qui secundis copulantur nuptiis? non id aio condemnans, absit; quippe Apostolus permisit. Itaque (dicet aliquis) Chrysostomus non audet damnare secundas nuptias, quamvis sint fornicationes, quia sunt permissæ ab Apostolo. Permissas autem esse ab Apostolo idem doctor non uno in loco asserit.

Respondeo, male exponi Chrysostomum, neque ad mentem Doctoris hæc dici. Ut enim Christus Dominus damnavit libellum repudii, quod secundum legem divinam non esset permissus; ita etiam Chrysostomus damnasset utique secundas nuptias. At is non audet damnare. Immo in homilia supra citata in dictum Apostoli, mulier alligata est legi, expresse damnata fornicatione, & adulterio, secundas nuptias secundum leges divinas fieri pronunciat. Unde verbum, συνεχώρησεν ὁ ἀπόστολος, permittit Apostolus, hoc sibi vult, Christum Dominum nihil expresse tradidisse de secundis nuptiis, Apostolum autem mentem Salvatoris exposuisse, ac permisisse secunda conjugia ad eum modum, quo etiam expo-

suimus Nazianzenum, & juxta quem modum permissæ sunt primæ, nedum secundæ nuptiæ.

Quod si aliter permissionem quispiam intelligit, omnino rejiciendus est. Non enim sicut Moses propter duritiam cordis Judæorum permisit libellum repudii; ita permisit Apostolus secundas nuptias Christianis, cum per se licitæ sint. Nam si per mortem alterius conjugis solvitur lex matrimonii, ut aperte, diserteque docet Paulus, cur non licebit superstiti conjugi ad alias nuptias transire?

Sed audiamus verum Chrysostomum: ταῦτ' οὖν ἅπαντα εἰδότες σπουδάζωμεν τοῖς προτέροις ἀρκεῖσθαι γάμοις. ἂν δὲ καὶ ἐπὶ δευτέροις παρασκευαζώμεθα ἔρχεσθαι, μετὰ τοῦ προσήκοντος τρόπου καὶ σχήματος, μετὰ τὸν τοῦ θεοῦ νόμον. διὰ τοῦτο γὰρ εἶπεν, ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι, καὶ ἐπήγαγε, μόνον ἐν κυρίῳ. ὁμοῦ τε τὴν ἄδειαν διδούς, καὶ τειχίζων τὴν ἄδειαν. καὶ ἐξουσίαν παρέχων, καὶ τῇ ἐξουσίᾳ πάλιν ταύτῃ ὅρους καὶ νόμους τιθεὶς πανταχόθεν. οἷον ἵνα μὴ μιαροὺς καὶ διεφθαρμένους ἄνδρας εἰς τὴν οἰκίαν εἰσαγάγῃ ἡ γυνή. ἢ τοὺς ἀπὸ τῆς σκηνῆς, ἢ τοὺς πορνείαις προσέχοντας. ἀλλὰ μετὰ σεμνότητος, μετὰ σωφροσύνης, μετὰ εὐλαβείας. ἵνα πάντα εἰς δόξαν θεοῦ γίνηται. ἐπειδὴ γὰρ πολλαὶ πολλάκις γυναῖκες τῶν προτέρων τελευτησάντων ἀνδρῶν, μοιχευθεῖσαι πρότερον, οὕτω τοὺς ὑστέρους εἰσήγαγον, καὶ τρόπους ἑτέρους μιαροὺς ἐπενόησαν, διὰ τοῦτο ἐπήγαγε, μόνον ἐν κυρίῳ. ἵνα μηδὲν τούτων ὁ δεύτερος ἔχῃ γάμος. οὕτω γὰρ δυνήσεται ἐγκλημάτων ἀπηλλάχθαι. πάντων μὲν γὰρ βέλτιον ἀναμένειν τὸν τετελευτηκότα, καὶ τὰς πρὸς ἐκεῖνον συνθήκας διατηρεῖν, καὶ ἐγκράτειαν αἱρεῖσθαι, καὶ τοῖς καταλειφθεῖσιν ἐπιμένειν παιδίοις, καὶ παρὰ τοῦ θεοῦ πλείονα τὴν εὔνοιαν ἐπισπάσασθαι. ἂν δ' ἄρα τις βουληθῇ δεύτερον ἐπεισαγαγεῖν νυμφίον, μετὰ σωφροσύνης, μετὰ σεμνότητος, μετὰ τῶν προσηκόντων νόμων. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἐφεῖται. πορνεία δὲ κεκώλυται μόνον, καὶ μοιχεία. Hæc igitur omnia scientes id agamus, ut contenti simus prioribus nuptiis: si vero & ad secundas parati sumus accedere, cum debito modo, & forma, secundum leges divinas. Propterea dixit, libera est, ut nubat, cui vult, atque subjunxit, tantum in Domino: simul & libertatem tribuens, & veluti muro libertatem cingens, & potestatem faciens, & huic rursus potestati terminos, ac leges undique præscribens. Ne videlicet mulier scelestos, & corruptos viros in domum introducat. Vel Scenicos, & Histriones, vel scortationibus deditos. Verum cum honestate, cum pudicitia, cum verecundia, ut omnia fiant ad Dei gloriam. Et quia sæpe multæ mulieres primis viris demortuis prius adulteratæ, sic posteriores viros induxerant, & modos nefarios excogitaverant, propterea intulit, tantum in Domino; ut nihil horum habeant secundæ nuptiæ. Sic enim poterunt carere culpa. Quippe omnino satius quidem est demortuo viro caste pudiceque se continere, & cum eo inita pacta custodire, atque continentiam eligere, & cum relictis filiis permanere, à Deoque majorem benevolentiam sibi comparare. At vero si qua voluerit secundum introducere sponsum, cum pudicitia, cum honestate, cum debitis legibus. Siquidem & hoc permittitur, fornicatio vero tantum, & adulterium prohibitum est. Similia docet in 7. cap. prioris ad Corinthios homilia 19. καὶ δεύτερον γάμον συγχωρεῖ, μόνον ἐν κυρίῳ λέγων. τί δέ ἐστιν ἐν κυρίῳ; μετὰ σωφροσύνης, μετὰ κοσμιότητος. Etiam secundum concedit matrimonium, tantum, inquiens, in Domino. Quid est autem in Domino? cum temperantia, cum honestate. Et in fine ejusdem sermonis: εἰρήνην, φησί, διώκετε, καὶ τὸν ἁγιασμόν, οὗ χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν κύριον. ἵν' οὖν ἰδεῖν αὐτὸν καταξιωθῶμεν, κἂν ἐν παρθενίᾳ ὦμεν, κἂν ἐν προτέρῳ γάμῳ, κἂν ἐν δευτέρῳ, ταύτην μεταδιώκωμεν. Pacem, inquit, sectamini & Sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum. Ut ergo digni censeamur eum videre, sive virgines simus, sive primis, sive secundis nuptiis copulati, hanc sectemur. Et in 2. oratione, πρὸς νεωτέραν χηρεύσασαν περὶ μονανδρίας. αἰτιάσασθαι μὲν οὖν αὐτὰς καὶ καταδικάσαι ὑπὲρ τοῦ γάμου τούτου, οὔτε αὐτὸς τολμῶ, οὔτε ἄλλῳ παραινῶ. ἐπειδὴ μηδὲ τῷ μακαρίῳ Παύλῳ τοῦτο δοκεῖ, μᾶλλον δὲ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. εἰπὼν γάρ, γυνὴ δέδεται νόμῳ ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. ἐὰν δὲ κοιμηθῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν κυρίῳ. καὶ συγχωρήσας τῇ χήρᾳ, εἰ βούλοιτο γα-

μηθῆναι πάλιν, καὶ εἰπὼν, μακαριωτέρα δέ ἐστιν, ἐὰν οὕτω μείνῃ, ἵνα μή τις νομίσῃ ἀνθρώπινον εἶναι τὸ ἐπίταγμα, ἐπήγαγε. δοκῶ γὰρ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν. δηλῶν ὅτι πνεύματι ταῦτα ἔγραφεν. Accusare itaque eas atque de hisce nuptiis condemnare, neque ipse audeo, neque alteri suadeo. Quandoquidem neque B. Paulo, immo vero Spiritui sancto istud videtur. Cum enim dixisset, mulier alligata est legi, quandiu vivit vir ejus, quod si dormierit vir ejus, libera est, cui vult nubat, tantum in Domino, ac permisisset viduæ, si vellet rursus nubere, & illud præterea dixisset, beatior autem est, si sic permanserit. Ne quis putaret humanum esse præceptum, intulit, existimo enim me quoque spiritum Dei habere. His verbis significans spiritu se hæc scripsisse. Et paulo post: τὸ γὰρ ἐν κυρίῳ γίνεσθαι δυνάμενον πάσης κατηγορίας ἀπήλλακται. μόνον γάρ φησιν ἐν κυρίῳ. ὥσπερ οὖν ὅταν περὶ παρθενίας λέγωμεν, οὐ τὸν γάμον ἀτιμάζοντες ἐκείνην ἐπαίρομεν. οὕτως ὅταν περὶ χηρείας διαλεγώμεθα, οὐ τὸν δεύτερον γάμον ἐν τοῖς ἀπηρνημένοις τιθέντες, τῷ προτέρῳ στέργειν παρακαλοῦμεν, ἀλλ᾽ ὁμολογοῦμεν μὲν καὶ τοῦτον εἶναι κατὰ νόμον τὸν δεύτερον, πολλῷ δὲ τὸν ἕνα τοῦ δευτέρου βελτίονα. Quod enim in Domino fieri potest, omni reprehensione vacat, tantum enim, inquit in Domino. Quemadmodum igitur cum de virginitate disserimus, non nuptias contemnentes eam extollimus; ita etiam cum de viduitate verba faciamus, non secundas nuptias inter res vetitas ponentes prioribus contentos esse adhortamur, sed fatemur quidem, has quoque secundas secundum legem censeri, longe tamen secundis primas esse præstantiores.

Hucusque Chrysostomus, ex cujus verbis manifeste apparet eum potius laudare, modo recte fiant, secundas nuptias.

De Trigamia, quæ & polygamia dicitur.

Caput XXVIII.

Concilium Neocæsariense in canone tertio de Polygamis tum valde concise, tum generice loquitur, adeo ut ex illius verbis nihil certi statuere possimus: περὶ τῶν πλείοσι γάμοις περιπιπτόντων. ὁ μὲν χρόνος σαφὴς ὁ ὡρισμένος, ἡ δὲ ἀναστροφὴ καὶ ἡ πίστις αὐτῶν συντέμνει τὸν χρόνον. De iis, inquit, qui in plurima matrimonia incidunt (plurima autem sunt & trigamia, & tetragamia, & ulteriores nuptiæ) tempus quidem præstitutum (imponendi nimirum pœnitentiam) manifestum est; sed conversio & eorum fides contrahit tempus. Hoc est, si serio convertantur, & austeram agant pœnitentiam, solet illis aliquid multum vel parum de tempore pœnitentiæ remitti. Ita Concilium de statuto tempore nihil exprimit; multo minus docet de Trigamia, & ulterioribus nuptiis verum ne sit matrimonium, atque adeo sacramentum apud Græcos, an illicitum ac nullum.

Sancti Patres Orientales aliquid clarius enunciant. Gregorius Nazianzenus in oratione citata tertias nuptias vocat παρανομίαν, prævaricationem legis, seu illegitimas. At certe nulla lex extat, non divina, non Ecclesiastica & humana, quæ tertium matrimonium prohibeat.

Non enim Paulus ideo jussit Episcopum esse unius uxoris virum, quod secundas, vel tertias nuptias damnaret, sed quod id maxime decebat dignitatem, & sacramentum Episcopi, quem esse, vel potius fuisse unius mulieris virum par est, sicut Christus est sponsus unius Ecclesiæ.

Nisi velit Theologus παρανομίαν transgressionem legis intelligere negative; quod nulla lex claris verbis expressa extet, quæ id permittat. Sic enim Basilius in Canone quinquagesimo intellexit, cum ait, τριγαμίας οὐκ ἔστι νόμος. ὥστε νόμῳ τρίτος γάμος οὐκ ἄγεται. Trigamiæ lex non extat. Quare lege tertiæ nuptiæ non contrahuntur. Intelligit autem Basilius non extare legem divinam, quæ clare id testetur, & permittat (Nam secundum nos extat profecto lex divina, ut suo loco infra dicemus, sed non est cuilibet obvia & clara. Et ex Novellis Imperatoriis similiter permittitur Græcis tertium conjugium) Quia tamen neque lex tempore Basilii extabat, quæ prohiberet, ideo subjecit Basilius, δημοσίοις καταδίκαις τὰ τοιαῦτα οὐχ

ὑποβάλλομεν, publicis pœnis ejusmodi matrimonia non subjicimus. At si extaret lex prohibens, utique subjicerent.

Basilius ipse trigamiam πορνείαν κεκολασμένην, fornicationem castigatam nominat. Hoc est, ut recte exponunt illius interpretes Canonistæ, οὐκ ἐκκεχυμένην καὶ ἀδιάφορον, ἀλλὰ συνεσταλμένην, καὶ περιγεγραμμένην μιᾷ γυναικί. Non effusam & indifferentem, sed contractam, & circumscriptam una tantum muliere. Item eam appellat, ῥύπασμα τῆς ἐκκλησίας. Sordes Ecclesiæ: per consequens infert non eam amplius dici γάμον, matrimonium, sed polygamiam. Etenim ἡ πορνεία, fornicatio juxta eundem Basilium Canone 26. γάμος οὐκ ἔστιν, οὔτε γάμου ἀρχή. Matrimonium non est, neque matrimonii principium. Et eos, qui digamiam excedunt, negat Basilius dignos censeri, qui appellentur mariti: & idem sentit de feminis, quæ non debeant appellari uxores.

Postremo asserit, publice hujusmodi trigamiam non puniri. Hoc est, ut exponunt interpretes, non adeo subjici pœnis: ὥστε καὶ διασπᾶσθαι τὸ συνοικέσιον, ut etiam dissolvatur matrimonium. (Alioquin pœnis Ecclesiasticis analogice ut & digamia punitur) Et rationem reddit Basilius, quod tale matrimonium sit magis expetendum, quam remissa fornicatio.

Sed ut vera esse omnibus constet, quæ de Basilii opinione diximus, recensendi sunt more nostro illius canones.

Canon quartus ex epistola Canonica ad sanctum Amphilochium: περὶ τριγάμων καὶ πολυγάμων τὸν αὐτὸν ὥρισαν κανόνα, ὃν ἐπὶ τῶν διγάμων ἀναλόγως. ἐνιαυτὸν γὰρ ἐπὶ τῶν διγάμων, ἄλλοι δὲ δύο ἔτη, τοὺς δὲ τριγάμους ἐν τρισὶ καὶ τέτρασι πολλάκις ἔτεσιν ἀφορίζουσιν. ὀνομάζουσι δὲ τὸ τοιοῦτον οὐκέτι γάμον, ἀλλὰ πολυγαμίαν, μᾶλλον δὲ πορνείαν κεκολασμένην. διὸ καὶ ὁ κύριος τῇ Σαμαρείτιδι πέντε ἄνδρας διαμειψάσῃ, ὃν νῦν, φησὶν, ἔχεις, οὐκ ἔστι σου ἀνήρ. ὡς οὐκέτι ἀξίων ὄντων τῶν ὑπερεκπεσόντων τὸ μέτρου τῆς διγαμίας τῷ ἀνδρὸς, ἢ τῆς γυναικὸς καλεῖσθαι προσρήματι. συνήθειαν δὲ κατειλάβομεν ἐπὶ τῶν τριγάμων πενταετίας ἀφορισμὸν, οὐκ ἀπὸ κανόνος, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς τῶν προειληφότων ἀκολουθίας, ἤτοι τοῖς προλαβοῦσιν ἀκολουθοῦντες πατράσι. δεῖ δὲ μὴ πάντη αὐτοὺς ἀπείργειν τῆς ἐκκλησίας, ἀλλ᾽ ἀκροάσεως αὐτοὺς ἀξιοῦν ἐν δύο που ἔτεσιν, ἢ τρισί. καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιτρέπειν συστήκειν μὲν, τῆς δὲ κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ ἀπέχεσθαι. καὶ οὕτως ἐνδειξαμένοις καρπόν τινα τῆς μετανοίας, ἀποκαθιστᾷν τῷ τόπῳ τῆς κοινωνίας. De trigamis & polygamis eundem Canonem definierunt (antiqui Patres) quem in digamis servata proportione. Annum enim in digamis, alii vero duos annos statuerunt. Trigamos autem sæpe tribus & quatuor annis segregant. Id autem non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potius fornicationem castigatam. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque viros permutaverat, quem nunc, inquit, habes, non est tuus maritus. Nempe quod digni non sint, qui à digamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur. Consuetudinem autem accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non à canone, sed continuata majorum serie, videlicet vestigiis Patrum, qui nos præcesserunt, insistentes. Oportet autem non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignos ducere, qui in locum audientium duobus circiter aut tribus annis admittantur. Post hæc permittere ut in cœtu fidelium consistant quidem; sed à communione boni tamen abstineant. Sic tandem ostenso aliquo fructu pœnitentiæ, in locum communionis restituere.

Canon quinquagesimus, τριγαμίας νόμος οὐκ ἔστιν. ὥστε νόμῳ τρίτος γάμος οὐκ ἄγεται. τὰ μέντοι τοιαῦτα ὡς ῥυπάσματα τῆς ἐκκλησίας ὁρῶμεν. δημοσίαις δὲ καταδίκαις οὐχ ὑποβάλλομεν, ὡς τῆς ἀνειμένης πορνείας αἱρετώτερα. Trigamiæ lex non extat, quare lege tertium matrimonium non contrahitur. Verumtamen ejusmodi res ut Ecclesiæ inquinamenta videmus; sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut quæ soluta ac profusa fornicatione sint magis expetenda.

Chrysostomus etiam & S. Epiphanius, ut ex eorum scriptis conjicere licet, in Basilianam libenter irent sententiam. Adeo hi Græcorum primarii Doctores, severiores in polygamos extiterunt, quod ipsi summo studio virginitatem coluissent. Vide Chrysostomum in libro de Virginitate c.

38. ubi ait, τοῖς γεγαμηκόσι πολλὴν δίδωσι πα-
ραμυθίαν. καὶ δεύτερον πάλιν ἐπέτρεψε γάμον, ἐὰν
» βούλωνται, ὥστε τὸ μὴ πυροῦσθαι. Nuptis, inquit,
» magnam præbet (Paulus) consolationem.
» Et secundas rursus permisit nuptias, si vo-
» lunt, ne urantur. Non autem addit Chry-
sostomus, exponens Paulum, tertias vel
quartas. Et loco superiori cap. citato: κἂν
ἐν παρθενίᾳ ὦμεν, κἂν ἐν πρώτῳ γάμῳ, κἂν ἐν
δευτέρῳ, ταύτην μεταδιώκωμεν. Sive virgines
» simus, sive secundis nuptiis copulati, hanc
» (sanctificationem) sectemur.

Cæterum quo modo hæc sibi invicem cohæreant, non adeo perspicere valeo, ut trigamia sit fornicatio, tantum non relaxata & libera, sed ad unius feminæ amplexus coarctata, & tamen non dissolvatur, sed peracta aliquot annorum pœnitentia trigami admittantur ad participanda Ecclesiæ Sacramenta, cum interim simul habitent, & procreent liberos. Si enim trigamia est fornicatio, non potest Ecclesia Dei ornatissima sponsa Christi, quæ sine ruga est, non habens maculam, ejusmodi peccatum permittere. Quod si permittit, igitur non est fornicatio. Quippe fornicatio non est aliquid ἀδιάφορον, ut possit subire rationem boni & mali: sed si fornicatio est, semper mala est.

At fortassis Basilius non ad polygamiam respexit, quatenus est matrimonium & sacramentum, sed ad affectum illius, qui tale matrimonium contrahit: quippe indicat se effusum esse in venerem, & valde pronum ad luxuriam, ob id etiam diuturniore pœnitentia mulctatur. Alioquin sancti Patres ejusmodi conjuges aliquot annorum peracta pœnitentia ad participanda Ecclesiæ Sacramenta, nisi prius soluto matrimonio, non admisissent, ac insuper dissolvendum esse tale connubium clarissimis verbis enunciassent. Quod cum non fecerint, indicium est, eos sacramentum agnovisse.

Polygamia vero successive fundatur in verbis Pauli. Siquidem Apostolus apertissime tradit, mulierem, quandiu vir ejus vivit, alligatam esse ei, per legem scilicet matrimonialem, nec eo vivente posse ab eo discedere, aut si discedat, innuptam manere oportere. Igitur si mortuus fuerit vir ejus, erit libera, ut se nuptui tradat, cui voluerit, tantum in Domino. Nubendo vero iterum, alligata est legi, ut non possit à viro discedere. Quod si vir dormierit, iterum soluta est à lege, & rursus libera existens, potest alligari, si vult, & subire onera matrimonij: & sic deinceps quoties libera evaserit, vinculis matrimonij seipsam adstringere potest. Unde S. Augustinus in libro de bono viduitatis cap. 12. diligenter expendens locum Apostolicum, observat B. Paulum non dixisse, si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius, sed indefinite vir ejus. Proinde semper nubere licet, mortuo marito, quotus tandem fuerit. Similiter alii observant, non dixisse Apostolum, melius est nubere semel, aut bis, vel ter, quam uri, sed indefinite. Et S. Hieronymus in Apologia ad Pammachium pro libris adversus Jovinianum, Non
damno, inquit, bigamos, nec trigamos, & si «
dici potest, octogamos. Quare Patribus O- «
rientalibus, si forte oppositum doceant, op- «
ponendi sunt Patres Hesperii. Potissimum vero auctoritas Romanæ Ecclesiæ, quæ ex singulari privilegio Christi Domini errare non potest, atque in hoc dogmate Apostolicis verbis fundatur, & stabilitur.

Neque locus Evangelii de Samaritana, quæ quinque viros habuerat, & quem tum habebat, non erat legitimus ejus vir, Basilianam expositionem commode admittit. Nam Christus Dominus clare ait, eam habuisse quinque viros, & eos viros, seu maritos nominat. Sextum autem negat esse virum, quod re vera Samaritana cum eo legitime copulata non esset. Neglecta nimirum lege matrimonii. Alioqui non quintum, sed & septimum, præsertim in lege veteri habere potuisset.

Quare Sadducæis illam Domino nostro quæstionem proponentibus de muliere, quæ fuerat uxor septem fratrum, cujus præcipue illorum post resurrectionem fratrum esset uxor? Christus Dominus non respondit, primum, aut secundum matrimonium fuisse legitimum, reliqua non item; sed admisso septimo matrimonio, in altera vita negavit illius fore usum. Saddu-

cæi vero inscienter admodum fecerunt, talem quæstionem proponentes. Illa enim mulier nulli eorum jam jure conjugii obligata erat, cum per mortem illorum libera evasisset.

De Tetragamia.

Caput XXIX.

DE quartis nuptiis Basilius enunciat, eas esse pejores simplici fornicatione. Canon est 78. in hæc verba: τὴν πολυγαμίαν οἱ πατέρες ἀπεσιώπησαν ὡς κτηνώδη, καὶ παντελῶς ἀλλοτρίαν τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων. ἡμῖν δὲ παρίσταται, πλέον τι τῆς πορνείας εἶναι ἁμάρτημα. διὸ εὔλογον τοὺς τοιούτους ὑποβάλλεσθαι τοῖς κανόσι, δηλονότι ἐνιαυτὸν προσκλαύσαντας, καὶ ἐν τρισὶν ὑποπεσόντας, οὕτω δεκτοὺς εἶναι. Polygamiam Patres silentio prætermisere ut belluinam, & omnino ab hominum genere alienam. Nobis autem videtur, majus esse fornicatione peccatum. Et ideo consentaneum est, ut ii canonibus subjiciantur. Ut scilicet postquam anno fleverint, & tribus substrati fuerint; ita demum suscipiantur.

Per polygamiam in hoc canone Basilius videtur intelligere quartas, ac deinceps nuptias. Quamvis enim & trigamiam in alio canone polygamiam dixerit appellari, de illa tamen non protulit, esse quid amplius, & gravius fornicatione, quod tamen de polygamia hic affirmat. Igitur tetragamiam, & quæ ordine sequuntur, intelligit.

Alii per polygamiam, τὸ πολλαῖς μίγνυσθαι, καὶ ἀδιαφόρως ἔχειν πρὸς τὴν μίξιν, cum multis mulieribus corpus miscere, & indifferenter habere commercium, non sine magna probabilitate intelligunt. Et meo judicio recte. Nam de polygamia successive Basilius ediderat Canonem quartum: non erat autem cur de eadem novum canonem conderet. Ad hæc, Basilius de polygamia in hoc canone refert, ut belluinam à Patribus prætermissam fuisse. At polygamiæ successive Concilium Neocæsariensium mentionem facit, non igitur hanc intelligit. Quia tamen idem Basilius trigamiam asserit esse fornicationem coarctatam, non videtur absurdum in sua doctrina, si tetragamiam doceat, esse quid amplius fornicatione. Quia etiam Nazianzenus ejusmodi polygamiam, quæ successive trigamiam excedit, χοιρώδη βίον, porcinam vitam nominat; prima etiam expositio, quæ asserit, Basilium per polygamiam tetragamiam intelligere, non videtur esse improbabilis.

Verum rationes, quæ trigamiam suadent, & validam esse probant, eædem absolute ac simpliciter polygamiam etiam facile suadent, & probant.

Clemens Romanus in libro tertio Constitutionum Apostolicarum cap. 2. de monogamia, digamia, trigamia, & ultioribus nuptiis sic habet: καὶ τοῦτο γὰρ εἰδέναι ὀφείλετε, ὅτι μονογαμία μὲν κατὰ νόμον γινομένη, δικαία, ὡς ἂν κατὰ γνώμην θεοῦ ὑπάρχουσα. διγαμία δὲ μετὰ ἐπαγγελίαν, παράνομον, οὐ διὰ τὴν συνάφειαν, ἀλλὰ διὰ τὸ ψεῦδος. τριγαμία δὲ ἀκρασίας σημεῖον. τὸ δ' ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν, προφανὴς πορνεία, καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος. Hoc enim, inquit, scire debetis, monogamiam quidem, quæ sit secundum legem, ut pote juxta mentem Dei, justam esse. Digamiam vero post promissionem, illegitimam, non ob conjunctionem, verum propter mendacium. Trigamiam vero, intemperantiæ indicium. Quæ autem trigamiæ additur, fornicationem esse manifestam, minimeque dubiam lasciviam.

At non est sanctio Apostolica, sed aliquis eam finxit, vel à Patribus Græcis accepit, & Constitutionibus Apostolicis inseruit. Argumento est, quod ipsemet Basilius loco nuper citato de tetragamia dicat eam antiquos Patres ut brutalem silentio præteriisse. At si Apostoli de hac re constitutionem ediderant, quî eam ignorasset Basilius? Deinde hæc, quæ dicitur Apostolica constitutio trigamiam admittit, cur igitur eam damnavit Basilius & Nazianzenus? An eos latuit, quid Apostoli statuissent? Igitur vel non est constitutio Apostolica, sed ἀπόκρυφος, ut alia non pauca extant in illis similia, & propterea posteriores Græci in Concilio Trullano c. 2. improbant has Constitutiones, ut ab

hæreticis

hæreticis depravatas; Vel non significat, quod prima fronte præsefert. Non enim Clemens invalidum esse tertium, vel quartum connubium enunciat, sed quod spectat ad affectum tale matrimonium contrahentis, instar fornicationis esse videtur. Ut enim qui fornicatur, modo expleat libidinem, non ad unam feminam se adstringit, sed per multas vagatur; ita qui tetragamiam contrahit, non una, aut altera, neque tertia uxore fuisse contentus videtur. Vide Scholion Turriani.

Porro Basilius & Nazianzenus hac in re fuerunt tantæ auctoritatis apud nonnullos cum Antistites, tum Imperatores Græcorum; ut ipsi existimarint tetragamiam lege divina vetari. Sed imperiales Græcorum leges antiquiores non tantum trigamiam, verum etiam tetragamiam permittunt, ut est videre in libro 2. juris Orientalis ex novella Basilij Macedonis, cujus titulus est, περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι πρὸς τέταρτον γάμον ἐλθεῖν. Non licere ad quartas nuptias transire. In ea refert Basilius Imperator, priscis scriptam legem fuisse, immo & à Justiniano confirmatam, per quam, μέχρι τετάρτου γάμου παρεκτείνεται τοῖς βουλομένοις τὰ συνοικέσια, usque ad quartas nuptias iis, qui volunt, matrimonia protenduntur. Se vero, ait, ne priscis legibus acquiescat, lege divina impediri. Quocirca matrimonium quartum ita vetare, ut etiam tertium ad Ecclesiasticos Canones ableget. Tandem constitutionem seu novellam ita concludit: ἔστω νῦν πᾶσι δῆλον, ὡς εἴτις τολμήσειε πρὸς τέταρτον γάμον ἢ οὐ γάμον ἐλθεῖν, οὐ μόνον ἀντ' οὐδενὸς ὁ τοιοῦτος νομιζόμενος γάμος λογισθήσεται, οὔτε οἱ ἐξ αὐτοῦ τεχθέντες παῖδες γνήσιοι γνωρισθήσονται, ἀλλὰ καὶ ταῖς ποιναῖς τῶν μεμολυσμένων τοῖς τῆς πορνείας ῥυπάσμασι καθυποβληθήσεται, ἀπ' ἀλλήλων δηλονότι τῶν τοιούτων προσώπων διϊσταμένων. Manifestum omnibus esto, quod siquis ausus fuerit ad quartas nuptias, non nuptias, accedere, non solum pro nullis habebuntur hæ nuptiæ, nec liberi ex iis procreati pro legitimis agnoscentur, verum etiam ipse pœnis pollutorum scortationis sordibus subjicietur, ejusmodi videlicet personis à se invicem separatis.

Leo sapiens Basilij filius vestigia parentis sequutus non absimilem constitutionem edidit, quæ in ordine nonagesima est, qua sanxit, ut qui tertias nuptias contrahunt, pœnis Ecclesiasticis subjiciantur. Nulla enim lex profana ante Basilium Imperatorem hujusmodi matrimonium reprehendebat, cum & Basilius magnus dicat, trigamiam publice non condemnari. In ea constitutione inter alia sic disserit ac decernit. Multorum brutorum animantium genera, coniuge mortuo perpetuam viduitatem amplectuntur. Alterisque nuptiis priores velut congesta terra obtegere nolunt. Verum quoniam hanc imbellitatem turpem non esse, quanquam turpissima sit, existimans natura primo suo matrimonio contenta non est, sed nullo pudore tacta ad secundum etiam procedit; quin cum illa hîc saltem sistere deberet, non tamen id facit. Et quanquam per sacram legem non liceat, à secundo matrimonio ad tertium prorumpit, haud dubie constitutam in tertium matrimonium pœnam, quod non exerceatur, contemptui habens. Idque eo magis, quod civilis lex, qua nescio de causa, spiritus pœnam constituentis decreto non consentiat, sed hos à reprehensione porro liberat, qui post alterum matrimoniale consortium à matrimoniis abstinere nolint. Idcirco quæ spiritui placent sequentes statuimus; ut qui ad tertium matrimonium pervenerint, pœnæ, quam in ipsos sacer canon promulgavit, obnoxij sint.

Verum postea idem Imperator ducta tertia uxore sine beneficio prolis, ex Zoë pellice filium habuit, quem successorem Imperij ut à se progenitum relinquere vehementer optabat, matrem illius quartam in matrimonium duxit uxorem. Quæ res multas turbas in Constantinopolitana Ecclesia excitavit. Nam Nicolaus primus ejus nominis Patriarcha illius urbis Imperatorem ab Ecclesia segregavit. Nicolao non pauci Pontifices adhærebant, alij nonnulli Metropolitæ Imperatori favebant. Cumque maximum dissidium inter primarios Ecclesiastici ordinis antistites esset, Imperator missa legatione ad Romanum

Pontificem dispensationem efflagitabat. Sergius repertus est tunc sedere, qui quartum conjugium principis cum Zoë contractum ratum haberi voluit, & per suos legatos curavit, ut Nicolaus Patriarcha his nuptiis contradicens à Patriarchatu amoveretur, & in exilium mitteretur, Euthymio viro probo & sancto in ejus locum substituto. Sed quinquennio post Leone demortuo Alexander Leonis frater deposito cum injuriis Euthymio, atque ita mulctato ut paucis post diebus in exilio moreretur, Nicolaum restituit, quod is quartas nuptias improbaret, & heredem Imperij non Leonis filium, sed fratrem agnosceret. Non multum temporis intercessit & Alexander moritur, Constantino fratris filio Imperio legato, cui inter tutores Nicolaum Patriarcham constituit. Is (utpote unus præcipuus tutorum) clavum Imperij aliquandiu tenuit, & Epistolam plenam querimoniarum ad Romanum Pontificem scripsit, quæ extat apud Baronium in add. tom. 11. anno 912. in ea conatur probare, quartas nuptias jure divino vetitas esse, rogatque Pontificem in fine Epistolæ, ut cæteri quoque antistites, qui partes Nicolai tuebantur, & ob id à suis Episcopalibus sedibus deturbati fuerant, revocarentur, & in eos potius, nimirum Euthymianos, qui quartas nuptias permiserant, animadverteretur. Quid ad hæc responderit Pontifex non constat. Sed cum varia fortuna Nicolaus Constantini Imperatoris tutorem aliquamdiu egisset, à Romano Lecapeno iterum pulsus ex aula, qui socer Imperatoris reipsa imperabat, ejusque pater dicebatur, de reddenda iterum Ecclesiæ pace, agente, ut videtur, Romano, cogitare cœpit. Cumque prius pertinaciter defenderet, quartas nuptias jure divino prohibitas, ac proinde fornicarios, nulla Ecclesiæ dispensatione iniri posse, à divino ad Ecclesiasticum jus earum nuptiarum improbationem transtulit. Itaque cum Euthymianis primum composuit, ut Euthymij corpus tanquam veri Patriarchæ, Constantinopolim honorifice deferretur, utque Leoni sapienti demortuo, Constantino urgente filio, communi decreto delicti remissio concederetur. (Porro honos deferendi honorifice corporis Patriarchis iis haberi Constantinopoli solitus est, qui injuste in exilium pulsi, neque legitime depositi sunt, ut aliqua ratione quando vivis non potuit, sua sedes mortuis restitueretur. Ita B. Joannis Chrysostomi & Flaviniani reliquię in eam urbem deportatæ sunt. Constant hæc omnia ex Cedreno in Romano Lecapeno, & Areta Cæsariensi, & Curopalata, quos citat Baronius tom. 10. an. 920) In posterum tamen ab ea die, quartæ nuptiæ nulla ratione permitterentur. Ita tomum seu decisionem ediderunt, quo tetragamia adeo vetatur, rejicitur, ac damnatur, ut ab omni cœtu Ecclesiastico tetragamus prorsus excludatur, & ne quidem ingressus in sacras ædes ipsi permittatur, sed excommunicatus sit, quandiu in ejusmodi conjugio permanserit. Sed & trigamiam iidem Patres una cum Imperatore Constantino quodam modo coarctarunt, & modo eam permittunt, modo non permittunt. Ex eo enim quod Basilius eam velut inquinamentum Ecclesiæ appellarit, fingunt Patres & interpretes, Ecclesiam esse tanquam domum aliquam, in qua solent esse nonnullæ sordes, sed in aliquo domus angulo conditæ, abditæque, non autem passim obviæ & expositæ. Qua similitudine innuunt, raro eam permissam fuisse. Cæterum postquam frequenter citra pudorem, ut illi aiunt, & palam fieri, quasi nihil turpitudinis haberet, cœpta est, hoc in tertiis nuptiis servandum statuerunt. Ut si quis sit triginta annorum, & careat prole, mereatur veniam, & facile ipsi condonetur matrimonium, consueta nimirum imposita pœna; sin habeat prolem, permittatur etiam, sed graviore pœna mulctetur. Si autem ad annum quadragesimum provectus careat liberis à prioribus uxoribus relictis, tertiam ducere possit, diuturniore, & austeriore imposita sibi pœnitentia. Sin extent liberi, ἀσυγχώρητος αὐτῷ ἡ τετραγαμία, tertium ei conjugium nulla ratione permittatur. Vide tomum unionis in libro 2. juris Orientalis fol. 104. ubi tota res fusius enarratur, ac decernitur. Et nota. Patres illos opinatos fuisse, se quidem habere potestatem permittendi tetragamiam, (quandoquidem communi decreto delicti remissionem Leoni post mor-

tem concesserunt, & Constantinus Leonis filius legitimus heres habitus est. Immo anathema dicunt: τοῖς συκοφαντοῦσι τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν, ὅτι τετραγαμίαν ἐδέξατο χάριν τῆς ἐνδηκίας θεοῦ γεγενημένης οἰκονομίας, καὶ τῆς προσλήψεως, καὶ ἑνώσεως τῶν ἀδελφῶν. Iis, qui accusant sanctam Ecclesiam, quia quartas nuptias admisit, ob dispensationem Dei benignitate factam, ac propter adsumptionem unionemque fratrum.) Hoc est, anathemate percutiunt vituperantes dispensationem factam.) nolle tamen in posterum edicto canonico promulgato, ut quis quartam uxorem, & si excedat quadragesimum ætatis annum sobole procreata, tertiam in matrimonium ducere audeat, sperans se veniam consequuturum.

His ita compositis, Nicolaus Patriarcha Epistolam ad Joannem Papam hujus nominis X. misit, qua communionem expetit. Pollicetur vero se Pontificis nomen repositurum in diptychis, ea modo conditione contentus sit, ut declaret Pontifex, quartum connubium permissum fuisse Leoni, non rei ipsius causa, sed suadente tunc occasione lenitatem atque affectum erga principem indulgentiorem, ne repulsa offensus ejus animus deteriora moliretur. Quibus verbis aperte concedit, dispensari ab Ecclesia cum Leone potuisse; non tamen absolute simpliciterque probatum quartum connubium. Quem sancti Basilius & Nazianzenus tanquam rem parum decoram, neque cum honestate publica congruentem sine dubio vituperant, qui tertias etiam nuptias reprehenderunt. Ergo qui prius rem eam indispensabilem faciebat, ac divino jure penitus improbatam, consensit postea quartum connubium dispensatione Ecclesiæ iniri posse, neque divino, aut naturali jure prohiberi.

Accepisse autem oblatas conditiones sedem Apostolicam, & perfectam cum Nicolao concordiam inivisse, constat ex ejus literis ad Simeonem Bulgariæ principem, quas refert Baronius in add. tom. 11. anno 917. impressionis Romanæ, & repositæ sunt tomo decimo eodem anno editionis Coloniensis. In quibus scribit, primum legatos, qui à Pontifice in Bulgariam mittebantur, sibi commendatos à Pontifice; injunctumque ut omni modo tutissime cum commeatu, & viæ ducibus in Bulgariam mitteret. Quod nisi compositis jam rebus, sine dubio Pontifex non fecisset. Multa deinde de Romanæ sedis amplitudine ac potestate prædicat. Quæ amicitiæ profecto, ac perfectæ unionis indicia sunt. Denique in ea Epistola disertis verbis testatur, à legatis sedis Apostolicæ pacem Ecclesiæ & clero redditam, scandala, quæ propter tetragamiam orta erant, sublata, se atque illos divina mysteria simul celebrasse, nihil denique obstare, quo minus Romanæ Ecclesiæ communione Constantinopolitana utatur: ταῦτά σοι περὶ τῆς τῶν Λεγάτων ἀφίξεως. οἳ καὶ τὰ σκάνδαλα, τὰ ἐκ τοῦ τετάρτου γάμου συμβεβηκότα, ἔπαυσαν. καὶ εἰρήνην τῷ κλήρῳ παρέδωκαν. κοινῇ γὰρ τοῖς ἀχράντοις μυστηρίοις, καὶ σὺν θεοπνεύστῳ ὁμονοίᾳ ὑπηρετήσαμεν. καὶ λοιπὸν, ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, οὕτως ἡ Ῥωμαίων καὶ ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία μιᾶς γέγονε συμπνοίας καὶ ὁμονοίας, ὥστε μηδὲν ἔτι κωλύειν ἡμᾶς μετασχεῖν τοῦ αὐτῶν ἁγιασμοῦ, καὶ τῆς κοινωνίας. Hæc tibi, inquit, de Legatorum adventu. Qui & scandala ex quarto connubio orta sedarunt, & pacem clero reddiderunt. Communiter enim & simul à Deo inspirata consensione intemeratis mysteriis operati sumus. Denique ut uno verbo dicam, ita Romana & Constantinopolitana Ecclesia unius facta est conspirationis & consensionis, ut nihil amplius impediat, quo minus participes simus eorum sanctificationis, & communionis.

Negari igitur non potest, quin ad pacem, & unionem Ecclesiasticam non cum Euthymianis tantum, sed cum Romana etiam Ecclesia perfecte redierit Nicolaus. Et consequenter, quin eas conditiones acceperit sedes Apostolica, quas in Epistola sua ipse obtulerat Joanni Pontifici. Præsertim cum non ipse solum ad eas literas deferendas, transigendumque negotium Eulogium presbyterum, sed Imperator etiam Basilium protospatharium Romam legaverit, atque in fine Epistolæ Pontificem oret, ut legatum Constantinopolim mittat, aut Joannem Episcopum, cujus inquit, apud nos jam experta virtus, aut

alium moribus illi non absimilem, qui si qua sunt, inquit, adhuc correctionis indiga, doctrina atque consilio emendare valeat nobiscum juxta Ecclesiasticas constitutiones.

Ex quibus omnibus constat, eam ineundæ concordiæ temperationem adhibitam; ut Pontifex Orientalis Ecclesiæ Canonem, quo tertiæ, nedum quartæ nuptiæ pœnæ canonicæ subjiciebantur, non eam ob rem rejiceret, quod is non esset receptus in occidente; Nicolaus autem non à divino, sed ab Ecclesiastico jure descendere, ac proinde dispensabilem eum esse fateretur.

Quamvis autem post initam cum Euthymianis & cum Romana Ecclesia pacem Nicolaus res hoc modo composuerit, omniaque cum interventu Legatorum sedis Apostolicæ constituerit; non defuerunt tamen ex viris monasticæ disciplinæ professoribus, qui decisionem hanc Nicolai de quartis nuptiis non acceptarent, cum per annos septuaginta & amplius postea essent divulsi, & ante nonaginta annos quæstio de tetragamia orta esset. Quos tandem Constantinus & Basilius fratres Imperatores conjunxerunt, & perfecta unio facta est. Ut constat cùm ex scriptis aliorum historicorum, tum ex additione Scholij immediate post commemoratum tomum in jure Orientali: ταῦτα μὲν ὡς δεδήλωται ὑπὸ τῶν πάλαι βασιλευσάντων ἐπεράχθησαν. νυνὶ δὲ τῇ τοῦ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος εὐδοκίᾳ καὶ χάριτι, τοὺς ἤδη πρὸ ἐνενήκοντα χρόνων ἕνεκεν τῆς προδηλωθείσης αἰτίας καὶ ἀφορμῆς ἀποῤῥαγέντας ἱερεῖς καὶ μονάζοντας ἡ πανγάληνος βασιλεία τῶν θεοστεπτῶν βασιλέων ἡμῶν βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου συνῆψέ τε καὶ συνήνωσε, καὶ μίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν εἰργάσατο. ὅθεν χρεὼν ἀνακηρύττεσθαί τε καὶ μεγαλύνεσθαι τοὺς τὸ τοιοῦτον θεοφιλὲς καὶ ἀξιόλογον ἔργον πεπληρωκότας. Hæc quidem, ut expositum est, gesta sunt ab Imperatoribus olim rerum potitis. Nunc vero ex Patris & Filij & Spiritus sancti benevolentia & gratia sacerdotes atque solitarios jam ante nonaginta annos ob prædictam causam, & occasionem à se invicem divulsos serenissima Majestas Imperatorum nostrorum à Deo coronatorum Basilij & Constantini conjunxit, & univit; unamque Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam effecit. Quamobrem prædicandi, magnique faciendi sunt, qui opus tam gratum Deo, tamque magni momenti ad exitum perduxere. Sic ibi.

Unde apparet, nonnullos Græcorum Ecclesiasticos, præsertim μονάζοντας, qui forte Euthymium sequebantur, diu multumque obstitisse, quo minus præcepto Ecclesiastico tetragamia simpliciter, trigamia sub conditione vetaretur.

Pace tandem reddita Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & universe ab omnibus Græcis tam Ecclesiasticis, quam principibus sæcularibus acceptata, adeo tetragamiam tanquam minus decoram Græci non admiserunt; ut cum postea in reconciliatione, quæ propter consequutum deinde schisma, fieri debuit, duo Constantinopolitani Imperatores Michaël & Caloiannes Palæologi fidei professionem ex præscripto Romanæ sedis ediderint; cum de Sacramento matrimonij agerent, non nisi de tertiis nuptiis licite contrahendis, ubi canonicum impedimentum non interuenit, mentionem fecerint. Sic enim habetur & in Vaticano codice manu scripto Græco atque Latino, & in ea professione fidei, quæ habetur in fine Concilij Lugdunensis Romanæ editionis Conciliorum generalium: διαλυθέντος τοῦ γάμου ὑπὸ θανάτου θατέρου τῶν ὁμοζύγων, δευτέρους καὶ τρίτους ἐντεῦθεν γάμους θεμιτοὺς εἶναι λέγει. (ἡ Ρωμαϊκὴ ἐκκλησία. Romana Ecclesia.) Dissoluto matrimonio per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit. Cum enim Canonico jure quartæ nuptiæ apud Græcos omnino sublatæ sint, earum mentio fieri non debuit, ubi numerabantur nuptiæ, canonico impedimento alioqui non illicitæ.

Superest explicandum, utrum Pontifex potuerit irritare tetragamiam apud Græcos, & concedere quod ipsi statuerant in illo tomo.

Primo, Notandum est posse Ecclesiam impedimenta statuere, quæ matrimonium si contrahatur, irritum faciant. Quæ veri-

tas ſtabilita eſt in Concilio Tridentino ſeſſ 24. can. 3. & 4. & conſtat uſu totius Eccleſiæ tam Occidentalis, quam Orientalis, ideoque de fide tenenda eſt. Hacque ratione præter certos gradus conſanguinitatis, quos prohibuit Eccleſia, etiam clandeſtina matrimonia nulla reddidit. Non quod mutaverit eſſentiam Sacramenti, ſed quod irritum fecerit contractum humanum, qui in Sacramento matrimonij prærequiritur.

Secundo Notandum eſt ante Concilium Tridentinum Potuiſſe principes fideles impedimenta matrimonium diſſolventia populis ſibi ſubditis ſuis legibus indicere, hoc eſt contractus irritos facere. Hodie tamen id principibus Catholicis non eſſe integrum, quod hanc reſervaverit Eccleſia ſibi facultatem.

Tertio Nota. Ut Romanus Pontifex rite & recte valeat impedimenta matrimonij indicere, & matrimonium jure naturali & divino conceſſum inter certum genus perſonarum interdicere, juſtam cauſam deſiderari ſecundum omnes, ſed ea non exiſtente, matrimonium contra talem prohibitionem initum, validum eſſe & culpa vacare, ſecundum probabiliorem ſententiam. Non enim poteſtas Pontificia eſt ad diſſipandum, ſed ad recte Eccleſiam adminiſtrandum.

Ultimo nota. Sicut integrum eſt Pontifici in univerſa Eccleſia impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere, ita Epiſcopo in ſua diœceſi, niſi Pontifex ſibi reſervet. At id hodie non poteſt, quoniam hoc ſibi Pontifex reſervavit. Quamvis textus id Pontifici reſeruans, non extet, ſed ex generali Eccleſiæ conſuetudine id Pontifici reſervatum credendum eſt. Hæc notanda facile Theologis & Canoniſtis conceduntur. Videndus eſt Thomas Sanches in libro 7. de impedimentis matrimonij diſput. 1. & 2.

Ex his autem facile ſolvitur quæſtio. Nam ex primo & tertio Notando jure optimo Pontifex conceſſit Græcis, quæ ab ipſo efflagitarant. Cauſa juſta extitit, unio Eccleſiarum, & publica honeſtas, præſertim cum ſanctiſſimi Patres rem tanquam parum decoram acriter exagitaſſent. Quemadmodum irrita etiam reddiderunt propter eandem cauſam honeſtatis matrimonia inita intra certum gradum conſanguinitatis jure divino non prohibitum.

Ex ſecundo Notando apparet, Imperatores Græcorum irritos potuiſſe facere, & de facto feciſſe contractus humanos circa hanc materiam, & per conſequens nulla reddidiſſe matrimonia. Non enim eo tempore hoc ſibi reſervaverat Eccleſia.

Ex ultimo Notando conſtat, Baſilium Magnum, & Gregorium Nazianzenum omni prorſus reprehenſione carere. Quod tanquam Epiſcopi in ſuis Eccleſiis ex juſta cauſa quædam matrimonia irritaverint. Quos profecto tanquam inſignes doctores non pauci alij Epiſcopi in Oriente ſequuti ſunt. Non enim ſimiliter eo tempore id Romanus Pontifex ſibi reſervaverat.

Sed contra doctrinam expoſitam illud nobis aliquis objicere poſſet. Quod Innocentius quartus in litteris ad quendam Epiſcopum Tuſculanum Apoſtolicæ ſedis legatum in Regno Cypri hac de re admonitus ita reſcripſit. Quia vero ſecundum Apoſtolum mulier mortuo viro ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi, cui vult in Domino liberam habeat facultatem, ſecundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, ſed potius illas approbent inter perſonas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi poſſunt.

Reſpondeo, Græcos non damnare ſecundas nuptias, ut jam probatum eſt in cap. 6. neque abſolute tertias. Non enim quia digamis imponitur aliqua pœnitentia juxta Canones antiquos, propterea eos damnant. Innocentium vero recte monere Græcos, ne quartas, & ulteriores nuptias, quaſi natura ſua malas, vituperent. Quæ etiam ſi indecorum aliquid contineant, & ideo canonice prohiberi ab Eccleſia poſſint; quemadmodum nuptiæ intra certos gradus conſanguinitatis, tamen nullo jure naturali, vel divino vetitæ ſunt, & ideo præciſo impedimento canonico ſine peccato contrahi poſſunt. Quia vero legatus ille ſignificaverat Pontifici, Græ-

esse existimare secundas, tertias, & quartas nuptias esse natura sua prohibitas, cum hoc ad illum scripsit tanquam errorem Græcorum, eam ob rem Innocentius respondit, monendos esse Græcos, ne quartas aut ulteriores nuptias vituperarent.

Quo etiam spectat id quod Eugenius quartus in bulla unionis Jacobitarum, quæ incipit, Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, edita in Concilio Florentino, quod continuatum est per triennium, de tetragamia scripsit §. 26. Quoniam nonnullos asseritur, quartas nuptias tanquam condemnatas respuere; ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro, mulier fit ab ejus lege soluta, & nubendi cui vult in Domino habeat facultatem; nec distinguat mortuo primo, secundo, vel tertio: declaramus non solum secundas, sed tertias, & quartas, atque ulteriores, si aliquod impedimentum canonicum non obstat, licite contrahi posse.

Considerat enim ibi Pontifex, quod ex natura sua, & jure divino, non ex humana & canonica constitutione reperitur in tetragamia, quæ sine dubio peccatum non est. Neque ipse vult canonicum ullum impedimentum inducere quartas nuptias contrahendi, quemadmodum efflagitantibus Græcis induxerat Joannes hujus nominis X. Papa; aut dissimulatione sua permittere, ut Iacobitæ per conscientiam erroneam peccent, contrahentes quartas nuptias, existimantes eas esse malas.

De discrimine graduum consanguinitatis & affinitatis, quod est inter Græcos, & Latinos.

CAPUT XXX.

De gradibus consanguinitatis breviter dicendum est. In quibus, Græcis cum Latinis non usquequaque convenit. Græci enim sunt uno gradu civili remissiores. Nam in transverso ordine secũdum gradum constituunt fratres juxta regulas juris civilis, quo solo utuntur Græci. Siquidem gradus enumerant ex numero personarum, non à stipite.

Jam vero non à tempore Lucæ Patriarchæ, qui fuit imperante Manuele Porphyrogenito, ut Demetrius Chomatenus Archiepiscopus Bulgariæ, & Matthæus Blastarius falso existimant, sed Michaëlis Patriarchæ, qui Lucam longe antecesserat, & fuit anno Domini 1050 ac deinceps usque ad nostra tempora Græci prohibuerunt fieri matrimonia usque ad septimam personam inclusive. Nam antea tempore Alexij Patriarchæ, qui Michaëlem præcesserat, vetabant usque ad sextam inclusive, ut videre licet in jure Orientali. Scio Lucam Patriarcham edidisse ejusdem tenoris decretum, non quasi de re nova, sed forte quia male à Græcis prædecessorum ejus decreta negligi cernebat; idcirco coactus fuit ipse quoque idem statuere, ac promulgare: prædictos vero auctores, qui aliter sentiunt, decretum Michaëlis Patriarchæ, quod extat in jure Orientali, erroris manifeste redarguit.

Porro septima persona, quam Græci prohibent, continetur in quarto gradu juris Canonici, & ita Græci congruenter cum Latinis prohibent quidem usque ad quartum gradum, non tamen perfecte. Cum enim quartus gradus comprehendat etiam octavam personam, Græci cum ea permittunt fieri matrimonium.

Quod Innocentius Quartus in citatis literis ad Episcopum Tusculanum legatum in Regno Cypri, vehementer prohibet ita rescribens:

Quoniam apud eos (Græcos) consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem, & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur; ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus districte præcipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari ulterius non præsumant, statutum in hoc generalis Concilij observantes. Sic ille.

Per Concilium generale intelligit Late-

ranense sub Innocentio tertio. Ibi enim definitum est cap. Non debet de consanguinitate, & affinitate, ut prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excederet. Idque ad imitationem fortassis Gregorij Magni, qui Anglorum matrimonia ad tertium, vel quartum gradum dispensative coarctaverat, cum ante Concilium conjugia progrederentur ad septimum gradum canonicum, ultra quem non esset ulla consanguinitas.

Notandum autem est, cur Græci potius sequuti fuerint supputationem civilem, quam canonicam: & cum ex una parte stipitis prohibeant quartam personam posse contrahere cum tertia in transverso ordine ex altera parte stipitis; non etiam prohibeant quartam personam ex altera parte stipitis, cum par utriusque ratio esse videatur. Non enim personæ in ordine transverso conjunguntur, nisi ratione stipitis, à quo procedunt. Et similiter distant inter se, quo magis vel minus distant à stipite. Quod si inæqualiter à stipite distent, tunc ab eo sumitur regula, qui est à stipite remotior.

Quo in casu Græci, qui alioquin indulgentiores esse videntur, aliquando tamen illud negant, quod Canonistæ concedunt, ut ex subjecta figura clare constabit.

Andreas

Petrus — Paulus
Dorothea
Theodora
Irene
Eudoxia

Canonistæ permitterent Petro ducere in uxorem Eudoxiam: quando enim in ordine transverso personæ inæqualiter à stipite distant, tunc eo gradu inter se distabunt, quo distat à stipite ille, qui est remotior. Quoniam igitur Eudoxia superat quartum gradum Canonicum, licitum est ei matrimonium contrahere cum Petro, qui in primo gradu est cum Paulo. Id quod minime concederent Græci, eo quod Petrus, & Eudoxia non excedant numerum septenarium personarum: neque casus contingere non potest, si Andreas generet juvenis Paulum primogenitum, & Petrum in senectute.

Hæc tamen quod non sint de jure divino, possunt dispensari, & si est aliqua differentia inter Græcos, & Latinos, parva quidem ea est, quæ nimirum queat sine detrimento fidei tolerari; modo aliud non obstet. Quare idem Pontifex Innocentius Quartus ibidem subjicit: illos tamen, qui jam in gradu « hujusmodi (octavo) contraxerunt, dispensative permittimus, in sic contracto matri- « monio remanere. «

Venio ad affinitatem, in qua quidem adhuc amplius unum gradum civilem Græci remittunt. Non enim unus, & idem duas secundas consobrinas ordine accipere potest, cum non constituant septimum gradum, quem Græci permittunt, sed sextum. Sextum autem dico, quod nimirum vir, & prima uxor locum unius gradus teneant, & pro uno gradu reputentur.

Cur autem in consanguinitate septimum, in affinitate sextum gradum Græci prohibeant, hanc Matthæus Blastarius in suo Nomocanone rationem assignat: τὸ ἓν ἢ φύσει ἐστὶν, ἢ θέσει. καὶ φύσει μὲν, ὡς ὁ εἷς ἄνθρωπος. θέσει δὲ, ὡς ὁ ἀνὴρ μετὰ τῆς νομίμου γυναικὸς, οὓς σχέσις ἥνωσε, καὶ συνάφεια σαρκικὴ ὡς εἴρηται, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὅταν μὲν οὖν ἐξ αἵματος ἡ οἰκείωσις καὶ γένους ἑνὸς, τὸ οἰκεῖόν τε καὶ τὸ ἓν φύσει ἐστίν. ὅταν δὲ ἐξ ἀγχιστείας, καὶ δύο γενῶν, θέσει τὸ ἕν. καὶ ἡ οἰκειότης αὐτοῖς, οὐ κατὰ τὴν ἐξ αἵματος οἰκειότητα. διὸ καὶ περὶ τοῦ ὑποβεβηκότι βαθμῷ καὶ περὶ τοῦ ὀγδόου εὐθὺς ἡ τοιαύτη οἰκειότης, καὶ ἕνωσις λύεται. τὰ γὰρ μᾶλλον τὴν ἕνωσιν ἔχοντα, πλείονος καὶ τῆς ἀποστάσεως πρὸς τὴν διάλυσιν δέονται, ὥσπερ τὰ ἧττον ἡνωμένα ἐλάττονος.

Unum, inquit, vel natura, vel positio- « ne unum est. Et natura quidem, ut unus « homo. Positione vero, ut maritus cum « legitima uxore, quos habitudo, & copu- « latio carnalis conjunxit, quemadmodum « dictum est, & erunt duo in carnem unam. « Quando igitur conjunctio per sanguinis « propagationem ex eodem genere profluit, « tunc hujusmodi conjunctio, & unitas na- « tura talis est: quando vero ex affinitate, « ad duobus generibus, positione talis est, « & conjunctio ipsis non juxta consociatio- « nem sanguinis fit. Quapropter & inferiore «

gradu, & ante octavum statim hujusmodi affinitas, & conjunctio solvitur. Quæ enim magis sunt unita, majori etiam intervallo, ut dissolvantur, indigent, sicut quæ minus sunt unita, minori. Sic Blastarius.

Hoc summatim dicere videtur, quia major est conjunctio, & consociatio inter eos, qui ex uno propagantur sanguine, & stipite, quam sit inter eos, qui per copulationem unius efficiuntur inter se affines: idcirco in consanguinitate septimus, in affinitate sextus gradus prohibetur.

Ut vero in his, quæ diximus, sunt Græci Latinis remissiores, & indulgentiores, ita contra in eadem affinitate ex alio capite sunt severiores. Cum enim in affinitate consanguinei unius ex conjugibus afficiantur affines alterius; Ex eo quod affinitas sit proximitas personarum ex coitu deducta inter eos, qui non per propagationem, sed per unionem duorum in carnem unam conjunguntur, ideoque consanguinei mariti efficiantur affines uxoris, & contra; Non tamen inter se consanguinei unius conjugis sint affines consanguineis alterius conjugis: Græci nihilominus etiam inter istos affinitatem constituunt. Quod etiam audio à Latinis olim ante Concilium Lateranense sub Innocentio tertio quodammodo servatum fuisse.

Et Latini quidem laudabiliter quasi more mathematicorum sic possent ratiocinari. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem & inter se. Quia igitur consanguinei mariti sunt unum cum eo per sanguinis propagationem ab uno stipite, maritus vero sit unum cum uxore per copulationem, merito consanguinei mariti efficiuntur unum cum ejus conjuge: quod idem dicendum est de consanguineis uxoris respectu viri. Græci vero longius quidem, sed non dissimili ratione peterent similitudinem & proportionem. Quia enim maritus, & uxor sunt unum per copulam, consanguinei vero mariti sunt unum cum eo, ac proinde cum ejus uxore, & consanguinei uxoris sunt unum cum ea & continenter cum ejus viro: efficitur non quidem immediate, sed mediate consanguineos utriusque fieri unum & inter se.

Verum quia hæc non pendent ex jure divino, quod dispensari non potest, potuerunt Latini prudenter, ac rationabiliter suas leges condere, ac relaxare.

At in quo gradu, quæret quispiam, hujusmodi affines inter se prohibentur? hoc enim superest explicandum, an in eodem quo & conjuges, ratione quorum isti contrahunt affinitatem?

Verum dicendum est, quintum illis perpetuo vetitum esse decreto Sisinij Patriarchæ. Sextum vero, & septimum, si fiant combinationes conjugiorum, nimirum plurium cum plurimis, & concedi, & prohiberi. Hoc autem totum pendet, ac provenit ex regula quadam desumpta ex epistola Basilij magni ad Diodorum Episcopum Tarsensem, quæ à Græcis ubicumque hac de re agitur, ut in Nomocanone à Blastario, & jure Orientali passim citari solet, estque ejusmodi: ἐν οἷς τὰ τῶν γενῶν ὀνόματα συγχέονται, ἐν τούτοις ὁ γάμος ἀθέμιτος. hoc est, in quibus generis nomina confunduntur; in iis nuptiæ illicitæ. Ex qua quidem regula optime agnosci potest quando vetari, quando vero permitti hujusmodi gradus debeant.

Sextus itaque gradus, si ex primo, & quinto constiterit, ut si pater & filius, qui in primo gradu collocantur, amitam, & neptim quæ quinto distant, duxerint, ob regulam datam non permittitur. Confunduntur enim nomina, paterque ac filius inter se fiunt σύγγαμβροι, qui & ὁμόγαμβροι, dici solent, hoc est simul-generi, uterque enim gener appellatur. Idem gradus ex duobus, & quatuor constans, si confusio nascatur, prohibetur. Etenim fieri non potest; ut duo fratres duas consobrinas, aut contra duo consobrini duas sorores uxores ducant. Fiunt enim loco fratrum σύγγαμβροι, congeneri. Si autem non oriatur confusio, tenet, & validus est. Ut si avus & nepos materteram magnam, & neptim duxerint. Iisdem enim nominibus tam avus quam matertera in posterum appellantur.

Idem sextus gradus ex tribus, & tribus conflatus conceditur, ut si inter patruum

&

& nepotem cum matertera & nepte matrimonium celebretur. Interdicitur vero si talis ordo inversus fuerit, & nepos quidem materteram, patruus vero neptim ducant. Tunc enim confunduntur nomina, fitque nepos quodam modo patruus, & patruus nepos, & hæc quidem de sexto gradu.

Non dissimili ratione de septimo quoque gradu disserendum est. Nam ex primo & sexto compositus prohibetur, ut pater & filius, qui sunt in primo gradu, non possunt ducere duas δισεξαδέλφας, hoc est patris, vel sororis abneptes, quæ in sexto sunt gradu cognationis, tunc enim pater & filius evadunt congeneri. Ex duobus vero, & quinque conceditur, ut avus, & nepos, vel duo fratres cum parva matertera, & nepte. Ex tribus, & quatuor permittitur, ut patruus & nepos cum duabus consobrinis. Vetantur avus, & atnepos cum iisdem, fiunt enim congeneri. Octavus vero gradus, quomodocumque sit, conceditur. Neque amplius ratio ulla, quæ possit impedire, consideratur.

Præter has affinitates est & alia species apud Græcos, quæ gradibus quidem non continetur, propterea quod tria genera complectatur. Conceditur tamen, & inter hujusmodi personas quartus gradus, & quandoque tertius. Exempli gratia de quarto gradu. Quidam duxit in matrimonium sororem Theodori, cui nomen Anna. Illa vero mortua, accipit sororem uxoris Theodori, quæ appellatur Irene. Hic vero considerantur quatuor gradus. Theodorus enim & Anna constituunt duos. Uxor vero Theodori, & Irene soror illius alios duos. De tertio gradu hoc sit exemplum: accipit quidam uxorem, illa mortua, suæ uxoris avunculi uxorem in secundum matrimonium ducit, & ratum est.

In his ergo illud observatur, ne personæ, quæ contrahunt matrimonium, immediate conjungantur cum medio genere, tunc enim non licet contrahere. Exempli gratia, feci mihi generum aliquem data filia mea: post si vellem uxorem ducere, quæ fuerat uxor patris illius, non possum. Continetur enim, & immediate tangit medium genus, & cum eo conjungitur. Hactenus de affinitate. Cujus tam secundis, quam postremis molestiis merito carent Latini. Cum sint valde perplexæ, & eas Parochus si non sit satis doctus, cujusmodi constat non esse passim parochos Græcos, facile ignorare queat. Cum & ejusmodi casus raro accidant.

In cognatione legali, quæ oritur ex adoptione, variant Græci quodammodo gradus ex parte adoptantis hac ratione. Pater adoptans filium, primum gradum cum eo constituit, secundum vero cum ejus patre carnali, tertium cum ejus fratribus, & sic deinceps. Vetantur autem iidem gradus, qui & in consanguinitate.

In cognatione spirituali, quæ oritur ex baptismo, quidam Græcorum tot gradus vetandos enumerant, quot etiam in consanguinitate, nimirum septem. Id autem conantur probare ex eo quod tam lex civilis quam Trullana synodus canone 53. spiritualem necessitudinem, & conjunctionem majorem videantur agnoscere, quam sit corporum. Alij vero melius, & quidem major pars, sentiunt, non nisi nominatim contentas, atque expressas in lege civili personas prohiberi. Lex vero sic habet: ὁ μέντοι ἀπὸ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τινὰ δεξάμενος, οὐ δύναται αὐτὴν ὕστερον εἰς γάμον ἀγαγέσθαι, ὡς ἤδη γενομένην αὐτοῦ θυγατέρα, οὐδὲ τὴν ταύτης μητέρα ἢ θυγατέρα. ἀλλ' οὐδὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ. ἐπεὶ οὐδὲν ἄλλο δύναται οὕτως εἰσαγαγεῖν πατρικὴν διάθεσιν, καὶ δικαίαν γάμου κώλυσιν, ὡς ὁ τοιοῦτος δεσμὸς, δι' οὗ Θεοῦ μεσιτεύοντος αἱ ψυχαὶ αὐτῶν συνάπτονται. Qui vero à sacro baptismate aliquam suscepit, eam postea in matrimonium ducere non potest, quippe quæ effecta sit ejus filia: sed neque ejus matrem, aut filiam ducere potest. Neque filius ejus; quandoquidem nihil æque inducere potest paternam affectionem ac justam conjugij prohibitionem, atque tale vinculum per quod Deo intercedente eorum animæ conjunguntur.

Quod ergo major appelletur conjunctio, intelligitur quod attinet ad sanctitatem, & conjunctionem animorum, cum sit spiritualis cognatio, non autem quoad majorem extensionem graduum.

Cognatio quæ contrahitur ex confirmatione apud Græcos non exprimitur, neque ulla mentio de ea fit. Eadem tamen concedenda est, quæ & Baptismi. Siquidem Græci simul, & semel baptizant, & confirmant, atque unus ἀνάδοχος utrique Sacramento inseruit. Gratianus item de consecratione distinct. 4. can. in Catechismo, decretum affert quoddam Hygini Pontificis, quo statuit unum, & eundem esse posse eum, qui suscepit baptizatum, & confirmatum.

Præterea extra hos quinque gradus enumeratos consanguinitatis, & affinitatis, agnoscunt Græci impedimentum criminis. Quod tamen existimo non ad secundum, ut fit à Latinis, sed ad unum tantum gradum ab ipsis restringi. Nulla quippe exceptione facta simpliciter aiunt, ὁ κατηγορηθεὶς μοιχὸς, εἰ καὶ μὴ προφανῶς ἀπηλέγχθη, οὐ δύναται ταύτην εἰς γυναῖκα λαβεῖν. qui adulterii accusatus est, tametsi aperte convictus non fuerit, non potest illam in uxorem ducere.

Huic annumerant libertum, qui uxorem heri sui post ejus mortem non potest ducere. Præbet enim suspicionem, quod etiam vivente Domino ea sit abusus.

Item domesticos famulos, qui sub potestate sunt, etiam si mancipia non sint, neque unquam fuerint. Quoniam, inquiunt, libertinorum locum tenent. Ideo post mortem suorum dominorum uxores eorum minime ducere possunt. Ne præcedentis adulterii suspicionem præbeant.

Neque curator, aut filius ejus pupillam ducere potest, antequam tutela solvatur, & finiat tempus.

Neque auctor, & histrio scenicus, aut ejus filius senatoris filiam ducere potest, propter honestatem. Sunt enim legibus civilibus infames.

Et hæc quidem olim puto servata fuisse florente Orientis Imperio. Nam postrema hæc ad leges civiles pertinere videntur. Quæ libertati matrimonii detrahunt. Quippe secundum probabiliorem sententiam jure Canonico minime ista interdicuntur.

Tandem in præsenti materia Græci afferunt ejusmodi regulam: ἐπὶ μὲν τῶν ἐξ αἵματος, καὶ τῶν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, καὶ τῶν ἐξ υἱοθεσίας βαθμοὺς δέον ζητεῖν. καὶ τὰ ὑπὲρ τὸν ἕβδομον τούτοις ἀκώλυτα. ἐπὶ δὲ τῶν ἐξ ἀγχιστείας, καὶ τῶν ἐκ τριγενείας, τὰ ῥητῶς κωλυθέντα, ἢ σύγχυσιν ἔχοντα φυλάττεσθαι χρή. ἐπὶ δὲ τῶν ἔξω συγγενείας, τὸ εὐπρεπές. In iis qui ex uno sanguine propagantur, & sacro Baptismate, & adoptione, gradus oportet quærere. Et qui ultra septimum sunt, nullam habent prohibitionem. In iis vero, quæ proveniunt ex affinitate, & trium generum connexione, illud observandum, an expressæ legibus prohibeantur, vel confusionem nominum pariant. At in iis, quæ sunt extra cognationem, decoro & honestati consulendum est.

Ex qua regula mea sententia quædam Latinorum, quæ apud Græcos expresse non extant, explicari commode possunt, ut publicæ honestatis impedimentum.

Porro autem de confusione nominum, quæ vere confundunt intellectum, si quis Græculus Basilii regulam nobis objiciat, male à Latinis negligi, est quod respondeam. Cum ea non sit de jure divino, neque illam inculcent alii sancti Patres atque Doctores, non constituit articulum fidei, neque est causa, cur non poterit immutari. Immo ne à Græcis quidem ipsis olim integre servatam fuisse (& modo an servetur nescio) constat ex decreto Sisinii Patriarchæ in jure Orientali, qui eam regulam suscitare conatur, sibique objicit consuetudinem in contrarium.

Hæc fere sunt in hac materia quibus Græcis cum Latinis partim convenit, partim non convenit. Quæ tanti non sunt, quod de jure divino sint, ut eorum causa vadimonium deseri oporteat. Plura tamen si quis volet, jus Orientale consulat, & qui in Bibliothecis adhuc latet, Matthæum Blastarium in Nomocanone, cæterosque Græcorum Canonistas, ubi vel diuturnam sitim explere poterit.

Vtrum per Papæ dispensationem possit aliquis ducere sororem uxoris suæ demortuæ.

Caput XXXI.

Hanc quæstionem tractandi præbet nobis occasionem Epistola quædam Basiliana, quæ alias vere aurea est, ac digna Basilio. Quia tamen in ea conatur Basilius ostendere non solum jure positivo, & Ecclesiastico, sed etiam jure divino prohiberi ejusmodi matrimonium; inde posset aliquis Græculus Romanæ Ecclesiæ objicere, cur summi Pontifices aliquando dispensent, quod contra jus divinum putat esse Basilius. Si enim de jure divino vetatur matrimonium, de quo nunc agimus, certe nulla ratione Papa in eo dispensare potest. Alioqui nullum jus divinum stabile foret. Ut igitur hunc scrupulum Græcis eximamus, ac de tota re præsenti recte judicare valeamus, recensenda erit per partes tota Epistola. Sic enim quilibet facile perspicere poterit, quæ rationes astruant laudabilem Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem, non concedendi passim ejusmodi matrimonia: quæ item speciem veri habeant, quo nomine Romanis Pontificibus quandoque dispensantibus possent opponi; ad quas singillatim respondendum erit.

Prius tamen causa indicanda est, ob quam eam Epistolam scripserit Basilius. Quidam è nobilibus quæsierat à Basilio utrum posset ducere in matrimonium sororem uxoris suæ demortuæ. Negavit Basilius simpliciter & absolute id posse fieri. Verum ille non acquiescens responso Basilii per litteras interrogaverat Diodorum Episcopum Tarsensem: Utrum hoc posset fieri, an lege divina prohiberetur. Respondit ille, minime lege divina id prohiberi. Inde vero, vel uterque inferebat sine ulla dispensatione passim à quolibet posse istud fieri, vel saltem ab Episcopo posse dispensari, quandoquidem non vetatur. Ipseque Diodorus ut apparet ex præsenti epistola, facile dispensaverat. Basilius ergo, cui responsum Diodori in scriptis ostensum fuerat, merito excanduit, quippe qui timeret ne res valde trita, & usitata fieret, ac passim ejusmodi matrimonia, ut licita permitterentur. Propterea satis gravem exaravit epistolam. Artificiose vero procemium epistolæ composuit, ne Diodorum offenderet. Fuit quippe Diodorus inter egregios propugnatores divinitatis Spiritus sancti contra Eunomianos unus habitus, & à Basilio Magno & Chrysostomo laudatus. Nam cum à principio in Eunomii hæresim lapsus esset, postea Ecclesiæ Catholicæ se reconciliavit, & eos vehementer insectatus est. At nihilominus cum insaniam τῶν πνευματομάχων effugisset; in alium morbum incidit, quem animo postea imbibit Nestorius. Cumque Diodorus ob id hæreticus esset, quandiu vixit, latuit; sed post obitum Cyrillus Alexandrinus ex ejus scriptis, qualis esset, eum detexit & prodidit.

Photius quoque in sua bibliotheca fol. 150. hoc de Diodoro refert: ἐμπεριείχετο δὲ τῇ δέλτῳ καὶ Διοδώρου Ταρσοῦ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος διάφορα ἐπιχειρήματα. ἐν οἷς καὶ τὴν Νεστορείου νόσον αὐτὸς ἐπιδείκνυται προηρρωστηκώς. In eodem codice Diodori quoque Tarsensis varia scripta erant de Spiritu sancto argumenta; in quibus etiam prior ipse Nestorii morbo laborasse dignoscitur.

Sed ut ad Basilium nostrum redeamus, sic eam exorditur Epistolam: ἀφίκετο εἰς ἡμᾶς γράμματα τὴν ἐπιγραφὴν ἔχοντα Διοδώρου, τὰ δὲ ἐφεξῆς ἄλλου τινὸς πρέποντα εἶναι, ἢ Διοδώρου. δοκεῖ γάρ μοι τις τῶν τεχνικῶν τὸ σὸν πρόσωπον ὑποδὺς, οὕτως ἑαυτὸν ἀξιόπιστον θελῆσαι ποιῆσαι τοῖς ἀκροωμένοις. ὅς γε ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος, εἰ θεμιτὸν αὐτὸν πρὸς γάμον τῆς τελευτησάσης αὐτοῦ γυναικὸς τὴν ἀδελφὴν ἀγαγέσθαι, οὐκ ἔφριξε πρὸς τὴν ἐρώτησιν, ἀλλὰ καὶ πρᾴως ἤνεγκε τὴν ἀκοὴν, καὶ τὸ ἀσελγὲς ἐπιθύμημα πάνυ γενναίως αὐτῷ καὶ ἀγωνιστικῶς συγκατέπραξεν. εἰ μὲν οὖν παρῆν μοι τὸ γράμμα, αὐτὸ ἂν ἀπέστειλα, καὶ εἶχες σεαυτῷ τε ἀμῦναι καὶ τῇ ἀληθείᾳ. ἐπεὶ δὲ ὁ δείξας πάλιν ἀφείλετο, καὶ ὥσπερ τι τρόπαιον καθ' ἡμῶν περιέφερε κεκωλυκότων τὸ ἐξ ἀρχῆς, ἔγγραφον λέγων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἀπέσταλκα νῦν

σοι, ὥστε διπλῇ τῇ χρείᾳ ἡμᾶς ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν νόθον ἐκεῖνον λόγον, καὶ μηδεμίαν αὐτῷ ἰσχὺν καταλιπεῖν, ἵνα μὴ ἔχῃ βλάπτειν ῥᾳδίως τοὺς ἐντυγχάνοντας. πρῶτον μὲν οὖν καὶ μέγιστον ἐπὶ τῶν τοιούτων ἐστὶ τὸ παρ' ἡμῖν ἔθος, ὃ ἔχομεν προβάλλειν, νόμου δύναμιν ἔχον, διὰ τὸ ὑπὸ ἁγίων ἀνδρῶν τοὺς θεσμοὺς ἡμῖν παραδοθῆναι. τοῦτο δὲ τοιοῦτόν ἐστιν, ἐάν τις πάθει ἀκαθαρσίας ποτὲ κρατηθεὶς, ἐκπέσοι πρὸς δυοῖν ἀδελφαῖν ἀθέσμιον κοινωνίαν, μήτε γάμον ἡγεῖσθαι τοῦτο, μὴ δ' ὅλως εἰς ἐκκλησίας πλήρωμα παραδέχεσθαι πρότερον, ἢ διαλῦσαι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων. ὥστε εἰ μηδὲν εἰπεῖν ἦν ἕτερον, ἐξήρκει τὸ ἔθος πρὸς τὴν τοῦ κακοῦ φυγήν.

Ἐπεὶ δὲ ὁ τὴν ἐπιστολὴν γράψας ἐπιχειρήματι κιβδήλῳ κακὸν τοσοῦτον ἐπειράθη τῷ βίῳ ἐπαγαγεῖν, ἀνάγκη μηδὲ ἡμᾶς τῆς ἐκ τῶν λογισμῶν βοηθείας ὑφέσθαι. καίτοι ἐπὶ τῶν σφόδρα ἐναργῶν, μείζων ἐστὶ τοῦ λόγου ἡ παρ' ἑκάστῳ πρόληψις. γέγραπται, φησιν, ἐν τῷ Λευιτικῷ, γυναῖκα ἐπ' ἀδελφῇ αὐτῆς οὐ λήψῃ ἀντίζηλον, ἀποκαλύψαι τὴν ἀσχημοσύνην αὐτῆς ἐπ' αὐτῇ ἔτι ζώσης αὐτῆς. δῆλον οὖν ἐκ τούτου εἶναι, φησὶν, ὅτι συγχωρεῖται λαμβάνειν τελευτησάσης.

Πρὸς δὲ τοῦτο πρῶτον μὲν ἐκεῖνο ἐρῶ. ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ. ἐπεὶ οὕτως γε καὶ περιτομῇ καὶ σαββάτῳ καὶ ἀποχῇ βρωμάτων ὑποκεισόμεθα. οὐ γὰρ δὴ ἐὰν μέν τι εὕρωμεν συντρέχον ἡμῶν ταῖς ἡδοναῖς τῷ ζυγῷ τῆς δουλείας τοῦ νόμου ἑαυτοὺς ὑποθήσομεν. ἐὰν δέ τι φανῇ βαρὺ τῶν νομίμων, τότε πρὸς τὴν ἐν Χριστῷ ἐλευθερίαν ἀποδραμούμεθα. Allatæ sunt
» ad nos literæ, quæ quidem inscriptionem
» Diodori habent, sed quæ in his continen-
» tur, cuipiam alteri, quam Diodoro con-
» veniunt. Videtur enim mihi homo aliquis
» versipellis tuam indutus personam ea ra-
» tione seipsum auditoribus dignum fide ef-
» ficere voluisse. Qui interrogatus à quo-
» piam; Utrum fas sit, eum sororem uxoris
» suæ demortuæ in matrimonium ducere.
» Non exhorruit interrogationem, sed be-
» nignas præbuit aures, impurumque desi-
» derium valde strenue, multoque collato
» studio ipsi confecit. Igitur si mihi præ
» manibus esset epistola, sane quidem mi-
» sissem eam, & sufficeres tu tibimet ip-
» se, & veritati opem ferre. Sed, quo-
» niam qui eam ostendit, rursus abstulit, &
» veluti trophæum contra nos, qui à prin-
cipio id prohibueramus, eam circumfere- «
bat, scriptam se habere asserens facultatem, «
scribo nunc ad te, & duplici manu nos ad- «
versus illam rationem falso tibi adscrip- «
tam eamus, nullamque ipsi vim relinqua- «
mus, ne facile eos, qui in illam inciderint, «
lædere valeat. «

Primum itaque ac maximum quod pro- «
ponere, in hujusmodi rebus possumus, est «
apud nos consuetudo vim legis habens, eo «
quod à sanctis viris ejusmodi consuetudi- «
nes nobis sint traditæ. Is vero mos talis «
est, ut si quis immunda passione quadam «
animi victus in societatem illegitimam «
duarum sororum inciderit; Neque nuptiæ «
ille censeantur, neque omnino tales prius «
in Ecclesiam recipiantur, quam ab invi- «
cem separentur. Quare & si nihil aliud «
esset dicendum, sufficeret consuetudo ad «
fugiendum hoc malum. «

Quoniam vero quo Epistolam scripsit, «
argumento falso tantum malum conatus «
est vitæ humanæ inducere, necesse est nos «
quoque à ratione ipsa auxilium petere. «
Quanquam in rebus valde manifestis ma- «
jor est quolibet argumento, quæ in uno- «
quoque est prænotio. «

Scriptum est, inquit, in Levitico: uxo- «
rem super sorore ejus non accipies zelo- «
typam, ut reveles turpitudinem ejus super «
ipsa adhuc vivente ipsa. Igitur manife- «
stum ex hoc esse ait, quod permittitur du- «
cere illam demortua prima. «

Ad hoc dicerem in primis quæcumque «
lex dicit, ad eas qui in lege sunt, loquitur. «
Alioquin hac eadem ratione circumci- «
sioni, & sabbato, & abstinentiæ quarum- «
dam escarum subjiceremur. Non enim si «
quid reperiemus in lege, quod voluptati- «
bus nostris consentiat, sub jugo servitutis «
legis nos ipsos supponemus: si quid vero «
visum fuerit grave legalium, ad libertatem, «
quæ in Christo est, recurremus. «

Ratio potissima, & unica, cur liceat ejusmodi matrimonium contrahere cum sorore defunctæ, Diodori est, quia in Levitico cap. 18. ubi interdicuntur nonnulli gradus, prohibetur quidem etiam conjugium cum sorore uxoris, sed superstitis. Igitur licitum est cum sorore uxoris defunctæ.

Ad quod Basilius varie respondet. Primo spectandam esse ait consuetudinem, & sequendam traditionem Ecclesiæ. Quod est dicere, Ecclesiam facultate à Christo sibi tradita dilatasse gradus. Sic enim pro diversitate temporum expedire videbatur. Et quidem Hebræis ad repudium valde pronis plures gradus consanguinitatis prohibere, quam interdicerentur in Levitico, non conducebat, cum & rari essent, & ducentes consanguineas facilius à repudiis abstinerent. Non ita Christianis. Unde non recte argumentabatur Diodorus: Non vetantur Hebræi ducere in matrimonium sororem uxoris demortuæ, igitur neque Christiani. Non enim eadem est ratio.

Deinde ait Basilius legem veterem ad Hebræos pertinuisse, & cum illis loqui, non autem cum Christianis. Non ergo inde sumenda est regula circa instituta Evangelica. Quippe verissimum est, immo & de fide legem cessasse. Quare gradus illi non obligant in lege Evangelica ex eo quod in lege veteri interdicerentur; sed si obligant, id videlicet, quatenus pertinent ad prohibitionem juris naturalis divini, ut fuere præcepta Decalogi.

Addit Basilius tertiam solutionem, videlicet non esse inferendam illationem, igitur licet in matrimonium ducere sororem uxoris defunctæ. Quare autem illatio non teneat, probat in primis à simili deducendo rem ad absurdum his verbis: ἠρωτήθημεν, εἰ γέγραπται, λαμβάνειν γυναῖκα ἐπ' ἀδελφῇ. εἴπομεν ὅπερ ἀσφαλὲς ἡμῖν καὶ ἀληθὲς, ὅτι οὐ γέγραπται. τὸ δὲ ἐκ τῆς τοῦ ἀκολούθου ἐπιφορᾶς τὸ σιωπηθὲν συλλογίζεσθαι, νομοθετοῦντός ἐστιν, οὐ τὰ τοῦ νόμου λέγοντος. ἐπεὶ οὕτως ἐξέςω τῷ βουλομένῳ κατατολμῆσαι καὶ ἔτι ζώσης τῆς γυναικὸς λαμβάνειν τὴν ἀδελφήν. τὸ γὰρ αὐτὸ τοῦτο σόφισμα καὶ ἐπ' ἐκείνῳ ἁρμόζει. γέγραπται γάρ φησιν, οὐ λήψῃ ἀντίζηλον. ὥστε τήν γε ἔξω τοῦ ζήλου λαβεῖν οὐκ ἐκώλυσεν. ὁ δὲ συνηγορῶν τῷ πάθει, ἀζηλότυπον εἶναι διοριεῖται τὸ ἦθος τῶν ἀδελφῶν. ἀνῃρημένης οὖν τῆς αἰτίας, δι' ἣν ἀπηγόρευσε τὴν ἀμφοτέρων συνοίκησιν, τί τὸ κωλῦον ἔσται λαμβάνειν τὰς ἀδελφάς; ἀλλ' οὐ γέγραπται ταῦτα φήσομεν. ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνο ὥρισται. ἡ δὲ ἔννοια τοῦ ἀκολούθου ὁμοίως ἀμφοτέροις τὴν ἄδειαν δίδωσιν. Interogati sumus, utrum scriptum sit, licitum esse accipere uxorem super sorore: respondimus, quod tutum nobis, & verum est, non esse scriptum. Ceterum velle ex illatione consequentis, quod silentio præteritum est syllogizare, legem ferentis est, non legem recitantis. Alioquin hac eadem ratione liceat volenti etiam adhuc vivente uxore audere sororem ducere, id enim ipsum sophisma, & in illud quadrat. Scriptum est enim, inquit, non accipies zelotypam; quare eam, quæ extra zelotypiam est, sumere non prohibuit. Qui igitur huic morbo animi patrocinatur, mores sororum sine zelotypia esse asseverabit: porro destructa causa, propter quam prohibuit ambarum cohabitationem, quod impedimentum erit, quominus accipiantur duæ sorores? At non esse scripta hæc dicemus, sed neque illud determinatum est. Sensus vero consequentis similiter ambobus facultatem præbet.

Notandum est, lectionem Græcam à Latina, & Hebræam à Græca & Latina aliquo modo in verbis variare, sed in sensu optime omnes inter se convenire. Pro eo enim, quod Latini habent: sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipias. Græce est, γυναῖκα ἐπ' ἀδελφῇ αὐτῆς οὐ λήψῃ ἀντίζηλον. Uxorem super sorore ejus non accipies zelotypam, seu æmulam. Hebræum verbum significat ligare, opprimere, affligere, & sensus est: uxorem super sorore ejus non recipies ad opprimendam, seu affligendam uxorem tuam viventem. Quoniam igitur æmulæ solent affligere primas uxores, & tales non sunt prohibente lege veræ uxores, inde Septuaginta vertunt ἀντίζηλον, zelotypam, & Latini ad pellicatum.

Verum similitudo Basilii cur non teneat illatio, non videtur valere: dato enim sororem aliquam non esse ἀντίζηλον, & zelotypam, hoc tamen valde rarum est, & per accidens. At legislatorem par est habere rationem illius, quod per se est, & frequentissimum est. Quare propter raro contingens non destruitur lex.

Non deessent tamen exempla ad probandum illationem illam non habere vim. Nam Christus Dominus loquens de repu-

dio, ait, Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Nec tamen valet: ergo qui dimiserit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur.

Item Concilium Tridentinum sess. 14. de pœnitentia canone 7. definit, circunstantias mutantes speciem esse necessario confitendas. Et nihilominus ex eo non sumitur efficax argumentum ad probandum eas, quę non mutant speciem, sed intra eandem notabiliter aggravant, non esse necessario in confessione explicandas. Siquidem Concilium definit id, quod certum erat, relinquens quod sub judice est.

Præterea vetari ejusmodi matrimonium cum sorore uxoris demortuæ, probatur á simili. Nam ibidem prohibetur conjugium cum uxore fratris etiam defuncti. Ergo quamvis non exprimatur, prohibetur nihilominus matrimonium cum sorore uxoris etiam defunctæ: cum idem sit prorsus gradus affinitatis cum sorore uxoris, & cum uxore fratris.

At si daremus campum in quo sic Doctori vagari, & exponere scripturam liceret, certe multa loca illius destrueremus, quæ optime ex hujusmodi illatione deducuntur. Cur autem non valeat illatio primi exempli in ea quæstione, exponendo similem locum fusius disseruimus, & non sunt eadem iteranda. Id tantum addam. Si Dominus præcise dixisset, quicunque dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis mœchatur. Hoc est, facit eam mœchari, optime inferre possemus. Ergo qui dimiserit in causa fornicationis non mœchatur, quippe qui non sit ei auctor mœchiæ, quod verissimum est.

Ad secundum ex Concilio Tridentino, dico primo. Non videtur esse eadem ratio. Nam cum inter circunstantias aliæ sint non adeo aggravantes, aliæ notabiliter aggravantes, inde nonnulli Doctores ansam dubitandi sumpserunt. Verum Concilium exprimens circunstantias mutantes speciem, id fecerit ad excludendas quascumque alias circunstantias, non tantum non adeo aggravantes. Quippe subdistinguitur illud membrum, At inter sororem vivam, & defunctam non datur tertium aliquod.

Deinde nego, non inde sumi efficax argumentum. Qui enim prohibet majus, non statim prohibet minus. Sed qui prohibet id, quod minus est, multo magis intelligitur prohibere quod majus est. Unde si Concilium Tridentinum sanxisset, necessario esse confitendas circunstantias peccatum aggravantes, multo magis daretur nobis occasio intelligendi statuisse necessario esse confitendas etiam circunstantias mutantes speciem peccati, sed non contra.

Et eodem modo si Moses prohibuisset matrimonium cum sorore uxoris defunctæ, multo magis cogitaremus illud idem prohibuisse cum sorore uxoris superstitis. Immo illud idem verbum, ἀντίζηλος, quod ponit scriptura, & quo utitur Basilius ad probandum contrarium, satis indicat vetari matrimonium vivente conjuge. Non enim zelotypia cadere potest, nisi inter viventes, non autem inter viventem, & uxorem demortuam.

Ad ultimum de simili gradu, respondeo primum in textu sacrorum bibliorum non haberi illud, defuncti, sed non esse accedendum ad uxorem fratris ad revelandam turpitudinem. Sunt autem qui intelligunt fratris viventis. Nam in cap. 25. Deuteronomij præcipitur, ut si quis absque liberis moriatur, ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Idem autem legislator utrumque scripsit.

Deinde cum lex universe loquatur ad uxorem fratris, neque exprimat viventis-ne an defuncti, utrumque prohiberi merito dicemus, si tale matrimonium nude, ac solitarie accipiatur. Unde argumentum non est á simili, cum alterum matrimonium prohibeatur tantum vivente uxore.

Neque locus Deuteronomij nobis officit. Quippe tunc frater ad suscitandum semen uxorem fratris defuncti accipit, qua conditione posita cohonestatur tale matrimonium.

At sunt in eodem gradu matrimonium cum uxore fratris defuncti, & illud cum sorore uxoris defunctæ. Cum ergo illud prohibeatur, & hoc prohiberi necesse est.

Respondeo, si nihil aliud obstaret, esset aliqua ratio ita concludendi. Verum cum extent verba legislatoris, ex quibus clarissime, ac necessario deducitur, posse illud fieri, non est opus cum altero conjugio ejusdem gradus illud comparare.

Præterea cum leges sint odiosæ, non sunt relaxandæ, sed restringendæ, & ut sonant stricte accipiendæ: proinde cum expresse non prohibeatur conjugium cum sorore uxoris defunctæ, non est cur illud concedi non debeat. Quare argumentum à simili in legibus prohibentibus non valet.

Postremo nos quoque probamus à simili non valere. Quia lex illa Levitici prohibet conjugium nepotis cum amita & matertera. Et non prohibet conjugium patrui, vel avunculi cum nepte ex fratre, vel exsorore. Et tamen sunt in eodem gradu nepos, & amita, patruus, & neptis.

Ratio autem cur alterum prohibeat, alterum concedat est, quia cum maritus præesse, ac regere debeat, indecens quodam modo esse videtur, ut nepos regat amitam, quæ ob ætatem patriam auctoritatem in nepotem habere videtur. Unde maritus & se subjiceret, & præesset. Quod indecorum est, propterea & vetatur. At patruus in neptim auctoritatem habet, & sive fiat maritus, sive non, semper illi ætate præest, & ob id conceditur. Ita etiam suo modo, ut unus vir duas uxores simul habeat, non adeo turpe est atque est, si una uxor duos viros simul habeat. Illius quippe & exempla nonnulla extant, posterioris, nulla. Igitur à simili, ut una uxor duos fratres habeat, etiam successive, indecentius esse videtur, quam ut unus vir duas sorores successive ducat: & ideo fortasse lex unum concessit, alterum prohibuit.

Ratio autem à priori cur hæc possent concedi est, quod ea non sint de jure naturali divino: alioqui non sufficerent hæ circumstantiæ, conditionesque ad ea concedenda, ita ut in eo gradu matrimonia essent licita.

Ubi notandum est jus naturale divinum prohibens in hac materia duplex esse, primarium irritans, & secundarium. Naturale dicitur, quod lumine naturali statim sine raciocinatione, vel facillime cognoscatur. Sic Aristoteles lumine naturali ductus in 2. libro politicorum cap. 2. turpissimam censuit conjunctionem parentum cum filiis, & fratrum cum sororibus. Et hoc ejusmodi est, ut partim prohibeatur, quia sit de re intrinsece mala, quæ semper & apud omnes sit mala, nec per quascunque circunstantias fieri possit bona, ut sunt mœchari, mentiri, & id genus. Ac tale est præceptum prohibens matrimonium primi gradus in linea recta, videlicet parentum cum filiis. Partim prohibeatur, quasi sit de re mala excepta extrema necessitate, ut est tollere alienum invito Domino. Id enim semper est malum, & apud omnes censetur malum, nisi in casu ultimæ necessitatis, in quo fiunt omnia communia. Sic Augustinus in libro 15. de Civitate Dei cap. 16. & libro 22. contra Faustum cap. 35. docet, matrimonia in primo gradu transversæ lineæ, qualia sunt inter fratres, & sorores solo mundi exordio licita fuisse generis humani propagandi causa, quippe necessitati hoc dandum erat. Quare quamvis non ita stricte prohibeatur jure naturæ matrimonium inter fratres, & sorores, ac inter parentes & filios, utrumque tamen jure naturali primario prohibetur. Et admodum barbaræ gentes semper habitæ sunt, quæ fratribus cum sororibus conjugia permiserunt: hujusmodi ergo matrimonia sunt indispensabilia.

Alterum jus naturale prohibens est secundarium, idque est quidem de re mala, si nude accipiatur, ut est occidere, sed circunstantiis adhibitis potest cohonestari, & licite fieri. Et talia sunt matrimonia, quæ in aliis gradibus prohibentur in Levitico, ac dispensari possunt à Romano Pontifice, ut Concilium Tridentinum affirmat sess. 24. can. 3. Quamvis enim natura dictet reverentiam quandam deberi consanguineis, & affinibus in illis gradibus conjunctis, cum qua pugnat copula conjugalis; si tamen adhibeantur circumstantiæ cohonestantes, indecentiam illam naturalem tollunt, & licite fiunt. Quemadmodum licite fit homicidium publica auctoritate ob bonum commune in eum qui perniciosus est Reipublicæ. Unde

lex Mosis, quæ in decalogo vetat homicidium, eadem jubet homines maleficos, adulteros, & homicidas esse occidendos.

Quod si ejusmodi matrimonia in Levitico prohibita ob justas & rationabiles causas Romana Ecclesia dispensare potest: Quanto magis ea poterit dispensare, quæ in Levitico non prohibentur? Quale est, de quo nunc agimus.

Sed jam ad ipsum Basilium redeamus, qui deducta re ad absurdum, conatur in primis idem probare ex antecedentibus verbis scripturæ. Deinde ad ea, quæ dixerat, sibi objicit, & dubitationem solvit. Sic igitur habet textus Epistolæ: ἔδει δὲ μικρὸν ἐπὶ τὰ κατόπιν τῆς νομοθεσίας ἐπαναδραμόντα ἀπηλλάχθαι πραγμάτων. ἔοικε γὰρ οὐ πᾶν εἶδος ἁμαρτημάτων περιλαμβάνειν ὁ νομοθέτης, ἀλλ' ἰδίως ἀπαγορεύειν τὰ τῶν Αἰγυπτίων, ὅθεν ἀπῆρεν ὁ Ἰσραὴλ, καὶ τὰ τῶν Χαναναίων πρὸς οὓς μεθίστατο. ἔχει γὰρ οὕτως ἡ λέξις, κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τῆς Αἰγύπτου, ἐν ᾗ παρῳκήσατε ἐν αὐτοῖς, οὐ ποιήσετε. καὶ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τῆς Χαναὰν, εἰς ἣν ἐγὼ εἰσάξω ὑμᾶς ἐκεῖ, οὐ ποιήσετε, καὶ τοῖς νομίμοις αὐτῶν οὐ πορεύσεσθε. ὥστε τοῦτο εἰκός που τὸ εἶδος τῆς ἁμαρτίας, μὴ ἐμπολιτεύεσθαι τότε παρὰ τοῖς ἔθνεσι, διὸ μὴ δὲ τῆς ἐπ' αὐτῷ φυλακῆς προσδεηθῆναι τὸν νομοθέτην, ἀλλ' ἀρκεσθῆναι τῷ ἀδιδάκτῳ ἔθει πρὸς τὴν τοῦ μίσους διαβολήν. πῶς οὖν τὸ μεῖζον ἀπαγορεύσας, τὸ ἔλαττον ἀπεσιώπησεν; ὅτι ἐδόκει πολλοῖς τῶν φιλοσάρκων πρὸς τὸ ζώσαις ἀδελφαῖς συνοικεῖν, τὸ ὑπόδειγμα βλάπτειν τοῦ πατριάρχου. ἡμᾶς δὲ τί χρὴ ποιεῖν; τὰ γεγραμμένα λέγειν, ἢ τὰ σιωπηθέντα περιεργάζεσθαι; αὐτίκα, τὸ μὴ δεῖν μιᾷ ἑταίρᾳ κεχρῆσθαι πατέρα καὶ υἱὸν, ἐν μὲν τοῖς νόμοις τούτοις οὐ γέγραπται. παρὰ δὲ τῷ προφήτῃ μεγίστης κατηγορίας ἠξίωται. υἱὸς γάρ φησι καὶ πατὴρ πρὸς τὴν αὐτὴν παιδίσκην εἰσεπορεύοντο. πόσα δὲ εἴδη ἄλλα τῶν ἀκαθάρτων παθῶν τὸ μὲν τῶν δαιμόνων διδασκαλεῖον ἐξεῦρεν, ἡ δὲ θεία γραφὴ ἀπεσιώπησε; τὸ σεμνὸν αὐτῆς ταῖς τῶν αἰσχρῶν ὀνομασίαις καταρυπαίνειν οὐχ αἱρουμένη, ἀλλὰ γενικοῖς ὀνόμασι τὰς ἀκαθαρσίας διέλαβεν. ὡς καὶ ὁ ἀπόστολος Παῦλος φησί. πορνεία δὲ καὶ ἀκαθαρσία πᾶσα μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, καθὼς πρέπει ἁγίοις. τῷ τῆς ἀκαθαρσίας ὀνόματι τάς τε τῶν ἀρρένων ἀρρητοποιΐας καὶ τὰς τῶν θηλειῶν περιλαμβάνων. ὥστε οὐ πάντως ἡ σιωπὴ ἄδειαν φέρει τοῖς φιληδόνοις. Oportebat autem paululum ad antecedentia legis accurrentem molestiis liberari. Videtur enim legislator non omnem speciem peccatorum complecti, sed peculiariter prohibere errata Ægyptiorum, unde discessit Israël, & Chananæorum mores, ad quos migrabat. Sic enim textus habet. Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis. Et juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.

Quare verisimile est, hoc genus peccati non fuisse in usu tunc temporis apud gentes, ac proinde nec cautione super hoc indiguisse legislatorem; sed ad inducendum odium hujus peccati more, non doctrina scripto tradita, contentum fuisse.

Quomodo igitur cum prohibuisset majus, quod minus erat silentio præteriit? Nempe quia exemplum Patriarchæ videbatur lædere multos carnis amatores, qui cum vivis sororibus habitarent. Nos autem quid facere oportet, quæ scripta sunt dicere, vel quæ silentio præterita sunt, curiosius indagare? Ecce enim quod non liceat una meretrice patrem & filium uti, in his quidem legibus minime scriptum est: at vero apud Prophetam maxima dignum accusatione censetur. Filius enim, ait, & pater ad eandem ancillam ingrediebantur.

Quot vero alias species impurorum affectuum Schola Dæmonum adinvenit, quæ divina scriptura siluit? Nolens videlicet gravitatem suam appellationibus rerum turpium fœdare, sed generis dumtaxat nominibus immunditias complecti, quemadmodum & Apostolus ait, fornicatio vero, & immundicies nec nominetur in vobis, ut decet sanctos, nomine immunditiæ tum masculorum nefanda scelera, tum feminarum complectens. Quo circa silentium hoc non omnino facultatem præbet voluptatum amatoribus.

Conjectura quadam vult Basilius difficultatem solvere, sed re vera objectioni sibi factæ non videtur satisfacere. Si enim usu, ac more Chananæorum prohibebatur matrimonium cum sorore uxoris defunctæ,

idque ſervandum erat Hebræis, multo magis iiſdem ſervandum fuiſſet alterum, quod amplius erat, ducere ſororem uxoris ſuperſtitis: qui enim prohibet minus, multo magis prohibet quod gravius eſt, ut ſupra diximus, ſed non contra. Igitur neque hoc commemorandum erat.

At enim, inquit Baſilius, exemplum Patriarchæ Jacob, qui duas ſorores ſimul duxerat, poterat multos offendere, & eos ad idem faciendum impellere. Verum ſi iſti non abſtinuiſſent à ſorore uxoris ſuperſtitis, & propterea monendi erant; quomodo abſtinuiſſent à ſorore uxoris demortuæ, qui mores gentilium non tenebantur ſervare? Igitur & illud inculcandum erat. Immo vero ſatis ſuperque utrumque inculcatum fuiſſet, ſi illa verba, adhuc ea vivente, legiſlator caviſſet. Quod cum non fecerit, ſignum eſt, eum noluiſſe utrumque prohibere.

Atque ut poſſimus agnoſcere quando hujuſmodi conſequentiæ recte inferuntur, quando vero minus concludunt, ex his quæ mox ſubjicimus ſumenda eſt regula.

Non enim dubium eſt, quin nomine generico ſufficienter comprehendantur ſpecies omnes. Et ideo quod dicitur, aut jubetur de genere ſine ullo additamento, intelligitur dictum etiam de ſingulis ſpeciebus. Unde ſi legiſlator univerſe ſanciat, non eſſe offendendum clericum ſub pœna excommunicationis, intelligendum eſt, tam verbis injurioſis quam verberibus. At ſi ſtatuat non eſſe lædendum verberibus, ſive percutiendum, non incurrit in excommunicationem, qui eum verbis offenderit. Quippe quando præter nomen generis additur etiam aliqua differentia ſpecifica, quod tunc dicitur de genere ita accepto, non poteſt extendi ad alias ſpecies, niſi de cæteris ſit major ratio. Unde ſi jubeat lex non eſſe aliquem verbis contumelioſis tractandum, multo magis cenſenda eſt jubere, non eſſe verberandum: tunc enim propterea exprimitur illa ſpecies nominatim, quia propter minorem rationem poterat dubitari, utrum ſub terminis univerſalibus comprehenderetur. Id quod ad noſtrum propoſitum applicare non eſt difficile.

Quod autem ſcriptura decorem ſuum ſervans multa obſcæna ſilentio præterierit, utique fatendum eſt; ſed ea flagitioſa eſſe, ac fugienda, poterat aliunde ſciri. Sequitur textus Epiſtolæ: ἐγὼ δὲ οὐδὲ σεσιωπῆσθαι τὸ μέρος τοῦτό φημι, ἀλλὰ καὶ πάνυ σφοδρῶς ἀπηγόρευται τῷ νομοθέτῃ. τὸ γὰρ οὐκ εἰσελεύσῃ πρὸς πάντα οἰκεῖον σαρκός σου ἀποκαλύψαι ἀσχημοσύνην αὐτῶν, ἐμπεριεκτικόν ἐστι καὶ τούτου τοῦ εἴδους τῆς οἰκειότητος. τί γὰρ ἂν γένοιτο οἰκειότερον ἀνδρὶ τῆς ἑαυτοῦ γυναικός; μᾶλλον δὲ τῆς ἑαυτοῦ σαρκός; οὐ γὰρ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. ὥστε διὰ τῆς γυναικὸς ἡ ἀδελφὴ αὐτῆς πρὸς τὴν τοῦ ἀνδρὸς οἰκειότητα μεταβαίνει. ὡς οὖν γὰρ μητέρα τῆς γυναικὸς οὐ λήψεται, οὐδὲ θυγατέρα ταύτης, διότι μηδὲ τὴν ἑαυτοῦ μητέρα, μηδὲ τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα, οὕτως οὐδὲ ἀδελφὴν γυναικός, διότι μηδὲ ἀδελφὴν ἑαυτοῦ. καὶ τοῦτο ἀνάπαλιν, οὐδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέσται τοῖς οἰκείοις τοῦ ἀνδρὸς συνοικεῖν. κοινὰ γὰρ ἐπ' ἀμφοτέρων τῆς συγγενείας τὰ δίκαια. Ego vero neque ſilentio præteritum eſſe hoc genus peccati aſſero, ſed vehementer inhibitum à legiſlatore. Illud enim: non ingredieris ad omnem proximum carnis tuæ, ut reveles turpitudinem illorum, complectitur hanc etiam ſpeciem affinitatis. Quid enim affinius, & conjunctius viro ſua uxore? Immo vero ſua carne? Non enim amplius duo ſunt, ſed una caro, & ideo per uxorem ſoror illius ad affinitatem viri tranſit. Quemadmodum igitur matrem uxoris ſuæ non accipiet neque filiam ejus, quoniam neque ſuam matrem, neque filiam; ſic etiam neque ſororem uxoris, quoniam neque ſororem ſuam. Et è converſo neque uxori licebit cum conſanguineis viri cohabitare. Communia enim in utriſque conſanguinitatis ſunt jura.

Hoc loco Baſilius conatur probare tale matrimonium expreſſe prohibitum fuiſſe, ſed vere illa verba, πρὸς πάντα οἰκεῖον σαρκός σου, ad omnem proximum, ſive domeſticum carnis tuæ, de conſanguineis, non de cognatis, & affinibus intelliguntur. Unde Latina verſio habet, omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet.

Sed ut ita ſit, & de affinibus intelligerentur; univerſalis tamen propoſitio per ſpecies expreſſas coarctatur, ac de iis tantum accipienda eſt.

Neque exemplum Basilii valet. Siquidem gravius, & turpius est ducere matrem propriam, quam sororem uxoris, filiam propriam, quam filiam uxoris, & sororem propriam, quam sororem uxoris: quod hoc posterius respiciat affinitatem, illud consanguinitatem.

Reliqua quæ addit in Epistola Basilius sanctitatem spirant, & aptissima sunt ad probandum consuetudinem Ecclesiæ quæ non solum gradus in Levitico prohibitos, verum etiam aliquot alios consanguinitatis, & affinitatis ob majorem sanctitatem, & perfectionem Evangelicam prohibuit, esse laudatissimam. Libet igitur cætera illius Epistolæ persequi, ut nihil desidererur: ἐγὼ δὲ παντὶ τῷ περὶ γάμου βουλευομένῳ διαμαρτύρομαι, ὅτι παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, καὶ ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶν, ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσιν. ἐὰν δέ μοι παραναγινώσκει τὸ, αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε, καταγελῶ τοῦ τῶν νομοθεσιῶν τοὺς καιροὺς μὴ διακρίνοντος. πορνείας παραμυθία ὁ δεύτερος γάμος, καὶ οὐχὶ ἐφόδιον εἰς ἀσέλγειαν. εἰ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν φησιν, οὐχὶ δὲ καὶ γαμοῦντες παρανομείτωσαν. οἱ δὲ οὐδὲ πρὸς τὴν φύσιν ἀποβλέπουσιν, οἱ τὴν ψυχὴν λημῶντες τῷ πάθει τῆς ἀτιμίας, πάλαι διακρίνασαν τὰς τοῦ γένους προσηγορίας. ἐκ ποίας συγγενείας, τοὺς γεννηθέντας προσαγορεύσουσιν; ἀδελφοὺς αὐτοὺς ἀλλήλων, ἢ ἀνεψιοὺς προσεροῦσιν; ἀμφότερα γὰρ αὐτοῖς προσαρμόζει διὰ τὴν σύγχυσιν. μὴ ποιήσῃς ὦ ἄνθρωπε τὴν θείαν μητρυιὰν τῶν νηπίων. ταύτην ἐφοπλίσεις ταῖς ἀμειλίκτοις ζηλοτυπίαις. μόνον γὰρ τὸ μῖσος τῶν μητρυιῶν καὶ μετὰ θάνατον ἐλαύνει τὴν ἔχθραν. μᾶλλον δὲ οἱ μὲν ἄλλως πολέμιοι τοῖς τεθνηκόσι σπένδονται, αἱ δὲ μητρυιαὶ τοῦ μίσους μετὰ θάνατον ἄρχονται. κεφάλαιον δὲ τῶν εἰρημένων, εἰ μὲν νόμῳ ὁρμᾶται πρὸς τὸν γάμον, ἀνέῳκται πᾶσα ἡ οἰκουμένη. εἰ δὲ ἐμπαθὴς αὐτῷ ἡ σπουδὴ, διὰ τοῦτο καὶ πλέον ἀποκλειέσθω. ἵνα μάθῃ τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ, καὶ μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας. πλείονά με λέγειν ὁρμημένον, τὸ μέτριον ἐπέχει τῆς ἐπιστολῆς. εὔχομαι δὲ ἢ τὴν παραίνεσιν ἡμῶν ἰσχυροτέραν τοῦ πάθους ἀποδειχθῆναι, ἢ μὴ ἐπιδημῆσαι τῇ ἡμετέρᾳ τὸ ἄγος τοῦτο, ἀλλ' ἐν οἷς ἐτολμήθη τόποις ἐναπομεῖναι. Ego vero unicuique de nuptiis cogitanti testificor, quoniam transit figura hujus mundi, & tempus breve est, ut & habentes uxores, sint tanquam non habentes. Quod si quis mihi perperam citādo illud objiciat, crescite & multiplicamini, derideo illud, qui legum tempora minime discernere queat. Fornicationis consolatio sunt secundæ nuptiæ, non autem subsidium ad lasciviam: si non contineant, inquit, nubant, non autem, & nubentes legem transgrediantur. Hi vero qui hac ignominiosa passione animi obcæcati sunt, neque ad ipsam naturam respiciunt, quæ olim generis appellationes discriminavit. Ex qua consanguinitate genitos appellant? Fratres ipsos invicem; an nepotes nominabunt? Utrumque enim ipsos quadrat ob confusionem.

Ne facias ô homo materteram, novercam infantibus, implacabili zelotypia eam armans. Solum enim odium novercarum etiam post mortem inimicitias persequitur. Quin potius qui alias hostes erant mortuis reconciliantur, novercæ vero post mortem odisse incipiunt. Summa vero dictorum, si legitime ad secundas properat nuptias, apertus est illi totus orbis; si vero vitiosum est illi ea in re studium, propterea & magis coerceatur, ut discat suum vas possidere in sanctificatione, ac non in passione desiderii.

Plura me dicere paratum, brevitas scribendarum Epistolarum cohibet. Precor autem, ut nostra cohortatio hac passione vel superior evadat, vel ut hoc scelus nunquam ad nostras oras commigret, sed ubi ausi sunt illud patrare, ibi remaneat. Hactenus Basilius. In cujus Epistola illa verba, fornicationis consolatio sunt secundæ nuptiæ, illius interpretes sic exponunt, τουτέστιν, ἵνα μὴ εἰς πορνείαν ἐκκυλίωνται οἱ ἄνθρωποι, διὰ τοῦτο συνεχωρήθη ἡ διγαμία. Hoc est, ne in fornicatione volutentur homines, propterea permissa est digamia.

De ceremonia poculi vino pleni, quod Græcorum presbiter ſolet exhibere ſponſo, & ſponſæ, dum eos in matrimonium conjungit.

CAPUT XXXII.

QUæſierat à me Ruſſorum Archiepiſcopus Illuſtriſſimus Hypatius Pocieii, quid hac ceremonia Græci velint. Faſſus ſum ingenue me ignorare, niſi quod ſuſpicabar iſtud ſacratiſſimæ communionis loco fieri. Cum enim à prandiis, atque etiam domi permulti matrimonia contrahant, loco videlicet, ac tempore minus apto ad Euchariſtiam adminiſtrandam, & percipiendam, aiebam inſtar communionis hanc ceremoniam fortaſſis introductam fuiſſe. Itaque ut aliquid certum haberem, propoſueram Euchologia manuſcripta inveſtigare, ſi forte aliquid in iis contineretur, unde verum ſcire poſſemus. Comperi poſtea, Deo favente, meam conjecturam parum à vero abfuiſſe. Nam illud poculum, Euchariſtia percepta, ablutioni potiſſimum inſeruit, ſimul etiam communiorem vitam conjuges inter ſe acturos ſignificat. Igitur abſolutis ſponſalibus poſt illa verba, εἰ δὲ βούλονται ἐν ταυτῷ στεφανωθῆναι, εἰσέρχονται, &c. Quod ſi voluerint ſimul etiam coronari, hoc eſt ſolemniter matrimonium contrahere, ingrediuntur templum accenſis cereis, præeunte ſacerdote cum thuribulo ac ſuffimentis, & recitante pſalmum 127. poſt hæc, inquam, verba in Euchologio vetuſtiſſimo Patriarchali manuſcripto, quod aſſervatur in Monaſterio Cryptæ ferratæ (quod etiam alias in hoc opere noſtro citavimus, ex quo rubricæ, & nonnulla alia Euchologii typis excuſſi corrigenda ſunt) ſic habet: καὶ ἐλθόντες πρὸ τοῦ θυσιαστηρίου ἀπολύουσιν ἀλλήλων τὰς χεῖρας, καὶ ἵστανται πρὸ τῶν ἁγίων θυρῶν. ἀπόκειται δὲ ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ ποτήριον ἔχον προηγιασμένα, καὶ στεφανώματα δύο, καὶ ποτήριον ὑέλου πλῆρες οἴνου, καὶ τοῦ διακόνου λέγοντος ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, &c. Et poſtquam venerint ante ſanctuarium manus non amplius tenent conſertas, ſed ſtant pro ſacris foribus. Repoſitum eſt autem ſupra divinam menſam poculum habens præſanctificata, & coronæ duæ, item poculum vitreum vini plenum, Diacono dicente: in pace Dominum deprecemur. Infra vero poſt illud, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς δέσποτα μετὰ παῤῥησίας: & fac nos dignos Domine cum fiducia, &c. item abſoluto. Pater noſter, hæc habentur in manuſcripto: καὶ κρατῶν τὸ ποτήριον λέγει τὰ προηγιασμένα ἅγια τοῖς ἁγίοις. καὶ κοινωνεῖ αὐτοῖς. εἶτα λέγει τὴν εὐχὴν, ὁ Θεὸς, ὁ πάντα ποιήσας, &c. At tenens poculum, (hoc eſt calicem) ſacerdos dicit, præſanctificata ſancta ſanctis. Et eos participes efficit communionis: deinde recitat conſequentem orationem, Deus qui omnia feciſti. Qua finita oratione, & ter exhibita ablutione, in manu ſcripto habetur, καὶ ἀποδίδωσι τὸ ποτήριον τινὶ, ἢ ὥς ἔνιοι κλᾷ. Et reſtituit poculum alicui, vel ſicut nonnulli faciunt, frangit. Ubi per poculum intelligit vitreum, non autem calicem, ubi erat communio præſanctificata. Hæc de ceremonia ex antiquis Euchologiis. Et notandum obiter, unicam ſpeciem præſanctificatam ſponſo & ſponſæ diſtribui ſolitam fuiſſe. Quippe poculum vitreum vino minime conſecrato plenum ablutioni eorum inſerviebat. Cæterum quoniam digamos non communicabant, immo in ſignum incontinentiæ anno integro à communione abſtinere jubebant, idcirco poſtea fortaſſis eum modum dandi poculum invenerunt, qui digamis inſerviebat.

DE PRESBYTERORUM Græcorum Matrimonio.

Matrimonium Græcorum Presbyterorum defenditur esse legitimum.

CAPUT XXXIII.

PRo supplemento hujus tractatus non alienum ab instituto nostro, neque injucundum lectori fore existimo, si superioribus quæsitis, illud etiam hoc loco de Matrimonio Græcorum Sacerdotum adjiciamus. Gaudent enim privilegio Monogamiæ Græcorum Presbyteri, vereque ac legitime, & sine peccato ante sacros ordines cum primis uxoribus, eisque virginibus conjungi solent, & possunt. Licet enim sacerdotij dignitas non satis commode conjugium in se recipere, & admittere posse videatur, tamen cum illud nusquam legibus divinis interdictum fuerit, ut verior, & communiter recepta fere ab omnibus docet opinio, optime potuit Ecclesia, sive expresso, sive tacito consensu in eo cum Græcorum Presbyteris dispensare, ut & fecisse constat. Nam Stephanus Romanus Pontifex. Aliter, inquit, se Orientalium traditio habet Ecclesiarum; aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur; (glossa, hoc est carnaliter commiscentur, seu quod idem est, matrimonio antea contracto utuntur, is enim est mos Orientalium) istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi. Nec tamen eum morem reprehendit Pontifex, refertur in cap. aliter dist. 31. & in cap. quæsitum de pœnitentia, & remiss. ait Clemens tertius. Quæsitum est utrum Sacerdotibus Græcis, legitimo matrimonio uti licet. Et in cap. ut Clericorum mores de vita & honestate Clericorum, ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, dicitur in fine. Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio uti possint: ubi glossa notat, hoc dici propter Orientales, qui post sacros ordines susceptos, utuntur conjugio ante contracto. Et cap. cum olim de Clericis conjugatis, Innocentius tertius mandat Acherontino Episcopo, ut filium cujusdam Presbyteri Græci in Ecclesia Latina Cantoratus dignitate insignitum, quippe legitime prognatum, & electum à populo, in Episcopatum promoveat, modo aliud non obstet. Nos, inquit, attendentes, quod Orientalis Ecclesiæ votum continentiæ non admisit. Quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto.

Unde certum est, Ecclesiam Romanam Presbyteris Græcorum usum matrimonij post susceptos sacros ordines impune permisisse, seu potius tolerasse. Quamvis enim Nicolaus primus, ut habetur dist. 28. cap. consulendum, respondens ad quæstiones Bulgarorum, dicat Græcos ea in re esse valde reprehensibiles. Hoc tamen dicit Bulgaris recenter ad fidem Christi per Romanam Ecclesiam conversis, ut ostendat usum matrimonij Græcorum Presbyteris, non quidem ut bonum, sed ut minus malum toleratum fuisse. Et ob eam causam minime eos rejiciendos esse ait. Forte etiam, quia Græci ex Concilio Quinisexto reprehendebant Ecclesiam Romanam cœlibatum servantem. Unde merito Pontifex dixit, Græcos esse longe majori reprehensione dignos, utpote qui antiquorum canones minus servent.

Quod si alia est mens, & sententia Nicolai, tanquam quæ non ex cathedra sit prolata, minus probanda est: idque auctoritate plurimorum Pontificum contrarium sentientium. Nam & Gregorius Magnus prædecessoris sui sententiam minime probat. Ne Subdiaconi uxoribus antea ductis miscerentur, lib. 1. epist. 42.

Rationes, quibus adducti Græci immerito damnant Latinos, quod conjugatos non admittant ad sacros ordines.

Caput XXXIV.

Cæterum Græci suos ritus mordicus nimis retinentes, & suarum consuetudinum nimium amantes, quod illis impune, & sine peccato ob fragilitatem, & penuriam Sacerdotum à principio concessum, seu potius toleratum fuerat, idem laude, atque imitatione dignum ducentes, neque incommoda matrimonij ab Apostolo in priore ad Corinthios cap. 7. enumerata, considerantes optarent reliquos omnes Presbyteros suo more uxores ducere: Neque laude castitatis alios sibi anteferri æquo animo patiuntur. Siquidem Latinos reprehendere audent, quod matrimonio conjunctos, & operam liberis dantes, ad sacros ordines merito nulla ratione admittant: præsertim cum nulla causa justa sit, cur Sacerdotes procreationi liberorum studeant. Ut enim viri pij, & docti egregie observarunt: In veteri lege ideo concessum Sacerdotibus fuit matrimonium, quia sola Tribus Levi, & domus Aaron sacerdotalis erat, nec aliis licebat hoc fungi officio. Ne igitur Levitarum genus in paucis conclusum deficeret, reparandum per connubia erat. At nunc non carnis quæritur successio, sed spiritus, translatoque sacerdotio ad Tribum Juda, id est ad Christum, quicumque Christianus est, nisi uxori alligatus fuerit, potest eligi in Sacerdotem: omnes tamen, qui Christo in Sacerdotio succedunt castos esse decet, sicut & ipse castus fuit. Ut novi Sacerdotij tanto purior successio sit, quam veteris, quanto & Sacerdos noster Christus omnibus, qui ante illum hoc munere functi sunt, noscitur esse præstantior. Neque enim arietum, ut olim, aut vitulorum sanguine nunc sanctificatur, sed ipse Christus verus Deus, & verus homo vivus, & immortalis, licet aliena specie velatus, offertur. Quod si etiam priscis dictum sit, mundamini, qui fertis vasa Domini: quanto magis nostris convenit omnis mundities, quibus non solum ferre vasa Domini, sed etiam ipsum Dominum quotidie & contrectare manibus, & ore sumere mos est? Tam igitur mente, quam corpore mundus, castusque sit, qui ad ejusmodi ministerium se noverit esse electum.

Ne igitur Græci de matrimonio temere glorientur, illud nobis probandum erit, tempore Apostolorum ac deinceps per aliquot sæcula Presbyteros Græcos laudabiliter uxoribus caruisse, vel saltem ob dignitatem Sacerdotij minime liberos procreasse.

Unde tamen posteriores Græcorum in hanc sententiam venerint, ut Latinos alium morem servantes, accusare sint ausi, ut res magis elucescat, paulo altius repetere necesse est.

Nemini vero dubium esse debet, quin beatus Paulus omnes sui similes, hoc est virgines, præsertim Sacerdotio destinatos optarit. Volo, inquit, omnes homi- «
nes esse sicut me ipsum. Verum cum «
apud gentes in primordiis illis nascentis Ecclesiæ rara admodum esset virginitas, & in eo studio, quo apud Christianos minime haberetur, neque ut præstantissima virtus agnosceretur, & coleretur, præsertim apud eas nationes, ad quas tunc talia scribebat Apostolus, essetque admodum difficile eam copiam Sacerdotum ex virginibus invenire, quæ pro conversis ad Christianam Religionem sufficeret, jussit Apostolus (quandoquidem illud optandum potius, quam sperandum erat) ut saltem promovendi ad sacros ordines essent unius uxoris viri, hoc est non digami, sed unius uxoris, vel demortuæ, & sic essent vidui, vel superstitis, à qua tamen promoti abstinerent: sic enim Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, cæterique Patres exponunt locum Pauli, ut postea notabimus.

Cæteri quoque Apostoli quod & ipsi, vel uxorati non essent, vel si uxorati, post

vocationem ad Apostolatum, perpetuo continentes fuissent, permiserunt quidem in suis canonibus ducere uxorem, sed Lectoribus tantum, atque Cantoribus. Non autem Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, quod re vera nollent, vel ut uxores isti haberent, vel etiam si antea habuissent, ut post sacros ordines cum iis copularentur. Quod tamen Lectoribus, & Cantoribus libenter dabant.

Eadem sacerdotum penuria, ut constat ex Epiphanio, fuit aliquando postea in causa, raro tamen admodum, & in quibusdam locis, ut qui nollent sejungi ab uxoribus, essentque cæteroquin virtute conspicui, & sacerdotio digni; ipsi quoque à populo, (penes quem erat jus non quidem ordinandi, sed proponendi, & testimonium de vita, & moribus ordinandorum dandi, quandoque vero ex concessione, & conniventia Episcoporum, & eligendi Presbyteros, immo vero & Episcopos) ad sacros ordines proponerentur, & eligerentur.

Inter istos enumerandi sunt nonnulli Diaconi, qui in ipsa consecratione contestabantur se non posse continere, quibus facultatem dabat Episcopus post sacrum receptum ordinem, uxorem ducendi. Quorum meminit Concilium Ancyranum provinciale ante tempora Nicæni celebratum canone decimo, his verbis: Διάκονοι ὅσοι καθίσανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμεῖν, μὴ δυνάμενοι οὕτω μένειν, οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. „ Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit.

Horum exemplum multi alij postea sequuti sunt, & imitati, qui tamen omnes tempore sancti Epiphanij præ multitudine illorum, qui vel non habebant uxores, vel ab iis abstinebant, paucissimi erant: quod contra ab hinc multis annis, immo & sæculis fieri solet, paucissimi enim extant Græcorum Presbyteri, qui initientur sacris ordinibus non acceptis antea uxoribus, sunt tamen nonnulli. Et licet Concilium Nicænum canonem de non ducenda, vel retinenda uxore sancierit, & promulgarit, immo vero & ante Concilium talis fuerit Canon, seu traditio Apostolica, ut placet Epiphanio, & testantur etiam post Epiphanium Patres Concilij secundi Carthaginensis canone 2. tamen hujusmodi Canones, & traditiones non fuerunt æque ubique pariterque ab omnibus in usu recepti. Quod clarum est ex eodem Epiphanio, quem commodiore loco citabimus. Immo postea fuere alij, qui susceptis sacris ordinibus præfinitum tempus decennij ad uxorem ducendam sibi sumebant. Quem morem non scriptum refert simul, & damnat in sua quadam Novella Leo sapiens, teste Matthæo Blastario in suo Nomocanone.

Idem vitiosus mos retinendi uxores, & procreandi filios in sacerdotio etiam in quibusdam angulis Latinæ Ecclesiæ paulatim cœperat serpere, atque progredi, id quod satis constat ex beato Ambrosio libro primo de Officiis capite ultimo, sancto Hieronymo in Vigilantium, & decretis Syricij Papæ & aliorum.

Verum nimia solertia, & mirifica vigilantia summorum Pontificum, ac veterum Conciliorum per multa sæcula factum est, ut istud malum à Latinis tolleretur, & funditus extirparetur. Non tanto studio, industriaque posteriores Græcorum evigilarunt, sed tempore procedente corruperat omnis caro viam suam super terram, ac tandem eo res progressa est, ut volentes Græci & suam consuetudinem tanquam laudabilem commendare, & conservare, & nihilominus canones Apostolicos, & aliorum Conciliorum decreta, ut ipsis videbatur, illæsa custodire, ejusmodi commentum excogitarint, nimirum Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis per statuta Synodica minime fas esse ducere uxores, sed post susceptos ordines; antea vero adeo licitum esse, ut etiam in sacro ordine constituti, maritorum functionem exercere valeant. Et quoniam sacrosancti ca-

nones continentiam à Presbiteris requirunt; eam tempore vicis suæ quando sacrificaturi sunt, esse intelligendam dixerunt. Quæ tamen vanissima sunt figmenta, ut suo loco dicemus.

Sic inveterata consuetudo illud effecit, ut quod erat indulgentiæ, vel dissimulationis, in legem quodammodo verteretur. Quin imo patres Synodi, quæ in Trullo habita est circa annum Domini septingentesimum (si tamen Synodus appellanda est, quæ non ad fidei dogmata stabilienda, ob quam potissimum causam Synodus convocari solet, sed ad mores componendos, & Ecclesiam Romanam taxandam sine jussu Romani Episcopi collecta fuerit, quæque gloriatur suppleviſſe, quæ quintæ, & sextæ Synodis defuerunt, ob eamque causam πενθέκτη quinisexta voluit appellari, cum tamen illæ, ut tunc res erant, perfectæ, & omnibus numeris absolutæ censeantur) hi patres, inquam, sive in contemptum Romanæ Ecclesiæ, sive quod ex odio in eandem Cathedram Apostolicam male intellexerint canones Apostolicos (excæcat enim plerumque odium mentis oculos) hoc veluti dogma & præceptum Apostolicum statuunt canone 13. nimirum eos, qui ad ordines sacros promovendi sunt, debere omnino retinere uxores, & necessario, si fuerint digni promovendos esse; in eoque accusant Latinos, & damnant Romanam Ecclesiam, quæ hujusmodi homines ad sacerdotium numquam admitti passa sit, immo vero & admissos ab uxoribus tamen disjunxerit. Quo egregio suo canone habenas clericis relaxarunt, illudque effecerunt, ut quod antea rarum admodum, ac insolitum erat, modo sit frequentissimum, & usitatissimum. Paucos enim modo reperias Græcorum Presbyteros non uxoratos. Verum præstat eorum verba hic adscribere, quæ citantur etiam à Matthæo Blastario in Nomocanone littera Γ. περὶ τοῦ γάμου. ἐπειδὴ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν, τοὺς μέλλοντας διακόνου, ἢ πρεσβυτέρου χειροτονίας ἀξιοῦσθαι, καθομολογεῖν, ὡς οὐκέτι ταῖς αὐτῶν συνάπτονται γαμεταῖς. ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐρρῶσθαι βουλόμεθα. μηδαμῶς αὐτῶν τὴν πρὸς γαμετὴν συνάφειαν διαλύοντες, ἢ ἀποστεροῦντες αὐτοὺς τῆς πρὸς ἀλλήλους κατὰ καιρὸν τὸν προσήκοντα ὁμιλίας. ὥστε εἴ τις ἄξιος εὑρεθείη πρὸς χειροτονίαν ὑποδιακόνου, ἢ διακόνου, ἢ πρεσβυτέρου, οὗτος μηδαμῶς κωλυέσθω ἐπὶ τοιοῦτον βαθμὸν ἐμβιβάζεσθαι, γαμετῇ συνοικῶν νομίμῳ. μήτε μὴν ἐν τῷ τῆς χειροτονίας καιρῷ ἀπαιτείσθω ὁμολογεῖν, ὡς ἀποστήσεται τῆς νομίμου πρὸς τὴν οἰκείαν γαμετὴν ὁμιλίας. ἵνα μὴ ἐντεῦθεν τὸν γάμον καθυβρίζειν ἐκβιασθῶμεν, τῆς τοῦ εὐαγγελίου φωνῆς βοώσης, ἃ ὁ Θεὸς ἔζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. Καὶ τοῦ ἀποστόλου διδάσκοντος, τίμιον τὸν γάμον, καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον. Καὶ, δέδεσαι γυναικὶ, μὴ ζήτει λύσιν. ἴσμεν δὲ ὥσπερ καὶ οἱ ἐν Καρθαγένῃ συνελθόντες τῆς ἐν βίῳ σεμνότητος τῶν λειτουργῶν ποιούμενοι πρόνοιαν, ἔφασαν, ὥστε τοὺς ὑποδιακόνους, τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας, καὶ τοὺς διακόνους, καὶ πρεσβυτέρους κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, καὶ ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι. ἵνα καὶ τὸ διὰ τῶν ἀποστόλων παραδοθὲν, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρατηθὲν ὁμοίως φυλάξωμεν. καιρὸν ἐπὶ παντὸς ἐπιστάμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα νηστείας καὶ προσευχῆς. χρὴ γὰρ τοὺς τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας ἐν τῷ καιρῷ τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρήσεως ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσιν, ὅπως δυνηθῶσιν, ὃ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἁπλῶς αἰτοῦσιν, ἐπιτυχεῖν. εἴ τις οὖν τολμήσειε παρὰ τοὺς ἀποστολικοὺς κανόνας κινούμενος, τινὰς τῶν ἱερωμένων, πρεσβυτέρων φαμὲν, ἢ διακόνων, ἢ ὑποδιακόνων ἀποστερεῖν τῆς πρὸς τὴν νόμιμον γυναῖκα συναφείας τε καὶ κοινωνίας, καθαιρείσθω. ὡσαύτως καὶ εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα προφάσει εὐλαβείας ἐκβάλλει, ἀφοριζέσθω. ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. Quoniam, inquiunt, in Romana Ecclesia pro canone traditum esse cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui digni existimati sunt, qui ordinentur, profiteantur se non amplius cum suis uxoribus conjungendos. Nos antiquum canonem exquisitissimæ disciplinæ Apostolicæ ordinisque sequuti, hominum, qui sunt in sacris, conjugia deinceps ex hoc

» temporis momento firma & stabilia esse
» volumus. Nequaquam eorum cum uxori-
» bus conjunctionem dissolventes, vel eos
» mutua tempore convenienti consuetudine
» privantes. Quam ob rem si quis dignus in-
» ventus fuerit, qui hypodiaconus, vel Dia-
» conus, vel Presbyter ordinetur, is ad ta-
» lem gradum assumi minime prohibeatur,
» si cum legitima uxore cohabitet: sed neque
» ordinationis tempore ab eo postuletur, ut
» profiteatur se à legitima conversatione
» uxoris paratum abstinere. Ne ex eo à Deo
» constitutas, & sua præsentia benedictas
» nuptias, injuria afficere cogamur. Evan-
» gelica voce exclamante, quæ Deus con-
» junxit homo non separet. Et Apostolo do-
» cente, honorabiles esse nuptias, & torum
» immaculatum. Et: alligatus es uxori? ne
» quæras solutionem. Scimus autem, sicut
» & qui Carthaginem convenerunt, mini-
» stros gravitatis, honestatisque curam ge-
» rentes, dixerunt, ut Subdiaconi, qui sa-
» cra misteria contrectant, & Diaconi, &
» Presbyteri secundum proprias definitio-
» nes à consortibus abstineant, ut & quod
» per Apostolos traditum est, & ab ipsa
» usque antiquitate servatum, nos quoque
» similiter servemus, tempus in omni re
» scientes, & maxime in jejunio, & ora-
» tione. Oportet enim eos, qui divino al-
» tari assident, in sanctorum tractandorum
» tempore esse omnino continentes, ut
» possint id, quod à Deo simpliciter po-
» stulant, obtinere. Si quis igitur præter
» Apostolicos Canones incitatus aliquem
» eorum, qui sunt in sacris, Presbytero-
» rum, inquam, vel Diaconorum, vel
» Hypodiaconorum, conjunctione cum le-
» gitima uxore, & consuetudine ausus fue-
» rit privare, deponatur. Similiter & si quis
» Presbyter, vel Diaconus suam uxorem præ-
» textu pietatis ejecerit, excommunicatione
» feriatur, si autem perseveraverit, depona-
» tur. Sic Patres illius Concilij. Qui etiam
depositionem non obtemperantibus huic Canoni, minantur.

Ubi suam sententiam quatuor auctoritatibus confirmant: tum verbis Evangelij Matthæi 19. quod Deus conjunxit, homo non separet. Quod enim Latini sejungerent, hoc est non permitterent illis simul & sacerdotio, & conjugio dare operam, ex multis decretis summorum Pontificum atque sacrorum Conciliorum satis superque constat. Tum id probant testimonio Apostoli ad Hebræos 13. honorabile connubium, & torus immaculatus: &, alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Tertio canonibus Conciliorum secundi, & quinti Carthaginensium. Illa enim verba: κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι, secundum proprios terminos, seu
proprias definitiones ab uxoribus conti- «
nere, desumpta sunt ex Concilio quinto «
Carthaginensi. Reliqua & multo plura ex secundo: sed non sic vertenda erant ex Concilio illo Latine habito, cum ibi habeatur, secundum propria statuta, vel ut habet altera lectio non contemnenda, secundum priorum statuta, quod Græce dixerit: κατὰ τοὺς ἰδίους θεσμοὺς, ἢ κανόνας, ἢ νομοθεσίας τῶν προτέρων scilicet ἐν Καρθαγένῃ γενομένων συνόδων. Fuerunt autem «
celebrata quinque Concilia, & in secundo, «
ut dixi, habentur hæc verba. Non autem «
κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους secundum proprios terminos, hoc est, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἑκάστου ἐφη-
μερίας. In ordine, seu tempore vicis suæ, «
ut perperam interpretantur Zonoras, Bal- «
samon, ceterique Canonistæ Græcorum, & videntur in eum sensum accepisse patres τῆς πενθέκτης. Quinisexti Concilij. Saltem intellexissent per ὅροις definitiones. Tunc enim statuta quoque possent dici definitiones, ac idem esset statuere, ac definire.

Quod ideo observandum putavi, quia Sanctus Augustinus huic quinto Concilio interfuit. Ex cujus doctrina postea in solutionibus qualis fuerit mens Concilij facile quis colligere potest. Neque enim melius intellexerunt patres illi Africana Concilia ipso Augustino.

Dicitur autem in Concilio quinto secundum propria, seu priora statuta, cum propter traditionem Apostolicam, tum etiam quia cœlibatus antea in Concilio secundo Carthaginensi statutus, & declaratus fuerat.

Postremo in Confirmationem hujus

rei

rei adducunt patres Trullani canonem sextum Apostolorum, quo prohibetur Episcopus, Presbyter, & Diaconus propriam uxorem per speciem pietatis rejicere.

Præterea extat Canon 17. apud Clementem Romanum in libro sexto Constitutionum, qui videtur favere Græcis: ἐπίσκοπον καὶ πρεσβύτερον, καὶ διάκονον εἴπομεν μονογάμους καθίστασθαι, κἂν ζῶσιν αὐτῶν αἱ γαμεταὶ, κἂν τεθνᾶσι. μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μετὰ τὴν χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν, ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν, ἑτέραις συμπλέκεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι ἣν ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν. Episcopum inquiunt, & Presbyterum, ac Diaconum ordinari præcipimus, qui sint monogami, sive eorum uxores superstites sint, sive non. Post ordinationem tamen, si uxores non habent, præcipimus, ut non liceat amplius ducere, aut si anteà duxerant, non alias in matrimonium accipere, sed sicut se habebant, cum ad ordinationem venerunt, contentos esse.

Ergo si ita se habere debent, quemadmodum antea cum ad ordinationem venerunt, licebit eis uxorem habentibus procreare liberos, cum antea etiam procreare non prohiberentur.

Ad hæc Concilium Ancyranum, quod est antiquissimum, & confirmatum à Leone Pontifice distinct. 20. can. de Libellis, permittit Diaconis canone 10. etiam post ordines susceptos (id quod est aliquid amplius, quam quod Græci modo facere consueverunt) ut uxores ducere possint, dummodo in ipsa ordinatione contestati fuerint se non posse continere, Canon sic habet: διάκονοι, ὅσοι καθίστανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτύραντο, καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτω μένειν, οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοῖς παρὰ τοῦ ἐπισκόπου. τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. Diaconi quicunque ordinantur, si qui ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxorem, nec permanere sic posse; Hi postea si uxores duxerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit: si qui vero id tacentes, & in ipsa ordinatione sic esse se permansuros recipientes, postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.

Postremo Concilium Gangrense canone 4. damnat eos qui recusant sumere Eucharistiam, vel forte panem eulogicum ex manibus Sacerdotis, qui uxorem habuerit: εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ, προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis, inquit, discreverit ab aliquo Presbytero, qui uxorem duxerit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.

Ad hoc idem probandum, & confirmandum Matthæus quoque Blastarius loco supra citato, historiam quandam in medium adducit, de Paphnutio, eam nimirum à Socrate scholastico, & Sozomeno mutuatus. Ferunt enim Paphnutium Concilio Nicæno interfuisse, & obstitisse Patribus, quominus legem ferrent, qua Presbyteri, cæterique ordinis sacri uxoribus ante ordinem acceptis, postea uti posse, prohiberentur.

Socrates itaque primus omnium hunc in modum narrat de Paphnutio in primo libro Ecclesiasticæ historiæ, cap. 8. ἐδόκει τοῖς ἐπισκόποις τῆς ἐν νικαίᾳ συνόδου νόμον νεαρὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν φέρειν, ὥστε τοὺς ἱερωμένους, λέγω δὲ ἐπισκόπους, καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους μὴ συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, ἃς ἔτι λαϊκοὶ ὄντες ἠγάγοντο. Καὶ ἐπεὶ περὶ τοῦ βουλεύεσθαι προὔκειτο, διαναστὰς ἐν μέσῳ τοῦ συλλόγου τῶν ἐπισκόπων ὁ παφνούτιος ἐβόα μακρὰ μὴ βαρὺν ζυγὸν ἐπιθεῖναι τοῖς ἱερωμένοις ἀνδράσι, τίμιον εἶναι καὶ τὴν κοίτην, καὶ αὐτὸν ἀμίαντον τὸν γάμον λέγων. μὴ τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀκριβείας μᾶλλον τὴν ἐκκλησίαν προσβλάψωσιν. οὐ γὰρ πάντας δύνασθαι φέρειν τῆς ἀπαθείας τὴν ἄσκησιν. οὐδὲ ἴσως φυλαχθήσεσθαι τὴν σωφροσύνην τῆς ἑκάστου γαμετῆς. σωφροσύνην δὲ ἐκάλει καὶ τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν συνέλευσιν. ἀρκεῖσθαί τε τὸν φθάσαντα κλήρου τυχεῖν, μηκέτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀρχαίαν παράδοσιν, μὴ μὴν ἀποζεύγνυσθαι ταύτης, ἣν ἅπαξ ἤδη πρότερον λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο. Καὶ ταῦτα ἔλεγεν ἄπειρος ὢν γάμου, καὶ ἁπλῶς

εἰπεῖν γυναικός. ἐκ παιδὸς γὰρ ἐν ἀσκητηρίῳ ἀνατέθραπτο, καὶ ἐπὶ σωφροσύνῃ, εἰ καί τις ἄλλος, ἦν περιβόητος. πείθεται πᾶς ὁ τῶν ἱερωμένων σύλλογος τοῖς Παφνουτίου λόγοις. διὸ καὶ τὴν τούτου ζήτησιν ἀπεσίγησαν, τῇ deest aliquod verbum, ut ἐπιτρέψαντες, vel quidpiam simile, γνώμῃ βουλομένων ἀπέχεσθαι τῆς ὁμιλίας τῶν γαμετῶν.
» Videbatur Episcopis Nicæni Concilij legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati, videlicet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi cum uxoribus, quas, cum erant laici, in matrimonium duxissent, minime cubarent. Et quoniam hac de re consulendum esse proponebatur, surgens in medio Episcoporum concessu Paphnutius vehementer vociferabatur, non grave jugum eorum cervicibus imponendum esse, qui erant sacris initiati, honorabile conjugium, & torum immaculatum asserens: caverent ne dum nimio plus accurati, & exquisiti esse volunt, Ecclesiam graviore incommodo afficiant. Non enim omnes disciplinam ferre posse ab omni animi perturbatione vacuam. Neque à singulorum uxoribus fortasse castimoniam posse servari. Castimoniam cum uxore legitima concubitum appellabat. Illud satis esse, ut qui in clerum ante ascripti erant, quam duxissent uxores, hi secundum veterem Ecclesiæ traditionem deinceps à nuptiis se abstinerent. Non tamen quenquam ab illa, quam jam pridem, cum laicus erat, uxorem duxisset, sejungi debere. Atque hæc dicebat Paphnutius, cum ipse modo non nuptias, sed ne mulierem quidem, ut ita dicam, expertus esset. Nam à puero in Monasterio severo vitæ, disciplinæque genere enutritus fuerat, magnamque famæ celebritatem ob singularem castimoniam, si quis alius ipse quoque adeptus erat. «

Assentitur totus sacrorum virorum conventus verbis Paphnutij. Quocirca controversiam de hac penitus silentio præterierunt, liberum relinquentes cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinere. Eandem historiam à Socrate accepit Sozomenus, & eam refert in primo libro historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. item Gelasius Cyzicenus recensens acta synodica Concilij Nicæni, cujus meminit Photius in bibliotheca.

Præter hæc testimonia, posset aliquis cum recentioribus Græcorum in favorem ipsorum afferre loca Beati Pauli in priore ad Timotheum cap. 3. Diaconi sint unius uxoris viri. Omitto idem dicere de Episcopis, ex eodem loco, & ex capite primo ad Titum, ubi Apostolus Episcopos appellat presbyteros, quod Græci de illis recte sentiant.

Solent tamen adduci à nonnullis alia loca Apostoli: » propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, Corinth. 1. cap. 7. Et cap. 9. Numquid non habemus potestatem ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν; hoc est, sororem uxorem circunducendi, sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? «

Quod si Apostoli secum ducebant uxores, cur non liceat modo presbyteris eas habere, ac generare filios?

Reliqua argumenta, si quæ sint hæreticorum contra cœlibatum, libenter missa facio, quod ab aliis millies soluta sint, & confutata, minimeque iis Græci utantur.

Probatur usus Ecclesiæ Latinæ testimoniis veterum Patrum.

CAPUT XXXV.

CÆterum velle defendere in hac re Græcos tanquam antiquæ traditionis assertores, & Apostolicarum constitutionum defensores, ut de hac re seipsos Patres Trullani magnifice jactant, nimia foret impudentia.

Prodeant ergo sancti Patres antiqui, qui eos mendacij manifeste redarguant. Atque imprimis veluti antesignanus exeat magnus ille μυριάθλος, qui cum toto orbe pugnavit, & victor evasit Athanasius. Is in Apologia de sua fuga, ubi mores Arianorum Episcoporum, qui eum persequebantur, describit, circa finem de quodam Leontio, quem passim cognomine novo

ἀπίκοπον, hoc est exectum, & castratum appellabant, Ariano pseudoepiscopo ita refert. ὁ μὲν γὰρ Λεόντιος διαβαλλόμενος μετὰ γυναικός τινος νεωτέρας λεγομένης Εὐστολίου, καὶ κωλυόμενος συνοικεῖν αὐτῇ, δι᾽ αὐτὴν ἑαυτὸν ἀπέκοψεν, ἵν᾽ ἐπ᾽ ἀδείας ἔχῃ διατρίβειν μετ᾽ αὐτῆς. καὶ τὴν μὲν ὑποψίαν οὐκ ἀπενίψατο. διὰ τοῦτο δὲ μᾶλλον καὶ πρεσβύτερος ὢν καθῃρέθη. εἰ καὶ Κωνστάντιος ὁ αἱρετικὸς ἐβιάσατο λέγεσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον. Leontius enim cum argueretur commercium habere cum quadam muliere juvencula, cui nomen Eustolium, jussusque proinde fuisset, ut ab ejus contubernio abstineret, ejus causa seipsum castravit, quo libere ejus consuetudine uti posset. Neque tamen vel ita suspicionem abluere potuit, quin potius ob id ipsum cum Presbyter esset, depositus fuit: quamvis Constantius hæreticus vi effecerit, ut eum Episcopum appellarent.

De hoc eodem Leontio similia tradit alibi, potissimum vero in Epistola ad omnes ubique solitariam vitam agentes, ubi sic ait. ἀλλὰ ταῦτα ἀκούοντες καὶ βλέποντες οἱ κληρονόμοι τῆς γνώμης καὶ τῆς ἀσεβείας τῶν περὶ Εὐσέβιον, Λεόντιος ὁ ἀπίκοπος, ὃν ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἐχρῆν, διότι ἑαυτὸν ἀπέκοψεν, ὑπὲρ τοῦ μετὰ ἐξουσίας λοιπὸν κοιμᾶσθαι μετὰ Εὐστολίου τινὸς, γυναικὸς μὲν δι᾽ αὐτὸν, λεγομένης δὲ παρθένου. Γεώργιός τε καὶ Ἀκάκιος, &c. Hæc cum audirent, & conspicerent (quod nimirum innumeri Episcopi ex toto orbe communicassent cum Athanasio) sententiæ Eusebianæ, hæreseosque successores, Leontius, inquam, ille castratus (quem ne tanquam laicum quidem ad communionem admitti oportuit, eo quod seipsum abscidit, ut libere cum quadam Eustolio dormiret. Quæ re vera per ipsum mulier effecta est, sed quam tamen ille virginem prædicaret) Georgius item & Acacius, &c.

At si Presbyteri tempore Athanasii poterant cum uxoribus legitime ante sacros ordines ductis, lege matrimoniali postea commisceri; quis credat Leontium hominem salacissimum maluisse se castrare, ut cum Eustolio securius degeret, quam ante ordinationem eam in uxorem ducere, qua Presbyter factus jure conjugali posset uti?

Ejusdem sententiæ socium atque Athanasio comitem se præbet Magnus Basilius, qui in commentariis in Isaiam super illis verbis tertij capitis: Ecce Dominator Dominus auferet à Hierusalem, & à Juda validum & fortem, &c. & senem, Græce πρεσβύτερον, Presbyterum, hoc est Sacerdotem, qualis debeat esse, sic describit: ἐν τοῖς ἀπειλουμένοις ἐστὶ καὶ ἡ τοῦ πρεσβυτέρου ἀφαίρεσις· ὡς ὄφελος οὐ μικρὸν ἐκ τοῦ παρεῖναι παρέχοντος. ἆρ᾽ οὖν ὁ ὁπωσοῦν τῆς προεδρείας ἀξιωθεὶς καὶ ἐγκαταλεγεὶς τῷ πρεσβυτερίῳ οὗτος πρεσβύτερος, ἢ ὁ φέρων τὸν χαρακτῆρα τοῦ πρεσβυτέρου; ἀνέγκλητος, μάλιστα μὲν ἀπείρατος γυναικῶν. εἰ δὲ ἄρα, κατὰ τὸν τοῦ κυρίου νόμον, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ· τέκνα ἔχων πιστά. μὴ ἐν κατηγορείᾳ ἀσωτίας, ἢ ἀνυπότακτα· μὴ αὐθάδης, μὴ ὀργίλος, μὴ πάροινος, μὴ αἰσχροκερδὴς, ἀλλὰ φιλόξενος, φιλάγαθος, σώφρων, ὅσιος, δίκαιος, ἐγκρατὴς, ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ὡς δυνατὸς εἶναι, καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν· οὗτος πρεσβύτερος, ὃν ἀπὸ τοῦ ἁμαρτάνοντος λαοῦ ἀφαιρεῖται κύριος. Inter ea, quæ comminatur Dominus, est & ablatio Presbyteri, quod is ex sui præsentia non mediocre emolumentum exhibeat. Num igitur qui quoquo modo ad honorem præsidentiæ cathedræ admissus, & ordini Presbyteratus adscriptus est, an qui characterem Presbyteri circumfert, is est Presbyter? irreprehensibilis, potissimum quidem mulierum inexpertus, quod si forte (expertus sit) unius tamen juxta Domini legem uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut inobedientes, non contumax, non iracundus, non vinolentus, non turpis lucri cupidus, sed hospitalis, benignus, sobrius, sanctus, justus, continens, amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere. Iste est Presbyter, quem à delinquente populo aufert Dominus. Hactenus Basilius, qui in primo gradu ponit virginitatem, seu ἀγαμίαν, in eo quod

ait, ἀσφέρατος γυναικῶν. In secundo gradu: ante Sacerdotium monogamiam, à qua liber factus, mortua nimirum uxore, vel ex communi consensu edito continentiæ voto, evadere possit Sacerdos, liberos amplius non procreando: sic enim locum Pauli cæteri quoque Patres intelligunt. Quippe digamum, quamvis post obitum uxoris, excludunt à Sacerdotio, & hoc idem sibi vult illa vox ἐγκρατῆ. continens, quam addit Basilius. His annumerandus est illustris ille Epiphanius, quo in cœlibatu Presbyterorum probando, & commendando nihil planius, nihil plenius, & luculentius, quique se è diametro Patribus Trullanis opponit. Siquidem ait, Presbyteros generare filios esse prorsus contra Canones Ecclesiasticos. Ab Apostolis autem esse institutum, ut Sacerdotium constet ex virginibus, vel post monogamiam continentibus. Atque in hunc sensum exponit loca Pauli. Sed audiamus ipsum in libro secundo, hæresi 48. adversus Montanistas. χαίρει μὲν (ὁ Θεὸς λόγος) ἐπὶ τοῖς τὰ δοκίμια τῆς θεοσεβείας δυναμένοις ἐνδείκνυσθαι, παρθενίαν ἀσκεῖν αἱρουμένοις, καὶ ἁγνείαν, καὶ ἐγκράτειαν. τὴν δὲ μονογαμίαν τιμᾷ, εἰ καὶ μάλιστα τὰ χαρίσματα τῆς ἱερωσύνης διὰ τῶν ἀπὸ μονογαμίας ἐγκρατευσαμένων, καὶ τῶν ἐν παρθενίᾳ διατελούντων κοσμήσας προετίμησε, ὡς καὶ οἱ αὐτοῦ ἀπόστολοι τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τῆς ἱερωσύνης εὐτάκτως καὶ ὁσίως διετάξαντο. Et gaudet quidem, inquit (Deus verbum) his qui approbatum religionis cultum præstare possunt, & virginitatem & castitatem, & continentiam exercere deligunt: monogamiam quoque honorat, etiamsi maxime Sacerdotij dona per eos, qui post monogamiam sunt continentes, & qui in virginitate permanent, se ornasse præexpresserit. Quemadmodum & ejus Apostoli Ecclesiasticum sacerdotij canonem recte, & sancte ordinarunt.

Idem in eodem libro adversus Puros quæ est hæresis 59. ubi eos damnat, quod nimirum velint imitari omnium facta, & cum nemine conveniant; quod etiam quæ sacra Scriptura tradit ob excellentiam Sacerdotij de abstinendo se à digamia, illi ad omnes ex æquo pertinere censeant, & ea de causa damnent secundas nuptias. Ea vero occasione arrepta Epiphanius hanc præsentem quæstionem attingit, eique plane satisfacit, simul etiam explanat locum Pauli, unius uxoris virum, quomodo intelligi debeat ex traditione, & connexione textus sacri, sic igitur habet: Οὕτω καὶ αὐτοὶ τὰ πάντων ὁμοῦ μίξαντες ἐκ πάντων ἐξέπεσαν, καὶ μὴ νοήσαντες τὰ ἀκριβῆ τῆς τοῦ Θεοῦ διδασκαλίας ἐπὶ ἑτέραν τρίβον σφαλέντες ἐτράπησαν, οὐκ εἰδότες ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ τῆς θείας γραφῆς παράδοσις καὶ ἀκολουθία. τὰ γὰρ εἰς ἱερωσύνην παραδοθέντα διὰ τὸ ἐξοχώτατον τῆς ἱερουργίας, εἰς πάντας ἐνόμισαν ἴσως φέρεσθαι· ἀκηκοότες, ὅτι δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα ἐγκρατῆ· ὡσαύτως καὶ τὸν διάκονον, καὶ τὸν πρεσβύτερον. καὶ γὰρ τῷ μὲν ὄντι οὐ δέχεται τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ κήρυγμα μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ ἐνδημίαν τοὺς ἀπὸ πρώτου γάμου τελευτησάσης τῆς αὐτῶν γυναικὸς, δευτέρῳ γάμῳ συναφθέντας, διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς τῆς ἱερωσύνης; καὶ ταῦτα ἀσφαλῶς ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία μετὰ ἀκριβείας παραφυλάττεται. ἀλλὰ καὶ τὸν ἔτι βιοῦντα, καὶ τεκνογονοῦντα, μιᾶς γυναικὸς ὄντα ἄνδρα οὐ δέχεται. ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατευσάμενον, ἢ χηρεύσαντα διάκονόν τε, πρεσβύτερον, καὶ ἐπίσκοπον καὶ ὑποδιάκονον. μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοί. ἀλλὰ πάντως ἐρεῖς μοι, ἔν τισι τόποις ἔτι τεκνογονεῖν πρεσβυτέρους, διακόνους, καὶ ὑποδιακόνους, τοῦτο οὐ παρὰ τὸν κανόνα, ἀλλὰ παρὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων κατὰ καιρὸν ῥαθυμήσασαν διάνοιαν, καὶ τοῦ πλήθους ἕνεκα μὴ εὑρισκομένης ὑπηρεσίας. τὸ πρεπωδέστερον γὰρ ἀεὶ ἡ ἐκκλησία ὁρῶσα ἁγίῳ πνεύματι εὖ διαταχθεῖσα, ἔγνω ἀπερισπάστοις Θεῷ τὰς χρείας ἐπιτελεῖσθαι σπουδάζειν, καὶ τὰ πνευματικὰ τῶν χρειῶν μετὰ πάσης εὐσυνετάτης συνειδήσεως τελειοῦσθαι. φημὶ δὲ ὅτι πρέπον ἐστὶ διὰ τὰς ἐξαπίνης λειτουργίας, καὶ χρείας σχολάζειν τὸν πρεσβύτερον καὶ διάκονον, καὶ ἐπίσκοπον Θεῷ. εἰ γὰρ τοῖς ἀπὸ τοῦ λαοῦ προστάσσει ὁ ἅγιος ἀπόστολος λέγων, ἵνα πρὸς καιρὸν σχολάσωσι τῇ εὐχῇ, πόσῳ γε μᾶλλον τῷ ἱερεῖ προστάσσει. τὸ ἀπερίσπαστον δὲ λέγω εἰς τὸ σχολάζειν κατὰ τὸν ἐν τοῖς χρείαις ταῖς πνευματικαῖς τελεσιουργημένην ἱερωσύνην. Sic etiam ipsi omnium facta simul miscentes, ab omnibus exciderunt, & scripturam divinam non exacte, accurateque intelligentes, de-

cepti ad aliam viam conversi sunt, nescientes hæc esse, quæ à sacra scriptura traduntur, eamque consequuntur, & comitantur. Quæ enim ad sacerdotium tradita sunt propter celebrationis sacrorum eminentiam, putarunt ad omnes ex æquo pertinere, cum audierint, oportere Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, continentem, similiter & Diaconum, & presbyterum. Re vera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi adventum eos, qui à nuptiis mortua sua uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc tuto sancta Dei Ecclesia summa diligentia observat. Sed & adhuc viventem, & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit. Sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & presbyterum, & Episcopum, & hypodiaconum. Maxime ubi accurate Canones Ecclesiastici servantur.

At enim dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere, & presbyteros, & Diaconos, & hypodiaconos.

At hoc non est secundum Canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Et propter hominum multitudinem, quod illis ministri deessent. Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum bene disposita videns, scivit assiduum Deo cultum divinum studiose offerre, & spirituales necessitates tranquilla conscientia administrare. Dico autem propter repentina ministeria, ac necessitates decere presbyterum, & Diaconum, & Episcopum vacare Deo. Si enim vel ipsi populo præcipit sanctus Apostolus dicens, ut ad tempus vacent orationi, quanto magis sacerdoti idem præcipit? assiduum vero dico, ut vacet Deo in necessitatibus, & usibus spiritualibus, qui à sacerdote perficiuntur.

Et in libro tertio in calce docet, ex quibus statibus hominum sacri ordines constent: στεφάνη δὲ τούτων πάντων ἡ μήτηρ ὡς εἰπεῖν καὶ γεννήτειρα ἡ ἁγία ἱερωσύνη ἐκ μὲν παρθένων ὁρμωμένη εἰ δὲ οὐκ ἐκ παρθένων, ἐκ μοναζόντων· εἰ δὲ μὴ εἶεν ἱκανοὶ εἰς ὑπηρεσίαν ἀπὸ μοναζόντων, ἐκ ἐγκρατευομένων τῶν ἰδίων γυναικῶν, ἢ χηρευσάντων ἀπὸ μονογαμίας. Corona vero hujusmodi omnium, inquit, & ut ita dixerim mater, & genitrix sanctum est sacerdotium, à Virginibus, ut plurimum proficiscens, si non ex Virginibus, saltem ex iis, qui soli degunt, qui si non sat multi sint ad ministerium, ex iis qui à propriis uxoribus abstinent, vel cum monogami fuerint, vidui sunt.

Nec minus clarum est ad eandem veritatem comprobandam, quod tradit libro 1. agens adversus Ebioneos, ubi narrat historiam quandam prolixam de quodam Judæo, cui Josepho nomen, postea Christiano facto. Ex cujus narratione manifeste colligimus morem fuisse creandi clericos à defunctis primis uxoribus, quando nimirum non se continebant ab ipsis, dum viverent: πιθανὸν δέ τι ὁ Ἰώσηπος καὶ γελοιῶδες ὑφηγεῖτο. οἶμαι δὲ ταῦτα ὅτι καὶ ἠλήθευεν. ἔφασκε γὰρ ὅτι τελευτησάσης τῆς αὐτοῦ συμβίου, δεδιὼς μήπῃ ἄρα ἁρπάσωσιν αὐτὸν οἱ Ἀρειανοὶ, καὶ καταστήσωσι κληρικόν· πολλάκις γὰρ κολακεύοντας αὐτὸν πειθῶσαι τῇ αἱρέσει, ὑπισχνοῦντο μείζονας προκοπὰς, εἰ δέον καὶ ἐπισκοπῆς αὐτὸν καταξιοῦν. ὁ δὲ ἔφασκε τούτου γὰρ χάριν συνῆφθαι καὶ ἑτέρᾳ γυναικὶ, ὅπως διαδράσει τὰς αὐτῶν χειροτονίας. Verisimile vero quidpiam, ac ridiculum Josephus narrabat, & puto etiam hæc ipsum vere dixisse. Aiebat enim mortua sua uxore veritum ne ipsum raperent Ariani, & Clericum efficerent (sæpe enim blanditiis delinientes, ut hæresi illorum assentiretur, majores progressus, & si res daret, Episcopatum etiam pollicebantur) aiebat, inquam, ea de causa alteri se uxori conjunctum esse, quo impositiones manuum illorum effugeret. Hactenus Epiphanius. At si Clericis licitum fuisset uxorem habentibus procreare liberos, illum utique Ariani rapuissent etiam uxore superstite.

Cætera ejus loca, quæ multa sunt, quod non ita clara sint ad rem præsentem probandam, libenter omitto.

Addamus Doctoribus Græcis fide dignissimis ad majorem fidem faciendam Doctores maximos Latinos, S. Hieronymum & B. Augustinum. Hieronymus quidem

in Vigilantium sub initium in more totius orientis fuisse affirmat idem prorsus, quod docuit Epiphanius. Prô nefas, inquit, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes. Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam, immo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes uxores viderint clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desierunt? hoc docuit Dormitantius libidini fræna permittens.

Et in Epistola 46. ad Pammachium in fine Apologiæ pro libris contra Jovinianum. Apostoli, inquit, vel virgines; vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici. Sic ille.

Augustinus vero (qui vir, & quantus testis, in libro 2. de adulterinis conjugiis cap. 20. Solemus, inquit, eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt. Sic loquitur Augustinus. Non quod re vera coacti sacris initiarentur, sed quia nonnulli libentius retenta, vel ducta uxore, munere sacerdotis functi fuissent: id quod nulla ratione ipsis permittebatur, propterea dicit invitos eos capi.

Viderint ergo Patres Trullani quam consona canonibus Apostolicis decreverint; quam optime explanarint canones Conciliorum Carthaginensium: & quo jure in hac re Romanam Ecclesiam reprehenderint. Non enim puto melius intellexisse Trullanos patres illa Concilia, quam patres citatos. Atque adeo eundem ipsum Augustinum, qui Concilio quinto Carthaginensi interfuit. Siquidem illi longe proximiores Apostolis, quam fuerint Trullani, melius etiam Apostolorum & Conciliorum decreta intellexerunt. Nam ut Marcus Tullius quodam in loco ait, Veteres quo propius ab origine absunt, eo melius verum vident.

Ex quo licet colligere, quam nulla sit Quinisexti Concilij authoritas, præsertim in iis, in quibus immerito Romanam Ecclesiam reprehendit. Debuerant illi patres in memoriam revocare canonem illum divulgatum, & antiquissimum: χωρὶς γνώμης τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης μὴ δεῖν κανονίζεσθαι τὰς ἐκκλησίας. Sine consensu Romani Episcopi, non esse præscribendos canones Ecclesiis. At egregij Trullani nedum alias, sed ipsam Romanam Ecclesiam κανονίζουσιν, ac depositionem minantur, si sacer ordo ab uxoribus se disjunxerit. Quod ab aliis aliquando factitatum esse nusquam reperitur, nusquam legitur. At quod Romanus Pontifex, cæteris Ecclesiis canones condere possit, ac debeat, reque ipsa jura, & jussa præscripserit; id antiquissimi historici, vel ipsi hæretici tradunt. Testantur hoc sancti Patres, & sacra Concilia. Res ipsa clamat, & usus totius antiquitatis hoc comprobat. Qua igitur auctoritate, quo exemplo Trullani Patres fecerint? certe non alia, nisi naturam rerum immutando, & divinum ordinem pervertendo, quod illis solet contingere, qui cum cæterorum membrorum in corpore mystico locum teneant, capitis functionem exercere præsumunt.

Solvuntur præcipua Græcorum argumenta supra allata.

CAPUT XXXVI.

Ex commemoratis facile corruunt præcipua quæque argumenta in contrarium allata. Etenim canones Conciliorum Carthaginensium perperam illi explicarunt de continentia tempore ministrandi.

Quod ut manifestum fiat, eos ad verbum recensere, non alienum fore existi-

mo. Canon secundus secundi Concilij sic habet. Aurelius Episcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos antistites & Dei sacerdotes; nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod à Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: placet ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt. Græce iste canon refertur ordine tertius his verbis. περὶ ἐγκρατείας αὐρήλιος ἐπίσκοπος εἶπεν, ἐν τῇ προλαβούσῃ συνόδῳ ὡς περὶ ῥυθμοῦ ἐγκρατείας καὶ ἁγνείας ἐζητεῖτο, ἤρεσεν, ὥστε τοὺς τρεῖς βαθμοὺς τούτους, τὸν συνδέσμῳ τινὶ τῆς ἁγνείας διὰ τῆς καθιερωσύνης συμπεπλεγμένους (φημὶ δὴ ἐπισκόποις, πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις) ὡς πρέπει ὁσίοις ἐπισκόποις, καὶ ἱερεῦσι θεοῦ, καὶ λευίταις, καὶ ὑπουργοῦσι θείοις καθιερώμασιν, ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσιν. ὅπως δυνηθῶσιν, ὃ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἁπλῶς αἰτοῦσιν, ἐπιτυχεῖν. ἵνα καὶ τὸ διὰ τῶν ἀποστόλων παραδοθὲν, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρατηθὲν, καὶ ἡμεῖς ὁμοίως φυλάξωμεν. Hic Patres illi nulla adhibita exceptione universe, & clare loquuntur. Siquidem mandant, ut in omnibus (hoc est ut omnino) & ab omnibus pudicitia custodiatur. Græce ἐν πᾶσιν (hoc est, παντάπασιν) ἐγκρατεῖς εἶναι. quamvis non admodum laborandum sit de Græca editione, cum illa Concilia Latine habita sint.

Deinde citatus canon una cum Diaconis & presbyteris Episcopos etiam complectitur, quod tamen Trullani callide dissimulant, nulla eorum mentione facta. At quis credat, Episcopos non semper fuisse, vel esse debuisse continentes? & caruisse uxoribus?

Ad hæc, cum Patres Africani asserant, debere continere presbyteros, esse traditionem antiquissimam, idque docuisse Apostolos; Epiphanius autem affirmet canonem Apostolorum esse, ut presbyteri, sicut etiam Episcopi perpetuo sint continentes, nulla ratione admitti potest Concilij Trullani prava expositio. Neque enim ullo modo fas est cogitare, nedum dicere, antiqua concilia cum sanctis Patribus, vel antiquos Patres cum sacris Conciliis de ipsis Apostolorum, & Ecclesiæ institutionibus non fuisse consentientes. Præterea, si ab Apostolis traditum est, ut vere traditum est, debere Episcopos, presbyteros, & Diaconos continentes esse, ostendant Patres Trullani quo in canone Apostolico reperiatur, vicis suæ tempore?

Postremo, notanda ratio, cur Patres Africani exigant continentiam, quo possint inquiunt, simpliciter quod à Deo postulant, impetrare; quorum verborum sensus est, ut semper ex parte sua nullum impedimentum habeant, ad impetrandum à Deo quidquid petierint.

Sed recenseamus reliquos canones. Concilij Quinti Carthaginensis Canon tertius sic habet ad verbum. Cum de quorundam Clericorum, quamvis erga proprias uxores incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros, & Diaconos secundum propria (aliter priora, vel priorum) statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observare debere. Græce refertur iste canon ordine octuagesimus primus. Quia multos canones Conciliorum Carthaginensium in unum Græci redegerunt. παρὰ τοῦ τοῖς ὀφείλουσι κληρικοὶ γαμετῶν ἀπέχεσθαι. πρὸς ἐπὶ τούτοις ἐν τῷ περὶ ἐγκρατείας, (male vertit interpres Græcus, vel fortasse malitiose περὶ ἐγκρατείας, cum in Latino sit, de incontinentia, quare debuit dicere, περὶ ἀκρασίας, quod notandum nobis paulo post inserviet) τῆς περὶ τὰς οἰκείας γαμετὰς τινῶν μνημονεύεσθαι κλη-

ἱερατικῶν, ἤρεσεν, ὥστε τοὺς ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, καὶ ἐκ τῶν ἰδίων ἔτι μὴν ἀπέχεσθαι γαμετῶν. ὅπερ εἰ μὴ ποιήσειεν, ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀποκινηθῶσι τάξεως· τοὺς δὲ λοιποὺς κληρικοὺς πρὸς τοῦτο μὴ ἀναγκάζεσθαι, ἀλλ' ὀφείλειν κατὰ τὴν ἑκάστης ἐκκλησίας συνήθειαν παραφυλάττεσθαι. Eundem ferme, vel similem Canonem referunt Græci ordine vigesimum quintum nonnullis additis verbis, estque verisimile fuisse Latinum. Nam Patres Africani in diversis suis Conciliis eadem iterabant, & confirmabant, ut legentibus patet, & notant etiam hi, qui ea collegerunt, transcripserunt, & in primum tomum Conciliorum inseruerunt, ubi aiunt alicubi, se nolle eosdem canones repetere. Canon sic habet: περὶ ἐπισκόπων, καὶ τῶν ἑπομένων τάξεων τῶν τὰ ἅγια μυστήρια ψηλαφουσῶν, ἤρεσεν ἀπὸ γυναικῶν ἐγκρατεύεσθαι. αὐρήλιος ἐπίσκοπος εἶπεν. προστίθημι ἀδελφοὶ τιμιώτατοι πρὸς τούτοις, ἐν τῷ ἀναφέρεσθαι ἕνεκεν ἐγκρατείας τῆς περὶ τὰς ἰδίας γυναῖκας τινων τῶν κληρικῶν, ἐξαιρέτως ἀναγνωστῶν, τὸ καὶ ἐν διαφόροις συνόδοις βεβαιωθέν· ὥστε τοὺς ὑποδιακόνους, τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας, καὶ τοὺς διακόνους, καὶ πρεσβυτέρους, ἀλλὰ καὶ ἐπισκόπους κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους καὶ ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι, ἵνα ὡς μὴ ἔχοντες ὦσιν. ὅπερ εἰ μὴ ποιήσωσι, τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ ἀποκινηθῶσι καθήκοντος· τοὺς δὲ λοιποὺς κληρικοὺς πρὸς τοῦτο μὴ ἀναγκάζεσθαι, εἰ μὴ ἐν προβεβηκυίᾳ κείρᾳ. ἀπὸ πάσης ἐλέχθη τῆς συνόδου ἅπερ ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη δικαίως ἐῤῥύθμισεν ἱεροπρεπῆ ὄντα καὶ θεάρεστα, βεβαιοῦμεν. Nota primo in his canonibus illa ver-
" ba secundum propria, seu priora statuta,
" non significare tempore vicis suæ; sed se-
" cundum proprias, superiores constitutio-
" nes. Videlicet secundi Concilij Carthagi-
" niensis (immo & primi, cum secundum
" Concilium de hac eadem re, aliud refe-
" rat ante se Concilium) in eo enim prius
" de continentia statutum est, ut in omni-
" bus & ab omnibus pudicitia custodiatur,
" qui altari deserviunt. Græcum autem
" verbum ὅρος hoc idem significat, sed quia
" potest per metaphoram & aliud signifi-
" care, interpretes Græcorum posteriores
" ad aliam significationem longe diversam
" traxerunt; sed non est attendenda vis
metaphorica verbi Græci, sed Latini. "
Quippe Concilia illa Latina lingua cele- "
brata sunt. "

Nota secundo, in canone citato vigesimo quinto Græco, illa verba, ἵνα ὡς μὴ ἔχοντες ὦσιν, ut sint tanquam non habentes uxores, non eum efficere sensum quem volunt Græci. Qui enim aliquando sponte abstinet se ub uxore, non dicitur esse tanquam non habens uxorem.

Tertio notanda sunt illa verba: secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere. Quæ indicant alicubi fuisse consuetudinem, ut etiam lectores essent continentes, & vel, si essent uxorati haberent consuetudinem cum propriis uxoribus, vel eas non ducerent, ut etiam constat ex canone decimo quarto Concilij Chalcedonensis.

Præterea expositioni Trullanæ opponenda est objectio Balsamonis, quæ talis est. Si ergo sic à præsenti canone prohibentur sacerdotes, Diaconi, & hypodiaconi cum propriis uxoribus conjungi vicis suæ tempore: Quid respondebunt sacerdotes, & reliqui qui non præfinitis (ἑβδοματικῶς) vicissim hebdomadis, sed perpetuo sacrificant? Nescio, & correctionem peto. Hæc Balsamon in expositione 13. canonis Trullani. Quæ tamen cæteri Græci obliterarunt, & in Græcis exemplaribus, quæ nunc extant, & ego vidi, desiderantur.

Sed respondeamus nos Balsamoni, cum munus presbyteri secundum Epiphanium ἀπερίσπαστον, assiduum esse debeat in necessitatibus spiritualibus, eum carere uxore omnino par est. Et Patres Trullani perperam interpretati sunt canonem Carthaginiensium non servata vi verborum, ut erat conveniens, sed adhibita propria præjudicata sententia.

Quod eorum commentum delet penitus etiam auctoritas Basilij Magni, qui in secundo libro de Baptismo, ubi secundo loco quærit, εἰ ἀκίνδυνον ἐστὶ μὴ καθαρεύοντα τὴν καρδίαν ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς,
ἢ ἀκαθαρσίας, ἢ μολυσμοῦ ἱερατεύειν. An ex- "
tra periculum sit, ut is, qui non purus est "
corde à conscientia prava, aut immun- "
dicia,

dicia, aut inquinamento, Sacerdotio fungatur. Referens quid in antiqua lege mandante Deo diligenter obſervaretur; reſpondet multo magis in nova eſſe obſervandum, ac tandem concludit: ὁ ἀναγκαίως οὖν πάντοτε μὲν, μάλιστα δὲ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ τοσούτου καὶ τοιούτου μυστηρίου φυλάσσειν τὸ παράγγελμα τοῦ ἀποστόλου εἰπόντος, ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας ἀγαπητοὶ, καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεοῦ. Neceſſarium igitur eſt, ſemper quidem, maxime vero tempore tanti, ac talis myſterii ſervare præceptum Apoſtoli dicentis: Has ergo habētes promiſſiones chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Si igitur Baſilius cenſet, abſtinendum ab omni inquinamento πάντοτε, ſemper: non ergo tantum vicis ſuæ tempore, ut volunt Patres Trullani. Nam vicis ſuæ tempore etiam ſacerdotes antiquæ legis continebant ſe à ſuis uxoribus; Baſilius autem vult in nova, quæ citra comparationem longe ſuperat veterem, eſſe aliquid amplius, immo vero tantopere amplius, quantopere corpus unigeniti filii Dei excedit arietes, & tauros. Iſte locus magis clarum facit teſtimonium ejuſdem Doctoris, quod alibi ex Commentariis in Iſaiam depromptum tranſcripſimus.

Poſtremo, Canon citatus tertius Concilii Quinti Carthaginenſis, Cum, inquit, de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit, &c. At ſi licitum fuiſſet dare operam procreandis liberis, unde aliquis cognoviſſet, eos eſſe incontinentes, & eos detuliſſet? Igitur dum Canon mandat, ut ab uxoribus ſe contineant, ſignificat eos alienos eſſe oportere ab omni voluptate venerea, & à procreatione liberorum. Siquidem continentia eſt virtus ejuſmodi voluptati reſiſtens. Unde Canon 19. Tertii Concilii Carthaginenſis ſic habet, Placuit, ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Refertur Græce ordine decimus ſextus. ἤρεσεν, ὥστε τοὺς ἀναγνώστας εἰς τὸν καιρὸν τῆς ἥβης ἐρχομένους, ἀναγκάζεσθαι, ἢ συμβίους ἀγαγέσθαι, ἢ ἐγκράτειαν ὁμολογεῖν. Ubi Concilium clare indicat, quid voce continentiæ intelligatur. ſiquidem continentiam profiteri ſeu continentem eſſe, quod idem eſt, opponit ei, quod eſt uxorem ducere, & per conſequens, ea uti.

Proinde Canon Quintus Apoſtolicus de non ejicienda uxore, non hunc habet ſenſum, quem falſo Trullani arbitrantur, ſed mandat uxorem converſam habentibus, ne ita illam removeant, ut nolint alere, domi retinere, ac ejus neceſſitatibus providere. Si quis enim, inquit Paulus ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.

Non autem mandarunt Apoſtoli, ut eam domo expellerent, & in monaſterio imponendam eſſe curarent, cum eo tempore adoleſcere incipiente Eccleſia, non ubique monaſteria Virginum, aut earum, quæ continentiam voviſſent, conſtituta fuiſſent. Quod deinde procurarunt conſequuti Patres, & Concilia.

Quod autem Canon (modo ſit Apoſtolorum) ſic intelligendus ſit, vel ipſi Græci teſtes erunt, quorum Epiſcopi pellunt quidem uxores, non ita tamen, ut nolint in rebus neceſſariis earum curam gerere. De qua re ipſi iidem Trullani canonem 48. ſtatuunt aiunt enim uxorem Epiſcopi debere in monaſterio aliquo collocari, & providentia Epiſcopi viri ſui frui. Alioquin ſi de cohabitatione, & danda opera procreandis liberis Canon intelligeretur, jam diu illi Epiſcopi eſſent excōmunicati, immo & depoſiti. Quod tamen Græci nulla ratione admittunt, ſic enim Canon habet, ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας. ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ, ἀφοριζέσθω, ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. Quem canonem referunt Trullani in ſuo 13. canone, ut jam vidimus, ſed omiſſo de induſtria Epiſcopi nomine.

Sic eum canonem etiam interpretatus eſt olim Humbertus Cardinalis Legatus Leonis IX. reſpondens ad libellum Nicetæ Monachi Conſtantinopolitani adverſus Latinos editum, cujus reſponſio nomine Leonis citatur, & eſt in d. 31. c. 11. Omnino confitemur non licere Epiſcopo, Preſbit. Diacono propriam uxorem cauſa religionis abjicere à cura ſua, ſed ut ei victum, & veſtitum largiatur, ſed non ut cum illa carnaliter ex more jaceat.

Hunc autem ſenſum confirmat etiam ger-

mana illius vocis εὐλαβείας significatio, quæ proprie timorem quendam & cautionem denotat. Ne itaque per speciem cautionis Episcopus, aut Presbyter uxoris curam dimittat, & illam abjiciat, quod nimirum teneatur ab ea se continere, & timeat ne curam gerendo, & eam domi retinendo peccatis succumbat.

Alioqui neque fuisset causa ulla condendi ejusmodi canonem, quis enim sponte volensque uxorem suam abjiceret, præsertim, si citra peccatum habitare cum illa, & generare filios ab ipsis Apostolis permissum fuisset? Quare enim modo non auditur presbyteros Græcorum suas uxores abjicere? scilicet canonem perfringere timent. Immo vero non desunt, qui prima uxore demortua, quamuis optime norint ex veterum sententia sacerdotij munus non amplius se perfuncturos, sorte laicorum contenti, secunda contrahere conjugia non vereantur. Quę vera ne sint conjugia an potius adulteria, in sequenti quæstione agemus.

Sed quid? quod ipsimet patres illius Concilij suo se gladio jugulant? Nam quia nonnulli Episcopi in Africa, & Libya cum suis uxoribus habitabant, ipsi hoc fieri deinceps vetant. Et quoniam illi præsules, ut Trullani opinantur, poterant se tueri proferendo commemoratum canonem Apostolicum de non ejicienda uxore: Huic objectioni sic ipsi occurrunt. τοῦτο δὲ φαμὲν οὐκ ἐπ' ἀθετήσει, ἢ ἀνατροπῇ τῶν ἀποστολικῶν νενομοθετημένων, ἀλλὰ τῆς σωτηρίας, καὶ τῆς ἐπὶ τὸ κρεῖττον προκοπῆς τῶν λαῶν προμηθούμενοι. καὶ τὸ μὴ δοῦναι μῶμόν τινα κατὰ τῆς ἱερατικῆς καταστάσεως. Hoc autem, inquiunt, dicimus » non ad ea abolenda, & evertenda, quæ » Apostolice antea constituta sunt, sed popu- » lorum salutis, & ad meliora progressionis » curam gerentes, & ne status sacerdotalis » ullo probro afficiatur. Sic illi.

Quasi vero Latini, si ita Canon Apostolicus intelligeretur, non idem responsum dare possent: & si licuit τοῖς πενθεκτιανοῖς, Quinisextianis Patribus contra canonem, ut fert illorum opinio, Episcopis prohibere cum uxoribus commercium, dicant nobis cur non item licuerit Latinis eumdem usum, & cohabitationem prohibere suis sacerdotibus?

At quod magis miratus sum, in trigesimo eorum canone concedunt quibusdam Presbyteris, ἐν ταῖς βαρβαρικαῖς ἐκκλησίαις, in barbaricis Ecclesiis, ut ipsi aiunt, hoc est degentibus inter barbaros, separationem ab uxoribus: fingunt autem illos sacerdotes, ne prædictum canonem Apostolicum violarent, consensum uxorum obtinuisse, hacque ratione à conjugibus abstinuisse. Quasi vero Latini citra consensum uxoris ad sacros ordines promoverentur, & à conjugibus separarentur. Et si barbaris permiserunt separationem à conjugibus, cur non etiam Romani ritus Latinis? an inferioris conditionis esse debent, quam barbari?

Cur item potius non absolute aiunt, illos barbaros Presbyteros propterea obtento ab uxoribus consensu ab eis abstinuisse, quod existimarent esse omnino canones Apostolicos servandos qui consuetudinem cum uxoribus prohibent, ut testatur S. Epiphanius, sed falsas causas comminiscuntur? Non enim ullus Canon antiquus illis permittit mutuam consuetudinem.

Illud prætetea, quod in fine 30. canonis addunt, minime ferendum est; aiunt enim. τοῦτο δὲ αὐτοῖς οὐδὲ ἄλλοτι, ἢ διὰ τὴν τῆς γνώμης μικροψυχίαν, καὶ τὸ τῶν ἠθῶν ἐκξενομένον, καὶ ἀπαγὲς ἐνδεδώκαμεν. Hoc autem illis non propter « aliud, quam propter eorum pusillanimita- « tem, externosque ac non satis firmos mores « concessimus. Quasi vero ex communi consensu conjugum colere castitatem, & cœlibem vitam agere, non sit maxima virtus, sed defectus animi, ex pusillanimitate proveniens, & quasi peccatum sit, vel possit esse, dispensatione indigeat.

Concordent itaque prius hos suos canones Quinisextiani Patres, deinde insultent cæteris: sed non est timendum.

Qui si parum voluissent ἀνανῆψαι, facile perspexissent in servandis hac de re canonibus Apostolicis, vel ab ipsis barbaris se superatos fuisse.

At neque Canon 17. apud Clementem ulla ratione Græcos juvat: illa enim particula ἢ sumenda quidem erit adverbij modo, sed integra periodus habebit hunc sensum, quem etiam antea tradidit, atque expressit Turrianus, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι ᾗ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν, hoc est, ἀρκεῖσθαι ὅτι ἅπαξ, καὶ ἐφ'

ὅσοι γαμήσαντες, ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν· sed contentos esse, quod cum semel, & quatenus habuerint uxorem, ad ordinationem venerint, & fuerint admissi.

Cum enim sacerdotium propter excellentiam ex solis Virginibus constare deberet, placuit tamen Apostolis in gratiam multorum, simul etiam illorum temporum rationem habentibus, & necessitatem considerantibus, indulgentiores esse, & monogamos, quorum uxores, vel mortuæ erant, vel simul castitatem voverant, & à carnali commercio abstinebant, in sacros ordines admittere. Et quoniam id non permiserunt Apostoli digamis, idcirco S. Epiphan. in calce 3. lib. Panarii sic scribit. Δευτερόγαμον δὲ οὐκ ἔξεστι δέχεσθαι ἐν αὐτῇ (τῇ ὑπηρεσίᾳ) εἰς ἱερωσύνην, κἄν τε ἐγκρατευόμενος εἴη χῆρος ἐπ' ἀρχῆς, τάξεως ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρου, καὶ διακόνου, καὶ ὑποδιακόνου. Qui vero ad secundas nuptias transierit, eum recipi in ordines sacros Episcopatus, sacerdotij, Diaconatus, & Subdiaconatus, ut ea munera exerceat, minime licet; tametsi post alteram ductam uxorem quam primum viduus sit, & continenter vivat.

Hæc itaque permissio ad rationem multorum, qui alioqui non possent admitti, singularis quidam favor fuit.

Et quamvis admitteremus expositionem Græcorum, ipsi nihilominus non servant canonem in Episcopis. Nisi enim abjiciant uxores, non eos creant Episcopos. Quod si Græcis licuit excipere Episcopos, cur non Latinis Presbyteros? cum æque Canon Episcopos, atque Presbyteros comprehendat.

Neque enim potest quispiam dicere Episcopis prohibitum fuisse conjugium propter dignitatem. Nam cum Episcopalis dignitas plurima officia sub se contineat, plurimaque munera obeat, nullum est inter tot alia munus, quod magis peculiari quadam ratione, ac quasi suo quodam jure perpetuam castitatem, & puritatem merito exigat, quam sincera illa vereque sublimis, præcipua, maximaque omnium functio divinum offerendi sacrificium: hæc vero communis est Episcopis cum Presbyteris.

Quam eandem rationem (quod mirum est) ipsimet Trullani tangunt in eo canone: Oportet enim, inquiunt, eos, qui divino altari assident in sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, ut possint, quod à Deo simpliciter petunt, obtinere. Quid ergo si qui quotidie vellent sacrificare, ut plerique Latinorum faciunt, aliaque sacramenta ex necessitate rei administrare? an non perpetuo continentiam servare debebunt? Et quidem Concilium Carthaginense, à quo desumpta est prædicta sententia, non dicit tempore sanctorum tractandorum, sed absolute sanxit eos qui tractant sacramenta, & altari deserviunt, debere in omnibus omnino esse continentes, & ab uxoribus abstinere. At nostri Quinisextiani addiderunt, statuto tempore, ut nimirum Canoni tam antiquo, & casto, qui illis objici poterat, occurrere possent.

Quanquam itaque non ita Canon intelligatur, volui tamen ostendere nihil inde Græcos posse obtinere contra Latinos, cum æque ipsi illius, & alterius proxime ante citati sint violatores.

Cur ergo Trullani non objiciunt propriis Episcopis illa verba sui Canonis, quæ Latinis opponunt: Quæ Deus conjunxit, homo non separet: &, Honorabiles esse nuptias, & torum immaculatum? &, Alligatus es uxori? noli quærere solutionem: cæteraque id genus? An forte dicent non obstare illa, quominus vota fiant, si utraque pars consenserit? Ergo idem responsum audiant pro Latinorum Presbyteris. At non præstant uxores consensum, igitur non admittuntur. Quemadmodum ipsi quoque nisi consentiente conjuge, non evehunt illos ad Episcopatum.

Itaque in Latinorum Ecclesia omnibus proponebatur, qui digni essent, si vellent sacris ordinibus initiari, scirent se perpetuam castitatem debere servare. Quare si qui libere, ac sua sponte se offerebant, & id se facturos, obtento prius uxoris consensu, pollicebantur; si postea uxoribus adhæsissent, merito sejungebantur. Non ergo quos Deus conjunxerat, separabant; sed quos conditio status laudabiliter quoad torum disjunxerat, (nam vinculum matrimo-

nij ad finem vitæ durat) male postea conjunctos distrahebant.

Solvuntur argumenta sumpta ex Apostolorum uxoribus, & Conciliis Ancyrano, & Gangrensi.

Caput XXXVII.

Ex sententiis Patrum allatis solvitur etiam postremum argumentum de Apostolorum uxoribus. Certe enim si Apostoli ita retinuissent uxores post vocationem Apostolatus, ut etiam ab illis debitum matrimonij exegissent, ex sententia Epiphanij minime prorsus contrarios huic rei Canones condidissent. Neque secundum Hieronymum post nuptias continentes fuissent: immo vero Clemens Alexandrinus, qui unus ex antiquis Patribus locum Pauli de uxoribus intellexit, non tamen Apostolos quam primum Christum sequutos, nisi loco sororum habuisse illas affirmat. Cujus sententiam approbans Humbertus Cardinalis, Vide, inquit, insipiens, ad Nicetam Constantinopolitanum loco supra citato, quia non dixit (Apostolus) Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi: scilicet ut mercede prædicationis sustentaretur ab eis. Nec tamen deinceps ulterius foret carnale inter eos conjugium.

Sed & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus cœlibatum adstruens Monachorum adversus hæreticos in c. 6. secundi responsi, idem sentit de Apostolis; quos ait fuisse normam, & exemplar aliorum in cœlibatu. πρὸς ὃ δὲ θαυμάζετε λέγοντες, ὅτι οὔτε ἐν τῇ παλαιᾷ, οὔτε ἐν τῇ νέᾳ ἐπολιτεύετο ἡ μοναδικὴ. γινώσκετε ὅτι καὶ τότε μὲν ἦν ἡ τοιαύτη πολιτεία. πλὴν ἐν θεωρίᾳ ἠσκεῖτο, ὡς Ἠλίας καὶ πρόδρομος ἐν τῇ παλαιᾷ, καὶ αὐτοὶ οἱ μαθηταὶ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ νέᾳ ἄγαμοι ὄντες, καὶ κοινοβιακῶς διάγοντες, καὶ κίνδυνον ἔχοντες τὸ χωρισθῆναι Χριστοῦ. οἵτινες τύποι ὑπῆρχον ταύτης τῆς πολιτείας, ὡς ἔστι μαθεῖν
» ἐκ τῶν εὐαγγελικῶν, ἀποστολικῶν ῥητῶν. Illud ve-
» ro, inquit, minime vos prætereat, quod alio-
» quin vobis mirum videtur (dicitis enim nec
in veteri, nec in novo Testamento in usu «
fuisse monasticam) etiam tum fuisse hoc «
vitæ genus, sed exercitium ejus in contem- «
platione positum, quales erant in veteri He- «
lias, & Præcursor: ipsi quoque in nova lege «
Discipuli Christi cœlibem vitam, & cœno- «
biacam degentes, ac periculum, ne à Chri- «
sto separarentur, habentes. Hi tales viri «
exemplaria erant hujus politiæ, sicut ex «
Evangelicis, & Apostolicis scriptis adver- «
tere licet. Sic ille. «

Cæteri vero Patres Paulum aiunt de piis fœminis loquutum fuisse, quæ ad fidem Christi conversæ Apostolos comitabantur, eisque necessaria subministrabant, quemadmodum & Christo Domino: & tunc vocullam illam γυναῖκα, mulierem Latine vertas, non uxorem.

De Paulo vero, utrum habuerit uxorem, an non: licet pars affirmativa, quam tenent Clemens Alexandrinus, & Chrysostomus in libro de Virginitate cap. 41. & 82. nostræ causæ minime officiat, si Apostolus factus ea postea caruerit; pro certo tamen habendum est ex sententia communi aliorum Patrum, eum perpetuam virginitatem coluisse: quod & certis, & exquisitis rationibus Cardinalis Bellarminus probat in suis Controversiis. Neque obstat nobis Ignatius, qui in Epistola ad Philadelphienses affirmare videtur, Petrum, & Paulum, cæterosque Apostolos, excepto Joanne, matrimonio conjunctos fuisse. Hoc inquam, non obstat. Nam in multis Codicibus vetustissimis manu scriptis deest nomen Pauli, ut videre licet Romæ in bibliotheca Vaticana.

Sententiam tamen beati Ambrosii in Exhortatione ad Virgines, verissimam simul, & elegantissimam, & efficacissimam ad hoc idem probandũ prætermittere non possum, nec debeo. Non diceret, inquit, (scilicet «
Apostolus) Bonum est innuptis, ut sint si- «
cut & ego, nisi esset corpore integer. Non «
item diceret, omnes homines volebam esse «
sicut me ipsum, si uxorem habuisset: sic «
enim Virgines esse nollet. Sed absit. Sed sic «
à pueritia spiritui servivit, ut hujus rei «
(uxoriæ scilicet) studium non haberet, ju- «
venculus à Dei gratia anticipatus. «

S. Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 4. sic refert sententiam Apostoli, Vellem autem omnes homines esse, sicut & me ipsum. Quia utique ipse ab omni concubitu continebat, & continuo subjunxit: sed unusquisque proprium donum habet à Deo: alius sic, alius autem sic.

Ad Concilium Ancyranum, Major, qui in 4. dist. 24. quæst. 2. & dist. 37 quæst. 1. contendit de jure divino, tam Presbyteros, quam Diaconos continentiam servare debere, ac proinde illis esse interdictum post susceptos ordines nuptias contrahere, existimat Concilij decretum de more, & ritu Græcorum loqui, videlicet de uxoribus ante Diaconatum ductis. Quare sic interpretatur verba Canonis: Si, cum ordinantur, dixerint velle se uxores habere, id est velle se matrimonio ante contracto uti. Et deinde cum dicitur. Hi postea si ad nuptias venerint, vel se contulerint: hoc est, si ad uxores, quas in matrimonium antea duxerint, accesserint, atque eis commisceantur, si ad nuptias, videlicet ante contractas venerint, hoc est, si nuptiis ante contractis uti voluerint. Quæ interpretatio, meo judicio, est nimis violenta, & insolita. Neque servaretur jus divinum, ut vult hæc opinio, concesso usu matrimonij. Quippe si protestati fuissent in ipsa ordinatione, dispensabatur cum illis.

Archidiaconus Turrecremata, & Geminianus cap. Diaconi dist. 28. ubi refertur Canon iste Concilij, ita exponunt: si ad nuptias venerint, hoc est, si postea nuptias contraxerint ipso facto non jure, tunc separentur ab uxoribus, quas duxerunt facto non jure, eo quod matrimonium non valeat, & separati ab uxoribus in ministerio permaneant.

Verum hæc similiter expositio rebus clarissimis obscuritatem obducit, & tenebras. Et si ducere uxorem facto, non jure peccatum est, certe nulla eis infligitur pœna, dum in ministerio permanere illis conceditur.

Canonistæ Græcorum, ut Zonaras, Balsamon, & alij, in commentariis super Concilium Ancyranum aiunt, hunc Concilij Canonem esse abrogatum à Concilio sexto generali, Canone 6. (Trullanam synodum intelligunt illam quinisextam) ubi decernitur, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat, & si quis hoc fuerit ausus, depositionem minantur.

Ego quoque ad ejusmodi Canonem respondeo. Patres illius Concilij provincialis eo tempore cum nonnullis Diaconis dispensasse, quod hoc non sit de jure divino. Idque vel propter penuriam ministrorum, ut ait Epiphanius, vel διὰ τὴν ῥαθυμήσασαν τῶν ἀνθρώπων γνώμην, propter hominum mentem torpentem, atque languentem.

Ex hoc eodem tamen Canone re attentius considerata, argumentum contra Græcos potius colligere mihi visus sum. Quippe non obscure inde deduci potest, Græcorum Presbyteros solitos fuisse post susceptos ordines servare continentiam. Id quod in hoc toto argumento, seu verius quæstione tractamus.

Etenim servata proprietate verborum Canonis, si licitum erat post susceptos ordines uti uxoribus, quid opus erat protestari & non posse continere asserere? poterant enim, prout modo faciunt Græci, prius copulari matrimonio, deinde initiari sacris ordinibus. Neque ulla indulgentia petenda erat. Neque ulla gratia pro accepto beneficio habenda. Quod cum non fecerint, signum est eos non potuisse post susceptos ordines copulari cum uxoribus. Proinde parum etiam curasse, si ante ordinationem eas duxissent, quibus post consecrationem carere debuissent. Quod etiam innuere videtur Concilium his verbis, τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως. Si qui vero id tacuerunt, & in ipsa impositione manuum sic esse se permansuros receperunt, hoc est, εἰ δέ τινες ἐν τῷ μέλλειν χειροτονεῖσθαι ἐσιώπησαν, ὡς καταδεξάμενοι διὰ τῆς σιωπῆς ἄγαμοι μένειν, εἶτα γυναῖκα ἔλαβον, πεπαύσθωσαν τῆς διακονίας. Si qui vero cum manuum impositione essent ordinandi, tacuerunt, ut pote qui suo silentio cœlibem vitam professi essent, si deinde uxorem duxerint, cessent à ministerio. Ubi synodus clarissime signifi-

cat tacere, & non protestari, esse tacite continentiam profiteri. At hoc erat solitum & ordinarium secundum antiquos Canones tacere, & non quærere uxorem post sacros ordines: extraordinarium protestari & supplicare pro uxoribus; ergo passim continentiam profitebantur. Quidam vero loco maximi beneficii habuerunt, quod cum non possent continere, facultatem obtinuerint ab Episcopo ducendi uxorem, & procreandi liberos. Concilium autem, quandoquidem voluit concedere illis usum conjugii, sine ullo scrupulo permisit quoque uxorem ducere. Nam si est contra Canones hoc posterius, multo magis est illud primum, propter quod vetatur hoc secundum. Matrimonium enim, qua est matrimonium, non adversatur sacramento Ordinis, nisi ratione exercitii. At nos concedimus permittere Ecclesiam Græcis post susceptos ordines usum matrimonii. Quid ergo mirum, si Concilium etiam matrimonium ipsum concesserit, cum istud non prohibeatur, nisi propter illud?

Unde ridiculum est, quod aiunt Canonistæ Græcorum, abrogatum fuisse hunc Canonem per sextam synodum generalem. Nam patres illi Quinisexti Concilii, & posteriores Græci, dum incaute permittunt usum matrimonii post susceptos sacros ordines, & prohibent tamen contrahendum matrimonium, parum sibi constare videntur. Si quidem sacramentum matrimonii ut dixi, non repugnat aliis sacramentis, nisi ratione actus secundi, & copulæ: item propter incommoda, quæ comitantur hoc sacramentum, & necessario annexa sunt. Quæ cum Græci post susceptos ordines admittunt, non est cur conjugium prohibeant: prohibuerunt autem illud antiqui Canones, quod nimirum etiam usum conjugii, & exercitium vetarent.

Ridicula quoque est ratio Leonis Imperatoris cognomento Sapientis, qui in tertia sua Novella reddit rationem, cur Presbyteri post sacros Ordines matrimonium contrahere non valeant. οὐ γὰρ ἄξιόν ἐστι μετὰ τὸ ἀνυψωθῆναι τὴν σωματικὴν ταπείνωσιν ἀπὸ τῆς πνευματικῆς ἀναβάσεως, τούτους πάλιν ἐπὶ τὴν σαρκικὴν ταπεινότητα καταπίπτειν. τοὐναντίον δὲ μᾶλλον χρή, εἰς ἀνάβασιν ὑψηλὴν τὴν θείαν λειτουργίαν ἐκ τῆς σωματικῆς ταπεινότητος ἀναβαίνειν. Non enim, inquit, dignum est, ut postquam humilitas corporalis evecta est ab ascensu spirituali, hi rursus ad carnalem abjectionem delabantur. Sed contra potius convenientius fuerit, ut divinum ministerium ex corporali abjectione in ascensum altum conscendat. Sic ille. At si copula includat per se sacros ordines, certe ministerium sacrum non ascendit, sed potius descendit; ergo exercitium matrimonii hoc efficit, ut gradus altior descendat, non ipsum matrimonium, quod est sacramentum. Et optima ratio esset, si copula, propter quam fit matrimonium, excluderetur; tunc enim recte dixerit aliquis, non esse dignum, ut qui secularibus negotiis implicatus est, quale est etiam matrimonium, is divino munere fungatur, & contra, qui ad tam altum gradum evectus est, ut ad carnis sordes descendat, & se abjiciat.

Dices Græcos etiam ipsos quodam modo prohibere usum matrimonii, siquidem Patres Trullani aiunt Presbyteros oportere abstinere ab usu conjugii tempore tractandorum mysteriorum, hoc est, ut exponunt interpretes Canonistæ, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἑαυτῶν ἐφημερίας, tempore vicis suæ.

Sed hoc perinde est, ac si aliquis dicat, posse eos post susceptos ordines etiam matrimonium contrahere sub eadem conditione, ut nimirum deinde abstineant tempore vicis suæ.

Quare aliquid amplius concesserunt Patres Trullani, quam permiserit Concilium Ancyranum. Quippe concedere usum matrimonij post susceptos ordines non solum Diaconis, sed etiam Presbyteris, idque sine protestatione, neque obtenta venia, est quid majus & amplius, quam concedere solis Diaconis uxorem posse ducere, & ea uti. Quamobrem non adeo recte, sed ex parte revocarunt, vel abrogarunt prædictum Canonem. Integre autem abrogassent, si non tantum conjugium post sacros ordines, sed etiam usum conjugii penitus sustulissent.

Videat ergo prudens lector, quam inconsiderate posteriores Græcorum permiserint usum matrimonii. Hac enim ratione, si vera loqui velimus, per imprudentiam everterunt ferme omnes antiquos Canones, qui de hac re statuunt.

Extat Canon Apostolicus 26. qui potestatem facit ducendi uxorem, sed lectoribus tantum, atque cantoribus. Et quoniam si voluissent lectores, & cantores ad majores evehi ordines (ut plerique omnes fere volebant) jam evecti omnino debebant abstinere à commercio uxoris, idcirco multi nullo modo ducebant. Unde quod Apostoli aiunt, κελεύομεν, jubemus, ut lectores, & cantores si voluerint ducant uxorem, Concilium generale Chalcedonense canone 24. ait, συγκεχώρηται, permissum est, & non ubique per consequens, neque omnibus lectoribus & cantoribus. ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐπαρχίαις συγκεχώρηται τοῖς ἀναγνώσταις, καὶ ψάλταις γαμεῖν, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, μὴ ἐξεῖναι τινὰ αὐτῶν ἑτερόδοξον γυναῖκα λαμβάνειν. Quoniam in quibusdam provinciis permissum est lectoribus, & cantoribus uxorem ducere, statuit sancta Synodus non licere quemquam eorum uxorem alterius sectæ accipere. At Trullani Patres canone 6. & 13. suum illud lepidum commentum canonibus addiderunt, ut prius ducant, deinde usum matrimonii non amittant. Quasi vero ea sit maxima sanctitas, & res consideratione dignissima, non permittere majoribus ordinibus ducere, at permittere usum matrimonii, non aliter atque permittunt minoribus & ducere, & copula uti, cum ut plurimum illud prius fiat propter hoc posterius.

Restat alter Canon Concilii Gangrensis, qui excommunicat recusantes sacratissimam Eucharistiam sumere ex manibus sacerdotis γεγαμηκότος, qui uxorem duxerit.

At hoc nihil est. Quippe bene simul hæc stare possunt, habuisse uxorem, & ab ea se continere. Vel quia sit mortua ejus uxor, vel quia ex conjugis consensu se contineat, & eam habeat tanquam non habens, neque deinceps procreet liberos. Editus est autem Canon adversus Eustathium Episcopum Sebastiæ, qui nuptias abominandas esse censebat. Quapropter Eustathiani quoque oblationem accipere à Presbyteris, qui aliquando uxores duxissent, recusabant. Quod utique non fecissent, si passim omnes Presbyteros matrimonio junctos esse vidissent. Sed cum plerique omnes Sacerdotes cœlibatum amplecterentur, ipsi autem execrarentur nuptias, matrimonium etiam præteritum, & ante sacros ordines in statu sæculari celebratum, respuebant; & Presbyteros aversabantur, quamvis postea vidui essent, vel sacris initiati ab uxoribus abstinerent.

Si hæc non placet solutio, secundum responsum affero probabilius. Existimo Canonem vere intelligere sacerdotem uxoratum, & procreantem liberos, sed per dispensationem ad sacros ordines admissum ob ministrorum penuriam. Horum enim etiam facit mentionem S. Epiphanius. Quoniam vero hi despectui habebantur, & eos refugiebat populus, idcirco hujusmodi Canonem Concilium edidit, significans virtutem Eucharistiæ non provenire, seu pendere à bonitate ministri.

Quod etiam confirmari posse videtur ex his quæ tradit Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Baptisma. Apparet enim quod sacerdotes, qui à consuetudine uxorum non se continebant, à cæteris despiciebantur, & erant qui ab his sacro fonte lustrari abnuerent. Quos tamen Theologus reprehendit, cum ita scribit, μὴ εἴπῃς, ἐπίσκοπος βαπτισάτω με, καὶ οὗτος μητροπολίτης, ἢ ἱεροσολυμίτης. οὐ γὰρ τόπων ἡ χάρις, ἀλλὰ τοῦ πνεύματος. Καὶ οὗτος τῶν εὖ γεγονότων. δεινὸν γὰρ εἰ τῷ βαπτιστῇ τὸ εὐγενές μου καθυβρισθήσεται. ἢ πρεσβύτερος μὲν, ἀλλὰ καὶ οὗτος τῶν ἀγάμων, καὶ οὗτος τῶν ἐγκρατῶν, καὶ ἀγγελικὴν τὴν πολιτείαν. δεινὸν γὰρ εἰ ἐν καιρῷ καθάρσεως ῥυπωθήσομαι. Ne dicas, Episcopus me baptizet, & is quidem Metropolita, vel Hierosolymita. Non enim locorum, sed Spiritus est gratia. Atque is claro genere ortus: grave enim fuerit, si à baptizatore nobilitas mea injuria afficietur. Vel presbyter quidem sit, sed minime matrimonio junctus, & is quidem continens, & eorum qui Angelicum vitæ institutum imitentur (ergo

erant nonnulli, qui non ſe continebant.) Indignum quippe eſſet ſi tempore purgationis ſordeſcerem. Et poſt pauca. Σοὶ δὲ πᾶς ἀξιόπιςος εἰς τὴν κάθαρσιν. μόνον ἔςω τις τῶν ἐγκρίτων, καὶ τῶν μὴ προδήλως κατεγνωσμένων, μὴ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἀλλότριος. Tibi vero ſit quilibet idoneus ad purgationem, modo inter probatos cenſeatur, ac non aperte condemnatus, neque alienus ab Eccleſia. Vult ergo Nazianzenus, ut omni tempore fideles ad baptiſmum accurrant, non diſcernentes baptizatores, dummodo ſint orthodoxi. Quare ſi neceſſitas flagitaſſet, cum paucitas eſſet miniſtrorum, etiam qui ab uxoribus non ſe continebant, baptizabant, & ſacrificabant.

Expenditur Hiſtoria Paphnutii, & probatur veritas ex Concilio Nicano.

Caput XXXVIII.

VEnio ad hiſtoriam Paphnutii, de quo Socrates loco citato. ἦν δὲ ὁ Παφνέτιος ἐπίσκοπος μιᾶς πόλεως τῶν ἄνω Θηβῶν. ἀνὴρ οὕτω θεοφιλὴς ὡς καὶ σημεῖα θαυμαστὰ γίνεσθαι ὑπ᾽ αὐτοῦ, ὃς ἐν καιρῷ τοῦ διωγμοῦ τὸν ὀφθαλμὸν ἐξεκόπη. σφόδρα δὲ ὁ βασιλεὺς ἐτίμα αὐτὸν, καὶ συνεχῶς ἐπὶ τὰ βασίλεια μετεπέμπετο, καὶ τὸν ἐξορωρυγμένον ὀφθαλμὸν κατεφίλει. Paphnutius, inquit, civitatis cujuſdam in ſuperiore Thebaide ſitæ Epiſcopus erat. Vir ſane adeo divino numini charus, ut eximia cum primis miracula ab eo ederentur. Huic quidem perſecutionis tempore oculus effoſſus eſt. Imperator igitur hominem in magno honore habebat, ſæpiſſimeque illum ad Regiam accerſebat, atque oculum erutum exoſculabatur.

Theodoretus in primo libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 7. eundem inter præclaros viros, quibus ob confeſſionem fidei dextri oculi effoſſi erant, enumerat. εἷς τούτων ἦν παφνέτιος ὁ αἰγύπτιος.

S. Epiphanius Meletii Ægyptii, qui lapſos pœnitentes non recipiebat, ſectam referens, quæ eſt in ordine 68. Paphnutium tradit fuiſſe filium cujuſdam fœminæ ὁμολογητρίας quæ Chriſtum confeſſa fuerat. De Paphnutio ait, παρεληλυθὼς καὶ αὐτὸς ποσῶς τῆς ὁμολογίας. qui & ipſe aliquo modo confeſſor extiterat. Et mirum cur ita ſcribat ποσῶς aliquantulum, ſi ei oculus effoſſus fuerat: ſed fortaſſe ita loquitur, quia non ſubſequutum eſt martyrium: nihilominus Paphnutium Epiphanius magnum virum prædicat. Sed eum tamen ait, tandem in ſchiſma Meletianorum incidiſſe. Quorum cauſam cum vellet agere apud Conſtantinum Magnum, & ob id profectus eſſet Conſtantinopolim, neque ab his, qui à famulatu erant Imperatoris, nomine Meletianorum audito, admitteretur; Euſebius Nicomediæ Epiſcopus ea conditione aditum ipſe ad Imperatorem impetraverat, ut cum Ario tanquam jam pœnitente, ac orthodoxo communionem haberet. Itaque deceptus ab Euſebio tam ipſe Paphnutius, quam Meletiani communionem cum Ario, & ſectatoribus ejus habuerunt. De quibus ibidem Epiphanius hæc enuntiat, ὡς εἴθε μᾶλλον οἱ αὐτοὶ οἱ τὴν ἀκροδικαιοσύνην τῆς ἀληθείας ἀναδεδεγμένοι μελετιανοὶ μετὰ τῶν παραπεσόντων μετὰ τὴν μετάνοιαν ἐκοινώνησαν, ἤπερ ἀρείῳ καὶ τοῖς ὑπ᾽ αὐτοῦ. Atque utinam quidem Meletiani, qui ſummam juſtitiam veritatis in ſe recipiebant, cum lapſis poſt actam pœnitentiam communionem habuiſſent potius, quam cum Ario, & ſectatoribus ipſius.

Hæc de Paphnutio, quæ idcirco referre volui, quod Canoniſtæ Græcorum, quæ narrat Socrates de hoc viro, ad majorem ſui dogmatis fidem faciendam quam accuratiſſime recenſeant, omiſſis interim, atque neglectis, quæ de hoc tradit S. Epiphanius.

Scio Athanaſium aliter referre ſchiſma Meletianum, quam illud referat Epiphanius. Cui potius fides adhibenda eſt, quam Epiphanio, tum quod illud in Ægypto factum ſit, & Athanaſius optime ſciret quid ſui prædeceſſores in Alexandrina Eccleſia egiſſent: tum etiam quod ipſemet Athanaſius à Meletianis multis inſidiis petitus ſit, atque atras calumnias paſſus. Vide eum Apologia ſecunda.

Sed ad rem. Hiſtoria illa falſa eſſe convincitur in primis ex eo, quod rem adeo celebrem, ac memorabilem, qui Concilio interfuere,

terfuere, ejusque acta scripsere, profecto literis mandare non neglexissent; At Eusebius Cæsariensis unus ex Episcopis Concilij, cujus etiam historiam narrat, nihil omnino tale tradit, immo contrarium scribit. Sed neque Theodoretus, vel alius quispiam fide dignior. Quin potius S. Epiphanius, & Theodoretus Paphnutij cum meminerint, de eo tamen nihil ejusmodi referunt.

Deinde Socrates ipse sibi manifeste contradicit. In ea siquidem historia, quam narrat de Paphnutio, dicit patres voluisse novam legem in Ecclesiam introducere, qua sacris initiati dormire cum suis uxoribus vetarentur. In libro vero quinto Ecclesiasticæ historiæ cap. 22. ubi recenset varios mores ac diversos ritus antiquos Ecclesiarum, testatur in Thessalia, Macedonia, & ipsa Græcia morem fuisse ab Ecclesiasticis observatum, ut quam lege duxerat aliquis uxorem, priusquam clericus factus esset, si postea clericus factus cum ea dormivisset, alienus fieret, & abdicaretur munere clericatus. Illius verba hæc sunt. γινόμενος κληρικὸς ἐκεῖ (hoc est, ἐν Θεσσαλίᾳ) ἣν νόμῳ γαμήσας πρὶν κληρικὸς γένηται μετὰ τὸ κληρικὸς γενέσθαι συγκαθευδήσας αὐτῇ ἀποκήρυκτος γίνεται. Ibidem autem ait, φυλάσσεται δὲ τοῦτο τὸ ἔθος ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ αὐτῇ Μακεδονίᾳ καὶ Ἑλλάδι. Si igitur talis mos vigebat, & servabatur in tota Græcia, quomodo Socrates sui oblitus dicit, Patres voluisse novam legem in Ecclesiam introducere? Et nota, doctrinam, quam supra tradidimus de usu matrimonij, quo carebant clerici post susceptos ordines, presenti testimonio Socratis luculenter probari posse, atque optime confirmari. Immo ibidem Socrates hoc etiam scribit, τῶν ἐν ἀνατολῇ γνωρίμων πάντων ἀπεχομένων καὶ ἐπισκόπων. Illustribus omnibus & Episcopis per Orientem à commercio uxorum abstinentibus. Dices, legendum quod sequitur, οὐ μὴν ἀνάγκῃ νόμου τοῦτο ποιούντων. Non tamen necessitate legis id facientibus. Verum hoc addit ille quidem, sed de suo addit, non recte. Non enim concordat cum S. Epiphanio, Hieronymo, & aliis, nisi velis dicere per ἀνάγκην νόμου jus divinum eum intelligere, quod libenter damus.

Sed esto, Paphnutius Patribus obstiterit, ne legem ferrent, qua prohiberentur Presbyteri concumbere cum suis uxoribus; an propterea synodus illius rationibus ducta, in arbitrio Episcoporum atque aliorum Ecclesiasticorum reliquit, ut uxoribus pro libito uterentur? ac non potius eam legem tulit, cujus tertius Canon sic habet. ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν. πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφήν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγεν. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιῶν κινδυνεύσει περὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀξίαν. Interdixit universe magna Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono; neque omnino alicui eorum, qui in clero sunt constituti, coinductam habere licere: nisi forte matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas tantum personas quæ omni suspicione carent. Qui contra hæc facit, de sua dignitate periclitabitur. Similem Canonem ediderunt Patres Africani in Concilio 3. Carthaginensi canon. 17. & hunc Nicænum videntur explicare: Ut cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non habitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum. Et quæcumque ex familia, domestica necessitate etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant. Vel si filij eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo, quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

Mandat itaque Canon Nicænus, ne ulla mulier cohabitet cum Episcopo, Presbytero, Diacono, aliisque clericis: excipit eas tantum personas, de quibus male suspicari nemo potest, & nominatim matrem, sororem, amitam. At legitimæ sacerdotum uxores, & filiæ nullam suspicionem de se præbent. Et tamen harum Canon nullam mentionem facit. Quomodo igitur Synodus in arbitrio Clericorum reliquit, vellent ne abstinere à conjugibus, an non? Si enim patres illi sententiam Paphnutij sequuti, Presbyterorum conjugium approbarunt, debuissent in Canone dicere,

nisi forte uxorem, filiam, matrem, sororem, amitam &c. Et in summa uxorem & explicite, & primo loco poni oportuerat. Cum enim matrimonium sit magnum sacramentum, propter quod relinquit homo patrem, & matrem, nec simpliciter adhæret uxori suæ, sed προσκολλᾶται adglutinatur, & una caro evadit; certe nulla ratio reddi potest, cur expresse, ac primo loco uxor in Canone adsit adscripta.

Quamobrem Siricius Pontifex, qui in Epistola prima prohibet sacerdotes habitare cum propriis uxoribus, & procreare filios, & multo magis cum aliis fœminis, in suum favorem præsentem adducit Canonem: » Fœminas, inquit, non alias esse patimur in » domibus clericorum, nisi eas tantum, quas » propter solas necessitudinum causas habita- » re cum iisdem synodus Nicæna permittit.

Neque nobis officit Cyprianus in libro de singularitate clericorum, quamvis certum non habeam an ille liber sit Cypriani, stylus tamen clamat librum Latine esse conscriptum, neque esse Origenis, ut aliqui volunt, sed quomodocumque sit, auctorem præsefert antiquissimum. Is, inquam, nobis non obstat, cujus in citato libro sunt hæc » verba. Si quis habet matrem, vel filiam, » vel sororem, vel conjugem, vel cognatam, » sic habeat, ut nulla ancilla intersit. Nam per conjugem intelligit uxorem conversam, & quæ simul voverit castitatem: alioquin pugnaret auctor cum titulo libri, & ob eam causam quarto etiam loco eam in annumeratione ponit, quasi non amplius talem uxorem, quam agnoscere debeat. Quod autem intelligatur uxor conversa, & casta, testatur etiam Concilium secundum Arelatense Canone 2. ante mille ducentos annos » celebratum. Si quis de Clericis à gradu » Diaconatus in solatio suo mulierem præter » aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, » vel conversam secum uxorem habere præ- » sumpserit, à communione alienus habeatur. Ubi similiter Concilium ultimum locum ei assignat.

Canon autem Nicænus nullam mentionem fecit uxoris, quamvis conversæ, nec etiam in postremo loco: tum quia plerique eo tempore uxore carebant, teste Epiphanio, tum etiam quia ex vi sua Canon volebat, ut uxores non amplius cum Presbyteris habitarent, sed in Monasterio collocarentur. Quæ tamen disciplina non ubique æque vigebat, nec ab omnibus observabatur. Quidam enim etiam domi retinebant, & alebant, ut colligitur ex Cypriano, & Concilio Arelatensi, ac juxta Canonem Apostolicum uxorem prætextu religionis non appellabant, sed citra conversationem, & commercium, ejus curam gerebant.

Illud autem ex citato Cypriano notandum. Monet enim ne inter alias personas, quæ à contubernio clericorum non arcentur, aliqua ancilla intersit. Quo eodem modo intelligi debet Canon Nicænus. At vero si uxor conjugali affectu, & vinculo manendo cum marito conjungeretur, certe Concilij Nicæni patres, cæterique Doctores, & sacra Concilia non solum in annumeratione primas partes ei attribuissent, verum etiam ei ancillas inservire permisissent. Quare enim modo uxores Presbyterorum ἱέρισσαι ad famulatum habere ancillas non vetantur, nisi quia de incontinentia Presbyterorum cum propriis uxoribus manentium, & procreantium liberos minor suspicio est?

Dicerent fortassis Græci, uxores includi, & comprehendi in illis postremis Canonis verbis, vel eas tantum personas, quæ omni suspicione carent. Et confirmatur à simili, quia Canon, quæ interdicit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, eadem plane interdicit etiam omnibus aliis Clericis.

At, hoc non obstante, minores Clerici lectores, atque Cantores ducere possunt uxores, & procreare liberos. Igitur Presbyteri quoque, non obstantibus verbis Canonis, possunt habere uxores, & generare filios.

Neque satis est dicere per eos qui sunt in clero Concilium intelligere Subdiaconos, qui vetantur similiter uxorem ducere, vel retinere, atque in annumeratione sunt prætermissi. Etenim Canon universe loquitur. Neque ulli, inquiens, eorum qui sunt in Clero. At non erat causa, quare propter solos Subdiaconos Concilium ita loqui debuisset.

Sed vanum est hoc refugium. Nam cum

Concilium personas exceperit, quæ omnem suspicionem fugiunt, idque gradatim, qualis est mater, soror, amita, multo magis uxorem excipere debuisset, quæ non solum omni suspicione caret, sed etiam est causa, ut ipse sacerdos uxoratus à suspicione sit alienus. Cum itaque inter personas minime suspectas principem locum uxor obtineat, neque qualiscumque sit mulier, ulla causa reddi potest, cur in annumeratione omissa fuerit, & in illis postremis Canonis verbis tacite sit intelligenda. Præsertim si demus, ut ex historia, quam referunt de Paphnutio, adversarij contendunt, hanc quæstionem in Concilio agitatam fuisse. Quippe regulam generalem tradere possumus, Nihil in Conciliis dubium, controversumque solitum esse proponi, quod non ab iisdem Conciliis dilucide declaretur, & certo Canone in posterum decernatur. Quod si quæstio de habenda, vel retinenda uxore proposita fuit, at certe illo tertio Canone contrarium sancitum est, & à personis, quæ citra suspicionem cohabitare possunt, exclusa.

Ad objectionem autem factam ab exemplo minorum Clericorum, respondeo primum: Si per eos, qui sunt in clero constituti, Subdiaconi intelligantur, facile se quilibet potest expedire.

Deinde illud etiam probabile mihi videtur responsum, videlicet duplex genus minorum clericorum extitisse: alterum eorum, qui suscipiebant minores ordines, ut deinde initiarentur majoribus. Et hi vetabantur ducere uxorem. Quare enim ducenda fuisset, si post annum, vel citius relinquenda erat? Et de hujusmodi Clericis intelligendus est Canon Nicænus.

Alterum genus erat eorum, qui non ea ratione suscipiebant minores ordines, ut ascenderent ad majores, sed simpliciter minoribus dumtaxat contenti erant. Et his concedebantur uxores, quos etiam non adeo magnifaciebant, ut eos in Canone includere voluerint. Hi autem eo ipso quod ducebant uxores, desinebant etiam esse clerici, non enim amplius promovebantur, ut fit modo in Ecclesia Romana. Postremo assero duo continere Canonem. Alterum, ne clerici cujuscumque sint gradus, habeant συνείσακτον, coinductam mulierem, quæ & ἐπείσακτος dicitur Græcis, hoc est superinducta, Latinis in jure Canonico, & civili redditur, extranea, (quo nomine vocant eam Presbyteri Africani, subintroducta, intromissa, adscititia: quibus nominibus quæ famuletur intelligitur. Et hoc membrum Canonis, omnes complectitur. Alterum, ut liceat Clericis habitare cum fœminis, quæ non sunt συνείσακτοι, & extraneæ, per consequens nullam suspicionem præbent. Et quoniam Concilium explicat, quænam sint personæ non extraneæ, quæ omni suspicione carent, neque tamen uxorem inter eas enumerat, indicium est, Presbyteros iis caruisse. Alioquin una cum non συνεισάκτοις adnumeratæ fuissent. Excluderetur autem in minoribus Clericis etiam uxor, ut excluditur in majoribus propter rationes allatas, nisi aliunde constaret, eos posse habere uxores. Quod quia ex aliis Canonibus satis clarum erat, Concilium noluit ullam exceptionem expresse illorum facere, sed universe Canonem edidit.

Porro quidquid sit de his solutionibus, Canonem tamen Nicænum adversari Græcorum Presbyteris in habendis uxoribus, patet ex doctrina SS. Epiphanij, & Hieronymi, quos supra citavimus. Si enim Canon illis postremis verbis, Vel eas tantum personas, quæ omni suspicione carent; complexus est etiam uxores, quibus licitum sit cum Presbyteris maritis habitare, & parere liberos, quomodo S. Epiphanius affirmat, illud non esse, neque fieri juxta Canonem? An quod post trecentos annos Patres Quinisextianos minime latuit, Epiphanium longe proximiorem, & qui circa eadem fere tempora, vel non multo post floruerit, latere potuit; ut Canonem hunc Nicænum, vel quempiam alium Apostolicum non adverterit? Deinde si synodus permisit Presbyteris habere uxores, quo pacto S. Hieronymus clamat, in more totius Orientis fuisse, ut Presbyteri ab uxoribus se continerent?

Sensus Canonis Nicæni colligitur ex epistola Basilij, ac vis vocis συνείσακτος ex Patribus Nazianzeno, & Chrysostomo explicatur.

Caput XXXIX.

SEd & Basilius Magnus in epistola ad Gregorium (alij Παρηγόρειον legunt) Presbyterum, simul & mentem Concilij exprimit, & consuetudinem qualis fuerit Ecclesiæ docet. Ita vero se habet Epistola: ἐνέτυχον τοῖς γράμμασι μετὰ πάσης μακροθυμίας, καὶ ἐθαύμασα πῶς δυνάμενος ἡμῖν συντόμως καὶ εὐτέλως ἀπολογήσασθαι διὰ τῶν πραγμάτων, τοῖς μὲν κατηγορημένοις ἐπιμένειν καταδέχῃ, λόγοις δὲ μακροῖς θεραπεύειν ἐπιχειρεῖς τὰ ἀνίατα. οὔτε πρῶτοι, οὔτε μόνοι ὦ Γρηγόριε ἐνομοθετήσαμεν γυναῖκας ἀνδράσι μὴ συνοικεῖν. ἀλλ' ἀνάγνωθι τὸν Κανόνα τὸν ἐξενεχθέντα παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἐν τῇ συνόδῳ νικαίας. ὃς φανερῶς ἀπηγόρευσε συνεισάκτους μὴ εἶναι. ἀγαμία δὲ ἐν τούτῳ ἔχει τὸ σεμνὸν ἐν τῷ κεχωρίσθαι τῆς μετὰ γυναικῶν διαγωγῆς. ὡς ἐὰν ἐπαγγελλόμενός τις τῷ ὀνόματι, ἔργῳ τὰ τῶν γυναιξὶ συνοικούντων ποιῇ, δῆλος ἐστὶ τὸ μὲν τῆς παρθενίας σεμνὸν ἐν τῇ προσηγορίᾳ διώκων, τοῦ δὲ καθ' ἡδονὴν ἀπρεποῦς μὴ ἀφιστάμενος. τοσούτῳ οὖν μᾶλλον ἔχρην σε εὐκόλως εἶξαι ἡμῶν τῇ ἀξιώσει, ὅσωπερ λέγεις ἐλεύθερος εἶναι παντὸς σωματικοῦ πάθους. οὔτε γὰρ τὸν ἑβδομηκονταέτη γεγονότα πείθομαι ἐμπαθῶς γυναικὶ συνοικεῖν, οὔτε ὡς ἐπιγνωσμένῃ τινὶ ἀτόπῳ πράξει ὡρισάμεθα, ἃ καὶ ὡρισάμεθα. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐδιδάχθημεν παρὰ τοῦ ἀποστόλου μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ, ἢ σκάνδαλον, οἴδαμεν δὲ ὅτι τὸ παρὰ τισὶν ὑγιῶς γινόμενον, ἄλλοις ἀφορμὴ πρὸς ἁμαρτίαν ὑπάρξει, τούτου ἕνεκα προσετάξαμεν ἑπόμενοι τῇ διαταγῇ τῶν ἁγίων πατέρων χωρισθῆναί σε τῆς γυναικός. τί οὖν ἐγκαλεῖς τῷ χωρεπισκόπῳ, καὶ παλαιᾶς ἔχθρας μέμνησαι· τί δὲ ἡμᾶς καταμέμφῃ ὡς εὐκόλους ἀκοὰς ἔχοντας εἰς τὸ τὰς διαβολὰς προσίεσθαι, ἀλλ' οὐχὶ σεαυτῷ μὴ ἀνεχομένῳ ἀποστῆναι τῆς πρὸς τὴν γυναῖκα συνηθείας. ἔκβαλε τοίνυν αὐτὴν ἀπὸ τοῦ οἴκου σου, καὶ κατάστησον αὐτὴν ἐν μοναστηρίῳ. ἔστω ἐκείνη μετὰ παρθένων. καὶ σὺ ὑπηρετοῦ παρὰ ἀνδρῶν, ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ἡμᾶς βλασφημῆται. ἕως δ' ἂν τοιαῦτα ποιῇς, αἱ μυριάδες, ἃς γράφεις διὰ τῶν ἐπιστολῶν, οὐδὲν ὠφελήσουσί σε. ἀλλὰ τελευτήσεις ἀργῶν, καὶ δώσεις τῷ Κυρίῳ λόγον τῆς σεαυτοῦ ἀργίας. ἐὰν δὲ τολμήσῃς, μὴ διορθωσάμενος σεαυτὸν, ἀντέχεσθαι τῆς ἱερωσύνης, ἀνάθεμα ἔσῃ παντὶ τῷ λαῷ, καὶ οἱ δεχόμενοί σε ἀκήρυκτοι κατὰ πᾶσαν ἐκκλησίαν γενήσονται.

Verum antequam eam in Latinum vertamus, ad satisfaciendum doctis viris, utque melius Epistola intelligatur, quod spectat ad modum loquendi, notanda est phrasis subobscura, αἱ μυριάδες, ἃς γράφεις διὰ τῶν ἐπιστολῶν, myriades, quas scribis per epistolas: subintelligendum enim est στίχων, estque sensus: innumeræ lineæ, quas scribis per epistolas, nihil efficient. Similiter in Poëticis antiqui solebant dicere, μυριάδες ἐπῶν, myriades carminum. Si quidem clarissimorum virorum opera, & volumina studio conscripta, & elaborata per lineas, & versus metiebantur, ne forte alicui pateret locus addendi aliquid. Vide Suidam in verbo Γρηγόριος ὁ Ναζιανζοῦ. de quo sic scribit, οὗτος ἔγραψε καταλογάδην πολλὰ, εἰς γὰρ τρεῖς μυριάδας στίχων τὰ συντάγματα αὐτοῦ συνέθηκεν. Hic scripsit soluta oratione multa, quippe in tres myriades linearum sua opera composuit. Infra vero de eodem Doctore loquens in Poëticis, ἅπερ συνάγονται εἰς ἐπῶν μυριάδας τρεῖς. Quæ, inquit, reducuntur in tres myriades carminum. In Bibliotheca Vaticana extat liber Sinarum lingua conscriptus, in cujus principio auctor statim dicit quot millia characterum volumen contineat, ut nobis exposuit quidam Gallus, cui liber ostensus est. Qui cum juvenis ad illa regna penetrasset, eorum mores, & linguam egregie didicerat, & in urbem postea venerat facultates quasdam à summo Pontifice obtenturus, mox ad easdem regiones reversurus. Illud etiam addebat, eos characteres non calamo exaratos, sed penicillo depictos. Quippe talem esse aiebat illorum consuetudinem scribendi. Hæc eruditionis gratia. Venio modo ad epistolam, quam sic libet vertere.

Legi tuas literas summa animi patientia, & illud admiratus sum, cum paucis mihi, nulloque negotio re præstita respondere posses, nihilominus tamen in

eodem, de quo accusaris, manere non dubitas, & quæ sanari non possunt, iis longo sermone mederi conaris. Neque primi, neque soli, ô Gregori, constituimus viros cum mulieribus iisdem ædibus degere non oportere: sed lege Canonem in Nicæna Synodo à sanctis Patribus nostris editum, aperte vetantem, ne qui coinductas mulieres secum haberent. Cœlibatus vero in eo suum habet decus, quod a mulierum familiaritate viri longius absint. Quod si quis profiteatur inane Virginitatis nomen, ac tamen ipsa agat, quæ solent, qui cum mulieribus habitant, clarum est, eum decus Virginitatis nomine tenus affectare, ab inhonesta vero voluptate minime abstinere. Tanto igitur majori studio jussis te nostris parere oportebat, quanto, ut affirmas, magis liber es ab omni corporis affectione. Neque enim ut credam adduci possum septuagenarium senem affectu quodam cum muliere versari posse. Neque ea quæ decrevimus, idcirco decrevimus, quod aliquid turpe factum sit; sed quando ita ab Apostolo edocti sumus, ne quod fratri offendiculum, vel scandalum poneremus, noverimus etiam quod à quibusdam recte fit, aliis peccandi occasionem præbere: ea de causa constitutionem sanctorum Patrum sequuti mandavimus à muliercula te separari. Quid igitur Chorepiscopum criminaris, & veteres inimicitias commemoras? cur etiam nos accusas tamquam faciles calumniæ aures præbentes? Et non te potius ipsum, qui à mulieris consuetudine abstinere non sustines? Domo itaque eductam in Monasterio colloca. Ibi inter Virgines versetur, & tu virorum servitio domi utere, ne propter nos nomen Dei blasphemetur. Donec illud præstes, vel si sexcentas epistolas ad me scribas, nihil te juvabunt, sed suspensus vitam finies, suspensionisque Deo rationem reddes. Si vero non te corrigens, audebis sacerdotii munera exercendo retinere, omni populo eris anathema, & qui te domo accipient, per omnes Ecclesias excommunicati erunt. Sic Basilius fulminat.

Sunt qui per συνείσακτον in hac epistola, & in tertio Canone Nicæno, uxorem etiam intelligant. Argumenta illorum duo sunt. Alterum, quia hoc nomine appellabant uxores Antiocheni, ut constat ex Eusebio in libro septimo Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 30.

Alterum, quia Basilius præcipit Gregorio eam in Monasterio collocare. Neque enim id jussisset, si quæcumque mulier esset. Quippe libera abire potuisset. At vero proprias uxores includere in Monasterio, quod prius accepto earum consensu evaderent Sacerdotes, solebant sane. Periculum enim non leve imminebat, ne si liberæ manere permitterentur, cum aliis viris se conjungerent. Quod idem faciebant etiam Episcopi cum suis uxoribus. Hac enim conditione ad Pontificiam dignitatem evehebantur, si prius suas uxores ex consensu illarum in Monasterio collocassent. Qui sic sentiunt præbent nobis occasionem diligenter examinandi hujus vocis τὸ ἔπιμον, & vim reconditam.

Nota istud nominis συνείσακτος, æque generi fœmineo, atque virili convenire. Quod sane deducitur ἀπὸ τοῦ συνεισάγειν, quod est simul secum introducere: tam autem viri introducebant fœminas ad se, quam fœminæ viros, & in utrumque sexum quadrare nomen, appositione exemplorum, quæ postea subjicientur, illustrabitur.

At cujus essent conditionis συνείσακτοι cum viri, tum fœminæ, describit nobis, suisque coloribus, & lineamentis ad vivum depingit Chrysostomus in duabus celeberrimus Orationibus, quas data opera de hoc argumento composuit. Et prima quidem directe spectat ad viros, posterior ad fœminas. Prioris inscriptio est, πρὸς τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους παρθένους, ad eos, qui habent coinductitias virgines. Posterioris, περὶ τοῦ μὴ τὰς Κανονικὰς συνοικεῖν ἀνδράσι, quod Canonicæ habitare cum viris non debeant.

Ex quibus orationibus manifeste legentibus constat, has nullo modo fuisse uxores, sed quasdam virgines, & quidem tales, quæ ad servandam virginitatem voto se obstrinxerant: an etiam paupertatem, & obedientiam, non facile dixerim, quip-

re oppositum posse colligi mihi videtur. Viri quoque similiter non erant mariti, sed *μονάζοντες*, hoc est, solitariam vitam agebant, non tamen extra urbem, sed solitariam, quia non habebant domi uxorem, quam utique non duxerant, & viginitatem colebant. Fortassis voto adstricti ad eum modum quo virgines. Item indifferenter erant cum divites, tum pauperes, ut sors cujuscumque tulerat, sicut & virgines. Et hæ quidem, quæ ditiores essent, ancillas, illi servos alebant. Præterea fœminæ libere abire quo vellent, poterant. Non enim erant in aliquo Monasterio inclusæ, ut neque viri sub alicujus præpositi disciplina, & imperio degebant. Quapropter Canonicas, & regulares hasce virgines vocat Chysostomus, quod secundum quandam normam, & regulam solo virginitatis edito voto vitam instituissent.

Postremo hujusmodi *συνείσακτοι*, quales describit Chrysostomus, non habitabant cum aliis, qui non essent ejusdem professionis, non tamen ejusdem sexus. Quod est dicere: fœminæ coinductitiæ non habitabant cum fœminis, neque viri cum viris, sed fœminæ *συνείσακτοι* cum viris *συνεισάκτοις*, & contra viri tales cum hujusmodi fœminis. (Excipio servos, & servas, quia servi famulabantur dominis coinductitiis divitibus, & ancillæ virginibus coinductitiis locupletioribus.)

Sed jam quæ diximus, verbis aureis Chrysostomi comprobanda sunt. Sic igitur statim à principio prioris Orationis disserit: ἐπὶ μὲν τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων δύο τινὲς ἦσαν προφάσεις αἳ τὰς γυναῖκας συγκατοικίζουσαι τοῖς ἀνδράσι. μία μὲν ἡ τοῦ γάμου ἀρχαία τε καὶ δικαία καὶ εὔλογος, ἅτε τὸν Θεὸν ἔχουσα νομοθέτην. ἀντὶ γὰρ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος, φησι, τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Ἑτέρα δὲ ἡ τῆς πορνείας, καὶ νεωτέρα ταύτης, καὶ ἄδικος, καὶ παράνομος. ἅτε παρὰ τῶν πονηρῶν εἰσενεχθεῖσα δαιμόνων. ἐπὶ δὲ τῆς γενεᾶς τῆς ἡμετέρας καὶ τρίτος ἐπενοήθη τρόπος, καινός τις καὶ παράδοξος, καὶ πολλὴν ἔχων τὴν ἀπορίαν τοῖς βουλομένοις τὴν αἰτίαν εὑρεῖν. Εἰσὶ γάρ τινες, οἳ γάμου καὶ συνουσίας χωρὶς κόρας ἀπειρογάμους ἀγόμενοι, καθίζουσιν οἴκοι διὰ παντός, καὶ εἰς ἔσχατον γῆρας ἑαυτοῖς συγκατακλείουσιν, οὔτε ἐπὶ παιδοποιΐᾳ (οὐ γάρ φασιν αὐταῖς συγγίνεσθαι) οὔτε δι' ἀκολασίας. λέγουσι γὰρ αὐτὰς ἀκεραίους διατηρεῖν. ἀλλ' ἐάν τις ἔρηται τὴν αἰτίαν, ἔχουσι μὲν πολλάς, καὶ μεμελετήκασιν, εὔλογον δέ, ὥς ἔγωγε οἶμαι, οὐδεμίαν, οὐδὲ σεμνήν.

Ætate majorum nostrorum duæ quædam erant causæ, ob quas mulieres fierent viris contubernales. Altera quidem connubii, vetusta sane, ac justa, & rationabilis, ut quæ Deum habet legislatorem. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Altera vero fornicationis, tum minus antiqua, tum etiam injusta, atque iniqua. Quippe quæ à malignis dæmonibus est introducta. At vero nostra ætate tertium quendam modum novum, & admirabilem, qui multum facessit negotii, causam investigare volentibus, commenti sunt. Si quidem sunt nonnulli, qui citra conjugium, & concubitum, puellas nuptiarum expertes ducunt, perpetuoque domi sedere faciunt, & ad extremam senectutem secum una includunt: non ad procreandam sobolem, negant enim se cum illis rem habere: neque ex intemperantia, quippe aiunt se ipsos integros conservare. Quod si quis causam interroget, habent illi quidem multas excogitatas, sed mea sententia, nullam rationi consentaneam atque honestam. Sic Chrysostomus: ex cujus verbis habemus citra connubium eas cum viris habitasse.

Quod autem dicit Chrysostomus in hac prima Oratione de viris, quod secum includerent coinductas puellas virgines, & sedere fecerent; eadem plane dicit in 2. Oratione de Virginibus, quæ conductos haberent viros: sic enim scribit. Καὶ πῶς τοῦτο ποιῶ φησιν, ἄνδρας ἀποκλείουσα μετὰ σοῦ τῆς ἐπὶ τῆς οἰκίας, καὶ διὰ παντός σοι παρακαθίζουσα. Εἰ γὰρ ἄνδρας ἐπιθυμεῖς ἔχειν συνοικοῦντας, οὐκ ἔδει παρθενίαν ἑλέσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τὸν γάμον ἐλθεῖν. πολλῷ γὰρ βέλτιον γαμεῖν ἐκείνως, ἢ παρθενεύειν οὕτως. τὸν μὲν γὰρ τοιοῦτον γάμον οὔτε ὁ Θεὸς καταδικάζει, οὔτε ἄνθρωποι διαβάλλουσι. τίμιον γάρ ἐστι τὸ πρᾶγμα, οὐδένα ἀδικοῦν, οὐδένα πλῆττον. ἡ δὲ παρθενία αὕτη

ἢ μετὰ ἀνδρῶν, πορνείας χαλεπώτερον παρὰ πᾶσι διαβέβληται. Et quonam modo istud, inquit, facio? nimirum viros tecum in eadem domo includens, & perpetuo tecum sedere faciens. Si enim viros contubernales habere optas, virginitatem eligere non oportebat, sed matrimonium contrahere. Multo enim melius nubere illo modo, quam hoc modo virginitatem colere. Tales quippe nuptias neque Deus condemnat, neque homines traducunt, quandoquidem res est honorabilis, neminem afficiens injuria, neminem offendens. At hæc virginitas, quæ cum viris consociata est, majori cum acerbitate, quam ipsa fornicatio ab omnibus reprehenditur.

Pergit deinde in progressu primæ Orationis sanctissimus Doctor, ac refert varios prætextus, & causas, cur eos secum habitare faciebant: nimirum ut quasi procuratores earum curam gererent, ne res familiaris periret, neve ab aliquo molestarentur. Utque ipsæ vicissim rem domesticam inspicerent, curam domus susciperent, arculam custodirent, mensam pararent, lectum sternerent, ignem accenderent, pedes lavarent, aliasque similes nugas, quas omnes confutat Chrysostomus: addens ipse veram causam, quod cum essent amore capti & implicati, non poterant se ab eis expedire, ut propterea etiam piorum & aliorum offensionem parui penderent: illæ vero quamvis spe quadam eos alerent, non tamen facile sui copiam faciebant; ut & illæ virgines in florida ætate diu perseverarent, cum non experirentur molestias partus, & eos magis, ac magis ad insanos amores allicerent, non remittente ardore libidinis, ex quo fiebat, ut eos ad reliqua obsequia paratissimos semper haberent.

Passim vero in his Orationibus eas nominat virgines, ut locis jam citatis, & cum introducit viros rationem reddentes, cur ipsarum curam susceperint, & in favorem earum sic loquentes: Τί οὖν ἁρπαζόμενα πάντα τὰ τῆς παρθένου χρὴ περιιδεῖν, ἀγόμενά τε καὶ περιφερόμενα ὑπὸ συγγενῶν, ὑπὸ οἰκετῶν ἀλλοτρίων καὶ οἰκείων; Quid igitur si auferantur bona virginis, ac diripiantur à consanguineis, à servis tum propriis, tum alienis, par est despicere? Et paulo post: Οὐ γὰρ ἀποδώσομεν τῇ παρθένῳ τὴν ἀμοιβὴν ἀνθ᾽ ὧν οὐκ ἐγήματο, οὐδὲ τὸν παρόντα κόσμον ἠγάπησεν, ἀλλ᾽ ἀντὶ πάντων εἵλετο τὸν Χριστὸν, ἀφέντες αὐτὴν τοῖς βουλομένοις τῶν ὄντων ἀποστερεῖν; An non reddemus Virgini gratias, eo quod non nupserit, neque præsentem mundum dilexerit, sed pro omnibus Christum elegerit, sed relinquemus volentibus eam fortunis spoliare? Et alibi sæpe eas hoc nomine nuncupat, ut etiam ostendit titulus Orationis: immo in secunda Oratione statim à principio deflet conditionem virginitatis, quod in eum statum devenerit.

Quod autem voverent Deo virginitatem, habes ex eodem Chrysostomo, qui virorum rationibus sic respondet. Καὶ πόσῳ βέλτιον ἦν ὁμιλῆσαι γάμῳ καὶ τῷ συνοικοῦντι πρὸς τὴν τῶν πραγμάτων τούτων οἰκονομίαν κεχρῆσθαι, ἢ μείνασαν ἄγαμον πατῆσαι μὲν τὰς πρὸς Θεὸν συνθήκας, ὑβρίσαι δὲ εἰς πρᾶγμα οὕτω σεμνὸν, καὶ φρικῶδες, καθελκύσαι τε καὶ ἑτέρους πρὸς τὰ ναυάγια τῶν οἰκείων κακῶν· πῶς δὲ αὐτὴν ἀντὶ πάντων ἑλέσθαι λέγεις τὸν Χριστὸν, τοῦ Χριστοῦ βοῶντος καὶ λέγοντος, οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ· Et quanto melius erat, eam nupsisse, atque opera conjugis, ad rem familiarem administrandam usam fuisse, quam manentem innuptam cum Deo inita pacta conculcare, injuriosam autem esse in rem adeo venerandam, atque horrendam (hoc est in virginitatem) alios quoque trahere ad propriorum malorum naufragia? Quomodo autem dicis eam Christum præ omnibus elegisse, clamante Christo, ac dicente, Non potestis Deo servire & mammonæ?

Quod etiam essent aliæ divites, aliæ pauperes, ex eodem Chrysostomo probare in promptu est ibidem sic disserente: Ἂν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν εὐπόρων ταῦτα ἐξετάζῃς, πλείων ὁ γέλως. πρῶτον μὲν γὰρ ἐν ἀγέλῃ θεραπαινίδων τοσούτων μόνος στρέφεται μέσος, καθάπερ ἐπὶ τῆς ὀρχήστρας ἐν τῷ χορῷ τῶν γυναικῶν ὁ τοῖς ὑπορχουμένοις ὑπάδων χοροστάτης. Si vero hæc in locuplete scruteris, & quæras, major est risus. Etenim primum quidem in tanto grege ancillarum solus medius versatur, velut in orchestra in choro mulierum, choragus, qui cantilenas saltantibus canit, & quæ

sequuntur. Ὁ δὲ τῇ πενιχρᾷ συζῶν, ἀργυροκόποις μὲν οὐ διαλέξεται. οὐ γὰρ ἀφίησιν ἡ πενία. οὐδὲ προσεδρεύσει μυρεψοῖς. ὑποδηματοῤῥάφοις δὲ καὶ ὑφάνταις, καὶ ποικιλταῖς, καὶ βαφεῦσιν ἐνοχλήσει πολλάκις. Qui vero una cum paupere vivit, sane quidem argenti fabros non alloquetur, paupertate id non permittente, neque assidebit unguentariis: sutoribus tamen, atque textoribus, & acu pingentibus & tinctoribus sæpe molestus erit.

Quod non essent clausæ, sed liberæ urbem obambularent, ex illis verbis Chrysostomi colligo, quæ extant in secunda Oratione. Δεῖ τοίνυν αὐτὴν εἰς ἀγορὰν ἐμβάλλουσαν, ὥσπερ ἄγαλμα φιλοσοφίας ἁπάσης φαίνεσθαι, καὶ πάντας ἐκπλήττειν, ὡς ἄγγελον ἐξ οὐρανοῦ καταβάντα νῦν. Oportet eam ad forum accedentem velut ornamentum ac simulacrum totius virtutis apparere, ac omnes in sui admirationem rapere instar Angeli, qui modo de cœlo descenderit.

De viris quod non essent mariti jam ex dictis constat, sed expresse inde quoque colligas ex Chrysostomo. Καὶ τίς οἰκονομήσει, φησὶ, τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν ἡμῖν; τίς δὲ ἐπόψεται τὰ ὄντα; τίς δὲ προστήσεται ἡμῖν, ἔξω διατριβόντων, καὶ γυναικὸς ἔνδον οὐκ οὔσης; Et quisnam, inquit, administrabit rem domesticam (sunt verba virorum coinductorum) quis res nostras inspiciet? Quis in gratiam nostri, nobis extra morantibus, intus uxore non existente, domi præerit? Quasi dicant, propterea domo se accipere coinductitias mulieres, quæ domesticam curam gerant, eo quod non habeant uxores quas utique ipsi colentes virginitatem non duxerunt.

Quod essent μονάζοντες solitarii, huic rei verba illa inserviunt Chrysostomi. Καὶ παρίημι τὴν ἀσχημοσύνην τῆς οἰκίας. οἷον γάρ ἐστιν εἰσελθόντα εἰς ἀνδρὸς μονάζοντος οἰκίαν, ὁρᾶν ὑποδήματα γυναικεῖα κρεμάμενα, καὶ διαζώματα, καὶ κεφαλοδέσματα, καὶ καλαθίσκους, καὶ ἠλακάτην, καὶ κερκίδας, καὶ κτένας, καὶ ἰσοπόδην, καὶ τὰ ἄλλα, ἅπερ οὐκ ἔνι κατὰ μέρος λέγειν ἅπαντα. Et omitto commemorare deformitatem domus: cujusmodi enim illud est, ut quis domum viri solitarii veniens, calceos muliebres suspensos videat, & cingula, & mitras, & calathiscos, & colum, & radios, & pectines, & malipodem, & alia, quæ haud facile omnia singillatim recenseas?

De iisdem coinductitiis, & solitariis ita Chrysostomus. Ὁ γὰρ τῶν βιωτικῶν πραγμάτων μὴ ἐγγὺς γίνεσθαι κελευσθεὶς, οὐκ ἁπλῶς βιωτικῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γυναικείων ἐνδοτέρω γίγνεται. Qui enim jussus est ne ad sæcularia negotia prope accedat, is non simpliciter sæcularibus, sed etiam mulierum negotiis interius se immiscet.

Quod haberent servos. Ἔπειτα διαῤῥήγνυται τὴν ἡμέραν ὅλην πρὸς οἰκέτας ἀγανακτῶν ὑπὲρ τῶν τῇ γυναικὶ προσηκόντων πραγμάτων. Deinde (inquit Chrysostomus) tota die disrumpitur, famulis succensens ob res, quæ ad mulierem pertinent. Et paulo post. Καὶ οὐ τοῦτό πω θαυμαστὸν, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τοῖς ταλαιπώροις οἰκέταις εἰσὶν ἐπαχθεῖς, καὶ πολλὴ κατ᾽ αὐτῶν ὕβρις καὶ ἀγανάκτησις καὶ κραυγή. Neque hoc mirandum est, sed quod etiam miseris famulis graves sunt, & multis eos injuriis afficiunt, valdeque contra ipsos indignantur, ac vociferantur.

Quod non habitarent cum aliis præterquam cum coinductitiis, neque ejusdem sexus, testatur idem Chrysostomus in secunda Oratione his verbis. Καὶ γυναῖκας μὲν γυνὴ δέξασθαι, αἰσχρὸν εἶναι νενόμικε, καὶ ἄνδρας ὁ ἀνήρ. ἀλλήλοις δὲ συνοικεῖν οὐ παραιτοῦνται, παραιτούμενοι ἀλλήλων τοὺς ὁμοφύλους ξενίσαι. τί τούτου χεῖρον γένοιτ᾽ ἄν; Et mulier quidem mulieres admittere turpe esse existimat, & vir viros. Secum vero habitare non recusant, cum alioquin hospitio recipere eos, qui sunt ejusdem sexus, renuant. Quid hoc pejus inveniri queat?

Ex his igitur habemus cognitam naturam, & mores Synisactorum.

Nazianzenus ante Chrysostomum de hujusmodi hominibus non uno in loco tum soluta oratione, tum sacris carminibus verba faciens nonnulla refert, quæ etiam Chrysostomus. Et quidem oratione εἰς τὴν καινὴν Κυριακὴν in novam Dominicam, hoc est, in Octavam Paschatis, & eas non virgines, & illos non maritos appellat, cum ita scribit. αἱ ὑπὸ ζυγὸν δότε τι καὶ Θεῷ. προσείληφθε γὰρ αἱ παρθένοι τὸ πᾶν Θεῷ. λέλυσθε γάρ. μὴ γίνεσθε κλέπτειαι δούλης ἡδονῆς φυγοῦσαι τὴν ἐλευθερίαν, ἐκ τῶν συνοικεῖν

συνοικεῖν ἐν ἀνδράσι μὲν, ἀνδράσι δ' ὅμως. Quæ sub jugo estis Deo quoque non nihil date; præoccupatæ enim estis. Virgines omnia Deo, solutæ quippe estis: servam voluptatem ne suffuremini, libertatem fugientes, ex eo quod cum iis habitetis, qui viri quidem non sunt, sed tamen viri. Ubi Elias interpres per viros non viros, non Eunuchos, sed συνεισάκτους recte intelligit qui non sunt mariti.

In Carminibus vero heroicis uberius hoc tractat, ubi hortatur Virginem, ut hujusmodi homines maxime caveat. ἄρσενα πάντ' ἀλέεινε, συνείσακτον δὲ μάλιστα. Mas omnis fugiendus erit, plus omnibus ille inductus qui siet. Ubi etiam ait fraude mali Dæmonis transmutantis se in Angelum lucis fieri, ut hi velint una cohabitare, quasi idem sentiant, ac idem institutum vitæ sequantur: sed eorum castum, & spiritualem amorem in carnalem postea verti.

Cæterum quemadmodum olim, quæ in Ecclesia ex charitate celebrabantur convivia, honestissimo nomine agaparum significabantur, ita etiam hæc fœda συνείσαξις & societas vitæ turpissima, velut ab amore casto ortum duceret, augustissimo nomine ἀγάπη charitas appellabatur, & ἀγαπητὸς dilectus vir, ἀγαπητὴ fœmina. Ex hoc autem infami contubernio, ut ait Nazianzenus, sequitur ignis, vel signum ignis. Hoc est, stuprum, vel stupri cogitatio, & voluptatis titillatio. Vel si nihil aliud, certe piorum omnium offensio.

Agapetarum meminit B. Hieronymus in Epistola 22. ad Eustochium de custodienda virginitate, & eas acriter reprehendit his verbis: Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? immo unde novum concubinarum genus? plus inferam, unde meretrices? Et paulo post. Unde meretrices univiræ? eadem domo, uno cubiculo, uno sæpe tenentur & lectulo: & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus.

Sed redeo ad Nazianzenum, qui sic canit, ubi præcepta tradit Virginibus.

πολλάκι μὲν συνάγειρεν ὁμόφρονας ἀλλήλοισι
πνεύματι, καὶ φάος ἦλθεν, ἐπωνυμίην τέγε σεμνὴν,
τῆς ἀγάπης καλέουσιν, ὑπήλυθεν, αὐτὰρ ἔπειτα
ἐκκεχυμένης ἐπὶ σαρκὰς ἄγων πόθον ἐγγὺς ἐοῦσας.
ἢ πῦρ, ἢ πυρὸς σημήια λυγρὰ δίδωσιν.
ἤτοι μηδὲ πυρὸς σημήιον, ἀλλὰ τάχιστα
πλήξεις εἰσορόωντας.

Sæpe animis, & mente pares collegit in unum,
Et lucis speciem præ se tulit, atque decorum,
Cognomentum Agapes subiit: mox callidus omnem,
Ex animo ad carnes vicinas flectit amorem,
Et flammam, aut flammæ tristissima signa reliquit.
Utque etiam flammæ non signa impresserit ulla;
At celer ipsa tamen letali pectus eorum
Vulnere concuties, in te qui lumina torquent.

Illa quoque hac de re Nazianzeni extant carmina, quibus alloquitur Virginem.

παρθένε παρθένος ἴσθι καὶ ὄμμασι καὶ κρυφίοισι,
μηδὲ συνεισάξῃς ἄρσενα κηδεμόνα.

Virgo, esto virgo tum oculis, tum corde pudico,
Nec mas inductus vir siet œconomus.

τοὺς δὲ συνεισάκτους, ὥς δὴ φάσκουσιν ἅπαντες,
ἢ οὐδ' εἴτε γάμῳ δώσομεν, εἴτ' ἀγάμοις
θήσομεν, εἴτε μέσον τι φυλάξομεν; οὐ γὰρ ἔγωγε,
κἂν με λέγητε κακῶς, τὸ πρᾶγμ' ἐπαινέσομαι.

Inductos homines, vulgata ut voce vocantur,
Conjugio vinctos, an minime, dabimus?
An certe medios? Etenim hoc nunquam ipse probabo,
Quamvis immerito tot maledicta feram.

Hactenus Nazianzenus, qui refert tertium modum habitandi cum συνεισάκτοις, quem & Chrysostomus: non videlicet matrimonium, non fornicationem, sed quiddam aliud medium.

Damnabant hoc genus hominum sancti Patres, quod & oscula impudica, & tactus inverecundi intercederent, & quandoque stupra fierent. Et si nihil aliud, certe suspicio abesse non poterat. Unde apud Eusebium Episcopi Catholici redarguentes Paulum Samozatenum hæreticum quod hujusmodi coinductas mulieres secum haberet, aiunt, οὐ δὲ ἐκεῖνο ἀγνοοῦμεν, ὅσοι ὑπὸ

τῷ συνεισάγειν ἑαυτοῖς γυναῖκας ἐξέπεσον, οἱ δ' ὑποπτεύθησαν, ὥστε καὶ εἰ δέοι τις αὐτῷ τὸ μηδὲν ἀσελγὲς ποιεῖν, ἀλλά τήν γε ὑπόνοιαν τὴν ἐκ τοῦ τοιούτου πράγματος φυομένην, ἐχρῆν εὐλαβηθῆναι, μή τινα σκανδαλίσῃ, τοὺς δὲ καὶ μιμεῖσθαι προτρέψῃ. Neque illud ignoramus permultos ex eo quod sibi mulieres intromiserint, misere lapsos esse, alios autem venisse in suspicionem flagitii. Quare licet aliquis hoc ipsi daret, nihil obscœnum in illas admisisse, suspicio tamen, quæ ex hujusmodi re oriri solet, sedulo cavenda fuisset, ne fortasse alicui esset offensioni, alios autem ad se imitandum impelleret.

Porro quemadmodum maritus nunquam appellabatur συνείσακτος, ita etiam nec vera uxor, ut neque mater, vel soror, vel aliæ personæ domesticæ: quomodo enim fuissent συνείσακτοι, vel ἐπείσακτοι, quæ in eadem domo, & ex eadem familia ortæ erant? Nec obstat locus citatus Eusebii, quicquid nonnulli sentiant. Nam in ea Epistola Episcopi Catholici recensentes vitia Pauli Samosateni hæretici, ut jam dixi, reprehendunt eum inter alia, quod secum haberet τὰς συνεισάκτους γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, coinductas mulieres, ut Antiocheni appellant. Ubi per γυναῖκας mulieres, non autem uxores intelligunt. Neque enim hæreticus ille duas habere, vel plures simul uxores poterat, at ne quidem unam, cum esset Episcopus: sed ibidem de eodem asseritur, ὡς τὴν μίαν μὲν ἀπέστησεν ἤδη, δύο δὲ ἀκμαζούσας καὶ εὐπρεπεῖς τὴν ὄψιν ἔχει μεθ' ἑαυτοῦ, κἂν ἀπίῃ που συμπεριφέρει. Qui quidem unam jam à se removit, duas autem ætate florentes, & aspectu venustas secum habet, quas si quopiam forte it una circumducit. Sic ibi.

Non ergo ex vi hujus nominis recte concludet aliquis uxorem à contubernio arceri. At neque ex eo, quod Basilius Gregorio mandet eam recludi in Monasterio. Cum enim συνείσακτοι essent virgines ex Chrysostomo, & Nazianzeno, & voto adstrictæ ad servandam castitatem, merito Basilius ait, Colloca eam in Monasterio, ubi cum virginibus degat, &c.

Sed nihilominus non desunt in Epistola Basiliana alia verba, unde cœlibatum facile colligere possimus: immo hæc eadem vox, συνείσακτος, quam hactenus acriter rejecimus, egregie nobis inserviet.

Nam in primis, Gregorius presbyter existens, uxore carebat; & quia γυναῖκα συνείσακτον obsequiorum causa in suam domum introduxerat, merito reprehenditur à Basilio: igitur reliqui presbyteri tempore Basilii ejusdem erant conditionis, nempe ἄγαμοι.

Matthæus Blastarius in suo Nomocanone, ex præsenti Epistola Basiliana, ut ego conjicio, censet, Nicænum Canonem per συνεισάκτοις intelligere, τὰς ἑλομένας συνοικεῖν ἱερεῦσιν ἀζύγοις, τὰ πρὸς τὰς ἀναγκαίας χρείας αὐτοῖς διακονουμένας, eas, quæ cum Sacerdotibus non conjugatis elegerunt habitare, quæ usui necessaria sunt, ministrantes: quibus verbis duo innuit, alterum, eas non fuisse uxores, sed ancillas, quæ presbyteris non conjugatis famularentur, quod verissimum est; quamvis non solum non conjugatis presbyteris à famulatu eas fuisse fatendum est, sed etiam viris συνεισάκτοις, quales superius descripsimus, immo & Episcopis: sed omnino contra omne jus & fas, reclamantibus cunctis aliis. Alterum, quod eo modo loquendi ἱερεῦσιν ἀζύγοις, Blastarius aliud quoque genus presbyterorum instituere videtur; quasi vero passim essent Sacerdotes etiam non ἄζυγοι, sed uxorati, & propterea nec opera τῶν συνεισάκτων indigerent. Cum tamen ex Epiphanio constet, rarum illud fuisse admodum, & contra Canones, adeo ut neque alterum membrum divisionis presbyterorum constituere posse videatur.

Deinde Basilius ἀορίστως, indefinite, simpliciter, & absolute loquitur, γυναῖκας ἀνδράσι μὴ συνοικεῖν. hoc est, qualescumque mulieres viris cohabitare non oportere. Neque enim exceptionem facit uxoris, nec distinguit duplex genus Sacerdotum, ut innuere videtur Blastarius.

Ad hæc, magis explicans istud Basilius, ἀγαμία, inquit, ἐν τούτῳ ἔχει τὸ σεμνὸν, ἐν τῷ κεχωρίσθαι τῆς μετὰ γυναικῶν διαγωγῆς. quibus verbis describit statum Sacerdotum, qui & ἄγαμοι, & à mulieribus sejuncti debeant esse.

Roges, quomodo ἄγαμοι, si quandoque

uxorem duxerint? Quia nimirum vel mortua sit, vel dum ab ea ex consensu sejunguntur, fiant ἄγαμοι.

Postremo, quia si licitum fuisset presbyteris habere, vel ducere uxorem, Basilius dixisset Gregorio: quandoquidem συνείσακτον habere voluisti, quare non potius duxisti uxorem? At non hoc dixit, neque potuit dicere, sed omnia ejus verba eo tendunt, ut virginitatem, agamiam, & similia probent, consuetudinem cum quibuscumque mulieribus improbent, admissa tantum Canonis exceptione.

Auctoritate Eusebii ostenditur, cœlibatum Sacerdotum jam tum ante Concilium Nicænum in usu fuisse.

Caput XL.

QUamvis autem hi sancti Patres, Basilius, Epiphanius, & Hieronymus sufficerent ad infirmandam, atque frangendam auctoritatem Socratis, quippe qui & antiquiores tempore, & superiores doctrina, & sanctimonia fuerint ipso Socrate, qui hæreticus Novatianus, & centum annis, atque amplius post celebratum Concilium extiterit, & propterea etiam major fides sine ulla comparatione illis habenda sit quam Socrati Scholastico, vel Sozomeno huic simili; Addam tamen ad majorem confirmationem Nicæni Canonis juxta sensum à Patribus traditum, auctorem, Hæreticum quidem, & Arianum, sed quod ad hoc spectat, fide dignissimum, Eusebium Pamphili Episcopum Cæsariensem, qui testis est locupletissimus, nimirum oculatus, & auritus, quippe qui Concilio interfuit. Is ergo in primo libro Evangelicæ demonstrationis cap. 8. hunc titulum ponit, ὡς εἰς δύο τρόπους ὁ κατὰ τὸν χριστιανισμὸν διῄρηται βίος. Chrystianorum vitam in duas partes, seu rationes vivendi esse divisam. Explicat autem in ipso capite alterum genus vitæ secundum sanctionem Apostolicam esse τῶν ἱερωμένων sacratorum, alterum τῶν κοσμικῶν secularium. Primum ait non admittere nuptias, non dare operam procreationi liberorum, neque possessiones, & facultates obtinere. Contra vero posterius hæc omnia recipere: sed ipsum audiamus. Οἱ δὲ μαθηταὶ τοῦ Χριστοῦ τοῦ διδασκάλου νεύματι κατάλληλον ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς πεποιημένοι τὴν διδασκαλίαν, ὅσα μὲν ἅτε τὴν ἕξιν ὑπερβεβηκόσι πρὸς τοῦ τελείου διδασκάλου παρήγγελτο, ταῦτα τοῖς οἵοις τε χωρεῖν παρεδίδουν. ὅσα δὲ τοῖς ἔτι τὰς ψυχὰς ἐμπαθέσι, καὶ θεραπείας δεομένοις ἐφαρμόζειν ὑπελάμβανον, ταῦτα συγκατιόντες τῇ τῶν πλεόνων ἀσθενείᾳ τὰ μὲν διὰ γραμμάτων, τὰ δὲ δι᾽ ἀγράφων θεσμῶν φυλάττειν παρεδίδοσαν. ὥστε ἤδη καὶ τῇ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ δύο βίων νενομοθετῆσθαι τρόπους, τὸν μὲν ὑπερφυῆ, καὶ τῆς κοινῆς καὶ ἀνθρωπίνης πολιτείας ἐπέκεινα, οὐ γάμους, οὐ παιδοποιΐας, οὐδὲ κτῆσιν, οὐδὲ περιουσίας ὕπαρξιν παραδεχόμενον. ὅλον δὲ δι᾽ ὅλου τῆς κοινῆς καὶ συνήθους ἁπάντων ἀνθρώπων ἀγωγῆς παρηλλαγμένον, καὶ μόνῃ τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ προσανακείμενον καθ᾽ ὑπερβολὴν ἔρωτος οὐρανίου. οἱ δὴ τόνδε μετιόντες τὸν τρόπον τῶν θνητῶν βίον τεθνάναι δοκοῦντες, καὶ αὐτὸ μόνον τὸ σῶμα φέροντες ἐπὶ γῆς, φρονήματι δὲ τὴν ψυχὴν εἰς οὐρανὸν μεθενλωεγμένοι, οἷά τινες θεοὶ τὸν τῶν ἀνθρώπων ἐφορῶσι βίον, ὑπὲρ τοῦ παντὸς γένους ἱερωμένοι τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ. οὐ βουθυσίαις καὶ αἵμασιν, οὐδὲ σπονδαῖς καὶ κνίσσαις, οὐδ᾽ αὖ καπνῷ καὶ πυρὸς ἀποβρώσει, καὶ σωμάτων φθοραῖς, δόγμασι δὲ ὀρθοῖς ἀληθοῦς εὐσεβείας, ψυχῆς τε διαθέσει κεκαθαρμένης, καὶ προσέτι τοῖς κατ᾽ ἀρετὴν ἔργοις τε καὶ λόγοις, οἷς τὸ θεῖον ἐξιλεούμενοι τὴν ὑπὲρ σφῶν αὐτῶν, καὶ τῶν σφίσιν ὁμογενῶν ἀποτελοῦσιν ἱερουργίαν.

Τοιός δε μὲν οὖν καθέστηκεν ὁ ἐντελὴς τοῦ κατὰ τὸν χριστιανισμὸν πολιτείας τρόπος. ὁ δ᾽ ὑποβεβηκὼς ἀνθρωπινώτερος, οἷος καὶ γάμοις συγκατιέναι σώφροσι, καὶ παιδοποιΐαις, καὶ τὰ ἑξῆς. Christi vero discipuli ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam accommodantes, quæcumque quidem veluti ultra habitum progressis, à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, tradiderunt. Quæcumque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigerent, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim literis, partim lege non scripta servanda commendarunt. Quocirca in Ecclesia Dei duo etiam vivendi modi insti-

tuti sunt. Alter quidem naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens; non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorsus à communi, & consueta hominum vita abhorrens, & solo divino cultui ex immenso rerum cœlestium amore, addictus. Qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero atque animo in ipso cœlo degentes, quasi quidam Dii sunt reliquorum hominum vitæ inspectores; quippe qui pro universo genere supremo omnium Deo sacrati sunt: idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore ullo, neque fumo, aut ignis devoratione, consumptioneve corporum; sed rectis vera pietatis dogmatibus, & purgati animi affectione, ad hæc operibus quoque, ac verbis, quæ à virtute proficiscantur, quibus rebus numen divinum placantes suum, & pro se ipsis, & pro aliis, & qui ejusdem sint generis, sacrificium peragunt. Igitur talis in republica Christiana existit perfectus vitæ modus. Alter vero remissior, atque humanior, ac talis, qui & modesto conjugio, & sobolis procreatione demittendo se implicetur. & quæ sequuntur.

Et in cap. 9. ejusdem libri quærit in titulo, τί δήποτε μὴ ὁμοίως τοῖς παλαιοῖς καὶ παρ' ἡμῖν τὰ τῆς πολυπαιδίας σπουδάζεται; Quam ob causam non eadem ratione, ut prisci illi, ita nos quoque numerosæ soboli operam damus? varias autem assignat hujus discriminis causas, & adhibet solutiones, sic respondens. πρὸς ταῦτα τοιάνδε λύσιν ἐξ αὐτῶν πάρεστιν ἀναλέξασθαι τῶν παρ' ἑβραίοις λογίων. Οἱ μὲν πρὸ Μωσέως ἐπ' εὐσεβείᾳ μεμαρτυρημένοι, ἀρχὴν ἔχοντος πότε καὶ συνισταμένου τοῦ βίου, γεγενῆσθαι μνημονεύονται, τὰ δὲ καθ' ἡμᾶς περὶ τέλος ἐλαύνειν, διὸ τοῖς μὲν σπουδάζεσθαι τὴν τῶν διαδόχων ἐπίδοσιν. Ad hæc talem licet ex ipsis Hebræorum oraculis solutionem colligere. Veteres quidem, qui ante Mosem pietatis testimonium habuere, tunc initium habente, atque exordiente vita fuisse memorantur. Nos vero prope finem sumus. Quocirca illi magna cum cura sobolis, quæ succederet, incrementum quæsierunt. Et paulo post addit alteram causam, his verbis. μία μὲν οὖν ἀπόδοσις αὕτη. δευτέρα δ' ἂν εἴη τοιαύτη. τοῖς μὲν παλαιοῖς ἀνειμένον καὶ ἐλεύθερον μετιοῦσι βίον, οὐδὲν ἦν ἐμποδὼν οἴκου καὶ παίδων προΐστασθαι μετὰ τῆς περὶ τὸ θεῖον σχολῆς, αὐταῖς γαμεταῖς καὶ παισὶ καὶ οἴκοις θεοσεβεῖν ἀπερισπάστως δυναμένοις, καὶ μηδαμῶς ὑπὸ τῶν ἐκτὸς τῆς περὶ τὰ κρείττω προθέσεως ἀποσπωμένοις. Τὰ δὲ καθ' ἡμᾶς, μυρία τὰ ἐκτὸς καθέλκοντα, καὶ εἰς ἀλλοκότοις φροντίδας περισύροντα, τῆς τε περὶ τὰ Θεῷ ἀρεστὰ σπουδῆς ἀφιστάντα τυγχάνει. Una igitur solutio hæc: Altera vero esset hujusmodi. Priscis illis, qui remissiorem, ac liberiorem vitam agebant, nihil erat impedimento, ne domui, liberisque præessent, ac pariter divinæ quoque rei vacarent, quando una cum uxoribus, & liberis, & domo, religioni assiduam dare operam poterant, & nusquam ob ullas res externas à meliore proposito avellebantur. Nos vero innumerabilia sunt, quæ extrinsecus premant, & quæ in alienas curas undique trahant, & ab earum rerum studio, quæ Deo placent, abducant.

Et paulo infra, tertiam exponit hujus rei causam. Καὶ τρίτος δ' ἂν εἴη παρὰ ταῦτα λόγος, καθ' ὃν οἱ πάλαι θεοφιλεῖς παιδοποιΐας πλείστην ἐποιοῦντο σπουδήν. τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων εἰς κακοτροπίαν ἐπιδόντων, εἰς ἀνήμερόν τε καὶ ἀπάνθρωπον καὶ θηριώδη βίον ἀποπεπτωκότων, εἴς τε ἀσεβῆ παντελῶς καὶ ἄθεον τρόπον ἀπωλισθηκότων, βραχεῖς σφόδρα, καὶ ἀριθμῷ ληπτοὶ περιλειπόμενοι κατὰ τὰ πρόσθεν ἡμῖν εἰρημένα τοῦ τῶν πολλῶν ὑπεξίσταντο βίου, &c. Ad hæc tertia quoque ratio adjungi potest, propter quam veteres illi Dei cultores, in procreatione liberorum plurimum studii collocarent. Cum reliqui homines in morum perversitate majus in dies incrementum accepissent, atque in immanem, & ab omni humanitate alienam, & plane ferinam vitam relapsi essent, & in impium prorsus, atheumque morem facile corruissent, valde pauci, & facile numerabiles qui supererant juxta ea quæ prius à nobis dicta sunt, à multorum consuetudine, & à communi cum reliquis hominibus victu, se amovebant. His expositis rationibus tandem concludit. Ἡ μὲν οὖν αἰτία τῆς τῶν πάλαι θεοφιλῶν ἀνδρῶν παιδοποιΐας ἀνήρηται, ἦν ἔτι ἐφ' ἡμῶν

χώραν ἔχει λέγειν, ὅτε σὺν Θεῷ διὰ τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν εὐαγγελικῆς διδασκαλίας μυρία ἔθνη, καὶ λαοὺς κατά τε πόλεις καὶ χώρας καὶ ἀγροὺς πάρεστιν ἡμῖν ὀφθαλμοῖς ὁρᾶν σπεύδοντα κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ συντρέχοντα ἐπὶ τὴν κατὰ Θεὸν μάθησιν τῆς εὐαγγελικῆς διδασκαλίας, εἰς ἀγαπητὸν δύνασθαι ἐξαρκεῖν τοὺς διδασκάλους καὶ κήρυκας τοῦ τῆς θεοσεβείας λόγου, πάντων ἀπολελυμένους τῶν τοῦ βίου δεσμῶν, καὶ τῶν πολυμερίμνων φροντίδων. μάλιστα δ' οὖν τούτοις ἀναγκαίως τὰ νῦν διὰ τὴν περὶ τὰ κρείττω σχολὴν ἡ τῶν γάμων ἀναχώρησις σπουδάζεται, ἅτε περὶ τὴν ἔνθεον, καὶ ἄσαρκον παιδοποιΐαν ἀσχολουμένοις, οὐχ ἑνὸς, ἢ δυοῖν παίδων, ἀλλ' ἀθρόως μυρίου πλήθους τὴν παιδοτροφίαν, καὶ τὴν κατὰ Θεὸν παίδευσιν, τῆς τε ἄλλης ἀγωγῆς τοῦ βίου τὴν ἐπιμέλειαν ἀναδεδεγμένοις. Ἐπὶ τούτοις ἅπασιν, εἴ τις ἀκριβῶς ἐξετάζοι τοὺς τῶν παλαιῶν βίους, περὶ ὧν τὸν λόγον ποιούμεθα, γνοίη ἂν αὐτοὺς ἐν ἀρχῆς μὲν τῆς ἡλικίας παιδοποιουμένους, θᾶττον δὲ ἀναχωροῦντες καὶ ἀποπεπαυμένους. Causa igitur ob quam viri sancti priscis temporibus magno cum studio liberos susciperent, sublata est, quæ non amplius in nobis locum habere dicenda est. Quando Deo favente, per Evangelicam Salvatoris nostri doctrinam, innumerabiles gentes, & populos in urbibus, & regionibus, & agris licet nobis oculis intueri simul festinantes, & ad sancta Evangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes. Quibus quidem satis superque sit, si Doctores, ac Prædicatores divini verbi omnibus & vitæ vinculis, & anxiis curis liberati, possint sufficere. Maxime vero nunc necessario his ipsis, eo quod potioribus rebus vacent, magnum est studium abstinendi à re uxoria, veluti iis, qui divina, & incorporea sobole propaganda, occupati teneantur, & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint. Postremum omnium, si quis majorum illorum vitas, de quibus nunc loquimur, diligenter exploret, inveniet eos initio quidem ætatis soboli procreandæ vacantes, mature autem abstinentes, atque cessantes. Et circa finem capitis. Ὅτι καὶ κατὰ τοὺς καινῆς διαθήκης νόμους, οὐ πάμπαν ἀπηγόρευται τὰ τῆς παιδοποιΐας, ἀλλὰ κἀν τούτῳ τὰ παραπλήσια τοῖς πάλαι θεοφιλέσι διατέτακται. χρῆναι γάρ φησιν ὁ λόγος, τὸν ἐπίσκοπον γεγονέναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. πλὴν ἀλλὰ τοῖς ἱερωμένοις, καὶ περὶ τὴν τοῦ Θεοῦ θεραπείαν ἀσχολουμένοις ἀνέχειν λοιπὸν σφᾶς αὐτοὺς προσήκει τῆς γαμικῆς ὁμιλίας. ὅσοι δὲ μὴ τοιαύτης ἠξίωνται ἱερουργίας τούτοις ὁ λόγος καθυφίησι μονονουχὶ διαῤῥήδην ἅπασι κηρύττων, ὅτι δὴ τίμιος ὁ γάμος, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. Quod etiam Novi Testamenti legibus non omnino interdicta est liberorum procreatio, sed in hoc quoque similia, quæ & antiquis Deo charis ordinata sunt: oportere enim, ait Sacra Scriptura, Episcopum unius uxoris γεγονέναι fuisse virum. Verumtamen consecratos, atque in Dei ministerio, cultuque occupatos ab uxoria consuetudine seipsos continere deinceps par est. Qui vero hoc sacro ministerio nondum digni effecti sunt, his eadem Scriptura permittit, atque indulget, tantum non clare omnibus prædicans, honorabiles esse nuptias, & torum immaculatum. Hactenus Eusebius. Cujus proposita quæstio profecto nullum habuisset locum, si idem mos, qui modo in Ecclesia Græcorum viget, tum viguisset. Deinde cum in fine capitis conetur Eusebius ostendere aliquo modo Evangelicam legem in hoc cum vetere convenire, si Græcorum Presbyteri procreandæ soboli eo tempore studuissent, an non eo nempe validissimo argumento usus esset ad id probandum, de quo agebatur? Is vero aliter explicat, in eo quippe ait inter se convenire, quod qui Sacerdos & Pontifex ordinetur, unius uxoris fuerit vir; verumtamen in ministerio penitus à commercio uxoris se contineat.

Valeat ergo tanquam fictitium, nullaque dignum fide, quod fertur de Paphnutio. Quomodo enim est simile vero nullam mentionem ejus rei debuisse facere Eusebium? Quomodo ad rem suam probandam, quod magni intererat, hoc exemplum non attulit? immo nemo veterum Patrum ne vestigium quidem suspicandi aliquid de hac re nobis reliquit. Vestigium vero? cum plane contrarium afferant. At Socrates, & Sozomenus, scilicet centum, & amplius annis post rem gestam oculati testes esse potuerunt. Quasi vero nihil de suo,

quodque antea in ore omnium non fuerit, referre audeant: sed nolo esse in hac re longior.

Solvitur argumentum Græcorum petitum è testimoniis B. Pauli, & per eam occasionem partim expenduntur, partim afferuntur nonnulla loca Chrysostomi, quæ cœlibatum Sacerdotum probant.

CAPUT XLI.

RESTANT loca Pauli, quæ unius uxoris mentionem faciunt, ex quibus magis elucescet veritas hujus dogmatis, adhibita interpretatione Doctorum. Quandoquidem ipsi communi consensu aiunt, Apostolum illis verbis prohibuisse Episcopis, Presbyteris, & Diaconis digamiam. Siquidem digami non possunt eligi ac promoveri ad tales honores. Et quidem merito. Nam Deus per Moysem Levitici 21. ait, Sacerdotes mei semel nubant. Et per Ezechielem 44. Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam; non meretricem, quod (ut ait Siricius in epistola prima) sequutus Apostolus ex persecutore prædicator unius uxoris virum tam Sacerdotem, quam Diaconum fieri debere mandavit. Hoc igitur Apostolus mandat ne sint digami, quandoquidem & Veteris Testamenti Presbyteris & Levitis hoc non permittebatur, non autem præcepit aut concessit conjugium.

Et profecto illo modo loquendi, sit unius uxoris vir, aliquid præcipere videtur Apostolus, videlicet ne sit digamus, vel polygamus. Quod si aliter exposueris, hoc est, quod reipsa & in præsenti debeat esse maritus, ergo necessario ex præcepto Apostolico cuncti presbyteri, immo & Episcopi erunt matrimonio conjuncti, qui fuit error Vigilantij. Quippe nomine Presbyterorum Apostolus Episcopos intelligit. At Apostoli, & Clemens Romanus in suis Canonibus non compellunt minores Clericos matrimonio conjungi, sed optionem eis dant, ut nimirum, si voluerint uxorem, accipiant: ergo multo minus B. Paulus compelleret Episcopos, vel Sacerdotes, qui vult omnes esse sicut seipsum.

Quod etiam facit contra Moschos, & imperitos quosdam Ruthenos, qui Presbyterum sine uxore nulla ratione consecrandum esse falso existimant. Sed redarguendi sunt tum ex modo loquendi Apostolicorum Canonum, tum ex Concilio Ancyrano Canone 10. ubi habetur de Diaconis, εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. Si qui tacuerunt, & in ipsa ordinatione continentiam professi sunt, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt: Poterant ergo tacito consensu profiteri continentiam, & initiari sacris ordinibus. Tandem etiam redarguendi sunt ex ipsomet nomocanone Blastarii, qui de Græcorum presbyteris refert, posse eos sine uxore suscipere sacros ordines.

Loca vero Pauli sic intelligenda esse, testis est Clemens Romanus in libro 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 2. τοιοῦτον δὲ δεῖ εἶναι τὸν ἐπίσκοπον μιᾶς ἄνδρα γεγενημένον γυναικὸς μονογάμου. Perpendenda est illa vox γεγενημένον. talem vero oportet esse Episcopum, qui unius uxoris ejusque virginis vir fuerit. Nec dissimili modo, ut jam observavimus, interpretatus est Apostolum Eusebius Cæsariensis, quin & ipse sanctus Epiphanius. Verum quandoquidem Joannes Chrysostomus in Epistolas Pauli commentarios composuit, videndum est quomodo præsentem locum tractaverit, is ergo Homilia 10. in priorem ad Timotheum cap. 3. explanans hæc eadem verba, unius uxoris virum, sic scribit: οὐ νομοθετῶν ταῦτά φησιν, ὡς μὴ ἐξὸν ἄνευ τούτου γίνεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀμετρίαν κωλύων. ἐπειδὴ ἐπὶ ἰουδαίων ἐξῆν καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας. τίμιον γὰρ ὁ γάμος. τινὲς δὲ ἵνα ἐκ μιᾶς γυναικὸς ᾖ φασὶ τοῦτο εἰρῆσθαι. Non hoc veluti sanciens dicit, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei immoderationem prohibens (quia videlicet non licet esse digamum) Judæis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio jungi, & duas itidem habere simul uxores, honorabiles enim nuptiæ. Qui-

dam vero hoc ita intelligunt, ut scilicet ad Episcopatum is assumatur, qui unius fuerit uxoris vir.

Deinde paulo infra movens præsentem quæstionem ita disserit. εἰ τοίνυν ὁ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, τὸν δὲ ἐπίσκοπον οὐ δεῖ τὰ τοῦ κόσμου μεριμνᾶν, πῶς φησι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα; Si igitur qui uxorem duxit, solicite curat quæ sunt mundi, Episcopum autem mundana curare non decet, quomodo dicit unius uxoris virum? Hunc vero nodum ita dissoluit. τινὲς μὲν οὖν φασὶν, ὅτι τοῦτο ἀπὸ γυναικὸς ἠνίξατο. εἰ δὲ μὴ τοῦτο εἴη, ἔνεστι γυναῖκα ἔχοντα, ὡς μὴ ἔχοντα εἶναι. τότε μὲν γὰρ καλῶς τοῦτο συνεχώρησεν, ὡς πρὸς τὴν τῶν πραγμάτων φύσιν τὴν τότε οὖσαν. ἔνεστι δὲ αὐτὸ μεταχειρίσασθαι καλῶς, εἴ τις βούλοιτο. ὥσπερ γὰρ ὁ πλοῦτος δυσχερῶς εἰσάγει εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, πολλαχοῦ δὲ οἱ πλουτοῦντες εἰσῆλθον, οὕτω καὶ ὁ γάμος. Quidam igitur aiunt, eum significari, qui post uxoris obitum constitutus est Episcopus: sin minus licet eum, qui uxorem habet, quasi non habentem esse: tunc etenim istud recte concessit pro tempore, ac rei natura, quæ tum inerat: potest vero res honeste tractari, si quis velit. Quemadmodum enim divitiæ difficile in regnum cœlorum introducunt, sæpe tamen divites ingressi sunt, sic & nuptiæ.

Quod ait Chrysostomus, recte istud concessisse Paulum pro tempore, ac rei natura, hunc habet sensum, quod non libenter quidem concessisset, verum rationem temporis habens, & advertens difficile fore, ut invenirentur virgines, qui in Episcopalem dignitatem ascenderent, permisit ut saltem, qui unius uxoris fuissent, & essent in præsens vidui, vel si non vidui, certe se continentes, & uxores habentes tamquam non habentes: ii demum ad tale munus eligerentur.

Sed quorsum ista, dicet aliquis? nos enim hic de presbyteris, non de Episcopis agimus. Præterea citas in hoc opere libros de Sacerdotio, quos scripsit Chrysostomus, qui sine dubio de Episcopis tractant.

Verum ratio postulat, ut de ambobus idem plane judicium fiat. Quandoquidem in Episcopis, & Diaconis simillima phrasi etiam utitur Apostolus. Et semper Græcis objicere possumus suos Episcopos, qui universe, atque perpetuo uxoribus carent. Cum tamen Apostolus Episcopum unius uxoris virum enunciet. Quod si licet Græcis aliter interpretari de Episcopis, cur non etiam nobis similiter de Diaconis & Presbyteris? Libri Chrysostomi de Sacerdotio comprehendunt quidem potissimum Episcopos, qui sunt majores Sacerdotes, sed etiam suo modo non excludunt minores immo absolute eos complectuntur, propterea & de Sacerdotio merito inscribuntur. Id quod etiam ratio nobis suadet. Nam quæ in illis libris Chrysostomus Episcopis attribuit, omnia fere conveniunt etiam Presbyteris. Quibus item incommodis Episcopos obnoxios esse contendit Chrysostomus, iisdem subjectos esse presbyteros, qui illos libros legerit, clare perspiciet.

Deinde sententia, & quidem vera est Chrysostomi, quæ hic à B. Paulo de Episcopis traduntur, eadem de presbyteris omnino debere intelligi: & cœtum Sacerdotum non esse annumeratum, propterea quod in Episcoporum contineatur. Ejus verba hic apponere haud gravabor, ex Homilia subsequenti, quæ undecima est. Διακόνους ὡσαύτως σεμνούς. διαλεγόμενος περὶ ἐπισκόπων, καὶ χαρακτηρίσας αὐτοὺς, καὶ εἰπὼν τίνα μὲν ἔχειν, τίνων δὲ ἀπέχεσθαι χρὴ, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων τάγμα ἀφεὶς, εἰς τοὺς διακόνους μετεπήδησε. τί δήποτε; ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον. καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας. Καὶ ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ περὶ πρεσβυτέρων ἁρμόττει. τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. Διακόνους ὡσαύτως, τὰ αὐτὰ ἔχειν δεῖ φησι, τί ἐστι τὰ αὐτά. οἷον τὸ ἀνεπιλήπτους εἶναι. Diaconos similiter pudicos postquam de Episcopis dixit, eosque informavit, quidnam illos habere conveniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso interim presbyterorum ordine, ad Diaconos transiit. Cur id quæso? Quia videlicet inter Episcopum, atque Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & presbyteris doctrina, & Ecclesiæ cura commissa est. Et quæ de Episco-

» pis dixit, ea etiam presbyteris congruunt.
» sola quippe ordinatione superiores illi sunt;
» atque id tantum plusquam presbyteri ha-
» bere videntur. (hoc est Episcopi ordinant
alios, presbyteri non ordinant; quamvis
autem in multis aliis præterea differant,
quia tamen reliqua saltem extraordinarie
possunt committi presbyteris, ἡ χειροτονία
vero minime, propterea Chrysostomus
» hoc solum commemorat) Diaconos simi-
» liter, eadem, inquit, habere par est. quid
» est eadem? scilicet irreprehensibiles esse,
» &c.

Et paulo post, γυναῖκας ὡσαύτως διακόνους
φησὶ σεμνὰς, μὴ διαβόλους, νηφαλέους, πιστὰς ἐν πᾶ-
σι. τινὲς ἁπλῶς περὶ γυναικῶν εἰρῆσθαι τοῦτο φασίν.
οὐκ ἔστι δέ. τί γὰρ ἐβούλετο μεταξὺ τῶν εἰρημένων πα-
ρεμβαλεῖν τι περὶ γυναικῶν, ἀλλὰ περὶ τῶν τὸ ἀξίω-
» μα τῆς διακονίας ἐχουσῶν φησί. Mulieres mini-
» stras, seu Diaconissas, similiter, inquit,
» castas, non bilingues, sobrias, fideles in
» omnibus. Quidam volunt Apostolum sim-
» pliciter hoc de mulieribus dixisse. Verum
» non ita est. Cur enim voluit in iis, quæ de
» Episcopis atque Diaconis disseruerat, ali-
» quid de mulieribus interponere? sed de
» his profecto ait, quæ ministerii dignitate
» sunt præditæ.

Deinde sequitur textus Apostolicus,
διάκονοι ἔστωσαν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες. Diaconi
sint unius uxoris viri. Ad quæ Chrysosto-
mus. Ταῦτα καὶ περὶ γυναικῶν διακόνων ἁρμόττει εἰ-
ρῆσθαι· σφόδρα γὰρ ἀναγκαῖον τοῦτο, καὶ χρήσιμον,
» καὶ κόσμιον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Hæc de Diaconis-
» sis etiam dicta esse convenit: id enim val-
» de necessarium est, utile, ac honestum in
» Ecclesia.

Vides hæc Chrysostomum eadem affir-
mantem congruere Diaconissis, atque Dia-
conis? Ex hoc autem facile nobis licet ad-
vertere, quomodo sit intelligendum, Dia-
conos esse unius uxoris viros. Mulieres e-
nim, quas vocant Diaconissas, si cum viris
cohabitent, & liberos procreent, num-
quam ad dignitatem ministerii assumuntur,
sed vel omnino virgines, & innuptæ, vel
viduæ, vel si maritos habeant ex communi
consensu, & voto se continentes.

Hæc igitur, quæ convenire ait Chry-
sostomus ministris mulieribus, multo ma-
gis, & prius ait congruere Diaconis, quan-
doquidem, quæ de viris Diaconis dicuntur,
ad illas transfert.

Et quidem merito, si enim secundum
Epiphanium in calce libri tertii Panarii,
Διακόνισσαι καθίστανται μονόγαμοι ἐγκρατευσάμεναι,
ἢ χηρεύσασαι ἀπὸ μονογαμίας, ἢ ἀειπάρθενοι οὖσαι.
Diaconissæ constituuntur, & adhibentur, «
quæ post unas contractas nuptias sint con- «
tinentes, vel post monogamiam viduæ re- «
lictæ, vel semper virgines. Et hoc qui- «
dem εἰς ὑπηρεσίαν γυναικῶν μόνον διὰ τὴν σεμνό-
τητα, ἂν χρεία κατασταίη λουτροῦ ἕνεκα, ἢ ἐπισκέ-
ψεως σωμάτων. Ut tantum mulieribus ho- «
nestatis gratia ministrent, si forte necesse «
sit, lavacri, vel visitationis gratia, seu in- «
spectionis corporum in morbo. Καὶ ὅτε γυ- «
μνωθείη σῶμα γυναικὸς, ἵνα μὴ ὑπὸ ἀνδρῶν ἱερουρ-
γούντων θεαθείη, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς διακονούσης. atque «
cum nudatum fuerit corpus mulieris, ne à «
viris Sacramenta administrantibus aspicia- «
tur, sed à ministrante muliere, ut idem «
Epiphanius testatur hæresi 79. Quia enim
in sacro fonte baptismatis ob trinam im-
mersionem forte nudabant corpora (ut
etiam refert Blastarius in suo Nomocano-
ne littera γ. de Diaconissis) non viri, sed
hæ mulieres Diaconissæ honestissimæ, at-
que religiosissimæ circumstabant fœminas.
similiter Episcopus ungebat baptizatas in
fronte, Diaconissæ illas abstergebant, ut
patet ex Clemente lib. 3. Const. c. 15. ip-
sæ quoque observabant fores illius partis
templi, quam etiamnum Græci γυναικωνῖτιν
appellant, ubi seorsum mulieres degunt à
viris, proptereaque S. Ignatius in fine Epi-
stolæ ad Antiochenos, sacrorum vestibulo-
rum vocat eas custodes: pari ratione, si mu-
lieres in aliqua parte parum honesta morbo
laborassent, eædem inspiciebant.

Itaque si Diaconissæ propter ejusmodi
officia castimoniam colere, vel continen-
tiam servare coguntur, quanto magis Dia-
coni & adhuc magis presbyteri ob Altaris
divinum munus continentia præstare de-
bent? Sequuntur verba Pauli. Διάκονοι ἔ-
στωσαν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες. Diaconi sint unius
uxoris viri. Ad quæ Chrysostomus. ὁρᾷς πῶς
τὴν αὐτὴν ἀπαιτεῖ καὶ παρὰ διακόνων ἀρετήν; εἰ
γὰρ καὶ μὴ τῆς αὐτῆς εἰσὶν ἀξίας τῷ ἐπισκόπῳ,
ἀλλ᾽

ἀλλ' ὅμως ὁμοίως ἀνεπίληπτοι, ὁμοίως ἁγνοὶ ὀφείλουσιν εἶναι. Vides ut eandem & ab his virtutem requirat? Et si enim Episcopi atque Diaconi impar dignitas est; pari tamen ratione uterque irreprehensibilis, uterque purus, & castus esse debet.

Quid igitur ex his omnibus Chrysostomi verbis, immo vero & B. Pauli inferre volumus? hoc nimirum, Episcopum, Presbyterum, & Diaconum debere virgines eligi, sin minus non digamos, sed monogamos; monogamos vero, vel viduos, vel à superstite uxore abstinentes, minimeque liberis operam dantes.

Quæ igitur hic à Chrysostomo accurata inquisitione, ac proposita quæstione diserte, prolixeque dicuntur, sit probatio manifesta, ejus de hac re opinionis, sensus & mentis, plenissimaque interpretatio eorum, quæ ab ipso forte alibi minus perfecte, ac dilucide sunt tradita.

Si quis autem pertinacius contendat, eam non esse opinionem Chrysostomi, quod dicat, quidam aiunt significari Episcopum, qui post obitum uxoris creatus sit: & sic loquatur, ut alienam sententiam referat, is certo sciat longe à vero se aberrare. Non enim Chrysostomus tacuisset, sed eam interpretationem, si minus ei placuisset, more suo confutasset, cum tamen bis eam recenseat, ac geminet Quemadmodum & de mulieribus quorundam sententiam refutavit, non quascumque intelligendas esse docens. At is continenter, ut jam vidimus, exponens illa verba, Diaconi unius uxoris sint viri, eam expositionem amplectitur. Neque aliter interpretatur, ubi dicit & Diaconissas unius viri uxores debere esse.

Quod ergo dixerit, quidam aiunt, hoc sibi vult, non à se primo esse inventam eam interpretationem, quam tamen approbat, laudat, & confirmat. Siquidem Clemens Romanus ante omnes alios, cæterique supra citati, sic locum Apostoli explanarunt. Quibus addendus Ambrosius, quem suo loco adducere minime prætermittam.

Aliter enim & argumentum, quod proponit Chrysostomus, manet indissolubile, quod ejusmodi erat. Qui uxorem ducit, solicite curat, quæ sunt mundi. Episcopum ejusmodi solicitudine angi, minime decet. An vero deceat presbyterum vel Diaconum ex sententia Chrysostomi? minime dices: ad eum igitur modum, quo se habet Episcopus erga rem uxoriam, & illos habere necesse est.

Quod autem dicit presbyteris doctrinam concreditam esse, ac propterea similiter, atque Episcopos debere puros, & continentes esse, hunc habet sensum; quod qui soboli procreandæ dant operam, non possint efficaciter, & cum fructu prædicationis obire munus. Quomodo enim viduis, & virginibus auctores erunt continentiæ colendæ, si ipsi in medio voluptatum versentur? Quam eandem rationem assignat Ambrosius in libro primo de officiis cap. ult.

Sed & Oecumenius, qui sententias Græcorum Patrum super Acta Apostolorum, & Epistolas Pauli collegit, permutando quædam verba perspicuitatis gratia, cum Chrysostomo sentit, quæ ne molestiam legentibus pariant, sane quidem non sunt repetenda.

Illud non est silentio prætereundum in Oecumenio, quod referat expositionem quorundam, qui verba Pauli de Ecclesia intellexerint. τινὲς δὲ περὶ ἐκκλησίας τοῦτο φασὶν αὐτὸν εἰρηκέναι, ἵνα μὴ μεταβῇ ἀπὸ ἄλλης εἰς ἄλλην. μοιχεία γὰρ τὸ πρᾶγμα. Quidam autem, inquit, aiunt, de Ecclesia hoc eum dixisse, ne de una ad aliam transeat, adulterij enim res ea est De qua expositione sic scribit Hieronymus in Epistola ad Oceanum. Quidam coacte interpretatur uxores pro Ecclesiis, viros pro Episcopis, estque ea explicatio etiam S. Ambrosii, licet mystica in libro de dignitate Sacerdotali cap. 4. Qui tamen alibi secundum literam exponit locum Pauli. Et re vera nimis est violenta expositio: sed si non mystice locum Pauli acceperint, qui primi eam excogitarunt, puto eos propterea sic exposuisse, quod cum existimarent, Apostolum aliquid Episcopis præcipere, absurdum eis videbatur dicere, eum præcipere matrimonium.

Ex his manifeste apparet, quomodo sit

intelligendus, & interpretandus Chrysostomus in Epistola ad Titum, Homilia 2. ubi exponit illa verba. Εἴ τις ἀνέγκλητος μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. Si quis sine crimine est unius uxoris vir. Τίνος ἕνεκεν καὶ τὸν τοιοῦτον εἰς μέσον παράγει; ἐπιστομίζει τοὺς αἱρετικοὺς τοὺς τὸν γάμον διαβάλλοντας. δεικνὺς ὅτι τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἐναγὲς, ἀλλ' οὕτω τίμιον, ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον. Cujus, inquit, rei gratia hujusmodi hominem in medium adducit? obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens eam rem non esse detestandam; immo ita pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam in sanctam Episcopatus sedem ascendere. Sic ille.

At non hoc vult Chrysostomus, dum quis uxorem habet, ita ut etiam sobolem procreet, eum posse tantum dignitatis gradum adipisci (loquitur enim Paulus de Episcopis, qui quandoque ut revera sunt, vocantur presbyteri, à quibus etiam exigit Apostolus non solum ut sint σώφρονες pudici, sed etiam ἐγκρατεῖς continentes.) Verum in hoc ostendit honorabiles esse nuptias, quod qui semel aliquam, & eam virginem habuerit in matrimonio, non prohibeatur ejusmodi gradum dignitatis ascendere, vel illa defuncta, vel communi consensu continendi gratia, separatione facta. Si enim nuptiæ non essent honorabiles, qui semel uxorem duxisset, etiam si postea quantum vellet, continentiam, & castitatem servaret, nullo tamen modo ad Pontificiam dignitatem admitteretur.

Ex hoc etiam palam est, quomodo intelligatur Canon ille Clementis: nempe ad eum modum, quo cum eruditissimo Turriano exposuimus, qui valde consonat hisce verbis Chrysostomi: utrobique enim de Episcopis agitur, & Episcoporum continentiam presbyteris etiam congruere, immo vero & Diaconis, Chrysostomus ex B. Paulo merito colligit.

Et certe si tempore Chrysostomi Sacerdotes à re uxoria non se continuissent, sed implicati fuissent matrimonio, sanctissimus Doctor non diceret in tertio libro de Sacerdotio cap. 4. Διὸ χρὴ τὸν ἱερωμένον ὥσπερ ἐν αὐτοῖς ἑστῶτα τοῖς οὐρανοῖς μεταξὺ τῶν δυνάμεων ἐκείνων, οὕτως εἶναι καθαρόν. Quapropter oportet Sacerdotem sic esse purum, tanquam si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret. ac deinceps similia tradit. & in 6. libro cap. 1. Οὐ γὰρ ὑπὲρ στρατηγίας, οὐδὲ βασιλείας ἡμῖν ὁ λόγος, ἀλλ' ὑπὲρ πράγματος ἀγγελικῆς ἀρετῆς δεομένου. Καὶ γὰρ τῶν ἀκτίνων αὐτῶν καθαρωτέραν τοῦ ἱερέως τὴν ψυχὴν εἶναι δεῖ. ἵνα μήποτε αὐτὸν ἔρημον καταλιμπάνῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἵνα δύνηται λέγειν, ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός. Non enim, inquit, de rei militaris præfectura, & ducendo exercitu, neque de regno gubernando nobis est sermo, sed de re Angelicæ virtutis indigente. Etenim Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet, ut ne quando Spiritus sanctus desolatum illum relinquat, ut dicere possit: vivo vero non amplius ego, vivit autem in me Christus.

His subjicit, quod si illi, qui eremum incolunt, & perpetua portus tranquillitate perfruuntur, ut possint tamen ad Deum accedere puros se ipsos custodiunt: multo magis Sacerdos variis implicatus oneribus, debet animum ab omni fœditate vindicare, ac liberare, ut & ipse ad Deum possit accedere. Καὶ γὰρ πολλῷ μείζονος δεῖ καθαρότητος τῷ ἱερεῖ, ἢ τῷ μοναχῷ· καὶ πλειόσιν ἀνάγκαις περίκειται ὁ ἱερεὺς ταῖς δυναμέναις αὐτὸν ῥυπῶσαι, ἢν μὴ τῇ διηνεκεῖ νήψει καὶ τῷ πολλῷ τόνῳ χρησάμενος, ἄβατον αὐταῖς ἐργάσηται τὴν ψυχήν. Καὶ γὰρ προσώπων εὐμορφία, καὶ κινημάτων διάθρυψις, καὶ βαδίσεως ἐπιτήδευσις, καὶ φωνῆς διάκλασις, καὶ ὀφθαλμῶν ὑπογραφαὶ, καὶ παρειῶν ἐπιγραφαὶ, καὶ πλεγμάτων συνθέσεις, καὶ τριχῶν βαφαὶ, καὶ ἱματίων πολυτέλεια, καὶ χρυσίων ποικιλία, καὶ λίθων κάλλος, καὶ μύρων εὐωδία, καὶ τ' ἄλλα πάντα, ἃ τὸ γυναικεῖον ἐπιτηδεύει γένος, ἱκανὰ θορυβῆσαι ψυχὴν, ἢν μὴ πολλῇ τῇ τῆς σωφροσύνης αὐστηρότητι ἀπεσκληκυῖα τύχῃ. Etenim, inquit, multo major puritas Sacerdoti, quàm Monacho necessaria est. Quippe Sacerdos pluribus casibus expositus sit, qui eum inquinare possint, nisi continentem sobrietatem, ac vehemens admodum studium adhibens animum impervium, impenetrabilemque præstiterit.

Nam & oris decor, & motuum exquisita mollities, & incessus affectatum studium, & vocis confractio, & oculorum fucus, & malarum pigmenta, & crinium intortorum compositiones, & capillorum tincturæ, & vestium sumptuositas, & ornatus auri varietas, & gemmarum pulchritudo, & unguentorum fragrantia, & cætera omnia, quæ muliebre genus affectare solet, talia sunt quæ animum commovere possint, nisi is continentiæ austeritate callum obduxerit: & quæ sequuntur.

Et in cap. 5. ejusdem libri à principio non solum ait, φωτὸς δίκην τὴν οἰκουμένην καταυγάζοντος λάμπειν δεῖ τοῦ ἱερέως τὴν ψυχὴν, &c. ὡς τηλικαύτης ἠξιωμένου διακονίας. Luminis instar universum orbem illustrantis Sacerdotis animum splendescere oportet, &c. ut qui tali ministerio dignus habitus sit: ἀλλὰ καὶ λίαν συνετὸν, καὶ πολλῶν ἔμπειρον εἶναι δεῖ. Καὶ πάντα μὲν εἰδέναι τὰ βιωτικὰ τῶν ἐν μέσῳ στρεφομένων οὐχ ἧττον, πάντων δὲ ἀπηλλάχθαι μᾶλλον τῶν τὰ ὄρη κατειληφότων μοναχῶν. ἐπειδὴ γὰρ ἀνδράσιν αὐτὸν ὁμιλεῖν ἀνάγκη, καὶ γυναῖκας ἔχουσι, καὶ παῖδας τρέφουσι, καὶ θεράποντας κεκτημένοις, καὶ πλοῦτον περιβεβλημένοις πολὺν, καὶ δημόσια πράττουσι, καὶ ἐν δυναστείαις οὖσι, ποικίλον αὐτὸν εἶναι δεῖ. ποικίλον δὲ λέγω, οὐχ ὕπουλον, οὐ κόλακα, οὐχ ὑποκριτὴν, ἀλλὰ πολλῆς ἐλευθερίας καὶ παρρησίας ἀνάμεστον. Sed etiam in primis prudentem, atque adeo multarum rerum experientia instructum, ornatumque, in tantum ut sæcularia, mundanaque omnia nihilominus noscat, quam norunt ij, qui in media hominum turba versantur, rursus rerum omnium mundanarum securior vivat, quam monachi ij, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam cum illum necesse sit eorum hominum consuetudine, ac congressione uti, qui & uxores habent, & liberos alunt, & servos possident, quique & divites admodum sunt, & publice negociantur, & potentia pollent, certe varium esse convenit. Varium autem dico, non subdolum, non adulatorem, non dissimulatorem, sed magna tum libertate, tum fiducia plenum. Sic Chrysostomus in illis aureis libris de Sacerdotio.

Verem suam mentem simul, & B. Pauli Chrysostomus non potuisset clarius explicare, quam fecerit Homilia 2. de patientia Job. Cum enim secularem virtutem, & omni ex parte admirabilem integritatem illius constantissimi viri Job laudandam suscepisset, ut ea de causa verbum illud ἄμεμπτος, hoc est, sine querela (quod eam vitæ sanctimoniam in aliquo denotat, ut cum eo aliquis, vel de levioribus quibusdam culpis queri non possit) diligenter perpendisset, deque ea voce multa, & ea præclara more suo disseruisset, causam reddit, cur etiam B. Paulus Ecclesiæ præsules constituens, non illud ab ipsis quæsierit, ut essent ἄμεμπτοι, sed tantum ἀνέγκλητοι, hoc est sine reprehensione (est enim ἀνέγκλητος quem aliquis quasi de graviori crimine reprehendere nequeat, non autem de leviori, in cujus reprehensionem, quamvis leve crimen sit, non incurrit qui est ἄμεμπτος, quemadmodum etiam maximum est discrimen inter μέμψιν & ἔγκλημα) Cur etiam Apostolus dixerit, ut essent unius uxoris viri, quod minus quid est, quam si fuissent virgines? Idcirco vero ait, hæc eum non postulasse, quod nimirum eo tempore ab hominibus ex idololatria, aliisque flagitiis revocatis, ista quærere nimium esset. Quæ tamen postea religione, ac pietate aucta, merito exigebantur: quippe decus puritatis, & continentiæ presbyteris ornamento esse oportebat.

Sed præstat more nostro ejus aurea verba tam Græce quam Latine hic subscribere. Nam Græca cum typis non sint mandata, haud passim inveniuntur, & nos ex Bibliotheca Vaticana transcribenda curavimus. Latina vero versio multis erroribus scatet.

Τὸ δὲ ἄμεμπτος εἰς ἀκρότητα τρόπων ἐκλαμβάνεται. ὁ δὲ ἀπόστολος παῦλος ἐπειδὴ πρὸς τὰ ἔθνη εἶχε τοὺς ἀπὸ πολυθείας ἀπεσπασμένους, τοὺς ἀπὸ κακίας συνειλεγμένους, τοὺς ἀπὸ πορνείας καὶ μοιχείας συνηθροισμένους, οὐ προσέθηκε τὸ ἄκρον τῆς ἀρετῆς. ἀλλὰ ὡς ἦλθεν εἰς τὴν οἰκουμένην πεπληρωμένην ὑπάρχουσαν μοιχείας καὶ πορνείας, ἠθέλησε δὲ ποιμένας καταστῆσαι τῆς οἰκουμένης, ἐπειδὴ τότε ἐσπάνιζε τὰ καλὰ τῆς ἀρετῆς, καθιστῶν ἐπισκόπους τίτῳ λέγει. κατάστησον ἐπισκόπους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην, εἴτις ἐστὶν ἀνέγκλητος. τὸ ἄμεμπτος οὐκ εἶχε τότε χώραν. ἐπειδὴ ἐσπάνιζον αἱ κα-

μὴν τὰ τῆς εὐσεβείας. μέγα τὸ ἄμεμπτον, μέσον δὲ τὸ ἀνέγκλητον, μέγα δὲ ἐν κακοῖς καὶ τὸ μικρὸν ἀγαθόν· διὰ τοῦτο εἶπε, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. οὐκ ἐπειδὴ τοῦτο νῦν φυλάττεται ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. δεῖ γὰρ παντελεῖ ἁγνείᾳ καὶ σωφροσύνῃ ἐστέφθαι τὸν ἱερέα. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τότε πρὸς τοὺς ἐν πορνείᾳ μέγα ἦν, λέγει, κατάστησον ἐπισκόπους, ὡς ἐγώ σοι διαταξάμην, εἴ τις ἐστὶν ἀνέγκλητος, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. οὐκ ἐπειδὴ νόμον ἔθηκε τοῦτο, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τῇ πλάνῃ συνέγνω. ᾔδει γὰρ ὅτι ἀνθοῦντος τοῦ λόγου τῆς εὐσεβείας, αὐθαίρετον αὐτῇ ἡ φύσις ἕξει τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἡ ἐκλογὴ ζηλώσεται τῶν κρειττόνων. Hoc autem, inquit, ſine querela, de morum eminenti excellentia accipitur. Apoſtolus vero Paulus quandoquidem ad gentes verba faciebat, & cum illis agebat, quos à multitudine Deorum revocarat, ex malis item, & fornicariis, atque adulteris collegerat, non addidit ſummum illud virtutis genus. Verum cum ad eum orbem ſe convertiſſet, qui ſcortationibus, & adulteriis refertus erat, vellet autem orbis Paſtores conſtituere, quoniam tum rara virtus erat, ordinans Epiſcopos Tito dicit, conſtitue Epiſcopos, ſicut ego tibi diſpoſui, ſi quis eſt ſine crimine, illud ſine querela, tum locum non habebat: magna res ſine querela eſſe, media vero eſſe ſine reprehenſione: inter mala vero vel exiguum bonum, magnum quid eſt, idcirco dixit unius uxoris virum. Non ea ratione (Nota) quod id nunc in Eccleſia obſervetur, oportet enim omni protſus puritate, & caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe: ſed quia tunc ad rationem eorum, qui in fornicatione vitam degebant, magnum quid erat, ideo dicit: conſtitue Epiſcopos, quemadmodum ego tibi diſpoſui, ſi quis eſt irreprehenſibilis, unius uxoris vir. Non quod id tanquam legem conſtituerit, ſed quia errori ignoſcebat, & indulgebat: ſciebat enim quod florente verbo pietatis, natura bonum ſponte ſua ſectaretur, & præſtantiſſima quæque eligerentur. Hactenus Chryſoſtomus, ex cuius verbis colligitur, & veriſſimum eſt, tempore huius celeberrimi Doctoris Epiſcopos omnino caruiſſe uxoribus: & idem fere communiter & ut plurimum intelligitur de preſbyteris.

Unde Simeon Metaphraſtes in vita Chryſoſtomi, refert, eum Noſocomiis, quæ ædificaverat, præfeciſſe preſbyteros valde pios, & conjugij expertes. Ex quo pariter colligimus, fuiſſe quidem etiam preſbyteros conjugatos, ſed vel à propriis uxoribus continentes, ut loquuntur Patres Africani, vel & paucos & in veneratione populi minime habitos.

Interea nota illa verba hujus ſententiæ. δεῖ παντελεῖ ἁγνείᾳ καὶ σωφροσύνῃ ἐστέφθαι τὸν ἱερέα. Loquitur enim Chryſoſtomus, ut & Concilium Carthaginenſe, ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσι.

Afferuntur alia teſtimonia Patrum Græcorum & Latinorum pro uſu Eccleſiæ Occidentalis.

Caput XLII.

Accedant poſtremo reliqui Patres Orientales, ſimul & Occidentales, qui huic veritati fidem faciant.

Origenes Homilia 23. in libr. Numer. certum eſt, inquit, impediri ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt. Unde videtur mihi illius ſolius eſſe offerre ſacrificium, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.

Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 12. ἐκ τοῦ Δαβὶδ τοίνυν ἐστὶν ἡ ἁγία παρθένος. ἔπρεπε γὰρ τῷ ἁγνοτάτῳ καὶ διδασκάλῳ τῆς ἁγνείας ἀπὸ ἁγνῶν ἐξεληλυθέναι παστάδων. εἰ γὰρ ὁ τῷ υἱῷ καλῶς ἱερατεύων ἀπέχεται γυναικὸς, αὐτὸς ὁ υἱὸς πῶς ἔμελλεν ἀπὸ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἔρχεσθαι; Ex David igitur proceſſit virgo ſancta. Decebat ſane puriſſimum puritatis Doctorem, ex puris prodire thalamis: ſi enim qui filio (Jesu) bene fungitur Sacerdotio, abſtinet à muliere, ipſe filius quomodo ex viro, & muliere proditurus eſſet? Ergo recte inferre poſſumus ex ſententia Cyrilli, ὁ μὴ ἀπεχόμενος τῆς γυναικὸς κακῶς ἱερατεύει. Qui non abſtinet à muliere, male ſacerdotio fungitur.

Neque valet ſi quis dicat, debere Sacerdotem abſtinere tempore vicis ſuæ quando ſacrificaturus eſt. Nam ſanctus Cyrillus

non est usus verbo ἱερουργεῖν, quod significat sacra peragere (quamquam & illud in idem incideret) sed ἱερατεύειν, quod denotat Sacerdotio fungi, & esse Sacerdotem. Præterquam quod similitudo etiam frigida, & inepta esset.

Cyrillum sequutus sanctus Maximus in libris quæstionum & responsionum, sic quærendo scribit. διὰ τί οἱ μὲν τοῦ νόμου ἱερεῖς ἔχειν γυναῖκας οὐκ ἐκωλύοντο, οἱ δὲ ἱερεῖς τοῦ Χριστοῦ κωλύονται ὅσον ἀπὸ τῆς συνηθείας; Cur legis Sacerdotes habere uxores non prohibebantur: Sacerdotes vero Christi, quantum spectat ex consuetudine prohibentur? Dicit autem consuetudine prohiberi, propterea quod nulla lex divina extet, quæ id prohibeat: & quia talis mos erat suorum temporum, floruit autem divinus Confessor maximus ante Synodum Quinisextam anno Domini 650. & ultra sub Heraclio Constante monothelita, à quo etiam in exilium pulsus est, sicut & S. Martinus Pontifex. Vel illud ὅσον ἀπὸ τῆς συνηθείας significat non prohiberi presbyteros habere uxores, sed prohiberi habere commercium, & familiaritatem cum illis, itaque κωλύονται ἀπὸ τῆς συνηθείας τῶν γυναικῶν. poterant enim esse monogami, & unius uxoris viri, deinde ex consensu illarum initiari sacris ordinibus. Et juxta hæc respondet Maximus quæstioni. ὅτι ἐστὶν ἡ ἱερωσύνη κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ὃς οὐ γράφεται γεγαμηκώς. κατ' ἀνάγκην οὖν οἱ κατὰ τὴν τάξιν αὐτοῦ ἱερατεύοντες οὐ προσίενται γυναῖκα. Nimirum quod Sacerdotium sit secundum ordinem Melchisedech, qui nusquam legitur duxisse uxorem. Necessario itaque qui juxta ejus ordinem Sacerdotio funguntur, non admittunt uxorem.

Cæterum ex commemoratis Græcorum Patrum sententiis licet advertere quantum postea Quinisextiani Patres à majorum disciplina, & institutis degenerarint. Qui tamen eo audaciæ progressi sunt, ut sua commentitia somnia, & falsas, præceptasque opiniones majorum auctoritate, falsa nimirum adhibita interpretatione, fulcire non dubitarint.

Reliquum est, ut quæ huc usque gravissima auctoritate Græcorum Patrum confirmavimus, cæterorum quoque Latinorum, si quos omisimus, quod eos supra commode commemorare non potuerimus, pari ratione testimonio fulciamus, & exornemus. Quæ enim Orientalibus de continentia Sacerdotum placuerunt, eadem & Occidentalibus placuisse, & ab utrisque germana fide consentientibus prodita esse, nemo negabit, qui eorum scripta legerit. Referam pauca eorum in primis, qui ubique terrarum & apud omnes gentes sive morum integritatem, vitæque sanctimoniam, sive acre ingenium, & sermonis elegantiam, sive denique gravitatem & ipsam antiquitatem spectes, longe omnium fuerunt clarissimi.

Ambrosius in libro primo de Officiis cap. ultimo. Inoffensum, inquit, exhibendum, & immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerij gratiam recepistis. Quod ideo non præterivi, quia in pleriisque abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt.

Et in libro 10. Epistola 62. ad Ecclesiam Vercellensem. Virtutum autem, inquit, magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui unius uxoris virum præcipiat esse. Non quod exortem excludat conjugij. Nam hoc supra legem præcepti est, sed ut conjugali castimonia servet oblationis suæ gratiam. Neque iterum, ut filios in Sacerdotio creare Apostolica invitetur auctoritate, habentem enim dixit filios, non facientem.

Idem seu quisquis est, antiquus sane scriptor & in hoc Catholice, ac orthodoxe sentiens, alioqui non est mirum etiam antiquos hæreticos utpote in multis, veluti simios Catholicorum, illud sensisse de continentia Sacerdotum, quod & Catholici sentiunt, is ergo explanans illa verba: Diaconi sint unius uxoris viri, in capite primo primæ ad Timotheum. Ea, inquit, quæ minus dixerat de ordinatione Diaconatus, nunc subjecit: ostendit

etiam istos unius uxoris viros esse debere. Ut hi ad ministerium Dei eligantur, qui non sunt egressi constitutum Dei. Homini etiam unam uxorem decrevit Deus, quacum benedicatur. Nemo enim cum secunda benedicitur. Qui si filios bene gubernaverint, & domos suas, idest vernaculos aut domesticos, poterunt digni fieri Sacerdotio, & fiduciam habere apud Deum, ut sciant se posse impetrare, quod postulant, jam de cætero se ab usu fœminæ cohibentes. & quæ sequuntur.

Auctor in quæstionibus veteris, & novi Testamenti quæstione ultima sub finem. Qui quidem liber non est Augustini, ut antea monui, sed alterius forte proxime citati. Cujus sunt etiam commentaria in Epistolas Pauli, quæ sub nomine Ambrosij circumferuntur, qui licet in multis discrepet à doctrina horum Doctorum, & hæreticus plane sit, in re tamen præsenti refert morem suorum temporum, optimeque congruit cum hisce Patribus, & congruentes rationes reddit, cur non liceat Sacerdotibus habere uxores. Nobis autem exstercore licet colligere aurum. Sic igitur aggreditur quæstionem. Sed forte dicatur: si licet, & bonum est nubere, cur Sacerdotibus non licet uxores habere? idest ut ordinatis eam non liceat convenire? Quis nesciat unumquodque suam legem habere? est enim quod omnino generaliter omnibus non liceat: est item quod aliis licet, & aliis non licet. Et est quod aliquando licet, & aliquando non licet. Fornicari omnibus semper non licet, negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet: antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet. Et Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet. Propter dies enim processionis, aliquando non licet convenire: quia etiam à licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit, quod postulatur. Unde Apostolus ex consensu ait abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi. Nam secundum legem in jejunio cædere, & jurgari non licet: postea licet, quia major reverentia debetur Dei causis. Numquid omne quod ante cæteros licet, ante Imperatorem licet? quanto magis in Dei causis? ac per hoc antistitem ejus puriorem cæteris esse oportet: ipsius enim personam habere videtur. Est enim Vicarius ejus, ut quod cæteris licet, illi non liceat. Quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, ut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et non solum huic concubitus non licet, verum etiam ministro ejus. Quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt, quæ ministrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ, tenebræ non tantum obscuræ, sed etiam sordidæ sunt, ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est, ad solis vero comparationem stellæ nebulosæ sunt, ad Dei autem claritatem sol nox est: Ita etiam, quæ ad nos licita, & munda sunt, ad Dei dignitatem, quasi illicita, & immunda sunt. Quamquam enim bona sunt, Dei tamen personæ non competunt. Numquid non tunica mediocris hominis, quamvis munda, Imperatori tamen sordida, & illicita est? Similiter & saxonica senatori. Ac per hoc antistites Dei puriores esse debent, quam cæteri, quia & Christi habent personam, & ministros Dei puriores esse oportet. Nemo enim Imperatori ministrat, nisi vestimentis claris, & mundis indutus. Dei autem quia natura clarissimus est, ministros natura magis, quam vestibus mundos esse oportet. Sic iste auctor, & præcedens. Quos sane minime citassem, nisi speciosa & augusta nomina Augustini, & Ambrosij præ se ferrent.

Syricius in epistola prima ad Himerium Tarraconensem Episcopum. Plurimos, inquit, sacerdotes Christi, atque levitas post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præsumptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus, ac ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quod in lege Mosis passim sacris ordinibus à Domino laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos quibus committebantur sancta sanctorum, præmonet dicens, Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus

Deus vester? Cur etiam procul à suis domibus anno vicis suæ, in templo habitare jussi sunt sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam expleto deservitionis suæ tempore uxorius usus solius successionis causa fuerat relaxatus. Quia non ex alia, nisi ex tribu Levi quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti. Unde & Dominus JESUS cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia legem venerit implere, non solvere: & ideo Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicij, cum rursus advenerit, sine macula, & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes, atque levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ, sobrietati, ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora. Dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. Qui autem in carne sunt, dicente electionis vase, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Et ubi poterit nisi in corporibus (sicut legimus) sanctis Dei spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent, si tamen post hac continentes se studuerint exhibere. Hi vero, qui illiciti privilegij excusatione nituntur, ac sibi asserunt, veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter, atque Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum. Quia ferro necesse est excindantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam. Hactenus Syricius.

Innocentius primus in epistola prima ad Victricium Rothomagensem Episcopum. Quod, inquit, dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omni modo debet, ut sacerdotes, & levitæ cum uxoribus suis non coëant. Quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim, Sancti estote, quoniam & ego sum sanctus Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus, de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: Quanto magis hi sacerdotes, & levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificiis divinis, vel à baptismatis officio vacent? Nam si beatus Apostolus Paulus ad Corinthios scripsit dicens, Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utique laicis præcepit: Multo magis sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Quod si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit? aut qua conscientia, quove merito exaudiri se posse credit, cum dictum sit, Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum? Sed forte licere hoc credit, quia scriptum est, Unius uxoris virum. Non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait, Vellem autem omnes sic esse, sicut & ego. Quod apertius declarat sic dicens; Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu. Eadem repetit in epistola secunda, ubi etiam imitatus Ambrosium addit,

& habentem filios, non generantem dixit.

Sanctus Leo Pontifex, qui ante mille, & centum annos floruit, ac propter sanctitatis, & sapientiæ, atque etiam eloquentiæ excellentiam Magnus dici meruit. Quem quidem Doctorem libenter quando occurrit, profero, est enim magnæ auctoritatis etiam apud Græcos. Is ergo de Subdiaconis Græcorum epistola 84. cap. 4. sic scribit ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

» Cum extra clericorum ordinem constitutis Nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, ne Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, sint tamquam non habentes (loquitur ut Chrysostomus) & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio quoque servandum est, ne aut Levitico ministerio, aut Presbyterij honori, aut Episcopali excellentiæ quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria, nec dum frænasse detegitur? Sic Leo, & quidem ad Græcos, cujus tempore continentiam Latini coarctaverant usque ad Subdiaconos inclusive, cum tamen tempore Syricij Subdiaconi essent uxorati, ut constat ex ejus prima epistola.

Quamvis autem in Ecclesia Romana Subdiaconis etiam postea interdiceretur usus cum uxoribus, non tamen ubique istud observabatur. Unde S. Gregorius Papa, qui & ipse merito Magni cognomen obtinuit, & à nostris Dialogus ab opere conscripto vocatur, lib. 1. epist. 42. minime sibi placere legem illam sui prædecessoris testatur. Ne Subdiaconi uxoribus antea ductis » uterentur. Ante triennium, inquit, Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua uxore separari, atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Sic ille. Concilium item 3. Toletanum, quod eodem tempore, quo hæc scripsit Gregorius, hoc est anno 589. celebratum est, canone quinto prohibet quidem adhærere uxoribus, sed Presbyteris tantum, & Diaconis, non autem Subdiaconis. At ipse Gregorius in ea epistola vult, ut in posterum omnibus dicatur Episcopis, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit. Eos autem, inquit, qui post prohibitionem factam (à suo prædecessore) se à suis uxoribus continere noluerint, nolumus promoveri ad sacrum ordinem; quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Idem libro sexto, capite primo in libros Regum, errare dicit eos, qui propter verbum Pauli, unusquisque uxorem suam habeat, putant licere Ecclesiasticis uxores habere. Hoc si detur, igitur Græcorum Monachi, Episcopi, immo vero & Patriarchæ suas uxores habeant. Et nemo sit in Ecclesia Dei, qui virginitatem, & castimoniam colat. Quare non loquitur Paulus de Ecclesiasticis: ubi autem de iis sermonem facit, ut unius uxoris sint viri, non is sensus est Apostoli, ut antea diximus, sed quod fuerint unius uxoris viri, proinde non sint digami, vel si in præsenti habeant eam, tamquam conversam, & quæ simul voverit castitatem, loco sororis habeant, minimeque in posterum ex ea filios suscipiant.

Quamobrem de quodam Ursino Presbytero idem Gregorius in lib. 4 Dialogorum sic refert. Hic ex tempore ordinationis suæ « presbyteram suam, ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere, nunquam sinebat, eamque sibi appropinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat. Et paulo post. Hic venerabilis vir, cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ, inardescente graviter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret solutis jam membris in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset naribus ejus opposita curavit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo nixu va-

luit, ut loqui potuisset, infervescente spiritu, collegit vocem, atque erupit dicens, Discede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Sic Gregorius.

Omitto commemorare sexcenta fere Concilia provincialia ubique terrarum, & apud omnes gentes summa cum laude habita, quæ idem plane statuunt, quod etiam sancti docuerunt, quæ non est opus in præsentia recensere. Græci enim nostri temporis ea non, ut par est, venerantur.

Concludamus tandem more oratorum ἀνακεφαλαιωδῶς præsentem disputationem. Si ea est natura, conditio, puritas, & sanctitas sacerdotij, ut sacris semel initiatus non possit postea ullam societatem habere cum matrimonio, si in officio permanere velit. Hoc enim & ipsi Græci fatentur, & servant, & ab omnibus lege positiva, & Apostolica vetitum est, idque ratione incommodorum, quæ hoc sacramentum matrimonij comitantur. Qui enim est cum uxore, inquit Apostolus, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Si Diaconissis ob ministeria circa sacrum fontem baptismatis ab illis exerceri solita, & alia id genus, prohibitum est, ne viros habeant: si discrimen aliquod est (est autem maximum) inter antiquæ & novæ legis sacerdotium; in eo si quidem Christus sacrificiis illorum præfigurabatur, in hoc sacerdotum manibus quotidie ipse verus agnus tractatur, & immolatur. In eo sacerdotes levitici figuram Christi venturi gerebant. In hoc sacerdotes Christiani Christum qui venit repræsentant. In eo rarior per vices erat administratio: in hoc frequentior, & juxta Epiphanium & cæteros Doctores, ἀδιάπαυστος, hoc est, perpetua, & indesinens. Neque tamen illi, nisi ab uxoribus statis diebus abstinuissent, admittebantur. Si Achimelech sacerdos noluit dare Davidi panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset, eum ab uxore aliquandiu se continuisse; hic ubi non per vices, sed semper ministrant, perpetuam ab uxoribus continentiam exigemus, ab iis qui verum panem cœlestem conficiunt, edunt, aliisque impartiunt, communicantque cum fidelibus. Si distinctio est inter laicos, & sacerdotes, illosque convenit, aliquando vacare orationi, & ob id abstinere à conjugio. Sacerdotes vero consentaneum est, ut semper orent pro populo, cæteraque administrent sacramenta, prout repentina rei occasio postulaverit, præsertim Græci, qui singuli singulas parochias habent, neque alia ratione ad sacerdotium eos Episcopi Græci promovere solent, nisi singuli proprias habeant Ecclesias. Si doctrina illis commissa est, & concredita juxta sententiam Chrysostomi, & Ambrosii, ut populos ad bonos mores, virgines, ac viduas ad servandam virginitatem, & castitatem hortentur. Quanam ratione, quæso, non abstinentes abstinere aliis persuadebunt? quomodo strenue suo munere fungi poterunt? simul etiam domi uxorem alere, illique studere, placere, liberorum curam gerere, filias in matrimonio collocare, filiis thesaurizare, cæteraque parentum officia erga liberos paterna solicitudine præstare? An non potius his obruti, & oppressi molestiis, & curis, sæcularibusque implicati negotiis, quales esse nuptias nemo negabit, non quidem Deo Optimo Maximo militabunt, sed mundo, & sæculo servient?

Merito itaque Latinorum Presbyteri, apud quos vere juxta Prophetiam Danielis juge est sacrificium incruentum, non minus assidua, & frequens reliquorum sacramentorum administratio, & verbum Dei per sacri Evangelij præcones ubique resonat, merito, inquam, quod ab ipsa antiquitate perpetua traditionis successione acceperunt, integre servant, & castitatem perpetuo colunt.

Neque Græci poterunt unquam ullum antiquitatis exemplum proferre, quo ostendant aliquem celebrem, & laudatum virum post sacerdotium uxorem retinuisse, atque illi operam dedisse; sed omnes omnino quotquot insignes fuerunt, aut uxores non duxerunt, aut post susceptum sacerdotium illis caruerunt. Noverant enim optime quam incommodum sit, rebus sacris dare operam simul, & liberis. Quis enim Deo vacare integre, quin mente in varias partes distrahatur, & molestiis rei uxoriæ poterit? Quod & judicavit vas illud electionis Paulus, Qui

cum uxore est, inquiens, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Divisus nimirum, quod partem sui amoris, & quidem maximam uxori, partem liberis, partem rebus illorum, per exiguam autem Deo impendat & tribuat, neque totus, ut par est, in eum feratur, sed cum sui corporis potestas alteri tradita sit, indissolubilibus vinculis connubij sit constrictus, & tribulationem carnis patiatur, ac divisionem, quam diximus, sustinere cogatur. Quorum omnium sacra, Deoque dicata virginitas, & pura castitas expers, ac immunis est.

Una est frequens, usitata, & communis fere in ore multorum objectio: postquam enim vident se, qui oppositam sententiam tuentur, tot testimoniis Patrum convinci; statim inclamant indignum facinus sacros Dei ministros scortari, adulterari, cæteraque id genus flagitia committere, ac non potius legitima uxore copulatos omnem occasionem peccandi vitare.

Eadem objectio antiquitus fieri solebat de monachis, aliisque hominibus, qui nolentes jugo matrimonij colla submittere, virginitatem profitebantur, & cœlibem vitam agebant. Cui Gregorius ille cognomento Theologus Nazianzenus in sacris carminibus sic occurrit.

Γάμον δίδωμι, τὴν ἁγνείαν λαμβάνω.
Ἀλλ' εἰσὶν, οἳ πεπλώκασ', ἀλλ' ὀλοιό μοι,
Μὴ τοὺς ἀρίστους ἐκ λέγων, τοὺς δ' ἀσθενεῖς.
Οἱ μὲν γὰρ αὐτοῖς αἶσχος, οἱ δ' ἡμῶν κλέος.
Γῆ δ' οὐκ ἀροῦται τῆς χαλάζης εἵνεκα,
Οὐδ' ἀμπελὼν φυτεύεθ'. ἡ θάλλασσα δ'
Ὅρμοις δίδωσι πάντας, οὕς περ λαμβάνει;
Τί μοι τὰ πόρρω; κειμβόρῳ δ' ἑωσφόρῳ
Μὴ συγκατενέχθησαν ἀγγέλων χοροί;
Τί δ' οὐκ Ἰούδας ἦν φονεὺς τοῦ δεσπότου,
Ἀλλ' οἱ μαθηταὶ δόξα;

Do nuptias, mentem eligo puram mihi.
At corruerunt, dixeris, quidam. male
Tibi sit, legis qui debiles, non optimos.
Illi probrum sunt nam sibi, hi nobis decus.
Diram-ne propter grandinem tellus coli,
Serique vitis desinit? Quid? Littori
Pontus-ne cunctos applicat, quos accipit?
Longinqua vero quid sequor? cum Phosphoro,
Nonne Angelorum sunt simul lapsi Chori?
Quid? Non-ne Christi carnifex Judas erat?
Apostoli vero decus? Sic Theologus.

Non igitur improbanda est virginitatis, seu castitatis professio, ob quosdam malos, sed potius celebranda, summisque laudibus extollenda propter bonos. Quippe non tam malitia hominum, quam rei præstantia, & nobilitas spectanda & consideranda est. Atque ut eloquentiæ pater disertissimus orator Isocrates in oratione ad Nicoclem ait: οὐ δίκαιον, οὐδ' εἴ τινες τοὺς ἀπαντῶντας τύπτοιεν, τῆς ῥώμης κατηγορεῖν. οὔτε διὰ τοὺς ἀποκτιννύντας τὴν ἀνδρείαν λοιδορεῖν. οὐθ' ὅλως τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφέρειν. ἀλλ' αὐτοὺς ἐκείνους ψέγειν, ὅσοι τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρῶνται. Non est æquum, neque si quidam quos obvios habuerint, verberaverint, robur propterea criminari. Neque propter interfectores, fortitudinem reprehendere. Neque omnino improbitatem hominum ad res transferre. Sed hos ipsos potius accusare, qui bonis rebus male utuntur.

Atque hæc quidem de Græcorum sacerdotum cum antiquorum continentia, tum posteriorum legitimo conjugio sane sufficerent: Verum cum incontinentia quorumdam eo progrediatur, ut etiam post susceptos ordines, mortua uxore legitima, secundas contrahere nuptias non vereantur; restat tandem, ut hoc dubium deinceps tractemus.

Utrum conjugia Græcorum Presbyterorum, si contrahantur post susceptos ordines, sive prima sint, sive secunda, sint valida.

Caput XL.

Nota primo, eos qui sunt sacris initiati, continentiam debere servare, non quidem jure divino, sed positivo, & canonico, idque vel ratione legis Ecclesiasticæ, vel ratione voti. Nam Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. statuit, ut clerici à susceptis ordinibus castitatem servent, vel lege Ecclesiastica, vel ratione voti, hoc est dicere, Ecclesiam legem tu-

lisse, ut cœlibatus esset annexus sacerdotio. Deinde eamdem Ecclesiam ad majorem cautionem auctoritate sua sanxisse, ut sacerdotes continentiam voveant, & dum sponte suscipiunt sacros ordines, vovisse intelligantur.

Siquidem expresse mandatur Episcopis Latinis, ut neminem ordinent, nisi voveat castitatem. Quare qui suspiciunt sacros ordines occidentali ritu, & si non verbo, ipso tamen facto intelliguntur vovere castitatem. Quamvis enim votum sit actus voluntatis intrinsecus, & liber, & hac ratione non videatur posse fieri auctoritate Ecclesiastica ex facto extrinseco; hic tamen concurrit illius voluntas, qui non ficte suscipit ordines: qui enim sponte suscipit ordines, sponte etiam intelligitur suscipere id, quod est annexum ordini, quale est votum.

Disjunctive autem loquitur Concilium, vel quia aliquando in Ecclesia fuit lex cœlibatus sine voto, ut nunc forte est apud Græcos sacerdotes post primæ uxoris obitum, vel quia potest esse sine voto. Qui enim scienter, & sponte sacros ordines suscipit, votum castitatis emittit explicite, vel tacite: qui vero per vim, vel metum cadentem in virum constantem sacris initiatur, is nullo voti vinculo quidem obstringitur, sed Ecclesiastica lege dumtaxat castitatem cogitur profiteri. In veteri quoque testamento sacerdotes, & levitæ lege tenebantur, non voto servare castitatem anno suæ vicis, ac per illud tempus eorum uxores sciebant, se eadem lege ad idem servandum constringi: In novo testamento propter statum longe perfectiorem Evangelicum, non admittente lege canonica uxoratos ad sacerdotium, vel prohibente, ne clerici per totum curriculum vitæ cum suis uxoribus consuetudinem habeant, poterant uxores non edito voto ad hoc consensum maritis præstare, antequam illi initiarentur sacris, qui deinde susceptis sacris ordinibus lege tenerentur continere se ab uxoribus, sub pœna dignitatis amittendæ. Communiter tamen modo, & lex, & votum annexum legi reperiuntur in sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ.

Unde sacrum ordinem inter Latinos prohibere matrimonium ne contrahatur ex constitutione Ecclesiæ, ac dirimere postea contractum ex voto continentiæ annexo, certum est.

Proinde facile de suis sacerdotibus responderent Latini, duplici pœna eos afficiendos esse, si post sacros ordines id contingat: deberent enim non solum suspendi ab officio ex sententia veterum canonum, verum etiam aliquo alio supplicio affici, quia violaverint votum, & propterea sint sacrilegi.

At vero inter Græcos, ut nunc res est, si conjugium contractum post receptum aliquem ordinem sacrum, irritum est, atque inane, profecto videtur esse invalidum non ratione voti, cum sacerdotes eorum cœlibem vitam minime degant, sed ratione legis Ecclesiasticæ. Rursus cum lex Ecclesiastica duplex esse possit: Altera quæ pœna aliquem afficiat, si contrahat matrimonium; illud tamen ratum sit, & validum censeatur, ut si non dirempto matrimonio, suspendat tantum ab ordinibus. Altera quæ non solum pœna mulctet, sed etiam talem contractum inter hujusmodi personas, irritum esse jubeat. Quemadmodum Concilium Tridentinum contractum clandestinorum matrimoniorum irritum fecit, & infectum declaravit; Videndum est inter Græcos, an aliqua lex talis reperiatur, quæ vel tantum pœnam irroget, vel etiam hujusmodi matrimonia irrita esse sanciat. Si enim nulla talis extat, consequens est, ut rata, & firma sint matrimonia, secus irrita, atque invalida.

Insuper quoniam antiqui Patres Græcorum matrimonij usum in sacerdotio respuebant, ut in superiore quæstione fuse disseruimus, posteriores admiserunt, quærendum est, an aliqua lex reperiatur sive vetus, sive nova, quæ ejusmodi sit, ut etiam votum inducat.

Nota secundo, ut facilius præsentem quæstionem enodemus, duo loca prius esse concordanda. Nam Concilium Ancyranum canone 10. ait, Si qui id cum ta- "
cuissent, & in ipsa ordinatione recepissent, "
se sic permansuros, hoc est cœlibes, postea "

» ad nuptias venerunt, à ministerio cessare
» debebunt. Inde vero colligunt nonnulli fuisse morem interrogandi ordinandos, vellent-ne profiteri continentiam, & votum emittere castitatis: vel etiam si non interrogabantur, tamen suo silentio tacite emittebant votum castitatis qui ordinabantur.

At Basilius Magnus in 19. suo canone. ἀνδρῶν ὁμολογίαν οὐκ ἔγνωμεν· πλὴν εἰ μή τινες ἑαυτοὺς τῷ τάγματι τῶν μοναζόντων ἐγκατηρίθμησαν. οἳ κατὰ τὸ σιωπώμενον δοκοῦσι παραδέχεσθαι τὴν ἀγαμίαν· πλὴν καὶ ἐπ' ἐκείνων ἐκεῖνο ἡγοῦμαι προηγεῖσθαι προσήκειν. ἐρωτᾶσθαι αὐτοὺς, καὶ λαμβάνεσθαι τὴν παρ' αὐτῶν ὁμολογίαν ἐναργῆ. ὥστε ἐπειδὰν μετατίθενται πρὸς τὸν φιλόσαρκον καὶ ἡδονικὸν βίον,
» ὑπάγειν αὐτοὺς τῷ τῶν πορνευόντων ἐπιτιμίῳ. Vi-
» rorum, inquit, professionem non novimus,
» præterquam si qui se ipsos monachorum or-
» dini annumerarunt, qui tacite videntur cœ-
» libatum admittere: sed in illis quoque illud
» existimo præcedere oportere, ut ipsi inter-
» rogentur, & evidens ipsorum accipiatur
» professio, ut postquam se ad libidinosam,
» & voluptariam vitam converterint (hoc est
» uxores, κατὰ τὸ φαινόμενον duxerint) fornican-
» tium pœnis subjiciantur.

Non ergo in aliis Basilius agnoscit votum, neque explicitum, neque tacitum, præterquam in Virginibus, quæ se Deo consecrant, votum explicitum, ut habet in 18. hoc canone, & implicitum in monachis.

Neque est veri simile tantum Doctorem ignorasse, quæ statuerat Concilium Ancyranum. Quare Zonaras canonem Basilianum explanãs non adeo considerate ibidem scripsit. οὐκ ἐπὶ μοναζόντων μόνον σιωπηρὰ ὁμολογία νομίζεται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ διακόνων, καὶ ὑποδιακόνων. εἰ γὰρ μὴ προσμαρτύρονται, ὅτι οὐ δύνανται παρθενεύειν οἱ μέλλοντες χειροτονηθῆναι, καὶ πρὸ τῆς χειροτονίας εἰσοικίζονται ἑαυτοῖς γυναῖκας, οὐ δύνανται μετὰ τὴν χειροτονίαν γάμον ἑλέσθαι· δοκοῦσι γὰρ σιωπηρῶς ὁμολογεῖν, καὶ
» ἐπαγγέλλεσθαι ἀγαμίαν. Non solum autem
» in monachis tacita professio censetur, sed
» etiam in Diaconis, & hypodiaconis. Qui
» enim sacris initiandi sunt, si prius non
» contestentur, se non posse virginitatem
» servare, & ante impositionem manuum
» sibi in domum uxores recipiant, non pos-
sunt post ordinationem nuptias eligere: vi- «
dentur enim tacite continentiam profiteri. «
Sic ille. At hæc plane destruunt, quæ Basilius in canone tradit.

Igitur dicendum est, verba Concilij hunc habere sensum: si qui id silentio cum præteriissent, & ita se permansuros recepissent, hoc est: si nihil dicentes de ducenda uxore suo silentio consenserunt, se observaturos legem Ecclesiasticam de servando cœlibatu, &c. idque convenit etiam cum verbis sancti Epiphanij, qui presbyteros in sacerdotio procreantes liberos ait fecisse non secundum canonem Ecclesiasticum, quasi lege Ecclesiastica eo tempore vetarentur generare filios, non autem voto.

Verum quoniam (ut paulo ante diximus) lex Ecclesiastica potest esse ejusmodi, ut etiam sine voto non solum prohibeat matrimonia contrahenda, sed etiam sic contracta irrita faciat; si enim decerneret contractum inter tales personas initum, esse nullum, nulla quoque forent ex tali contractu orta matrimonia; idcirco quærendum est, an hujusmodi sit aliqua lex Ecclesiastica.

Porro in triplici, vel quadruplici differentia reperio leges Ecclesiasticas: quippe nonnullæ tantum vetant, aliæ pœnam etiam infligunt, sed non declarant, ratane sint matrimonia, an invalida. Quædam ita loquuntur, ut eorum firmitatem agnoscant: tandem aliæ nefarias appellant tales nuptias.

Primi generis sunt consequentes canones.
Apostolicus 26. His, qui non ducta uxore, «
ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si «
voluerint, uxores accipiant, sed Lectores «
Cantoresque tantummodo. «

In Constitutionibus Apostolorum apud Clementem Romanum lib. 6. canon. 17.
Episcopum & Presbyterum, ac Diaconum «
ordinari præcipimus, qui sint monogami, «
sive eorum uxores superstites sint, sive «
non; post ordinationem tamen, si uxores «
non habent, præcipimus, ut non liceat «
amplius ducere, aut si antea duxerant, non «
alias in matrimonium accipere. «

Quinisextæ Synodi canon 6. Si quis eo- «
rum, qui ad clerum accedunt, voluerit nu- «

ptiali jure cum muliere copulari, hoc ante ordinem ſubdiaconatus faciat. Vetantur videlicet poſt ſuſceptos majores ordines. ſed quid ſi uxores poſtea duxerint?

Secundi generis canones. Neocæſariani primus. Preſbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine ſuo amoveatur. Ancyrani canon 10. Si poſtea ad nuptias venerint, à miniſterio ceſſare debebunt. Toletani primi canon 4. Subdiaconus defuncta uxore, ſi uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur. Martini Papæ cap. 1. Diaconus d. 27. Diaconus qui eligitur, ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, non poſſe in caſtitate permanere, hic non ordinetur. Quod ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimonium deſideraverit, alienus ſit à miniſterio, & vacet à clero. Concilii Quiniſexti canon 6. Quoniam in Apoſtolicis canonibus dictum eſt, eorum, qui non ducta uxore in clerum promoventur, ſolos Lectores, & Cantores uxorem poſſe ducere: Nos quoque hoc ſervantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel Diacono, vel Preſbytero poſt ſui ordinationem contrahere liceat: ſi autem fuerit hoc auſus facere, deponatur.

Hæc itaque eſt pœna conſtituta contra eos, qui poſt ſacros ordines ad nova conjugia tranſeunt.

Tertii generis canones. Neocæſariani primus. πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι. ἐὰν δὲ πορνεύσῃ, ἢ μοιχεύσῃ, ἐξωθεῖσθαι αὐτὸν τέλεον, καὶ ἄγεσθαι αὐτὸν εἰς μετάνοιαν. Preſbyter ſi uxorem duxerit, ab ordine ſuo illum deponi: quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, extra Eccleſiam penitus expelli, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.

Obſervandum eſt diſcrimen, quod ponit Concilium inter ducere uxorem, & fornicari, vel adulterari. Quod ſane nullum eſſet, ſi nuptias poſt ſacros ordines exiſtimaſſet Concilium non eſſe ratas: eſſent enim hac ratione illæ quoque fornicatio, & eadem pœna punirentur.

Quocirca Matthæus Blaſtarius in ſuo nomocanone Littera Γ hunc canonem ſic exponit. ὁ πρῶτος τῆς ἐν Νεοκαισαρείᾳ, τὸν δῆθεν νομίμως γυναικὶ συναφθέντα πρεσβύτερον τῆς ἱερωσύνης ἀπογυμνοῖ. Primus canon Neocæſariani Concilii Preſbyterum legitime ſane cum uxore conjunctum ſacerdotio ſpoliat. Idem Blaſtarius referens 17. canonem Apoſtolicum prohibentem eſſe τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου bigamum, infert, ὥστε παρὰ κανόνας δρῶσι τῶν ἀναγνωστῶν οἱ διγαμήσαντες, καὶ τὴν οἰκείαν τάξιν ἔτι διατηροῦντες. Quare Lectores, qui duas uxores duxerunt, contra canones faciunt proprium gradum adhuc retinentes. Quibus verbis innuit non eſſe diſſolvendum matrimonium, ſed gradum relinquendum.

Syricius in ſuis decretis cap. 11. Quiſquis ſane clericus, aut viduam, aut certe ſecundam conjugem duxerit, omni Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio mox nudetur. Laica ſibi tantum communione conceſſa, quam ita demum poterit poſſidere, ſi nihil poſtea propter quod hanc perdat, admittat.

Videtur Syricius exiſtimare validum eſſe tale matrimonium, ex eo quod concedat clericis uxoratis laicam communionem.

Huic ſimile quid tradit canon ſecundus Concilii Turonici primi, qui ſic habet. Licet à Patribus noſtris è commiſſa auctoritate id fuerit conſtitutum, ut quicumque ſacerdos, vel levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominica abſtineret. Nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſta conſtitutione molientes id decrevimus, ut ſacerdos, vel levita conjugali concupiſcentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non deſinens, ad altiorem gradum non conſcendat. Neque ſacrificia Deo offerre, vel miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantum, ut à communione non efficiantur alieni. Ex hoc ſimiliter canone habemus eo tempore alicubi in Eccleſia etiam Latina fuiſſe legem Eccleſiaſticam, quæ vetaret familiaritatem cum uxore ſub tali pœna, ſed ſine voto. Nam ſacerdotes, qui propriis conjugibus adhærebant, & procreabant liberos, vetat quidem Concilium adminiſtrare ſacramenta, non tamen à communione illos alienat. Atqui ſi votum anteceſſiſſet, vel matrimonia non rata eſſe

Concilium existimasset, non solum eos ad exequendum munus sacerdotii minime aptos judicasset, verum etiam neque ad communionem ulla ratione admisisset, non dissoluto prius matrimonio.

Certe Syricius in epistola prima citata, solius legis mentionem facit, non voti. Sacerdotes, inquit, omnes, atque levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ, & corda nostra mancipemus, & corpora. Postea in eadem epistola hanc legem transgredientibus pœnam subjicit Ecclesiasticam; Noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus seipsi dum obscænis cupiditatibus inhiant, privaverunt.

His consona videtur statuere Concilium Tolet. 1. can. 4. Subdiaconus, inquit, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, vel Lectores, ita ut Evangelium, & Apostolum non legat. Propterea ne qui Ecclesiæ servierit, publicis officiis servire videatur. Qui vero tertiam, quod nec dicendum est, acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos reconciliatos per pœnitentiam, communice.

Innocentius etiam, qui decretum Syricii in epistola secunda refert, modis omnibus ait, eos esse submovendos, qui se non abstinent à procreatione liberorum. *Si*, inquit, ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ ab Episcopo Syricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittitur, ita ut de cætero penitus incipiant abstinere, & ita gradus, in quibus inventi fuerint, sic retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere. Quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum quem retinent, non amittunt: si qui autem scisse formam vivendi missam à Syricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecerunt, illi sunt modis omnibus submovendi; quia post admonitionem cognitam, præponendam arbitrari sunt voluptatem.

Postremi generis canones. Quinisextæ Synodi canon 26. πρεσβύτερον, τὸν κατ᾽ ἄγνοιαν ἀθέσμῳ περιπαρέντα, καθέδρας μὲν μετέχειν κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ ἱεροῦ κανόνος ἡμῖν νομοθετηθέντα, τῶν δὲ λοιπῶν ἐνεργειῶν ἐπέχεσθαι· ἀρκετὸν γὰρ τῷ τοιούτῳ ἡ συγγνώμη. εὐλογεῖν δὲ ἕτερον τὸν τὰ οἰκεῖα τημελεῖν ὀφείλοντα τραύματα, ἀνακόλουθον. εὐλογία γὰρ ἁγιασμοῦ μετάδοσίς ἐστιν. ὁ δὲ τοῦτον μὴ ἔχων διὰ τὸ τῆς ἀγνοίας παράπτωμα, πῶς ἑτέρῳ μεταδώσει; μήτε τοίνυν δημοσίᾳ, μήτε ἰδίᾳ εὐλογείτω, μήτε τὸ σῶμα Χριστοῦ κατανεμέτω ἑτέροις, μήτε τι ἄλλο λειτουργείτω. ἀλλ᾽ ἀρκούμενος τῇ προεδρείᾳ προσκλαιέτω τῷ Κυρίῳ συγχωρηθῆναι αὐτῷ τὸ ἐκ τῆς ἀγνοίας παράπτωμα. πρόδηλον γὰρ ὡς ὁ τοιοῦτος ἄθεσμος γάμος διαλυθήσεται, καὶ οὐδαμῶς ὁ ἀνὴρ μετουσίαν ἕξει πρὸς τὴν δι᾽ ἣν τῆς ἱερᾶς ἐνεργείας ἐστέρηται. Presbyterum, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, oportere esse quidem cathedræ participem juxta ea, quæ à sacro canone nobis sancita sunt, à reliquis tamen functionibus abstinere præcipimus. Ei enim sufficit venia: ut is autem aliis benedicat, qui sua debet curare vulnera, non est consentaneum: benedictio enim sanctificationis est communicatio: qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publice, nec privatim benedicat. Neque Christi corpus aliis impertiat: nec aliquod aliud sacrum ministerium obeat, sed quod præsideat contentus, Christo defleat, ut sibi ignorantiæ peccatum condonetur. Manifestum autem est, quod hujusmodi illegitimæ nuptiæ solventur, & nullatenus vir accessum habebit ad eam, propter quam sacro ministerio privatus est.

Præsentem canonem Gratianus dist. 31. in fine, & glossa in expositione hujus canonis, de secundis nuptiis interpretantur. Quod autem (inquit Gratianus in canone 26. Synodi) Presbyter non legitimis nuptiis detentus, punitur; non legales nuptiæ, secundæ intelligendæ sunt à quibus auctoritate canonica sacerdos quilibet debet esse immunis. Glossa. Casus. Quidam Presbyter Orientalis mortua sua uxore duxit secundam, cum putaret sibi licere: quæsitum est in sexta Synodo, quid de eo fieri debeat: & respondetur, quod debet privari

omni sacro ministerio, ita quod neque publice, neque privatim benedicat. Quia benedictionem non habet propter delictum suum, sed implorat veniam à Domino de suo delicto, honorem tamen suæ cathedræ per dispensationem tenebit. Ibidem, non legalibus, potest intelligi de eo, qui contraxit secundas nuptias per ignorantiam hujus canonis.

Has igitur secundas nuptias (dato canonem sic debere intelligi) tanquam illicitas, & nefarias dissolvendas esse Concilium disserte statuit.

Quod autem de secundis nuptiis Patres illi loquantur, videtur posse colligi ex iis potissimum verbis, κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ ἱεροῦ κανόνος ἡμῖν νομοθετηθέντα. Secundum ea, quæ à sacro canone nobis sancita sunt. Sed hoc iisdem fere verbis sanxerunt in tertio canone, ubi digamos Presbyteros deponunt ab officio, relicto ipsis honore cathedræ.

Nihilominus existimo præsentem canonem non in eum sensum esse accipiendum: quippe Patates illi actum agerent. At non erat causa, cur novum canonem de eadem re condere debuissent. Illis vero verbis, κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ ἱεροῦ κανόνος ἡμῖν νομοθετηθέντα, Basilianum canonem commemorant, qui est 27. in epistolis ad Amphilochium, ut recte exponit Zonaras. Hunc enim ad verbum transcripserunt paucis mutatis, & omissis usque ad illud, πρόδηλον γὰρ manifestum autem, &c. Ac Basilii tempore, ut in præcedenti quæstione disseruimus, nedum secunda, sed ne prima quidem uxore uti Presbyteris licitum erat, adeo ut nullam ignorantiam prætexere potuerint.

Proinde canonistæ Græcorum (quorum expositionem hac in re libenter amplector) per ἄθεσμον γάμον nuptias intelligunt, μετὰ συγγενοῦς, cum sanguinea. ἢ μετὰ μοναστρίας ἀρνησαμένης τὸ σχῆμα, μὴ εἰδότος τοῦτο τοῦ ταύτην εἰσοικισαμένου, καὶ ἕτερα ὅμοια. Vel cum Moniali, quæ habitum à se rejecerit, nesciente id, qui eam in domum receperit, aliaque id genus. Quare sensus præsentis canonis est: si quis, antequam promoveretur ad sacros ordines, matrimonium contraxisset cum sanguinea, idque per ignorantiam, quamvis postea factus sacerdos alienus fuerit à consuetudine uxoris, sive quia illa è vita excesserit, sive quia per illius consensum iste sacerdos evaserit, si tamen deprehendatur vetitam personam olim duxisse, in pœnam peccati cessat ab exequutione ordinum, retento honore cathedræ. ubi Basilius per ignorantiam intelligit crassam invincibilem. Similis huic canoni est 9. can. Neocæsariani Concilii, ubi de Presbytero, qui ante initiationem corpore peccaverit, hoc est, μέχρι μίξεως σαρκικῆς. usque ad carnalem copulam accesserit, aiunt eum non debere quidem offerre sacrificia, sed manere nihilominus in honore sacerdotali, διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν, ob reliquum ejus virtutis studium.

Basilius autem nihil dicit de his nuptiis, sint-ne dissolvendæ necne: sive quia poterat uxor mortem obiisse, sive quia suo tempore nedum illicitæ, sed etiam honestæ nuptiæ ante sacros ordines contractæ, per mutuum conjugum consensum post susceptum sacerdotium suo modo dissolvebantur, & procreandis liberis minime dabatur opera. Quocirca neque Basilius solicitus fuit de hac re monenda. At Patres Quinisextiani, quandoquidem conjugii usum in sacerdotio permiserant, merito etiam tales nuptias dirimendas esse docuerunt.

Hoc itaque relicto canone, videndum est quo alio potissimum damnentur secunda vel prima post susceptos ordines Presbyterorum Græcorum conjugia.

Imperator Justinianus cognomento ῥινότμητος, naribus mutilatus, quæsivit à Synodo Quinisexta, ut habetur in ejus tertio canone, ut expurgaret probra inusta clericis, ἐξ ἀθέσμων γάμων, ex nefariis nuptiis. Qui sane clerici non deseruerant munus Ecclesiasticum. Cumque alii proponerent sequendam esse exactam, & austeram regulam Romanæ Ecclesię, alii mitiorem Constantinopolitanę, Patres illi aiunt se velle mediam viam progredi: quod est dicere, neque velle Presbyteros cogere esse agamos, sicut observat Romana Ecclesia, neque velle admittere digamos, ut ex benignitate, atque commiseratione tolerabat Constantinopolitana, statimque variis censuris subjiciunt clericos illicitis nuptiis implicatos. Et quidem primo loco digamos, deinde eos, qui vel

ante ordines cum vidua, vel post sacros ordines cum virgine contraxissent.

Digamos bifariam dividunt, atque aiunt eos, qui ante quoddam certum tempus ab illis statutum non resipuerint, esse juxta canones deponendos (quorum matrimonia, postquam fuerint depositi, rata ne sint an non, haud declarant) eos vero, qui ante illud tempus à se malum abjecerint, & remanserint agami, dissoluto matrimonio, atque imposita pœnitentia, debere quidem cessare ad tempus à ministerio, sed rursus ad pristinam dignitatem restituendos. Et idem plane decernunt de iis, qui vel ante ordines cum vidua, vel post ordines cum virgine contraxissent, præcisa spe ascendendi ad altiores gradus.

Et quoniam relinquere in ministerio digamum, vel qui viduam duxisset, erat contra veteres canones, qui illos ab officio deponebant, ipsi hoc animadvertentes brevissimum tempus ex indulgentia statuunt resipiscentibus, decernentes in posterum antiquos canones cum suo robore manere oportere. Sic igitur habet eorum tertius canon. Ἐπειδὴ ὁ εὐσεβὴς καὶ φιλόχριστος ἡμῶν βασιλεὺς τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ, καὶ οἰκουμενικῇ προσεφώνησε συνόδῳ, ὥστε τοὺς ἐν κλήρῳ καταλεγομένους, καὶ ἄλλοις τὰ θεῖα διαπορθμεύοντας, καθαροὺς ὑποφῆναι καὶ λειτουργοὺς ἀμώμους, καὶ τῆς νοερᾶς τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ θύματος καὶ ἀρχιερέως θυσίας ἀξίους. ἀνακαθᾶραί τε τὰ ἐκ τῶν ἀθέσμων γάμων τούτοις ἐπιτεθέντα μύση. πρὸς τοῦτο δὲ τῶν μὲν τῆς Ρωμαίων ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τὸν τῆς ἀκριβείας τηρηθέντα κανόνα προτιθεμένων, τῶν δὲ ὑπὸ τὸν τῆς Θεοφυλάκτου ταύτης, καὶ Βασιλίδος πόλεως θρόνον, τὸν τῆς φιλανθρωπίας, καὶ συμπαθείας, εἰς ἓν ἀμφότερα μίξαντες πατρικῶς ὁμοῦ, καὶ θεοφιλῶς, ὡς μήτε τὸ πρᾶον ἔκλυτον, μήτε στύφον τὸ αὐστηρὸν καταλείψοιμεν, καὶ μάλιστα τοῦ ἐκ τῆς ἀγνοίας πτώματος εἰς οὐκ ὀλίγον ἀνδρῶν πλῆθος διήκοντος, συνορῶμεν, ὥστε τοὺς μὲν δισὶ γάμοις περιπαρέντας, καὶ μέχρι τῆς δεκάτης πέμπτης τοῦ διελθόντος Ἰανουαρίου μηνὸς τῆς παρελθούσης ἰνδικτιῶνος ἔτους ἑξακισχιλιοστοῦ ἑκατοστοῦ ἐνάτου δουλωθέντας τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ μὴ ἐκνῆψαι ταύτης προελομένους, καθαιρέσει κανονικῇ ὑποβαλεῖν. τοὺς δὲ τῷ τοιούτῳ μὲν τῆς διγαμίας πάθει περιπεσόντας, πρὸ δὲ τῆς ἡμῶν ἐπισκέψεως τὸ συμφέρον ἐπεγνωκότας, καὶ τὸ κακὸν ἐξ ἑαυτῶν περικόψαντας, καὶ πόρρω τὴν ξένην ταύτην, καὶ νόθον συμπλοκὴν ἐκδιώξαντας. ἢ καὶ ὧν αἱ κατὰ δεύτερον γάμον γυναῖκες ἤδη τετελευτήκασιν. ἢ καὶ αὐτοὶ πρὸς ἐπιστροφὴν εἶδον μεταμαθόντες τὴν σωφροσύνην, καὶ τῶν πρώην αὐτοῖς παρανομηθέντων ταχέως ἐπιλαθόμενοι, εἴ τε πρεσβύτεροι, εἴ τε διάκονοι ὄντες τυγχάνοιεν, τούτους ἔδοξε πεπαῦσθαι μὲν πάσης ἱερατικῆς λειτουργίας, ἤτοι ἐνεργείας ἤδη ἐπὶ ῥητόν τινα χρόνον ἐπιτιμηθέντας, τῆς δὲ τιμῆς κατὰ τὴν καθέδραν καὶ στάσιν μετέχειν, ἀρκουμένους τῇ προεδρείᾳ καὶ προσκλαίοντας τῷ κυρίῳ συγχωρηθῆναι αὐτοῖς τὸ ἐκ τῆς ἀγνοίας ἀνόμημα. εὐλογεῖν γὰρ ἕτερον τὸν τὰ οἰκεῖα θημελεῖν ὀφείλοντα τραύματα ἀνακόλουθον· τοὺς δὲ γαμετῇ μὲν μιᾷ συναφθέντας, χήρα δὲ ἡ προσληφθεῖσα ἐτύγχανεν, ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς μετὰ τὴν χειροτονίαν γάμῳ ἑνὶ παρανόμῳ προσομιλήσαντας, τουτέστι πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους, καὶ ὑποδιακόνους, ἤδη ἐπὶ βραχύν τινα χρόνον εἰρχθέντας τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, καὶ ἐπιτιμηθέντας αὖθις αὐτοὺς ἐν τοῖς οἰκείοις ἀποκαταστῆναι βαθμοῖς· προδήλως διαλυθέντος αὐτοῖς τοῦ ἀθέσμου συνοικεσίου. ταῦτα δὲ καὶ ἐπὶ τοῖς καταληφθεῖσι μέχρι τῆς δεκάτης πέμπτης ὡς εἴρηται τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς τῆς ἰνδικτιῶνος ἐν τοῖς προδηλωθεῖσι πταίσμασι, καὶ μόνον ἐρρῶσθαι ἐτυπώσαμεν. ὁρίζοντες ἀπὸ τοῦ παρόντος καὶ ἀνανεούμενοι τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τὸν δυσὶ γάμοις συμπλακέντα μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενον μὴ δύνασθαι εἶναι ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. ὡσαύτως καὶ τὴν χήραν λαβόντα, ἢ ἐκβεβλημένην, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτην, ἢ τῶν ἐπὶ σκηνῆς μὴ δύνασθαι εἶναι ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Quoniam pius Christique amator Imperator noster in hac sancta & Oecumenica Synodo verba faciens eam adhortatus est, ut in clerum relatos, aliisque divina conferentes puros, & immaculatos ministros, ac rationabili sacrificio magni Dei (qui & sacrificium, & Pontifex est) dignos ostenderet; utque probra, ac dedecora ipsis ex nefariis nuptiis inusta expurgaret. Ad hoc autem præstandum, cum alij canonem rigoris in sanctissima Romana Ecclesia observatum, alij vero, qui sunt sub throno hujus à Deo custoditæ, ac Regiæ Urbis, canonem humanitatis, & misericordiæ proponant. Nos utrisque paterne simul, & religiose mixtis, ut neque quod est mite dissolutum, neque quod est austerum, asperum relinquamus, præsertim lapsu ex ignorantia in non exiguam hominum multitudinem pervadente,

dente, simul decernimus; ut qui duobus matrimoniis implicati fuere, & usque ad decimamquintam elapsi mensis Januarij præteritæ indictionis anni sexies millesimi centesimi noni peccato servierunt, nec ab eo resipiscere voluerunt, depositioni canonicæ subjaceant. In hujusmodi vero peccatum digamiæ lapsos, si ante nostrum decretum id quod expedit agnoverint, & malum à se absciderint, & hunc peregrinum complexum, & adulterinam copulam procul abegerint, vel copulatæ ipsis secundis nuptiis uxores jam obierint, vel ipsi etiam postmodum temperantiam edocti ad conversionem respexerint, & priorum suarum iniquitatum illico obliti fuerint, placuit, sive sint Presbyteri, sive Diaconi, eos ab omni sacerdotali ministerio, sive exercitio jam cessare, ad certum aliquod tempus punitos, honorem tamen cathedræ & stationis participare, prærogativa sedis contentos, & cum fletu à Domino postulantes, ut eis condonetur peccatum ignorantiæ. Neque enim convenit, ut is alteri benedicat, qui debet propria curare vulnera. Uni vero uxori copulatos, viduæ nimirum, similiter & post ordinationem uni nefario matrimonio junctos, Presbyteros videlicet, Diaconos, & Subdiaconos ad breve aliquod tempus à sacro ministerio remotos, & punitos, ad proprios iterum gradus restitui, ac eorum nefario manifestè dissoluto conjugio, neutiquam ad altiorem aliquem gradum promoveri. Hæc autem in iis, qui deprehensi sunt in delictis supra expositis usque ad decimam quintam, ut dictum est, mensis Januarij indictionis solum valere statuimus. Ex nunc definientes, & renovantes canonem, qui dicit, eum, qui duobus matrimoniis post baptismum copulatus fuerit, vel concubinam habuerit, non posse esse Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel omnino ex sacerdotali catalogo. Similiter & qui viduam accepit vel rejectam, vel meretricem, vel servam, vel histrionicæ addictam, non posse esse Episcopum, vel Diaconum, vel omnino ex sacerdotali catalogo. Sic illi.

Ubi notandum est, eos de novo non condere legem, ut talia matrimonia in posterum nulla sint, sed ut ipsi opinabantur quia mala essent ἄθεσμα, παράνομα, ξένη, καὶ νόθος συμπλοκή, illegitima, nefaria, peregrina, & inusitata, ideo aiunt esse dissolvenda. Unde videntur ipsi hoc sensu intellexisse antiquos canones. Nimirum eos, quamvis presbyteris post susceptos ordines uxorem ducentibus nullam aliam pœnam irrogent, quam ab officio depositionem, tamen matrimonia hujusmodi utpote illegitima non admisisse.

Quocirca de mente horum Patrum minime dubitandum est, quin ea fuerit, declarare antiquos canones, atque ut ipsi eos intellexerunt, exponere secunda conjugia Presbyterorum, & etiam prima suscepta post sacros ordines, tamquam illicita, & nefaria, esse plane irrita, & nulla, & per consequens dissolvenda.

An vero Patres Quinisextiani assequuti fuerint mentem, & intelligentiam rectam veterum canonum, non sine ratione ambigo. Nam hic quærere possumus, an hujusmodi conjugia damnaverint tamquam mala, an conditionate, si conjungantur cum exercitio sacrorum ordinum, an alia ratione. Primo modo damnari potuissent, si intercessisset votum: tum enim propter votum antecedens censerentur mala, & minime rata, quæ subsequerentur matrimonia. Et hic modus non videtur habere locum apud Græcos, qui secundum Basilium non agnoscunt in Presbyteris votum. Si quis tamen Presbyter Grecus nolens ducere uxorem ante sacros ordines ederet votum, certo certius est, quod nulla postea forent matrimonia. Secundo modo haberi possent mala & non mala, seu rata, & non rata adhibita conditione: rata quidem, si cessaret munus sacri ordinis, & ministerium; non rata, si non cessaret officium. Quippe potest Ecclesia hujusmodi legem condere, qua sanciat contractus esse firmos, si fiant cum personis ministeria Ecclesiastica deserentibus, & nullos, si fiant cum personis in ministerio persistentibus. At neque hoc modo potuerunt Quinisextiani Patres ea damnare: nullus enim canon antiquus extat ejusmodi, unde hoc colligere possimus. Neque ipsi talem canonem condiderunt, immo ex veteribus canonibus illud certum, & exploratum habemus,

digamos non posse amplius in ministerio permanere, sed deponi debere. Alio autem modo potuisse damnari, non video nisi propter legem Ecclesiasticam. At legem canonicam violantes consequitur pœna, non manendi amplius in officio. Alioquin matrimonia fuisse valida probant, exempla tertij generis canonum jam recensita.

Instat hoc loco doctissimus vir Caryophi-
» lus, qui oppositam tuetur sententiam: Non
» enim, inquit, valet dicere in canonibus de-
» poni solum eos, qui contraxerint, non ta-
» men declarari matrimonia nulla. Nam hæc
» eadem Synodus Trullana can. 12. jubet ut
» Episcopi non cohabitent cum uxoribus, Secus, inquit, deponantur. Nec tamen ex eo, quod non alia, quam depositionis pœna irrogatur, ritus Græcus admisit umquam, ut Episcopi depositi cum uxoribus degant. Similiter 44. canone statuit eadem Synodus Trullana, ut Monachus contrahens subjaceat fornicariorum pœnis. Nec dicit tale matrimonium esse nullum. Nullus tamen Monachus apud Græcos toleratur, qui uxorem habeat.

Præterea argumento à minori sic probatur. Basilius Magnus can. 4. & 50. trigamiam asserit non fieri secundum leges, sed esse labem Ecclesiæ, & non matrimonium, sed polygamiam, immo fornicationem diminutam, ubi etiam bigamos ait segregari per annum, aut duos annos, & trigamiam publicis non subjici pœnis, ut effusa fornicatione tolerabiliorem. Si ergo ritus Græcus vix permittit laicis bigamiam, tantaque cum repugnantia trigamiam, nec plus ultra, quis credat, sacerdotibus fuisse concessam plusquam monogamiam?

Denique ex ipsa Græcorum consuetudine constat, verum hoc esse. Nam ubi major ritus Græci viget observantia, non modo sacerdotes vidui, sed neque viduæ sacerdotum uxores ad secunda vota transeunt.

Verum ad hæc respondere (pace tanti viri) non est onerosum, ac de Episcopis distinguendum est. Vel enim erant Monachi cum eveherentur ad dignitatem Episcopalem, ut sunt modo apud Græcos, qui fiunt Episcopi, vel sæculares. Si Monachi, intelligebantur emisisse votum saltem implicitum, ut ait Basilius. Proinde de re clara non erat cur Concilium aliquid expresse statueret. Si sæculares, iterum distinguendum est. Etenim vel eorum uxores emittebant votum (siquidem tenebantur Episcopi eas collocare in Monasterio, ut clare constat ex 48. canone Synodi Trullanæ, propterea quod etiam per consensum illarum evaderent Episcopi) & tunc eos assero quamvis depositos, non potuisse degere cum uxoribus, propter votum factum non à se, sed à suis uxoribus. Vel eorum conjuges non se obstringebant voto, & tunc Episcopi, si voluissent habitare cum uxoribus, poterant quidem, sed pontificia dignitate privabantur.

Sic igitur rem totam dilucide declaratam habes per quandam novellam Isaacij Angeli Imperatoris, quæ non mere civilis, sed etiam canonica est: cum ea edita sit præsentibus, & efflagitantibus Græcorum Patriarchis, & Pontificibus contra nonnullos Episcopos, qui retinebant uxores. Quæ quia multum ad rem præsentem facit, hic eam inserere operæ pretium esse duxi.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΑΠΟΚΕΙΡΕΣΤΑΙ ΤΑΣ τῶν ὑποψηφίων ἀρχιερέων γυναῖκας. ἀπολυθὲν μετὰ τὴν κ'. τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς, ἡμέρᾳ τετάρτῃ ἐπινεμήσεως πέμπτης.

Η Εννομος τοῦ Βασιλέως ἀπόφασις, οὐκ ἀκίνδυνος τοῖς παρανόμοις φανήσεται. ὡς γὰρ ὄμφακες ὀδοῦσι, καὶ καπνὸς ὄμμασι βλαβερὸν, οὕτω καὶ παρανομίαις τοῖς χρωμένοις αὐτῇ. πρὸς τί δέ μοι καὶ ἀφορᾷ τὸ τοῦ λόγου προαύλιον; Ο ἱερώτατος μητροπολίτης Κυζίκου καὶ τὴν σήμερον εὑρίσκων τὴν βασιλείαν μου, θεμιστεύουσαν, συνεδριαζόντων αὐτῇ τοῦ τε ἁγιωτάτου μου δεσπότου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, καὶ ἑτέρων ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, τοῦ Θεουπόλεως Ἀντιοχείας, καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων, μὴ δὲ τῶν ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει ἐνδημούντων ἱερωτάτων ἀρχιερέων ἀπολιμπανομένων. ὧν τὸ προσόνομα διαληφθήσεται κάτωθεν, προέθετο. ὅτι τινὲς τῶν εἰς μητροπόλεις, ἢ ἀρχιεπισκοπὰς ψηφισθέντων, καὶ χειροτονουμένων, πρὸ τῆς χειροτονίας ἔχοντες γαμετὰς, αὐτοὶ μὲν τὸ καταξιωθῆναι τοῦ χρίσματος τῆς ἀρχιερωσύνης οὐκ ἀπηνήναντο, αἱ δὲ σύνοικοι τούτων τὸν αὐτὸν καὶ πάλιν κοσμικώτερον σχηματισμὸν ἀμφιέννυνται, ἀνυποστόλως ταῖς οἰκίαις ἐνδιατρίβουσαι, ἐν οἷς κατῴκουν τὸ πρότερον, καὶ οὔτε

γυναικείοις μοναστηρίοις εἰσήχθησαν, ἀλλ' οὐδὲ τῷ Θεῷ ἑαυτὰς ἀφιέρωσαν, καὶ τὸν μονήρη βίον ἠσπάσαντο. καὶ ταῦτα τῶν ἱερῶν καὶ θείων κανόνων ῥητῶς ἐγκελευομένων, τοὺς χειροτονηθέντας ἀρχιερεῖς ἐκ παντὸς τρόπου τῶν πρὸ τῆς χειροτονίας συζευχθεισῶν αὐτοῖς ἀπέχεσθαι νομίμων γαμετῶν. ὅτι μὴ δὲ ἐπιτάγματος, ἀλλ' αὐθαιρέτῳ γνώμῃ ἕκαστον τῶν τοιούτων προσώπων εἰς ἐκκλησίαν ψηφισθὲν, ἢ τὴν ἀποχὴν καὶ τὸ ἀγάμετον οἰκειώσαιτ' ἂν διὰ τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξίωμα, ἢ τὴν ἀμίαντον συνάφειαν, διὰ τὸ τοῦ γάμου προέλοιτο τίμιον. Καὶ ταῦτα λέγων καὶ κανόνων διαφόρων ἐμέμνητο, ὧν καὶ εἷς ὁ τεσσαρακοστὸς ὄγδοος ἦν τῆς ἕκτης συνόδου, ταυτὶ κατὰ ῥῆμα διαλαμβάνων. ἡ τοῦ πρὸς ἐπισκοπῆς προεδρείαν ἀναγομένου γυνὴ, κατὰ κοινὴν συμφωνίαν τοῦ ἰδίου ἀνδρὸς προδιαζευχθεῖσα, μετὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονίαν ἐν μοναστηρίῳ εἰσίτω πόῤῥω τῆς τοῦ ἐπισκόπου καταγωγῆς ᾠκοδομημένῳ, καὶ τῆς τοῦ ἐπισκόπου προνοίας ἀπολαυέτω. εἰ δὲ καὶ ἀξία φανείη, καὶ πρὸς τὸ τῆς διακονίας ἀναβιβαζέσθω ἀξίωμα. ἀναγνωσθέντος οὖν τοῦ τοιούτου κανόνος, ἡ βασιλεία μου μέγιστα τὰ ἐν τοῖς ἀνθρώποις δῶρα Θεοῦ παρὰ τῆς ἄνωθεν φιλανθρωπίας γινώσκουσα, καὶ τὸ τῆς βασιλείας, καὶ τὸ τῆς ἱερωσύνης θεόσδοτον χρίσμα καὶ ἀξίωμα ἐκ μιᾶς τῆς αὐτῆς ἀενάου πηγῆς ἑκάτερα προϊόντα καὶ τὸν ἀνθρώπινον βίον κατακοσμοῦντά τε καὶ παίνοντας, καὶ μηδὲν οὕτω περισπούδαστον ἔχουσα, ὡς τὴν τῶν ἱερέων σεμνότητα, οἵτινες χεῖρας ἐγκαταστάντες τῷ βασιλείῳ καὶ θείᾳ περιωπῇ, ὑπὲρ παντὸς τοῦ φιλοχρίστου πληρώματος τὸν Θεὸν ἱκετεύουσι, καὶ ὡς ἱεραί τινες ἄγκυραι τὸ τῆς βασιλικῆς ἐπικρατείας ἐρείδουσιν, ἐπεὶ καὶ μάθοι τοὺς κανόνας παραθεωρεῖσθαι, καὶ παραθραύεσθαι ἐπὶ τῆς εὐνομίας, καὶ ταῦτα τοῦ κράτους ἡμῶν, ὡς καὶ ἔτι μὴ διαζευχθέντων τῶν χειροτονηθέντων ἀρχιερέων, ἀλλὰ καὶ συνοικεῖν ἀνεχομένων ταῖς αὐτῶν γαμεταῖς, οὐ μικρῶς ἔπαθε τὴν ψυχήν. ταῦτά τοι καὶ συνόντι καὶ ἀγχοῦ τῷ θεοφιλεστάτῳ χαρτοφύλακι προσβλεψαμένη ἡ βασιλεία μου, παρ' αὐτὰ διωρίσατο, προτρεψαμένων τοῦτο καὶ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, ἐν γυναικείοις μοναστηρίοις ἀνυπερθέτως εἰσαγαγεῖν τὰς πρὸ τῆς χειροτονίας συναφθείσας γαμετὰς τοῖς χειροτονηθεῖσιν ἀρχιερεῦσι, πόῤῥω τῆς τῶν ἀρχιερέων ᾠκοδομημένοις καταμονῆς, καὶ ἀποκείρεσθαι ταύτας, καὶ κανονικῶς μετὰ μοναχαῖς διάγειν ἑκάστην αὐτῶν ἐν ᾗ, καὶ τὴν τρίχα ἀπέθετο. ἢ μὴ βουλομένων γυναικῶν ἑκουσίως τὴν ἀπόκαρσιν δέξασθαι, τοὺς πρὸ τῆς χειροτονίας συναφθέντας αὐταῖς ἀπογεγυμνωμένους εἶναι τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου καὶ ἀξιώματος. καὶ ἑτέρους ἀντ' αὐτῶν ἐπὶ ταῖς λαχούσαις αὐτοὺς ψηφίζεσθαι. καὶ τὸ ἀπὸ τοῦδε μὴ ἄλλως χειροτονεῖσθαι τὸν πρὸ τῆς χειροτονίας νόμιμον ἔχοντα γαμετὴν, εἰ μὴ διαζευχθεῖεν ἑκάτεροι, κατὰ κοινὴν τῶν συνευνῶν ἔγγραφον συμφωνίαν τε καὶ ἀρέσκειαν, καὶ ἡ γυνὴ τὸν μονήρη βίον ἀσπάσηται. Καὶ οὕτω τὰ τῆς χειροτονίας προβαίνειν κατὰ τοὺς ἱεροὺς, καὶ θείους κανόνας ἀσκανδάλιστα καὶ ἀπρόσκοπα, καὶ μώμου παντὸς ἀπεξενωμένα τῆς ἱερατικῆς καταστάσεως. ἦσαν δὲ τῷ βήματι τῆς βασιλείας μου ἐπὶ τούτοις συνεδριάζοντες ἀρχιερεῖς ὁ Καισαρείας, ὁ Ἐφέσου, ὁ Κυζίκου, καὶ ἕτεροι οὐκ ὀλίγοι.

UT TONDEANTUR ELECTORUM Pontificum uxores. publicatum die xx. mensis Septembris feria quarta, indictione quinta.

Legitima Imperatoris sententia non sine discrimine delinquentibus palam fiet. Ut enim dentibus acerba vua, oculis fumus nocet, sic iniquitas ea utentibus. Quorsum vero mihi hoc orationis spectat præludium? sacratissimus Cyzici Metropolita cum hodierno quoque die majestatem meam invenisset, jura reddentem adsidentibus sanctissimo Domino meo Oecumenico Patriarcha, & aliis sanctissimis Patriarchis, Antiocheno videlicet, & Hierosolymitano, nec abessent in Urbe regia degentes sacratissimi Pontifices (quorum nomina inferius continebuntur) proposuit quosdam ad Metropoles, & Archiepiscopatus electos ordinatosque, cum uxores ante ordinationem habuerint, non recusasse Pontificali chrismate decorari, eorum tamen uxores eundem rursus mundanum habitum indutas inverecunde in iis ædibus agere, quas antea incolebāt, nec ad fœminea introductas esse Monasteria sed nec Deo seipsas dedicasse, aut vitam delegisse monasticam. Præsertim cum sacri, divinique Canones expresse jubeāt, ordinatos Pōtifices à legitimis suis uxoribus, quas ante ordinationem habebant, omni modo abstinere. Siquidem quælibet hujusmodi personæ, quæ non ex præcepto sed sponte ad aliquam Ecclesiam eliguntur, vel continentiam, & cœlibatum propter dignitatem Pontificatus sibi vendicare, vel conjunctionem immaculatam propter matrimonij hone-

statem sibi debent eligere. Et hæc dicens varios Canones allegabat, inter quos & quadragesimus octavus erat sextæ Synodi, hæc ad verbum comprehendens. Uxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promovetur communi consensu à viro suo prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, Monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconissæ dignitatem promoveatur. Lecto igitur hoc Canone Imperium meum maxima Dei dona hominibus collata à superna clementia agnoscens, necnon Regni ac Sacerdotij divinitus concessam unctionem, dignitatemque ex uno eodemque perenni fonte manare, humanamque exornare vitam, & amplificare, nihil etiam studiosius colens, quam Sacerdotum honestatem (qui in regia, & divina specula manuum officio fungentes Deum pro universa multitudine deprecantur, & ut sacræ quædam ancoræ Imperialem potentiam suffulciunt) postquam Canones contemni, & infringi cognovisset, idque in optimo regimine nostri Imperii, eo quod creati Pontifices nondum disjuncti sint, sed & cohabitare cum suis uxoribus sustineant, non parum commotum est. Quapropter tristibus molestisque oculis amabilissimum Deo chartophylacem mea intuens Majestas, statim decrevit, cohortantibus ad id etiam sanctissimis Patriarchis, ut uxores, quæ ante ordinationem conjunctæ erant creatis Pontificibus, in muliebria Monasteria procul sita ab habitatione Pontificum sine dilatione inducantur, tondeanturque, & Canonice apud Monachas degant, in quo Monasterio comam deposuerint, aut si ipsæ tonsuram recusent, qui eis ante ordinationem juncti erant matrimonio, Pontificali solio, & dignitate priventur, & in eorum locum alii sufficiantur. In posterum autem qui ante ordinationem legitimam uxorem habuerit, non aliter ordinetur, nisi communi conjugum scripto consensu, & placito à se invicem separentur, & mulier solitariam vitam amplectatur. Atque hac ratione ordinatio sine offendiculo, & damno juxta sacros, & divinos Canones procedat, semota omni Sacerdotalis ordinis reprehensione. Adsidebant autem ad meæ Majestatis tribunal, cum hæc sancirentur, Pontifices Cæsareæ, Ephesi, Cyzici, & alii non pauci.

Hoc igitur decretum partim politicum, partim Ecclesiasticum soluit totam difficultatem, & ad primam objectionem satis responsum est.

Exemplum vero Monachorum potius facit pro nobis. Propterea enim eos pœnis fornicariorum subjiciebant, quod eorum matrimonia nulla essent. Idque propter eorum votum sive expressum, sive tacitum. Cum igitur non vera & legitima essent matrimonia, sed fornicationes, merito fornicariorum subibant pœnas. At Sacerdotes Græcorum bigami, relicto munere sacerdotii, nunquam pœnas fornicariorum sustinuerunt. Immo post susceptos ordines matrimonia ex sententia Concilii Neocæsariani Canone primo à fornicationibus & adulteriis secernuntur, ut antea notavimus.

Quod autem non sit verisimile ritum Græcum permisisse Presbyteris digamiam, cum eam non sine aliqua pœnitentia laïcis concedat. Ita prorsus est, hoc sensu. Non enim digamus admittitur ad sacerdotium, & si postea digamus fiat, omnino sacerdotio spoliatur, & in sortem laïcorum redigitur, quibus profecto digamia, immo & trigamia secundum Græcos non interdicitur.

At quod alicubi nonnullæ sacerdotum uxores viduæ ad secunda vota minime transeant, non ritus, sed virtutis est. Ut etiam non desunt sæcularium uxores viduæ, quæ secundas nuptias respuant, & pro paucis illis innumeræ aliæ transeunt.

Præterea Patres Trullani in hoc suo tertio Canone ita loquuntur de presbyteris digamis, ut non obscure indicent eos spectasse ad quandam normam, & regulam φιλανθρωπίας. καὶ συμπαθείας, quam servabat ex indulgentia Constantinopolitana Ecclesia. Non ergo eorum matrimonia erant illegitima. Cur igitur vocant ea παρανόμημα, ἄθεσμα, ἁμαρτίαν, διγαμίας πάθος, κακὸν, aliisque hujusmodi nominibus? Ergo & hunc Canonem, ut nonnullos alios hi Patres non secundum regulas veterum condiderunt, qui digamos tantum ab officio suspendunt, ubi nullum inter-

cedere solet votum. Unde non immerito Zonaras interpres Canonum scripsit: τὰ μὲν τῷ τρίτου κανόνος τούτου ὡς καινὰ καὶ ἐπὶ τοῖς τότε δι' οἰκονομίαν ὁρισθέντα, οὐ μέντοιγε καὶ ἐπὶ τοῖς ἑξῆς κρατεῖν ὀφείλοντα εἰάθησαν. ἃ δὲ κρατεῖν καὶ ἐπὶ τῶν ἐφεξῆς κεκανόνισται, τῶν ἁγίων ἀποστόλων εἰσὶ κανόνες ιζ'. καὶ ιη'. οἷς παραβαινομένοις ἡ σύνοδος αὕτη ἀνενεώσατο. Quæ ad hunc tertium Canonem pertinent, ut quæ pro conditione temporis, & propter tunc existentes per dispensationem definita essent, non tamen & in posterum valitura prætermisimus. Quæ vero apud posteros quoque firma Patres esse voluerunt, Apostolico decimo-septimo, & decimo-octavo Canone continentur, quos passim neglectos hæc Synodus renovavit.

Quid? quod etiam solvunt in hoc Canone matrimonium illius, qui ante sacros ordines viduam duxisset? Atqui validum est, tantum is ob hujusmodi conjugium ad sacros ordines non esset ullo modo promovendus; sin autem esset evectus per fraudem, utique deponendus. At quinisextiani Patres, & illud matrimonium irritum faciunt, & Clericum cum vidua copulatum non deponunt, prorsus contra sacros antiquos Canones omnia facientes.

Qualis est etiam eorum Canon 72. qui invalida efficit matrimonia Catholicorum cum hæreticis. Quæ quidem non laudabiliter fiunt: si tamen contrahantur, utique valent.

At neque est hodie usu receptum in Græcia, quod Trullano Canone statutum est, sed legem Justiniani sequuntur, qua sancitum est, ut Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus post sui ordinationem uxori conjunctus à clericali habitu recedat, & ad vitam laïcam se convertat. Sic hodie faciunt Presbyteri, qui ad secunda transeunt vota.

Et eo magis mirandum est, quod Græci hanc Synodum Oecumenicam existiment. Non igitur Neoterici Græcorum, majorum suorum statuta custodiunt, sed in pejus proficiunt, idque mea sententia in pœnam peccati. Quemadmodum enim Quinisextiani Patres laxatis habentis usum conjugii post initiationem sacrorum ordinum cum debuissent compescere, veterumque Canonum sinceritatem illibatam conservare, immo & votum more Latinorum cum sacris Ordinibus connectere, ipsi nedum tolerarunt, sed etiam quodammodo præceperunt; ita etiam eorum posteri occasione accepta ex concesso matrimonii commercio, majorum suorum placita neglexerunt.

Quoniam vero hæc de jure divino non sunt, & possunt ab Ecclesia ex rationabili causa immutari, hi Græcorum cum Canones, tum consuetudines eatenus habent aliquam firmitatem, quatenus approbantur à Romana Ecclesia, vel potius tolerantur: secus nullam habere videntur. Siquidem ad Romanum Pontificem pertinet κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, quod sacri historici sæpe inculcant. Nam & ipsa πενθέκτη Synodus, quæ probatos aliquot Canones condidit, seu potius ab aliis antea conditos accepit, inde suum pondus, & auctoritatem obtinet. Cujus octuagesimum secundum Canonem citat Adrianus secundus in Epistola ad Carolum magnum, & septima Synodus actione 4. & 6.

Quandiu itaque Romana Ecclesia non declarat, valida-ne sint hujusmodi matrimonia Græcorum Presbyterorum, nec-ne, mea quidem sententia; secundum præsentem Consuetudinem Græcorum, rata esse censentur.

Sin autem Romana Ecclesia declarare voluerit, ea fore invalida, jam illius sanctio non ad præterita matrimonia se extendet (quæ sane non interveniente voto rata esse videntur) sed ad futura. Et tunc Romana Ecclesia intelligetur cum lege Canonica, & Ecclesiastica ad informandos Græcos voluisse votum connectere, quomodo fecit cum Latinis Presbyteris. Hoc itaque finamus illi, cui ex munere incumbit ad proprium sensum, & voluntatem statuere.

Verum hic finis sit hujus nostri qualiscumque operis, in quo quidem (fatebor enim ingenue) non pauca reperies ab aliis antea, & prudenter excogitata, & eleganter dicta. Nos tamen illud in primis præstitimus, ut quæ ad præsens institutum nostrum spectarent, essentque in ingenti mole

librorum huc atque illuc sparsa, ea in unum colligeremus. Multa de nostro addidimus, & in communem utilitatem eadem publice legenda proponimus. Qui sane labor vel hoc uno nomine gratior esse, ut spero, & opto doctis hominibus debet, quod cum frequenter in controversiam hæc, quæ ad Græcos attinent, vocari possint, præsens argumentum Sacramentorum novo quodam modo, conferendo nimirum Græca cum Latinis tractaverimus. Quod à nemine hactenus plene factum esse vidi.

Si quid vero utilitatis, quod unum studio nobis fuit, pio lectori attulimus, uni Deo Optimo Maximo id omne est referendum, gratiæque assidue agendæ, à quo tanquam perenni fonte omne bonum cœlitus manat. Cui nos, nostraque omnia, ejusque in terris sponsæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ singulari animi propensione subjicimus.

FINIS.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM,
quæ in hoc opere continentur.

A

B

Probatur

D

E

T

V

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

PAR Lettres Patentes de sa Majesté en datte du 29. Septembre 1671. signées FALLENTIN, il est permis à JEAN DU PUIS Marchand Libraire & Imprimeur à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter le Livre, intitulé *Petri Arcudij Corcyræi Presbyteri, de Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis in septem Sacramentorum administratione*, & ce durant le temps & espace de cinq années à compter du jour qu'il sera achevé d'imprimer, & deffences sont faites à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, de l'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter, à peine de quinze cens Livres d'Amande, de confiscation des exemplaires, & de tous dépens, dommage & interests comme il est plus emplement porté par lesdites Lettres Patentes.

Achevé d'imprimer le 10. Novembre 1671.

